IHS

PAVLVS EXPENSVS,

A R. P. D.

ALOYSIO NOVARINO.

PAVLVS EXPENSVS,

NOTIS, MONITISQVE SACRIS; QVA EX LINGVARVM FONTIBVS, QVA EX VARIARVM VERSIONVM COLLATIONE; QVA EX SANCTORVM PATRVM, aliorúmque AVCTORVM obseruationibus, quæ ad mores informandos præcipuè spectant, illustratus.

Adeò vt melior, salubriórque succus, qui ex sacrosanctis huius Apostoli verbis, vel leui Auctoris contactu fluxit, vel multorum Doctorum labore, velut quodam torculari est expressus, hic ad omnium vtilitatem, & gustum exhibeatur; & quæcunque noua dicuntur, aut adducuntur, nouè vitæ nouitati suadendæ, & exercendæ seruiant.

AVCTORE R. P. D.
ALOYSIO NOVARINO
Veronensi, Clerico Regulari Theatino.

EDITIO POSTREMA, AB AVCTORE RECOGNITA, ET AVCTA.



LVGDVNI,
Sumpt. Hæred. Gab. Boissat, & Laurentij Anisson.
M. DC. XL V.
CVM PRIVILEGIO REGIS.

PAVLO APOSTOLO
IESV CHRISTI.

QVÆ Tu nobis, Magne, obtuliſti, offero viciſſim Tibi, & quæ in omnium ſalutem Tu ſcripſiſti, in tui obſequium nomini tuo inſcriptum eo. Tuis verbis addidi, quæ Eccleſiæ Doctores, & probæ notæ Interpretes addidere; non quidem omnia, ſed quæ vtiliora ſunt viſa, & animis curandis, ac perficiendis opportuniora. Adieci aliquid, & ex meo penu. Huiuſmodi eſt theſauri illius natura, qui in tuis ſcriptis deliteſcit, vt omnium ingenia exercere poſſit, & exhauriri penitus non queat. Audio, & ſubſcribo iis, quæ de Te ſcripſit inſignis tui cultor, Tibi, & tuis operibus addictiſſimus Auctor ab aureo ore, cuius ſunt iſta: Ex quo Paulus vixit quingenti iam elapſi ſunt anni, totóque hoc tempore, multi tum Commentatores, tum Doctores ac Interpretes, multa ſæpe inde exhauſerunt, nec tamen repoſitas inibi diuitias exinanire valuerunt. Non eſt enim ſenſibilis hic theſaurus, & idcirco non

conſumi

consumitur à multis effodientium manibus, sed augetur & multiplicatur. Et quid dico de illis, qui ante nos fuerunt? quàm multi post nos dicturi sunt, ac rursus post illos alij, nec tamen deficient fontis in modum scatentes diuitiæ, neque metallorum hoc genus exhaurietur. Spiritualia enim sunt, & suaptè natura nunquam omnino absumi possunt. Adeo vt licet multi in omni æuo ex tuis scriptis multa elicuerint, plura tamen elicienda supersint. Hæc pauca, quæ in omnium vtilitatem meus labor excudit, lubens accipe, qui tam ardenter semper cupiuisti, vt animarum saluti consuleretur. Leuius hoc volumen in omnem partem feretur, quò tuorum verborum pondere est grauius; abeat in omnem plagam omnium plagis curandis, & meis præcipuè, qui in iis quoque scribendis, quæ ad morborum medelam sunt, aliqua peccauero, ob quæ medica indigeam manu, & medentis cura, hoc est post Deum etiam tua. Igitur dum liber tibi sistitur, liber ab omni macula fiat, qui illud offert. Denique gratum tibi fuisse hoc obsequium arguam, si per te mihi detur, Te sequi, & quod est consequens, non facilè committere, quæ arguantur, vt qui tetigi tua verba, imiter tua opera. Hoc votum, hæc mens

Dicatissimi tui serui

ALOYSII NOVARINI
Clerici Regularis.

Reuerendiſſimo Patri
D. STEPHANO MEDICES,
PRÆPOSITO GENERALI
CONGREGATIONIS CLERICORVM
Regularium.

D. ALOYSIVS NOVARINVS
CLERICVS REGVLARIS.

INDITA hæc membris eſt lex,vt caput reuereantur,obſequantur capiti,pro eo exponant ſe diſcrimini,&,ſi res id exigat,ponant etiam vitam. Sine me,Reuerendiſſime Pater,ſequi,quod eſt in me.Tu Congregationis noſtræ es caput,non natura,aut neceſſitate quadam, ſed electione; omnes regis, omnes gubernas ea prudentia, ac ſolicitudine, quæ illis eſt nota,quibus tu notus. Multa vt de te dicam, afferam pauca, & vt meam mentem exprimam, producam aliena verba: Quæ Sanctus Iſidorus Peluſiota dixit,conueniunt tibi,& imbecillitatem meam ſupplent:*Vereor quidem dicere ne adulari videar(omnium enim leuium vitiorum tui piſſimum eſſe adulationem exiſtimo)dicam tamen à veritate coactus.Nemo,vt opinor,imò vt perſuaſum habeo, eas animi dotes,atque virtutes, quæ in te ſunt verbis vllis conſequi poſſit, ne ſi decem quidem linguas,ac decem ora, paremque linguis animarum numerum habeat.* Probant hanc meam mentem alienis expreſſam verbis,quæ à te præſtita, & calculum meæ ſententiæ adiiciunt qui ſuum adiecere,vt ad ſupremum locum vocareris, & Congregationis noſtræ caput fieres,quod ſemel,& iterum factum eſt.Vereri te omnes debent, omnes reuereri, ſed ego præcipuè, qui omnium poſtremus inter tuos ita numeror,vt nudus numerus ſim.Iure igitur hoc volumen inſcripſi tuo Nomini,vt cum pro capite me nequeam exponere, ea exponam quæ ſunt à me. Non eſt capitis damnare quæ cætera membra in capitis obſequium præſtant,eſt ferre,eſt accipere.Paria mihi tua dignitas pollicetur,& quod maius,humanitas tua,quà ſoles non ſolum ferre mea,ſed efferre,vt ad maiora prouoces,& allicias. Benè eſt,quod Expenſum Paulum offero Tibi.Paulum ipſum Eccleſia debet Stephano, & Stephani precibus. Pauli ſimiliter Expenſas epiſtolas eadem Eccleſia per te habeat, qui eodem cum Beato Stephano gaudes nomine; nam quod potuerim hoc opus & formare, & excudere,etiam à Te fuit,qui otium dediſti, méque ab illis laboribus exemiſti,quæ ſtudia mea poterant obruere.Exeat igitur volumen tui Nominis corona redimitum; felicia ominatur tam fauſtum Nomen.

OPERIS

OPERIS APPROBATIO.

NOs infrascripti de mandato R.P.D *Stephani Medices* Congregarionis nostræ Generalis, hoc volumen quod inscribitur: *Paulus Expensus, notis, monitisque sacris illustratus opera R. P. D* ALOYSII NOVARINI *Clerici Regularis*, perlegimus, nihilque in eo est repertum, aut fidei contrarium, aut bonis moribus officiens, atque adeò dignum illud existimauimus, quod cum cæteris huius Auctoris operibus publica luce ad publicam vtilitatem frueretur. Ita censebamus Veronæ Prid. Idus Febr. 1643.

D. HIERONYMVS FENOLIVS C.R. Sacræ Theolog. Professor.
D. IOANNES CHRYSOSTOMVS PHILIPPINVS C. Reg. Sacræ Theol. Profess.

FACVLTAS R. P. D. STEPHANI MEDICES CONGREGAtionis Clericorum Regularium Præpositi Generalis.

HOc opus cuius inscriptio, *Paulus Expensus, notis, monitisque sacris illustratus à R.P.D* ALOYSIO NOVARINO compositum, & à nostris Theologis, quibus id commisimus, iuxta præfixam assertionem, recognitum, & approbatum, vt typis mandetur, quoad nos spectat, facultatem concedimus. In quorum fidem præsentes litteras manu propria subscriptas, & solito Sigillo munitas, damus Romæ apud Sanctum Syluestrum Montis Quirinalis, die vigesima prima Februarij. Anno Domini 1643.

D. STEPHANVS MEDICES Præpos. Gen. Cong. C. R.

Locus Sigilli †

D. IO. BAPTISTA LANFRANCVS Secretarius.

APPROBATIO.

NOs infrascripti Facultatis Parisiensis Doctores, fidem facimus perlegisse Librum cui titulus est, PAVLVS EXPENSVS, *notis, monitisque sacris illustratus opera R. P. D.* ALOYSII NOVARINI *Clerici Regularis*, nihilque in eo fidei Orthodoxæ contrarium reperisse. Lugduni die 28 Martij 1642.

Fr. CL. COCHET Prior Prædic. Lugdunens.

Fr. M. MICHARD Guardian. Conuentus S. Bonauenturæ.

Summa Priuilegij Regis Christianissimi.

LVDOVICI XIII. Galliæ & Nauarræ Regis auctoritate sancitum est, ac patentibus Literis cautum, ne quis in Regno suo, aliisve locis ditioni suæ subiectis, intra proximos annos decem, à die impressionis primæ inchoandos, ac numerandos excudat, vendat, excudendum, vendendúmque quouis modo & ratione curet, Librum qui inscribitur, PAVLVS EXPENSVS, *notis, monitisque sacris illustratus opera R. P. D.* ALOYSII NOVARINI *Clerici Regularis*, præter LAVRENTIVM ANISSON, Bibliopolam Lugdunensem, aut illos, quibus ipsemet concesserit. Prohibitum insuper eadem auctoritate Regia omnibus suis subditis, eundem Librum extra Regni sui limites imprimendum curare, vel quemquam, vbicumque fuerit, ad id agendum impellere, ac instigare, sine consensu dicti LAVRENTII ANISSON. Idque omne sub confiscatione Librorum, aliisque pœnis originali Diplomate contra delinquentes expressis. Datum Lugduni, die 31. Augusti 1642.

De mandato Regis,

Signatum,

FAVVRE.

Desiit prælum 22. Aprilis 1645.

CAPVT

CAPVT PRIMVM EPISTOLÆ AD ROMANOS

Expenditur & illuſtratur.

SECTIO I.

1 *Cur plures quàm alij Apoſtoli, vnus Paulus epiſtolas ſcripſerit.*
Frequenter Pauli epiſtolis Eccleſia vtitur, vt peccatores animet ad pœnitentiam.
2 *Quod Superioribus dicitur, in alios deriuat.*
A Principibus ad alios ſalus facilè tranſit.
3 *Romanæ Eccleſiæ dignitas.*
Suos quiſque primùm curet inſtituẽdos.
4 *A minoribus ad maiora eundum.*
Romanæ Eccleſiæ Principatus.
5 *Quum à Deo quis magnificatur, tum maximè per humilitatem demittere ſe debet.*
Alius à ſeipſo ſit, prædicationis officium exercens.
6 *Nouitati litandum: veteris vitæ notæ abradendæ.*
Cur Apoſtolus non ſtatim poſt conuerſionem Paulus dictus.
7 *Quiete frui poteſt, quum quis patitur malum: inquies eſt, quum in alios ſæuit.*
Humilitatis & quietis nexus; ſuperbiæ & inquietudinis.
Nomen ſuum cur Paulus epiſtolis ſuis præfixerit.
8 *Mutatio nominis in Paulo, ſingularis priuilegij ſignum.*
Regium nomen vt Paulus vitauerit.
Seruitus humilitatis & amoris ſanctis conuenit, non timoris.
9 *Dei ſeruum eſſe, ſupereminens Mundo nobilitas eſt.*
Verus Chriſti ſeruus, ſuarum paſſionum ſeruus eſſe non debet.
In hominum obſequio præcipuè Deus ſpectandus.
10 *Chriſti ſeruus, ſapientiæ & iuſtitiæ omniumque virtutum ſeruus ſit.*
Sancti ſeruos ſe eſſe dicunt comparatione futuræ libertatis.
Totus Chriſti obſequijs addictus eſſe debet Chriſti ſeruus.
11 *Seruitus Chriſti ſeruilem mentem excludit.*
Chriſti ſeruus, totus Chriſti ſit, illiuſq; tantùm negotium agat.
Humilitas auctoritati ſternenda.
12 *Seruitus ſpontanea, non coacta.*
Semper & in omnibus Deo ſeruire debemus.
Chriſti ſeruitus regno, & Orbis principatu maior.
13 *Dignitas omnis, Chriſti ſeruituti niſi innitatur, ruit.*
Seruitus quæ Chriſtum reſpicit, vilitatem omnem exuit.
Seruos Crucis Chriſti ſe olim aliqui vocabant.

Nooatin. in Epiſt. Pauli.

Epiſtola B. Pauli Apoſtoli ad Romanos.

MVLTAS ſcripſit Paulus epiſtolas, & vnus plures, quàm alij omnes Apoſtoli. Sed cur id factum? An quia Pauli ſcriptis, qui hoſtis Chriſti Chriſtianorumque extiterat, 1.

pleniùs quisque erat crediturus? Huc spectauit S. Cyrillus Hierosolymitanus in 10. Catech. vbi ait: *Miratus sum certè sancti Spiritus dispensationem, quòd aliorum quidem Epistolas paruo numero circumscripsit; Pauli autem (antea sui persequutoris) quatuordecim esse concessit. Non enim, eò quòd minor esset Petrus aut Ioannes, præcidit gratiam, absit: Sed quòd* DVBIA NON ESSET DOCTRINA ILLIVS, QVI ANTEA ESSET INIMICVS ET PERSEQVVTOR, *plura concessit illum scribere, vt omnes sic nobis facilius persuadeamus.* Multa Paulus scripsit, sed plura fecit digna quæ scriberentur.

Exigua quæque magnis thesauris grauida in diuinis, & maximè in Pauli verbis esse, adeò vt expensè tractanda sint, explicat in hunc modum S. Chrysostomus homil. 1. ad populum: *Metallorum terram excoquentes, postquam in caminum ipsum iniecerunt, non tantum auri massas tollunt, sed & paruas bracteolas multa cum sedulitate colligunt.* QVONIAM IGITVR ET NOS AVRVM APOSTOLICIS HAVTSVM METALLIS EXCOQVIMVS, NON IN FORNACEM IACIENTES, SED IN ANIMÆ NOSTRÆ COGITATIONES IMMINENTES: *non flammam attendentes, sed ignem spiritus excitantes, & paruas micas cùm diligentia colligamus.* LICET ENIM BREVE SIT VERBVM, MVLTA TAMEN EST VIRTVS: *quoniam & gemma non in corporis mole, sed in natura pulchritudine suum pretium habent: sic & Scripturarum lectio;* sicque excipi, sic versari à sacris tractatoribus, ab auidis auditoribus debent.

2. Pauli Epistolis, sicut & Dauidis Psalmis frequentiùs vtitur Ecclesia, vt peccatores ad pœnitentiam animet: nam hos duos lapsos ad magnum sanctitatis culmen diuina bonitas euexit. *Inde est*, inquit S. Thomas præfat. in Epist. ad Roman. *quòd sicut inter Scripturas Veteris Testamenti maximè frequentantur in Ecclesia Psalmi Dauid, qui post peccatum veniam obtinuit; ita in Nouo Testamento frequentantur Epistolæ Pauli, qui misericordiam consequutus est:* VT EX HOC PECCATORES AD SPEM ERIGANTVR. *Quamuis possit & alia ratio esse, quia in vtraque Scriptura ferè tota Theologica continetur doctrina.*

Ad Romanos scribit *Tanquam ad eos* (inquit Theophylactus in præfat. Epistolæ huius) *qui vniuerso terrarum Orbi præsideant: nam* QVI CAPITI PROFICIT, TOTI CORPORI PROFECERIT: sicut & morbus, qui caput afficit, à cæteris membris facilè participatur.

Cùm ad plerosque alios Apostolus scripserit, non debebat præterire Romanos, Orbis terrarum Principes, vt ab ipsis facilior salus ad cæteros transiret. *Scribit autem ad Romanos Apostolus*, inquit Athanasius in huius Epist. præfat. *Euangelij ministerio fungens, tanquam ad Orbis terrarum Principes.* QVI ENIM CAPVT IVVERIT, ET RELIQVIS MEMBRIS AFFERAT VTILITATEM, NECESSE EST.

3. Non casu factum, vt Epistola ad Romanos cæteris præferatur, licèt si scriptionis spectemus ordinem, non fuit prima; vt vel ab hac parte Romanæ Ecclesiæ dignitas colligatur. Bene Catharinus ad hanc Epistolam: *Ecclesia sancta Spiritu sancto edocta atque instructa, postquam iam erant Iudæi reprobati, & primogenituram amiserant, & ad Gentes verbum Dei iam erat translatum; inter Epistolas, quas ad septem Gentium Ecclesias scribit Apostolus, illam meritò censuit præponendam, quæ ad Romanam Ecclesiam dirigebatur,* PROPTER SVAM DIGNITATEM: *illius vrbis & authoritatem; vt quæ diuina prouidentia, decreta erat caput omnium Ecclesiarũ ac totius Orbis, vbi sedem suam Dominus, & doctrinæ cathedram iam collocarat; vnde haurire omnes atque excipere deberent à Petri ore rectam fidei confessionem.*

Addit & huius ordinis aliam rationẽ inquiens: *Ordo denique congruentia idem requirebat: erat enim primùm ipse B. Paulus ciuis Romanus, ex Tharso Ciliciæ oriundus, cuius loci ciues, ipsorum Romanorum beneficio, Romani quoque ciues effecti erant. Nihil ergo mirum, si hoc Spiritus intendit vt homo Romanus doctrina sua* PRIMVM ROMANOS CVRET INSTITVENDOS, *quibus & propriam dedit sanguinem, quo in ea vrbe fuso compleuit suum testimonium. Adde quòd ipse idem Apostolus, Doctor Gentium fuit à Spiritu sancto ordinatus: Gentium ergo caput, quod erat Roma, præhonorari debuit. Quamobrem congruum fuit, vt & Romani primi de verbo salutis, & de præceptoris sui doctrina gauderent.*

Sed cur aliis præponatur hæc Epistola, alia quoque ratio adduci potest: vt scilicet isto ordine indicetur à minoribus eundum ad maiora. 4.
Rem sic conficit S. Anselmus in huius Epistolæ præfat. *Nemo repentè fit summus, sed a minimis quisque inchoat, vt ad maiora perueniat. Epistola ergo ad Romanos prima est: quia cùm fides prima virtus sit, & fundamentum aliarum virtutum, & sine qua impossibile est placere Deo; dignum fuit, vt illa Epistola in capite aliarum locaretur, in qua de prima virtute agitur, & in qua corriguntur, atque* AD FIDEI PERFECTIONEM REVOCANTVR *quicunque Romanis secundum fidei imperfectionem sunt similes. Illa verò, quæ est ad Corinthios, iure huic supponitur; quoniam eos, qui fidem iam acceperunt, in bono opere instruit.*

Aliam statim rationem idem S. Auctor adducit, quam etiam magis probat. *Magis credendum est quod illi, qui membra Epistolarum in vno corpore collegerunt, illam indicauerunt sedere in capite, quæ ad Vrbem directa est, quæ in illo tempore caput extitit totius Orbis; & quia vsque hodie Romana Ecclesia omnium Ecclesiarum obtinet principatum.*

Paulus seruus IESV Christi.

PAulus, qui Saulus dicebatur, Pauli nomen 5.
sumpsit. *Quantum mihi videtur* (inquit S. Augustinus lib. de spiritu & litt. cap. 7.) *non ob aliud hoc nomen elegit, nisi vt se ostenderet paruum tanquam minimum Apostolorum.* Addit Toletus hîc hanc sententiam sibi maximè probari: *Eaque est causa*, inquit, *cur Act. 13. incipiat hoc nomine nuncupari; quia tunc Apostolus est factus à Deo.* QVANDO IGITVR A DEO IPSE MAGNIFICATVS EST, TVNC IPSE AD HVMILITATEM PROFVNDAM DESCENDIT; *& cum cognomine Apostoli, nomen sibi sumpsit Pauli, quod Latinè paruum significat.* Vt hinc discas, tunc maximè quemlibet de se debere sentire humilius, cum maximè euehitur.

Sauli nomen in Paulum mutatum fuisse aliqui putant, *Propterea quod ciuis esset Romanus*, vt notabat noster Adamus Fumanus: vt in nomine quoque iis se conformaret, quorum erat ciuitate donatus.

donatus. Bonorum suctorum censio est Apostolum binomium extitisse: *Et ideo cum diceretur Saulus*, inquit S. Thomas, *secundùm Hebraos, vocatus est etiam Paulus secundùm Romanos: quo nomine non videtur vsus nisi postquam cœpit Gentibus pradicare*, hoc nomen exoroans tanti muneris exercitio: tanqusm alius à se ipso esse inciperet prædicationis officium exercens.

6. *Paulus*, scilicet ex Saulo, vt nomiois quoque nouitate, vitæ responderet. Bene Primasius: *Ex Saulo Paulus sicut ex Abram Abraham, vt etiam* IPSO VOCABVLO NOVVS ESSET, nihil veteris vitæ retioeret. Paulum se vocat vt nomine quoque Romanotum consuetudini se aptaret, nec Hebraica appellatione eorum aures, vt ita loquar, offenderet. Quid non effecisse credendum est vt eos lucraretur, eum cauit ne Hebraico illos nomine apud illos inusitaro læderet?

Circa Pauli nomen hîc iure aliquis quærat, cur non statim illi mutatum nomen fuit, cùm mores vitamque, Dei gratia in Dei gloriam mutauit? Diu dictus est Saulus etiam postquam nomen dederat Christo, & ex persecutore prædicator est factus; vt scilicet omnibus in omnium vtilitatem manifesta fieret eius conuersio: nam multorum potuisset ootitiam fugere, si statim alio fuisset nomine insignitus. Firmant hæc quæ habet S. Chrysostomus serm. de fercodis reprehensionibus, ait enim: *Verùm quam ob causam Spiritus sanctus non statim mutauit nomen Pauli*, SED EXPECTAVIT AD TANTVM TEMPVS? *Si statim conuerso Paulo mutatum fuisset & nomen eius, tunc minus manifesta fuisset eius conuersio, & ad fidem translatio. Nam sicut in famulis vsu euenire solet quod obscuri fiant, si quamprimum fugam inierunt, sua nomina mutarint: ita & in Paulo contigisset, si mox vt relictis Iudais ad nos venit, aliud nomen sortitus fuisset: nemo enim sciuisset, quod persecutor ille esset Euangelista. Accidit autem hoc, vt palam fieret ex persecutore factum Apostolum: quandoquidem hoc Iudaos cohibebat, quod doctor suus, qui pro eis olim stabat, nunc se eis opponeret. Quapropter vt ne subita nominis mutatio, voluntatis mutationem occultaret, relictum est ei multo tempore nomen primum. Hinc enim omnes discebant quod ille ipse esset, qui prius fuerat Ecclesiam persecutus: postquam autem omnibus hoc factum esset notum, tunc transmutatum est & nomen.* Hactenus de Sauli, Paulique nomine sanctus hic.

7. *Paulus seruus Iesu Christi*. Saulus erat, quum non erat Christi seruus. *Propter inquietudinem*, inquit hîc S. Ambrosius, *Saulus est nuncupatus: quia Saulus, inquietudo, interpretabatur*. Cùm in Ecclesiam sæuiret, à quiete aberat: quietus erat, cùm pateretur. *Paulum se dicit*, addit idem sanctus Pater, *quasi ex tentatore factum* QVIETVM HVMILEMQVE *vel paruulum*. Quietus nimirum est, qui est humilis: superbus, inquietus sibi est, & aliis studet inquietudinem affricare.

Paulus. Cur nomen suum Epistolæ præfixit, quod plerique alij ex sacris Scriptoribus non præstitère? An quia epistolam scribebat? *Moses*, inquit S. Chrysostomus homil. 1. *Libris quinque à se scriptis nusquam nomen suum addidit, neque qui illum subsequuti, qua post illum gesta sunt, scripsere: sed neque Matthaus neque Ioannes, non Marcus non Lucas*. AT B. PAVLVS VBIQVE EPISTOLARVM SVARVM NOMEN SVVM PRÆPOSVIT. *Quid ita? Quod illi quidem prasentibus*

Nouarin. in Epist. Pauli.

scribebant, ac superuacanea illis erat prasentia sua declaratio: hic autem de longinquo literas mittebat, & sub epistolari figura; idcirco necessaria erat nominis additio. Quòd si in ea, quam ad Hebraos scripsit, epistola secus facit, id suo quodam proprio consilio facit: nam quòd inimico essent Hebrai erga illum animo, vt ne è proœmijs, audito eius nomine, sermoni aditum occluderent, illorum audientiam occultandâ nominis sui declaratione artificiosè captauit.

Paulum se vocat qui priùs Saulus dicebatur, 8.
vt in hoc quoque Petro Apostolorum coryphæo esset par. CVR EIVS NOMEN, inquit hîc S. Chrysostomus, IMMVTAVIT DEVS; *& Saulus qui esset, Paulum vocauit? Vt ne hac quidem parte reliquis Apostolis inferior esset: sed quod selectum eximiumque habuit Discipulorum antesignanus, hoc ipse indipisceretur, & maioris necessitudinis argumentum obtineret.*

Paulus. Non paulùm ad Pauli laudem facit, quòd hoc potiùs nomine sit vsus, quàm Sauli. REGIO NOMINE (inquit Caietanus hîc) *scilicet Saul seu Saulus vti noluit; sed nomine humili: Paulus enim diminutiuum est à parùm*. Humilitatis magister vel nomine docere humilitatem voluit.

Paulus seruus. Cur se Iesu Christi seruum vocat? cùm Christus suis dixerit, *Iam non dicam vos seruos: vos autem dixi amicos*, Ioan. 15. v. 15. *Duplex est* SERVITVS (inquit hîc S. Thom.) *vna timoris, qua non competit sanctis: alia* HVMILITATIS ET AMORIS, *qua sanctis conuenit.*

Seruum se dicit; cur non ciuem Romanum? 9.
veræ nobilitatis notam dedit, non veræ neglexit. Mundanam nobilitatem iactent qui mundo seruiunt: veri Dei cultores in Dei seruitute eam locant. Benè Faustinus Presbyter lib. contra Arianum cap. 5. vbi ait: *Nonne Deo subdita est anima mea? Huius seruum fieri summus decor is est, & quasi* QVÆDAM SVPEREMINENS MVNDO NOBILITAS; *ideo & Apostolus gloriam suam scribit, Paulus seruus Iesu Christi.*

Seruus Iesu Christi. Et non etiam hominibus seruiebat? Seruiebat, nec vlli labori parcebat alienæ saluris quærendæ causa: cur igitur non se hominum seruum vocat? quia in hominibus Deum spectabat; nec in hominum obsequio sistebat, nec in hominibus. *Non erat seruus hominum*, vt notabat Arboreus, *quia nulli placere studuit, nulli adulari.*

Seruus Christi Paulus erat sed solius: nos nostrarum passionum serui sumus, oostrorumque 10.
vitiorum. S. Ambrosius in Psalm. 118. oct. 12. sic rem expendebat: *Ideo dicebat Paulus Apostolus, seruus Iesu Christi*, QVIA NVLLI ALII OBNOXIVS TENEBATVR. *Ego autem nunc Dei mei sum, nunc tristitia, nunc iracundia, nunc verbi otiosi: & ideo qui plures Dominos habet, non potest dicere, Domine Iesu, tuus sum:* sicque fit, vt si rem rectè deducamus, pauci reperiantur, qui verè huoc titulum sustineant, iustè Iesu Christi serui dicantur.

Seruus Christi verè est, qui se totum ad Christi vitam format. *Quid est seruum esse Christi*, inquit Sedulius hîc, *quàm seruum esse verbi Dei*, SAPIENTIÆ, IVSTITIÆ, VERITATIS, *& omnino omnium virtutum, qua in Christo sunt?* Christi seruus, non est, qui vitiorum est mancipium. Claudit: *Libertas qua nunc sanctis prastatur,*

nondum plena libertas est, sed velut per speculum, & in aenigmate: & ideo Sancti seruos SE ESSE DICVNT AD COMPARATIONEM ILLIVS LIBERTATIS, *quæ facie ad faciem tribuitur.*

Seruus. Et quænam seruitutis Christi nota est? *Seruum esse Iesu Christi*, inquit Adamus Fumanus, *est* TOTVM ESSE ADDICTVM OBSEQVIIS CHRISTI, *& ab huius mundi curis liberum esse*; vt omnibus actibus quisque clamet, & probet se Iesu seruum esse, per omnia eius voluntatem spectare, eius gloriam.

11. *Seruus Iesu Christi.* Seruitute scilicet seruilem mentem excludente, & à seruili timore immuni: nam alioquin, vt ait Saluator Ioan. 8. vers. 35. *Seruus autem non manet in domo in æternum*; quod ad seruilem seruitutem referas. Paulus ea seruitute est seruus, quâ & in domo Dei in æternum maneat, & Dei domus in æternum sit. Nos quoque huc aspiremus.

Seruus Iesu Christi. Cur *seruum* se potiùs dicit, quàm *ministrum? Aliud est seruus* (inquit hîc Sasbout) *aliud minister: seruus enim addictitius est, minister non item. Nominat ergo se seruum Iesu Christi*, VT PROFITEATVR SE TOTVM ESSE HVIVS DOMINI, ILLIVS TANTVM NEGOTIVM AGERE; *præter hunc nihil se nouisse, nihil spirare vel viuere.*

Seruum se priùs dicit, quàm Apostolum, vt humilitatis potiùs, quàm auctoritatis nomine Romanos ad Christum prouocaret. *Nondum se dicit Apostolum*, inquit hîc S. Anselmus, *sed tantummodò seruum; cum in alijs epistolis mox præferant nomen auctoritatis; quia nondum Romanis prædicauerat; nec adhuc eorum Apostolus esse videbatur.* ET IDEO PRÆPONIT NOMEN HVMILITATIS, CVM ILLOS AD HVMILITATEM ESSET PROVOCATVRVS; *vt meliùs per humilitatis nomen ad humilitatem instrueret, quàm si per auctoritatis nomen ad obediendum constringeret.*

12. *Seruus.* In hac seruitute nihil coactum cogites, nihil seruile. *Seruus*, inquit B. Dionysius Carthusianus, SERVITVTE SPONTANEA NON COACTA; *seruitute charitatis, non puri timoris.* Seruitus ista imperiis omnibus est maior. Grandius est vni seruire Christo, quàm toti Mundo imperare. Hoc nos titulo Christus donet, & super Reges ipsos extulit.

Seruum se Christi Iesu Paulus vocat, nec tempus determinat. Non plena illa seruitus, imò nec vera, quæ ad certum se tempus coarctat. Nisi quis omni tempore sit seruus, seruus Christi Iesu dici non meretur. SEMPER DEO SERVIRE DEBEMVS, ET IN OMNIBVS; vt quicquid agimus, seruitutem nostram probet, Christi Iesu nos seruos indicet.

Romanorum iactantiam tam illustri titulo, qui omnes terrenas dignitates excedit, Apostolus tacitè reprimit, se Christi Iesu seruum appellans. *Paulus*, inquit S. Chrysostomus homil. 8. ad Ephes. *Cùm scriberet vrbi adeo magnæ, Orbis videlicet dominium gerenti, & de* MAGNIS DIGNITATIBVS GLORIANTI AC SVPERBIENTI, *tantùm quod ad illius dignitatem responderet, imò quod multò esset maius incomparabiliter, & consulatum* EXCEDERET ET REGNVM ET ORBIS PRINCIPATVM, *hoc posuit, nempe Paulus seruus Iesu Christi.*

Seruus Iesu Christi. Antequã se vocaret Apostolum, Iesu Christi seruum se nominat, vt hanc seruitutem tam specioso titulo velut fundamentum quoddam sterneret. Alioquin DIGNITAS OMNIS RVIT, QVÆ HVIC SERVITVTI NON INNITITVR. Priùs titulum illum nominat, qui illi charior, & altiùs Apostolicæ menti erat sculptus.

Seruus Iesu Christi. Abiecta seruitutis conditio sit; desinit esse cùm Christum Iesum respicit: 13.
Redditur commendabilis, inquit S. Thomas, EX EO QVOD ADDITVR, IESV CHRISTI. Additio ista à seruitute notam omnem aufert; splendorem seruituti addit, addit nobilitatem. Tanti refert ad quem seruitus referatur. Misera mundi est seruitus, felix seruitus est Christi Iesu. Vt nihil aliud tot laboribus adeptus Apostolus fuerit; magna omnium fuisset merces & plena, donatum hoc titulo fuisse, quo Christi IESV seruus est dictus.

Dei serui seruos se aliquando *Crucis Christi* vocabant. Hugo Victorinus lib. 1. Miscellan. tit. 79. ita loquitur: *Ioanni Hispalensium Archiepiscopo Hugo* SERVVS CRVCIS CHRISTI; & quæ sequuntur. Nimirum qui Iesu Christi est seruus, debet etiam esse Crucis Christi, Crucem Christi colere, & amare.

SECTIO II.

14 *Pauli modestia & humilitas.*
Paulus cur vocatum se Apostolum dicit, Petrus se Apostolum absolutè.
15 *Vtilitatem eorum, ad quos scribebat, vt spectarit Paulus.*
Pauli humilitas vnde collecta.
16 *Dignitatis & oneris nexus.*
Firma & constans Pauli vocatio.
17 *A sui amore rerumque terrenarum sit segregatus, qui Dei est Euangelium prædicaturus.*
Segregatus in Euangelium, non separatus Paulus.
18 *Ecclesia vt Synagogæ præstet.*
Mentis vnio non abrumpenda.
19 *In Euangelium Dei segregatus segreget se ab eo, quod non est Deus.*
20 *Noua doctrinæ auctor haberi non vult Paulus.*
Bonorum suorum desiderium Deus excitat, vtiliùs vt excipiantur.
21 *Etiam Diabolus suos habet prophetas.*
Regna cælorum haud speret, cuius radiis abutitur cælo.
22 *Iudæorum fidem vt nutrire Paulus studuerit.*
Roma incunabula quàm magnis promissis nobilitata.
Sacra litera, sola Sancta.

Voca

Vocatus Apoſtolus.

14. VOCATVS. Summa hîc elucet modeſtia Pauli, Pauli humilitas. *Vbique*, inquit hîc S. Chryſoſtomus, *Vocatum ſe appellat*, SVAM OSTENDENS MODESTIAM; *& quod non ipſe quærendo inuenerit, ſed vocatus præſto fuerit & obedierit: quin & eos, qui in Chriſti fidem ſunt recepti, ſic appellat, Vocatos ſanctos. Illi quidem ad fidem vſque vocati ſunt: ipſi autem aliud quiddam concreditum eſt, nimirum Apoſtoli munus; res bonis infinitis exundans, & gratijs omnibus maior, ac dona omnia complectens.*

Vocatus. Haud dubiè, quin à Chriſto vocatus. Sed hîc aliquis quærat, cur Paulus vocatum Apoſtolum ſe dicat, cùm Petrus abſolutè ſe Apoſtolum in ſuis epiſtolis dixerit. *Petrus*, inquit hîc Toletus, *de numero duodecim exiſtens, quamuis etiam vocatus eſſet*, ABSOLVTE TAMEN SE APOSTOLVM *in vtriuſque ſua epiſtola initio appellauit, dicens: Petrus Apoſtolus Ieſu Chriſti. At Paulus extra numerum hunc cum eſſet, ne ſe ingeſſiſſe propria viſus eſſet auctoritate, vocatum ſe ad Apoſtolatum ab eodem, à quo & cæteri ſunt, expreſſit.*

15. *Vocatus Apoſtolus.* Cur non te ſtatim humilitatis magiſter humilitati plantandæ, Eccleſiæ Dei perſequutorem vocas? Cur non peccatorem? *Diuinus Apoſtolus* (inquit hîc Theodoretus) *ſe abortiuum nominat, & primum peccatorem appellat, & ſe Apoſtolatu indignum eſſe dicit: Epiſtolas tamen ſcribens, quæ illi à gratia impoſitæ ſunt appellationes, ad eorum qui illas accipiunt literas,* VTILITATEM PRÆPONIT: *cùm enim ſcirent, quæ eſſet dignitate & auctoritate præditus is, qui ſcribebat, maiori ſtudio promptiuſque & alacriùs eas accipiebant.*

Vocatus Apoſtolus. Quòd non dixerit, *Exiſtens Apoſtolus*; ſed, *Vocatus Apoſtolus*; ad Pauli humilitatem aliqui referunt. *Puto autem*, inquit hîc B. Dionyſius Carthuſianus, *quod ait, Vocatus Apoſtolus*, EX HVMILITATE; *quaſi dicere vellet, Exiſtens Apoſtolus, ſed Vocatus: id eſt, ab hominibus ſic æſtimatus & dictus: quamuis ego meipſum non arbitrer dignum Apoſtoli nomine.* Idem vrget Athanaſius hîc: HVMILITATEM *præfert hoc verbum: oſtendit enim non conquirendo ſe id reperiſſe; ſed veniſſe accitum.*

16. *Vocat Apoſtolus.* Cur non ſe abſolutè vocat Apoſtolum, ſed tantùm ſe vocatum Apoſtolum dicit? Acuminis multum habet, neſcio an ſoliditatis, quod adfert S. Anſelmus: *Nondum ſe dicit Apoſtolum: quia* NONDVM ROMANIS PRÆDICAVERAT, *nec adhuc Apoſtolus eſſe videbatur.* Hoc ſi verum, colligas, onus à dignitate non abiungendum.

Vocatus. Notatum etiam ab aliis eſt, *Vocatum*, nomen eſſe, non participium: quod non eſſe ſine myſterio factum, nefas eſt ambigere. Guilliadus hîc: *Nomen eſt abſolutum, Vocatus, non participium. Habet enim & id emphaſim, quòd nomine, non participio vſus eſt: in eo enim eſt ſignificatio* NON TRANSEVNTIS AVT TEMPORARIÆ, SED FIXÆ ATQVE CONSTANTIS VOCATIONIS.

Segregatus in Euangelium Dei.

17. SEgregatus in Euangelium Dei. A rebus omnibus terrenis, quin & à ſeipſo (vt ita loquar) ſuique amore ſegregatus debet eſſe, qui Dei eſt Euangelium prædicaturus. Quid in Paulo Deus præuiderit, vt eum in Euangelium ſegregaret, explicat Origenes hîc: *Paulus*, inquit, *quod ſegregatus in Euangelium dicitur, & ſegregatus à ventre matris ſuæ; & cauſas in eo & merita*, QVIBVS IN HOC SEGREGARI DEBVERIT, *vidit ille, quem non latet mens. Præuidit enim quòd abundantius, quàm cæteri omnes, laboraturus eſſet in Euangelio: quòd in fame & ſiti, in frigore & nuditate, periculis latronum, periculis fluminum, periculis maris prædicaturus eſſet Euangelium Chriſti, ſciens quòd væ eſſet ſibi, ſi non euangelizaret: & quòd maceraturus eſſet corpus ſuum, & ſeruituti ſubiecturus, ne fortè, cùm alijs prædicaret, ipſe reprobus efficeretur. Hæc ergo, & his ſimilia, & alia multa in eo de ventre matris præuidens Ieſus, ſegregauit eum in Euangelium.*

Nouarin. in Epiſt. Pauli.

Segregatus in Euangelium. Qui vnum cum grege erat, quî dicitur Segregatus? *Quibus cor vnum, & anima vna cum grege erat*, inquit Rabanus, NVLLA SEPARATIO *vſquam eſſe poterat; attamen è grege ſegregati fuerant, qui ad Apoſtolatum electi erant: nam &* MANVS *ad operandum porriguntur, ſed tamen ab vnitate corporis non ſeparantur.*

18. *Segregatus.* Vel ab hoc verbo Eccleſiæ dignitas poteſt colligi. Quantum pecoribus homo præſtat, tantum præſtat Eccleſia Synagogæ. Præclarè S. Auguſtinus lib. Expoſit. Epiſt. ad Rom. inchoatæ, *Epiſtolam ſic exorſus eſt: Paulus ſeruus Ieſu Chriſti, vocatus Apoſtolus, ſegregatus in Euangelium Dei.* BREVITER IN DVOBVS VERBIS ECCLESIÆ DIGNITATEM A SYNAGOGÆ VETVSTATE DISCERNIT. *Eccleſia quippe ex vocatione appellata eſt: Synagoga verò ex congregatione. Conuocari enim magis hominibus congruit,* CONGREGARI AVTEM MAGIS DE PECORIBVS DICI SOLET: *vnde greges propriè pecorum dici ſolent. Quanquam ergo pleriſque Scripturarum locis ipſa Eccleſia, grex Dei, & ouile Dei, & pecus Dei vocetur: tamen, quum in comparatione homines, pecora dicuntur, ad vitam veterem pertinent: & apparet huiuſmodi homines non cibo ſempiternæ veritatis, ſed temporalium promiſſionum tanquam terreno pabulo eſſe contentos. Paulus ergo ſeruus Chriſti vocatus eſt Apoſtolus: qua vocatio illum cooptauit Eccleſiæ. In Euangelium autem Dei ſegregatus eſt: vnde? niſi à grege Synagogæ?*

Segregatus. Nam de illo dixit Spiritus ſanctus Actorum 13. *Segregate mihi Saulum & Barnabam in opus, ad quod aſſumpſi eos.* Segregatio iſta nihil officit vnioni, nihil paci. *Ab Apoſtolis*, inquit B. Dionyſius, *ſegregatus eſt* CORPORE, *non* MENTIS VNIONE.

19. *Segregatus in Euangelium*; à Spiritu ſancto electus ad Euangelij prædicandi munus. IN EVANGELIVM DEI SEGREGATVR, QVI SEGREGAVERAT A SE QVICQVID NON EST DEVS. Multa alia præſtitit Paulus, & ad ea præſtanda peculiariter delectus fuit: ſed hîc recenſetur, quod in eo erat præcipuum; & quò cætera, quæ agebat, referebantur: nam & miracula, quæ faciebat, huc ſpectabant.

Segregatus in Euangelium Dei. Scilicet ſingulariter delectus, vt Dei Euangelium prædicaret, omnibus Dei Euangelium exponeret. Sed cur tantùm iſtius muneris fit mentio, cùm alia plura Paulus præſtiterit? An quia hoc erat præci-

puum,& ad istud cætera reuocabantur? Qui autem in Dei Euangelium segregatus dicitur, procoldubiò ab iis omnibus, quæ Dei Euangelium damnat reiicitque, se segregauerat, se subduaerat: & hæc veri prædicatoris est nota, ac apta consignatio.

Segregatus in Euangelium Dei. Scilicet qui Euangelij prædicandi exercet munus, segregare se ab aliarum rerum curis debet, vt totum se huic muneri exhibeat. Bene Sadoletus: *Segregatus in Euangelium Dei, hoc est,* inquit, *ab alijs curis omnibus negotijsque semotus, & huic vni operæ prædicandi Euangelij addictus.*

Quod antè promiserat per Prophetas suos in Scripturis sanctis.

20. Q*Vod antè promiserat per Prophetas suos.* Hoc adiecit ne nouæ doctrinæ auctor haberetur. Theodulus presbyter ad hæc verba ait: *Nemo,* inquit, *me* NOVA TRADERE *arbitretur: iā olim enim promissum fuit hoc Euangelium.* Notent hoc Nouatores, qui noua ex suo cerebro cudere volunt.

Quod ante promiserat. Prius promisit, quod exhibuit postea, vt hominum DESIDERIVM EXCITARET, ET VTILIVS EXCIPERENT quod auidè expectassent. Promisit, qui non mentitur, vnde & dedit, quod se dixit daturum: contra ac sæpe homines soleant; nam plerunque ad promissa prompti, ad ea explenda torpentes sunt.

21. *Per Prophetas suos.* Signatè addidit, *Suos, quia &* DIABOLVS SVOS HABET PROPHETAS, ait Catharinus. Dixit per Prophetas, ne aliquid ficti eum producere quis crederet.

Per Prophetas suos: nam suos etiam Mundus habet, suos Dæmon. Qui ex cœlorum aspectu prædicere, & promittere hominibus felicia solent, tanquam in cœlo legerent, quæ sunt à libera Dei voluntate futura, Diaboli prophetas voco. In hos illud quadrat, quod habet Tertull. lib. de Idololatria cap. 10. NON POTEST, inquit, REGNA CÆLORVM SPERARE, *cuius* DIGITVS, *aut* RADIVS ABVTITVR CÆLO. Ferri in cœlum non meretur, qui tot calumnias infert cœlo.

22. Prophetarum meminit, vt Iudæos in fide firmaret. AD NVTRIENDAM IVDÆORVM FIDEM, ait Primasius hîc, *asserit se illum prædicare, quem Prophetæ annunciauerunt in Scripturis sanctis.* Adeo in aliena salute procuranda studiosus Paulus fuit, vt nihil prætetiret, quod salubre illis esset, ad quos scribebat.

In Scripturis sanctis. Dei promissa non verbo tantùm enunciata fuêre, sed & literis exarata, vt ad plures notitia perueniret; & vt vel hinc promissarum rerum pondus colligeretur. *Non consueuerunt,* inquit S. Thom. hîc, *scribi nisi magna, quæ sunt digna memoriâ, & quæ oportet ad Posteros deuenire. Et ideo, vt August. dicit, tunc incœperunt scribi prophetia de Christo per Isaiam, & Oseam,* QVANDO ROMA EST EDITA, *sub cuius imperio Christus erat nasciturus; & fides eius Gentibus prædicāda.* O felix Roma, cuius incunabula tam magnis promissis fuêre nobilitata! Vt vel tūc eius magnitudini Deus præluderet, & spirituali illius fabricæ spiritualia hæc iaceret fundamenta.

In Scripturis sanctis. Cur hoc addidit epithetum? *Quia* (vt Hugo Carensis ait) *scribebat Gentilibus, qui adhuc* ALIAS LITERAS REPVTABANT MAGNAS: cùm literæ omnes si sacris comparentur, ita disparéant vt nihili fieri debeant.

SECTIO III.

23 *Ex Virgine, virtute Diuina vt prodierit Christus.*
Ad pœnitentiam vt suos Christus alliciat.
Regia Christi dignitas commendata.
24 *Incarnationis cur priùs meminerit Paulus quàm prædestinationis.*
25 *Apostolica mentis candor.*
26 *Gratia, Apostolica dignitatis fundamentum.*
Iusti gaudent bona ipsis concessa etiam alijs dari.
27 *Suis meritis nemo tribuat, quod à Diuina gratia est.*
28 *Rem magnam sibi aliquis non adscribat.*
29 *Doctor sibi priùs illud persuadeat, quod alijs persuasurus est.*
Omnes Gentes vt docuerit Paulus.
30 *Perstricti, qui sanctis viris prædicare quærunt, peccatoribus omissis.*
31 *Christi prædicator, Christi nomen dilatare debet non suum.*
Sancti quo sensu fideles olim dicerentur.
Non terrenum fructum sed spiritualem Euangelicus prædicator quærat.
32 *Vitanda, quæ tumorem fouent.*
Fastus deprimendus.

Qui factus est ei ex semine Dauid.

QVs *factus est ei.* Cur non dixit, *Natus est ei?* S. Thomas hîc: *Quæritur, cùm nos* 23.
confiteamur Christum natum ex Virgine, quare Apostolus dicat eum esse factum ex muliere. Et dicendum quòd illud nascitur, quod naturali ordine producitur, sicut fructus ex arbore, vel proles à parente: quod autem ex voluntate agentis producitur non secundùm naturæ ordinem (sicut domus ab artifice) non potest dici nasci, sed factum. Quia igitur Christus ex Virgine processit naturali ordine quantum ad aliquid, scilicet quòd conceptus est ex fœmina, spatio nouem mensium, dicitur natus: quia verò quantùm ad aliquid non naturali ordine, sed sola virtute Diuina processit absque virili semine, dicitur factus. Eua autem dicitur ex Adam facta, non nata: Isaac autem ex Abraham natus non factus.

Ex semine Dauid. Cur Dauidis potiùs meminit, quàm Abrahami? An vt peccatores pœnitentis Regis mentione ad pœnitentiam alliceret? *Quare specialiter dicitur,* inquit hîc S. Thomas, *Ex semine Dauid, & non ex semine Abrahæ, cui promissio facta est de Christo secundùm illud Gal. 3. Abrahæ dictæ sunt promissiones? Et dicendum est quòd* PACTVM EST AD DANDAM SPEM VENIÆ PECCATORIBVS: *quia Dauid peccator fuit, ex cuius semine nascitur Christus; Abraham verò iustus.* Addit, *ad commendandam etiam* DIGNITATEM REGIAM CHRISTI, *Romanis regnum Gentium tenentibus.*

Qui

Qui prædestinatus est filius Dei in virtute secundùm Spiritum sanctificationis ex resurrectione mortuorum.

24 AB incarnatione cuius retro mentionem fecerat, ad prædestinationem venit. Cur non priùs illius meminit quòd erat prius? *Apostolus,* inquit S. Thomas hîc, *prius filium Dei incarnatum esse præmiserat, & postea ei prædestinationem attribuit, vt intelligatur prædestinatus esse secundũ quod factus est ex semine Dauid secundùm carnẽ: & sic à filio Dei, explicando incarnationis mysteriũ, descendit ad carnẽ; & à carne secũdùm prædestinationẽ ascendit ad filiũ Dei, vt ostẽdatur quod neque gloria diuinitatis impediuit infirmitatẽ carnis, neque infirmitas carnis diminuit maiestatẽ Dei.*

Cur potius dixit, *Ex resurrectione mortuorum,* quàm *Ex Christi resurrectione?* Rabanus hîc ita nodum soluit: *Ideò autem non dixit, Ex resurrectione Iesu Christi sed ex mortuorum; quia resurrectio Christi generalem tribuit resurrectionem: hæc enim maior videtur virtus in Christo & victoria, vt ea potestate operaretur mortuus, qua operatus fuerat & viuus: quo facto apparuit induisse mortem vt redimeret nos.*

Secundùm Spiritum sanctificationis. Cur non dixit, *Sanctitatis?* Toletus hîc ita respondet: *Attende non dici secundùm Spiritum sanctum, seu sanctitatis; sed secundùm* SPIRITVM SANCTIFICATIONIS, *seu sanctificantem: vt intelligas Spiritum datum esse hominibus, eoque homines sanctificatos per virtutem eius accepiam, demonstrasse & promulgasse Christi Diuinitatem.*

Per quem accepimus gratiam, & Apostolatum, ad obediendum fidei in omnibus Gentibus.

25. PEr quem accepimus. Elucet hîc statim Apostolicæ mentis candor. Non tribuit sibi quod est; sed à Deo se accepisse affirmat. *Intuere,* ait Theophyl. MODESTIAM ET ANIMI CANDOREM. *Nihil,* inquit, *nostrum; sed omnia à Deo accepimus.* Amittit quod habet, qui quod habet, non fatetur se à Deo accepisse.

26. *Per quem accepimus gratiam & Apostolatum.* Vt gratiam tanquam fundamentum tantæ dignitatis culmini sternat, nihil sibi, nihil virtuti suæ tribuit: per Filium se cuncta fatetur accepisse. Sed cur Spiritus sancti mentio non fit, cuius sunt illa verba Act. 13. 2. *Segregate mihi Saulum?* Athanasius sic nodum soluit. *Sunt quidem & Filij, quæ Spiritus sunt: & contrà, quæ* FILII, ET SPIRITVS *sint, necesse est.*

Per quem accepimus. Non dixit, *Accepi;* sed *Accepimus,* vt cæteros etiam Apostolos comprehenderet, Diuinam bonitatem magis efferret: ne ve cæteris videretur supera Dei dona inuidere, aut inuidè supprimere. Hæc iustorum nota est: gaudent, si aliis etiam exhibeantur, quæ in eos Dei liberalitas confert; & sicut ob id summo gaudio in corde afficiuntur, sic etiam lingua id significant, nec liuore aliquo ducti subducunt.

27. *Per quem accepimus gratiam & Apostolatum.* Cur prætermissa gratiæ mentione non meminit tantùm Apostolatus? Vt humilitatis magister statim doceret, se hanc dignitatem non suis esse meritis consequutum, sed Dei gratia. *Si tantummodò,* inquit S. August. lib. expos. huius Epist. *Apostolatum se diceret accepisse, ingratus extitisset gratiæ, quâ illi peccata dimissa sunt: tanquam enim meritis priorum operum accepisse Apostolatum videretur. Optimè itaque tenet ordinem cursu, vt nemo audeat dicere,* VITÆ PRIORIS MERITIS SE AD EVANGELIVM ESSE PERDVCTVM; *quando nec ipsi Apostoli, qui cæteris membris post caput corporis supereminent, accipere Apostolatum propriè potuissent; nisi prius communiter cum cæteris gratiã, quæ peccatores sanat & iustificat, accepissent.*

Per quem accepimus. Numerat se cum aliis, ne 28.
singulare videretur, quod erat cęteris commune. *Dicit, Accepimus,* inquit hîc Catharinus, *non, Accepi; ne* SE SINGVLARITER PRÆDICARET *in eo, quod erat pariter alijs commune.*

Per quem accepimus. Cur non potiùs dixit, *Accepi? Sic loquitur* (inquit Estius) *vel modestiæ causa; nam species arrogantiæ est rem magnam* SIBI SINGVLARITER ASCRIBERE: *vel quòd decor sermonis id postulet.*

Ad obediendum fidei: vt quod alij Doctores 29.
sunt persuasuri, priùs ipsi præstent. Pulchrè hæc verba sic expendebat Theophylactus: *Ad obediendum fidei. Non ad inanem verborum pugnam, non ad quæstiones, aut ad artificiosum orationis structuram missi sumus,* inquit. VERVM AD OBEDIENDVM FIDEI, *vt qui instituti fuerint, accepta doctrinâ obediant, citra contradictionem credentes.*

In omnibus Gentibus. Nescit Pauli charitas intra angustos limites claudere quod in omnium Gentium vtilitatem accepit à Deo. Et verò omnes Gentes nõ circuierat, cum hęc scriberet. Ideo fors dixit, *Accepimus,* vt cęteros quoque Apostolos comprehẽderet; aut vt innueret se id per epistolas facere. Opportunè Theophylactus: *In omnibus Gentibus accepimus gratiam: non ego solus, verùm reliqui etiam Apostoli: non enim iam Paulus* OMNES GENTES CIRCVIERAT. *Nisi quispiam dicat, quod non* VIVVS *quidem, sed* MORTVVS *ad omnes Gentes transeat per Epistolas.*

In omnibus Gentibus. His verbis eos perstringit 30.
Hugo qui sanctis viris prędicare quærũt, magnis peccatoribus omissis. *Nota,* inquit, *quod dicit Gẽtibus, id est, sicut Gentes viuentibus, id est,* PECCATORIBVS, *pro quibus præcipuè substituuntur, & prædicatores* PROPRIE TALIBVS DEBENT PRÆDICARE; *contra quosdam qui nolunt prædicare nisi sanctis viris.*

In omnibus Gentibus. Inter omnes Gentes Romanos annumerat, adeò ab omni aberat adulatione. *Mihi illud,* inquit hîc S. Chrysost. *considerato,* VT ADVLATIONE OMNI VACET PAVLI ANIMA. *Cum Romanis enim verba faciens, veluti in vniuersa terra fastigio quodã constitutis, nihilo tamen amplius illis tribuit, quàm reliquis Gentibus: neque verò, quoniam tum dominarentur ac regnarent, in spiritualibus illos ampliùs reliquis habere ait: sed, Quemadmodũ, ait, Gentibus omnibus prædicamus, ita & vobiscum Scythis ac Thracibus eos recensens: quandoquidem nisi hoc significare voluisset, superuacaneum erat hoc dicere, Quorum de numero estis & vos. Hoc autem facit, illorũ fastum deijciens, inanem mentis turgiditatem euacuans, eosque docens æqualitatem erga alios seruare.*

Pro nomine eius.

PRo nomine eius. Addit Hugo, *dilatando, non* 31.
pro fama propria. Christi prædicator non de-

bet audire, qui Christi nomeo dilatare non studet, sed suum. Scilicet Prædicatoris nomeo non meretur, qui suum nomen prædicat. Ineptus prędicator est qui prædicator est sui oon Christi.

Pro nomine eius. Hæc pars ad Apostolatum referenda est, vt sit sensus. Accepi legatiooem hanc obeuodam oomine, & vice Christi, cuius Apostolus sum. Vel vt ait S. Thomas, *Pro nomine eius dilatando, non pro aliquo* TERRENO FRVCTV *quærendo.* Ab hac mente abit, qui prædicationis exercet muous, aut aliud mioisterium spirituale obit, non vt Iesu dilatet oomen, sed vt suum; vt hominum venetur famam, honoris auram captet.

Vocatis sanctis. Sancti prisci fideles dicebantur, non quia omnes tales essent, sed quia esse debebaot, & status ad sanctimoniam eos vocabat. *Olim*, vt Tirinus ait, *omnes Christiani vocabantur sancti, non quod actu semper essent tales, sed vocatione, statu, professione, ac debito.*

In quibus estis & vos vocati.

32. *IN quibus estis & vos.* Inter cæteras Gentes Romanos enumerat, neque eos alloquitur, *Tanquam, rerum potiti,* PLVS CÆTERIS VIDERENTVR, inquit Athanasius: Nec Patriciorum memioit aut Consulum. Pares omnes in hac vocatione facit, qui humilitatem nutrit, non tumorem fouet.

In quibus estis & vos vocati. Nemo enim à se venire ad Iesum potest, nisi vocetur. *In quibus:* Theodulus legit: *Inter quas:* atque hoc additum fuisse fastui deprimendo. Sic ipse: *Inter quas estis & vos vocati Iesu Christi. Non* (inquit) *vt circa Dei essentiam curiosi simus; verùm vt nomini eius credant. In quibus Gentibus, hoc est, cum quibus & vos vocati estis: non enim à vobis ipsi venistis.* DEPRIMIT AVTEM SIMVL ILLORVM FASTVM, *perinde ac si dicat: Ne existimetis, vrbem imperatoriam vestram, primas in Orbe hodie tenentem, cæteris præstantiorem Euangelij nomine esse. Siquidem cum cæteris Gentibus vocati estis.*

SECTIO IV.

33 *Pauperis & diuitis discrimen Euangelicus prædicator nescit.*
Dei gratia erga nos vt expressa.
34 *Sanctitas ex Dei gratia, ex Dei dilectione.*
Sancti in vnaquaque Ecclesia præcipua eius pars.
35 *Gratia, pacis fundamentum.*
Sola pax, quæ à Deo stabilitatem habet.
36 *Gratia hominum nihili facienda.*
Sine Christo speranda non est pax.
37 *Gratia & pacis donum sine Spiritu sancto non est.*
38 *Gratus animus Dei dona in animum aduehit.*
Gratiarum actio quàm nobis vtilis.
Maximè pro spiritualibus gratia Deo agenda.
39 *Dei seruus dona alijs concessa, sua putat ob charitatis vinculum.*
40 *Charitas, aliorum beneficia, sua putat.*
De proximi salute exultandum sicut de propria.
41 *Laudanda laus, quæ ad profectum prouocat.*
In aliorum exemplum positi, stabiles in bono sint.
42 *Fides bonorum omnium fundamentum.*
Roma fide semper nobilis.
Ab inuidia alienus, Dei seruus.
43 *Facilè facit Inferior, quod viderit facere Superiorem.*
44 *Facilè in aliorum notitiam it, quod Superiores faciunt.*
Terrena imperia nihili facienda.
45 *Romanorum ad fidem conuersio cælo ac terra lata.*

Omnibus qui sunt Roma, dilectis Dei, vocatis Sanctis.

OMNIBVS *qui sunt Roma.* Noo oobiles ab ignobilibus discriminat, nec à pauperibus diuites. Hæc discrimina Eoangelicus Doctor oescit: omniom promiscuè salutem quærit: vocare omnes ad Christom studet. *Omnibus qui sunt Roma. Non enim apud ipsum,* inquit hic Theodulus, *est* DISCRIMEN INTER DIVITEM ET PAVPEREM. 33.

Dilectis Dei. Cur *Dilectis Dei* potiùs dixit, quàm *Diligentibus Deum?* Nodom soluit Hugo: *Quia*, inquit, *magis* EXPRIMITVR DEI GRATIA *per (dilectis:) in hoc enim innuitur, quòd prior nos dilexerit, non propter merita.*

Vocatis Sanctis. Ne quis putaret à se hoc habere, præmisit: *Dilectis Dei*, vt vel à verborum ordine colligeremus à Dei in nos dilectiooe id esse. *Primùm*, ioquit Oecumen. hîc, *Dilectis Dei, posuit; deinde, Vocatis Sanctis. Vnde*, inquit, *vocati estis? Ex quibus laboribus? Per quæ egregia facinora? Vnde Sancti estis? Nempe* EX SOLA DEI DILECTIONE. *Cum enim gratis dilexisset nos, suumque sanguinem pro nobis fudisset, ad sanctificationem nos vocauit, suique regni hæreditariam possessionem.* Idem firmat etiam Theodulus hîc: *Primùm, Dilectis Dei, posuit, deinde, Vocatis Sanctis: innuens* EX DILECTIONE DEI ESSE SANCTIFICATIONEM. 34.

Sanctis. Nunquid singuli Romani fideles vera ac plena erant præditi sanctitate? Non erant. *Sanctos*, inquit Estius, *vocat Romanos, non quia omnes & singuli Sancti erant, sed quòd Ecclesia Romana, ad quam scribit (vt & alia quæcunque particularis Ecclesia) sit Sanctorum cœtus & congregatio.* NAM SANCTI IN VNAQVAQVE ECCLESIA SVNT PRÆCIPVA EIVS MEMBRA: adeò vt illorum respectu cætera esse non videantur.

Gratia vobis & pax.

GRatia vobis & pax. Gratia præcedit, pax sequitur: quia gratia, pacis est fundamentum. QVIA SINE GRATIA NON EST PAX, ioquit booos ille aoctor, *gratia præcedit.* Vera nimirum pace frui nequit, qui superæ nō est gratiæ domicilium. 35.

A Deo

A Deo Patre, & Domino Iesu Christo.

A *Deo Patre.* Addit Oecumenius: *Nam gratia & pax, quæ à Deo est*, STABILITATEM HABET. Alia quælibet nec stabilis nec vera est.

A Deo Patre. Nam alia, quæ ab alijs pacis potest habere nomen, non est vera pax. Addit Caietanus hîc: *Ne gratiam aut pacem ab homine imprecari videatur, adiungit, A Deo. Et ne difficile aliquid à Deo obtinendum significet, adiungit, Patre nostro: vt* PATERNO AFFECTV AVDITO *in Deo, facile esse beneficium existimetur.*

36. *Et Domino Iesu Christo.* Vt hoc addito innueret sine Christo sperandam non esse pacem. *Et vt sine Christo*, inquit hîc S. Ambrosius, NVLLAM ESSE PACEM ET SPEM *doceret, adiecit gratiam & pacem non solum à Deo Patre esse, sed & à Christo Iesu. Deum, Patrem nostrum dicit propter originem; quia ab ipso sunt omnia: Christum autem Dominum dicit; quia eius sanguine redempti, facti sumus filij Dei.*

37. Mirum est cur Patris meminerit & Filij; Spiritum verò sanctum prætererit. Cur ita factum? An quia donum ipsum gratiæ & pacis non sine Spiritu sancto, aut Spiritus sanctus est? Sic enim habet S. Augustinus Expos. in hanc Epist. *Quòd autem Apostolus gratiam & pacem à Deo Patre, & Domino nostro Iesu Christo dicit*, NON ADIVNGENS ETIAM SPIRITVM SANCTVM; *non mihi alia ratio videtur, nisi quia ipsum donum Dei, Spiritum sanctum intelligamus. Gratia porrò & pax quid aliud est, quàm donum Dei? Vnde nullo modo dari hominibus gratia poterit, quâ liberamur à peccatis; & pax quâ reconciliamur Deo*, NISI IN SPIRITV SANCTO.

Primùm quidem gratias ago Deo meo pro omnibus vobis.

38. G*Ratias ago.* Cur gratiarum actionem præmittit? Vt ad ampliora excipienda se pararet. Nihil aptius Dei dona in animam aduehit, quàm gratus animus ob iam accepta, & deuota acceptorum beneficiorum recordatio. *Non est dignus*, ait hîc S. Thomas, *beneficium consequi*, QVI DE ACCEPTIS BENEFICIIS GRATIAS NON AGIT. *In omnibus autem quæ petimus, vel agimus, diuino beneficio indigemus: & ideo ante omnia debet gratiarum actio præmitti*, quæ diuinorum beneficiorum illicium, vt ita loquar, est. Et Estius: *Præmittit gratiarum actionem, tum ad gratiam Dei in omnibus commendandam, tum quia* GRATA RECORDATIO BONORVM ACCEPTORVM DIGNOS EFFICIT *ad impetrandum ampliora*; ac veluti locum parat diuinis beneficiis.

Gratias ago. Non egit tantùm, sed agit; vt gratiarum actionem continuandam innueret. Sed quodnam obiectum gratiarũ actio habet? Nunquid quòd Romani cæteris Gentibus dominarentur, quòd opum affluentia, mundanoq; splendore cæteris anteirent? Minimè. Minima, imò & nulla hæc omnia æquo rerum æstimatori sunt. *Quia*, inquit, *fides vestra annunciatur in vniuerso Mundo.* Vbi Theophylactus: *Gratias agit Deo non* PRO TERRESTRIBVS QVIBVSDAM ET PERFVNTIBVS BONIS; *verùm propterea quòd Romani crediderunt.* Supera nimirum fides terrenis omnibus est bonis anteferenda.

39. *Pro omnibus vobis.* Etiam ad alios scribens se pro illis gratias agere dixit, sed non semper addidit, *Pro omnibus.* Origenes apud Rabanum hîc rem sic expendebat: *Notandum autem quomodo ad quosdam Apostolus dicit, Pro omnibus se gratias agere, sicut & nunc ad Romanos. Ad alios verò scribens gratias quidem agit*, SED NON ADDIT, PRO OMNIBVS. *Nam si obseruas, inuenies: vbi dicit se pro omnibus gratias agere, culpas aliquas graues, aut probra in eos non exaggerat; vbi autem notat aliquos vel arguit, non addit gratiarum actionem, quæ pro omnibus gratias agat, sicut & ad Corinthios, vel ad Colossenses: ad Galatas verò omnino nec ponit actionem gratiarum, quin eos miratur tam citò transferri ab eo qui vocauit eos, in aliud Euangelium.* Nisi quod nullus est tam perditæ mentis, qui non aliquid accipiat à Deo, ob quod gratiæ Deo agantur: quò fors non spectauit Origenes in verbis productis.

Pro omnibus vobis. Pro omnibus gratias agit, quia omnes in Christo diligebat, omnium salutem quærebat, ac denique quia aliorum beneficia putabat sua. *Pro omnibus vobis. Quia scilicet*, inquit S. Thomas, *eorum* GRATIAS QVASI SVAS REPVTAT PROPTER VINCVLVM CHARITATIS, quæ ad alios transfert quod collatum aliis est; vt eius operâ multorum beneficium sit, quod vni est exhibitum.

Speculum charitas refert, quod in se omne illud repræsentat & suum quodammodo facit; quod illi obiicitur. Hæc veri iusti forma formas, species, imaginesque bonorum quæ videt in aliis, ita in sua mente repræsentare, ac si ipsi essent collata, deque aliorum beneficiis sicut de propriis gaudere: quod perfectè in patria fiet, & incipit hîc fieri à Perfectis. 40.

Pro omnibus vobis. Gratias pro beneficiis omnibus collatis agit Apostolus, quia nimirum aliena, sua putabat esse. *Commendatur nobis*, inquit B. Dionysius, *charitas sancti Apostoli*, QVI DE PROXIMORVM SALVTE SICVT DE PROPRIA EXVLTAVIT, *& gratias retulit. Ita & nos agere competit, vt scilicet gratias Deo agamus, quum audimus & scimus proximos nostros spiritualiter prosperari*; adeò vt putemus conferri nobis, quod aliis exhibetur.

Quia fides vestra annunciatur in vniuerso Mundo.

N Vllam sapit adulationem hæc laus. *Subtiliter laudat*, inquit Primasius, *vt* PROVOCET AD PROFECTVM. Vt laudem suam hæc laus mereatur, quæ laudatorum spectabat profectum, non laudantis vtilitatem. Laude digna laus, quæ laudatum ad laudabiliora prouocat. 41.

Quia fides vestra annũciatur in vniuerso Mundo. Et beneficium illis significat, & simul rectè monet, vt stabiles in fide sint, cum sint cæteris in exemplum positi. *Hoc in loco*, inquit Toletus hîc, *artificium Pauli est annotandum: nam isto verbo Romanos valde admonet, vt in fide sint* PERFECTI ET CONSTANTES, *nihilque peruersum recipiant.* EXPOSITI ENIM SVNT IN EXEMPLVM TOTI ORBI, *reddituri rationem etiam detrimenti, & damni spiritualis, quod eorum causâ in cæteris subsequutum fuerit Gentibus.*

Quia fides vestra. Cur Romanorum fidem potius efferet, quàm aliam virtutem, quæ in illis elucerer? *Agit quidem gratias de fide*, inquit 42.

S.Tho

S. Thomas, *eo quod est bonorum omnium spiritualium* FVNDAMENTVM. Addit statim: *Commendantur autem Romani de fide, quia fidem de facili susceperant, & in eadem firmiter permanebant.* Scilicet commendatur in Romanis præcipuè, quod in Romanis erat præcipuum. Claudit: *Vnde & vsque hodie apud eos* PLVRIMA FIDEI SIGNA OSTENDVNTVR *in visitatione sanctorum locorum.*

Quia fides vestra annunciatur in vniuerso Mundo. Adeò vt in aliorum vtilitatem resiliret, quod ipsi credidissent. Nimirum in subiectarum vrbium exemplum facilè transit, quod vident à primaria præstari. Apparet etiam ex his verbis, quàm fuerit ab inuidia alienus Apostolus, qui in Romanis laudat, quod præstitum ab aliis erat. Pulchrè Theophylactus hic: *Cum Petrus Romæ Euangelium prædicasset, quæ illius erant, sua reputans, pro fide Petri discipulorum gratias agit: adeò ab* INVIDIA QVIDEM ALIENVS ERAT.

43. *Quia fides vestra annunciatur in vniuerso Mundo.* Itane sola fidei annunciatio ad gratiarum actionem Apostolum extimulauit? Quidni? cùm sciret in aliorum exemplum & vtilitatem rem itoram: dum facilè Inferiores faciunt, quod à Superioribus viderint fieri. Vnde hoc signatè de Romanis habet Apostolus, cùm horum exemplum magnas in alios vires esset habiturum. Peritè & appositè S. Ambrosius hic: *Gratias quidem agere se dicis Deo, sed per Christum: quia fama fidei illorum erat profectus multorum; vt hoc ipsum ad Dei prouidentiam referat per Christum. Aut enim gaudebant roborati, qui crediderant cæteri; quia videbant Principes suos, fratres sibi factos in fide: aut certè, qui non crediderant, poterant credere horum exemplo.* FACILE ENIM FACIT INFERIOR, *quod fieri viderit à potiore.* Scilicet eò leui brachio Inferior fertur, quò iam peruenisse Superiorem videt. *Gaudet autem*, sic huoc locum expendebat S. Thomas, *& gratias agit de eorum fide non solùm propter eos, sed propter vtilitatem inde consequentem: quia scilicet exemplo eorum qui erant Domini Gentium, aliæ Gentes prouocabantur ad fidem: quia vt dicit Glossa,* PROMPTE FACIT INFERIOR QVOD VIDET FIERI A SVPERIORI: *propter quod admonentur Prælati, vt fiant forma gregis ex animo.*

44. *Fides vestra annunciatur in vniuerso Mundo.* Nihil de Imperio dixit, nihil de propagata in omnes partes dominatione. Hæc si fidei compararentur, nuda & inania nomina sunt. Quid enim tefert imperium latè porrigere, & vitiis, & fœdæ impietati subiacere? Quid, vt ait Theodoretus c. 1. huius Epist. ad illa verba: *(Omnibus qui sunt Romæ, dilectis) Ees,* NON VT QVI TOTIVS ORBIS TERRARVM DOMINIVM *obtinerent, ab aliis Gentibus ferrent; sed aliis commisit.* Adeò ab omni adulationis vmbra alienum Apostoli pectus erat.

45. *In vniuerso Mundo*, id est, per varias Mundi partes fidei vestræ fama diffuditur. Addit ex Origene Rabanus: *Si hoc loco Mundus designatur, qui ex cœlo constat & terra, atque omnibus quæ in his sunt: potest intelligi illud, quod Virtutes (de quibus dicitur, quia gaudium habeant super vno peccatore pœnitentiam agente,) multo magis de conuersione quoque & fide* ROMANORVM LÆTENTVR NVNCIANTIBVS *sibi Angelis illis, qui ascendunt & descendunt ad filium hominis; & ipsi enim mirantur de conuersione Gentium, & quia in omnem terram exiit sonus Apostolorum Christi Iesu. Denique & agones ipsorum spectantes in hoc Mundo lætantur, sicut Apostolus dicit, quia spectaculum sumus facti huic Mundo, & Angelis & hominibus.*

SECTIO V.

46 *Cautio in iuramenti vsu.*
Iusti vita, perpetua Dei seruitus.
47 *Mente præcipuè Deo seruiendum.*
Superior suorum curam habet etiam absens.
Hypocritæ perstricti, qui corpore tantùm Deo seruiunt.
48 *Simulatio in Dei famulatu vitanda.*
Secundùm spiritum præcipuè Deo seruiendum.
49 *Deum solum spectet Euangelicus prædicator, munus suum exercens.*
50 *Operibus quisque probet se Dei seruum esse.*
Prædicandi auctoritas Christo tribuēda.
51 *Orationem ad Deum fundit, qui vitam suam ad Deum dirigit.*
52 *Ad meliora proximus prouocandus.*
53 *Pauli charitas in Romanos.*
Difficultas omnis vincenda quum de Dei gloria agitur, animarumque salute.
54 *Prosperum iter, si Domino probetur.*
Aduersitas omnis, secunda Dei amatoribus est.
Prosperum doctoris iter, si cum auditoris profectu nectitur.
55 *Omnia prospera cum Dei voluntate.*
56 *Dei serui tunc quoque aliena saluti consulunt, quum sibi consulere videntur.*
57 *Apostolici spiritus est omnes iuuare.*

Testis est mihi Deus.

TEstis est mihi Deus. Iurasse Apostolum audis, ne illicitum iuramentum credas. Addit S. Thomas hic: NEC APOSTOLVS IVRASSE INVENITVR NISI SCRIBENDO; *quando cum maiori deliberatione, & cautela loquitur.* Vt hinc discas non temerè iuramenti vinculo vti. Subdit: *Apostolus iurat propter vtilitatem auditorum, quibus erat vt ei crederent: quasi non quærens quod sibi vtile est, sed multis, vt salui fierent.* Totus enim in aliorum salute quærenda Paulus erat; vt tunc quoque illum spectaret, cùm iuramentum emitteret. 46.

Cui seruio in spiritu meo in Euangelio filij eius.

CVi seruio in spiritu meo. Non dixit, *Seruiui*, sed, *Seruio*. Nimirum iusti vita, PERPETVA 47.

Dei servitus esse debet: vt quicquid loquitur, quicquid operatur, quicquid cogitat, Dei seruitium sapiat, in Dei obsequium dirigatur.

Cui seruio in spiritu meo. Et non etiam Deo suo seruiebat Paulus in suo corpore? Seruiebat. Sed illius meminit, quod in Dei obsequio est præcipuum & veluti seruituris anima & vita. Parum prodest corporis exercitatio, nisi affectu animetur. Hoc prætereà adiecit; *Volebat quippe Romanis persuadere* (inquit Toletus) se etiam absentem illorum curam gerere. Latiores nimirum mentis & affectus limites erant, quam corporis. Multis seruiebat affectu Paulus, à quibus corpore aberat.

In spiritu meo. Vita & spiritu vidua seruitus illa est, quæ corpore non spiritu exercetur. *In spiritu meo. Contra* hypocritas (inquit hîc Hugo Carensis) *qui tantùm corpore Deo seruiunt.* Quid hîc illi, qui nec corpore nec mente Deo seruire volunt, sed & illo & ista Deum offendunt, debacchantur in Deum?

48. *Cui seruio in spiritu meo.* Non verè Deo seruit; seruit sibi qui extimè id, non intimo mentis præstat affectu. *Cui seruio in spiritu meo, id est,* inquit hîc S. Anselmus, *in affectu mentis meæ: quia non per* simulationem illi famulatum exhibeo; *sed quicquid foris bene erga seruitutem eius operor, hoc intus in voluntate cordis similiter facio.*

Cui seruio in spiritu meo. Non plenè Deo seruiunt, qui extimè seruituris exhibent obsequium; intus Mundo seruiunt, intus Dei hosti. *In spiritu meo. q. d.* inquit hîc S. Thomas, *non solùm in exteriori seruitio corporali, sed præcipuè* interius secundum spiritum. Qui in spiritu Deo seruit, seruit etiam in corpore; & pietas, quæ intus delitescit, foras etiam in corporis resilit membra.

49. *Cui seruio;* Scilicet cultu diuino, qui Græca voce λατρεία significatur; igitur dominum subdit, *In Euangelio filij sui,* scilicet anountiando, prædicando, propagando, indicat se à terreno omni affectu alienum fuisse, vt totum divinum fuerit, et divinum cultum, Deumque ipsum spectaverit, quod in Euangelij prædicatione Paulus fecit; à quo more abit, qui se qui sua quærit, Euãgelicum munus obiens. Commoda sua spectare, hominum laudem, doctoris Euangelici non est. Totum Deum sapiat prædicantis labor, vt latriæ (liceat sic loqui) sit cultus Euangelium prædicare, alioquin à latria ista longè erit, erit potius latro, qui Dei honorem surripit, gloriam, quæ soli Deo debetur, superbus inuadit.

50. *Cui seruio.* & non satis erat initio præmisisse, se Iesu Christi seruum esse: cur igitur adiicit; *Cui seruio?* An adiectio ista illos damnat, qui in seruorum Dei censum extimè poni locatique contenti, Deo operibus, sanctis moribus negligunt deseruire? scilicet Frustra se Dei servum iactet, qui id actibus non probat, operibus non firmat.

In Euangelio filij eius. Cur qui supra dixerat, *Segregatus in Euangelium Dei,* Patrem significans, nunc filij etiam meminit? An ne videretur ab Euangelio seclusus filius? *Ne quis,* inquit S. Chrysostomus sermone de vno legislatore, *illud Euangelium Dei nominari* arbitretur, filium nullam ad prædicandum auctoritatem obtinere: *in eadem Epistola paulo post ait,: Cui inseruio in spiritu meo in Euangelio filij eiusdem.* Segregatus in Euangelium Paulus à Patre, Filium non segregat: vtrique tribuit, quod est vtriusque.

Quòd sine intermissione mentionem vestri facio semper in orationibus meis.

Sine intermissione memoriam vestri facio semper in orationibus meis. Sed qui semper orare Apostolus potuit? An semper orat, qui suis orat temporibus? An quoad orationis finem? *qui est* (inquit S. Thomas) *vt intellectus noster ascendat in Deum: & sic* Tandiu homo orat, quandiu totam vitam suam in Deum ordinat. 51.

Qua ratione tunc quoque orat, quum non videtur orare; scilicet quum manducat, quum bibit: si omnium hæc omnia in Deum Deique gloriam dirigit.

Memoriam vestri facio. Hoc dicit Apostolus, non vt aliquid terrenatum rerum à Romanis exculperet; sed vt potiùs ad ea, quæ illis dicturus erat, aptaret. *Hoc dicit,* inquit hîc Glossa, *vt eum ament, & desiderent audire;* & auditio eò salubrior esset, quò illi auditores Pauli audiendi. Prætereà id fecit vt ad meliora prouocaret, affectumque suum erga illos illis proderet. *Ex isto eluceescit,* inquit hîc B. Dionysius, *quod interdum licet & expedit, vt vnus alijs manifestet dilectionem, sollicitudinem, & laborem, quibus pro ipso afficitur & fatigatur, non ad accipiendum humanum fauorem, aut temporalem mercedem; sed vt alius ex hoc* ad meliora provocetur, *atque de proximo suo melius sentiat;* concordia & animorum vnio fulciatur, ac tandem pariter alteri alter referat, nec sui obliuiscatur, quum audit alium de illo esse solicitum. 52.

Romanos Deo commendat Apostolus; eorum in suis orationibus meminit, licèt eos nunquam viderit. *Aduerte,* inquit Athanasius hîc, *quanta insit Apostolo animi affectio, quámve ardentissima in proximos charitas: vt inter orandum vel eorum reminisceatur, & Deo commendet, quos nusquam spectasset.* 53.

Obsecrans, si quomodo tandem aliquando prosperum iter habeam.

Si quo modo. Dummodo voti compos fiat, modum nullum excludit. Non adeò amplè mentem suam plerique porrigunt: cum enim obuia & facili via tendere eò possint, quò vocantur, manum operi admonent; si difficili & aspera pedes, manusque retrahunt; nam nimirum parum anxiè quæ ad Dei obsequium spectant, quærunt, alia omnino à Pauli mente. Nam vt ait S. Thom. hîc, *Ostēditur esse anxium, cum dicit, Si quo modo: quæ enim anxiè aliquis desiderat, quærit adipisci quocunque modo,* sive facili sive laborioso; adeò vt nulla difficultate à bono, quod Dei gloriam respicit, animarumque salutem, submoueri se sinat. 54.

Prosperum iter est, quod volente Deo suscipitur. *Declarat,* inquit hîc Guilliadus, *Non tantum se expectare à Domini gratia prosperitatem viæ; sed inde* æstimare prosperum iter, si Domino probatur: *ad quam regulam debent esse composita omnium vota.* 55.

Prosperum iter habeam. Prosperum iter facis, Paule, quocunque te conferas, dum te feras. Qui non sit huiusmodi, cum tecum sit Christus? ADVERSITAS IPSA, SECVNDA DEI AMATORIBVS EST; & felix iter prosperumque habent, qui Deum semper spectant, & ad Deum ducunt quoscunque possunt.

55. *Prosperum iter habeam.* Satis prosperum iter Ecclesiæ Doctori est, si cum eorum profectu nectatur, ad quos se confert: si quod agendum est, ex diuinæ voluntatis regulis fiat. Hinc illud S. Ambrosij ad hæc verba: *Orationis suæ pro illis sensum ostendit: Deum enim se dicit petere, vt Romam veniret ad profectum illorum cum Dei voluntate, cuius prædicat donum. Tunc enim profectus adest, si quod agendum est, cum Dei voluntate agatur. Orat ergo, vt quacunque ex causa iam detur occasio, qua veniret ad Vrbem, quia occupatus erat alijs prædicando; sic prosperum iter reputans, si Deo volente veniret; quia prouida est Dei voluntas.* PROSPERVM ERGO ITER EST, NON INCASSVM LABOREM ITINERIS SVBIRE. *Hæc rogat, vt Deus impleat, vocando illos ad suam gratiam.*

Prosperum iter habeam. Prosperum iter est, si ex Dei voluntate fiat: vnde subdit, *In voluntate Dei*, id est, vt ait S. Thomas, *secundum voluntatem Dei, secundum quam solam* ALIQVID REPVTO PROSPERVM, & sine qua omnis prosperitas est aduersa. Nihil sibi prosperi debet polliceri, qui à Dei voluntate abit. *Aliter*, inquit hîc Primasius, *prosperum iter non habeo*, NISI ME VOLVNTAS DEI, QVÆ OMNIA NOVIT ET IN BONIS OMNIBVS NOS PRÆVENIT *& præcedit & fouet, illo direxerit, vbi fructum aliquem habeam*

Veniendi ad vos.

56. VEniendi ad vos. Mirum, quanto desiderio teneretur Apostolus Romanos videndi. *Hæc forsitan* (inquit Liranus) *fuit vna causa appellationis suæ ad Cæsarem*, VT SIC VIDERET FIDELES ROMÆ EXISTENTES; vt meliores eius verbis redderentur, & in bono magis firmarentur. Nimirum tunc quoque Dei serui alienæ saluti consulunt, cum suæ indemnitati videntur consulere. Sic & Dionysius Carthusianus hîc; *Nam & ideo creditur Paulus Cæsarem appellasse, quatenus* OCCASIONEM HABERET VENIENDI ROMAM: adeò vt tunc maximè aliorum vtilitatem spectaret, cum extimè videretur suis commodis consulere.

Desidero enim videre vos.

57. NOn erat curiositatis istud desiderium illos videndi, sed charitatis. *Discere debemus*, inquit Rabanus, *opus esse Apostolicum, desiderare fratres videre sed non aliam ob causam*, NISI VT CONFERAMVS EIS ALIQVID DONI SPIRITALIS *si possumus, vel si non possumus, ipsi vt accipiamus ab his: sine hoc enim non est probabile desiderium circumeundi fratres.*

SECTIO VI.

58 *Doctrina modestiæ terminis coërcenda.*
Peregrinatio haud superuacaneè suscipienda.
59 *Demisse de se sentiat aliorum prædicator.*
In itinere quid spectandum.
60 *Qui docet, aliorum exhortationes audire sit paratus.*
61 *Deuotè Doctoris verba suscipienda.*
Mutuò se fideles iuuent & consolentur.
62 *Dei iudicia haud curiosè inuestiganda.*
Euangelicæ prædicationi quàm Paulus addictus.
Excipiendæ veritati parandus animus.
Diuinæ gratiæ omnia tribuenda.
63 *Doctoris fructus non propria gloria, sed profectus audientium.*
Auditorum profectus, prædicatorum præmium.
64 *Proximi virtutes, nostri gaudij materia sint.*
Suum quisque lucrum putet, quod alij Christo faciunt.
65 *Speciosos titulos, qui alios docet, non ambiat, sed Christo relinquat.*
Alienum videtur vsurpare, qui doctrinam alijs communicandam sibi soli retinet.
Vera nobilitas omnibus tributaria.
66 *Omnibus se debitorem cur Apostolus dixerit.*
Doctore Euangelico maximè indigent, qui putant non indigere.

Vt aliquid vobis impertiar gratiæ spiritualis ad confirmandos vos.

VIde vt modestè loquatur. *Neque enim*, VT VOS INSTRVAM, *dixit* (quemadmodum Athanas. notauit:) *sed Vt quod ipse acceperim, impertiar vobis.* Doctor Gentium licèt esset, non tamen se docturum iactat: scilicet vniuersè doctrina modestiæ terminis coërcenda est. 58.

Vt aliquid impertiar vobis gratiæ spiritualis. Non exprimit cuius gratiæ genus impertiri illis vellet, innuens eam impertiendam, qua maximè indigerent. Bene B. Bruno hîc, *Vos quidem gratiam fidei iam habetis; sed cum ad custodiam huius aliæ gratiæ opportunæ essent, vt gratia vnitatis; non tamen determinat quam gratiam, quia ministraret eis omnem illam, quam videret necessariam.*

Vt aliquid impertiar vobis gratiæ. Non est à vera pietate peregrinus, qui peregrinationem suscipit, non fouendæ curiositatis causa, sed aliorum vt consulat commodo ac profectui. *Non temerè*, inquit hîc S. Chrysostomus, *nec vt multi nunc* SVPERVACANEAS AC STVLTAS PEREGRINATIONES SVSCIPIVNT, *ita ille suscipiebat; sed pro necessarijs ac valde vrgentibus rebus.* 59.

Vt aliquid impertiar vobis gratiæ. Magnum das Paule, quum teipsum exhibes, & tua præsentia tuos beas. Sed ipse magnitudinis suæ oblitus

litus, ex iis quæ accepit, aliquid se dicit daturum. *Non dixit* (inquit hic S. Chrysost.) *Vt doceam vos, vt erudiam, vt quod deest, expleam; sed vt aliquid impertiar, ostendens se non sua ipsius dare; sed quæ acceperit, communicare. Atque hic rursus orationem temperat, cùm ait, Aliquid.* PVSILLVM ALIQVOD, *inquit*, ET IVXTA MODVLVM MEVM. *Et quodnam hoc est pusillum, quod nobis es impertiturus? Hoc autem est, inquit, vt confirmemini.*

Vt aliquid impertiar vobis gratiæ spiritualis. Non vt pulchræ vrbis conspectu satiaret oculos, aut vt se illius voluptatibus traderet, nobiliumque & diuitum tereret limina. Aliò spectare viri verè Apostolici mens debet. A recto itinere abit, qui in itinere hæc spectat potiùs, quàm ciuium quos adit, vtilitatem atque profectum.

Impertiar. Non simpliciter se daturum dixit. Huius verbi vim expendens Theodulus hîc ait: *Quum subiicit, Impertiam, indicat quod nihil mei vel ex me dabo; verùm illud duntaxat quod* A DEO EGO ACCEPI.

Id est simul consolari in vobis per eam, quæ inuicem est, fidem vestram atque meam.

60. *Simul consolari*, Græcè est συμπαρακληθῆναι, quod verbum de mutua cohortatione aliqui exponunt. Sed quid opus exhortatione Paulus habebat? Estius hîc: *Declaratur insignis Pauli modestia*, QVI PARATVS SIT ETIAM ALIORVM EXHORTATIONES AVDIRE, *vt ex iis fructum sibi speret*: Quæ res eorum mentem damnat, qui hortari alios volunt, cæterorum adhortationes audire negligunt. Denique inuicem se se exhortantur qui exemplo se mutuo ad bonum excitant, licet alioquin taceãt. Magna boni operis, efficaxque ad bonum inhortatio est, & omni sermone valentior factorum vox. *Per eam, quæ inuicem est, fidem vestram atque meam.* Vtiliter hæc verba versat S. Chrysostom. hîc, dum ait: *Papæ quanta hæc est animi humilitas! Ostendit & se quoque illis indigere, non illos solùm ipso: ac discipulos ipsos in magistrorum numero habuit, nihil sibi præstantiæ relinquens, sed æqualitatem magnam ostentans. Commune est, inquit, lucrum: & ego vestra egeo consolatione, & vos item mea. Qui verò id fit? Per mutuam fidem vestram simul & meam. Quemadmodum enim ignis naturam talem esse videmus, vt siquis multas in vnum lampades coëgerit, splendidam reddat & incendat lucem: sic & in ipsis fidelibus ac credulis vsu venit: cum enim à nobis mutuò auulsi sumus, fit nescio quo pacto, vt mœstiores reddamur: cùm autem mutuò nos conspicientes membris domesticis hinc inde impliciti, fit vt* MAGNAM CONSOLATIONEM ACCIPIAMVS.

Nolo enim vos ignorare, fratres, quia sæpè proposui venire ad vos.

61. *Nolo vos ignorare*; ne videretur inane fuisse desiderium, propositum se habuisse explicat veniendi, seque actu venturum fuisse, nisi inhibitus fuisset; sed cur istuc fecit? *vt cognoscentes affectum Apostoli* DEVOTIVS EIVS VERBA SVSCIPIANT, ait S. Thomas, *& impedimentum visitationis eius imputent suæ culpæ, & corrigantur.*

Et prohibitus sum vsque adhuc.

Prohibitus sum. Nec curiosè causam à Deo quæsiuit, cur esset prohibitus ad Romanos ire; cùm nostrum sit parère, non curiosè causas, cur aliquid fieri impediuerit, inuestigare. *Prohibitus sum.* NON *autem*, inquit hîc Theodulus, SCISCITATVR CAVSAM CVRIOSÆ VETATIONIS ISTIVS: *non enim nostrum est poscere à Deo causas eorum, quæ mandat; sed nostra interest obedire tantummodò.*

Prohibitus sum. Fecit istuc Deus, quia adhuc 62.
recipiendo Apostolo inepti Romani erant. Ita S. Ambrosius hîc: *Prohibitum se dicit vsque ad tempus datæ epistolæ à Deo vtique, qui*, SCIENS ADHVC IMPARATOS ILLOS, *ad alias vrbes direxit Apostolum, quæ iam ad recipiendam veritatem essent capaces.*

Prohibitus sum; sed cur istuc adiecit? Vgo; *vt illi*, inquit, *recognoscant sua culpa se esse indignos aduentu Apostoli*; Addit; *In quo etiam innuit, quòd quicquid habent* DEBENT GRATIÆ DEI TANTVM ATTRIBVERE.

Prohibitus sum. Aliqui legunt: *vetitus sum.* Sed quid tibi, Magne, fuit impedimento, ne Romanos adires, eisque euangelium prædicares? An rerum terrenarum cura? an diuitiarum augendarum amor? an deliciarum cupiditas, laborum fuga? Minimè; sola euangelij prædicatio, cui alibi operam dabat, impedire Apostolum poterat, ne hoc officium Romæ obiret. Benè Sadoletus: *Vetitus sum, non alio opere diuerso à prædicatione euangelij, sed hoc ipso prædicandi officio apud alios per voluntatem Dei impeditus. Non enim Paulus cum rei familiari tempus impendisset, aut cùm prædia locasset, & quæ erant domi cõposuisset tum se conuertebat ad prædicationem euangelij: hominum enim non Deo, sed sibi inseruientium ista sunt, sed in hoc vno prædicandi munere totus ille & vsquequaque erat infixus, neque aliud quidquã curabat omnino, nisi vt per suum laborem reliqui in gratia, & beneuolentia cum Deo esse possent.*

Vt aliquem fructum habeam in vobis.

Vt aliquem fructum habeam in vobis. Nimirum, Euangelici doctoris, non suam gloriam quærere; sed suorum consulere saluti: 63.
FRVCTVS DOCTORIS, inquit hîc Catharinus, NON EST PROPRIA GLORIA; SED EST PROFECTVS DISCIPVLI: *nam doctor est velut quidam agricola spargens semen, quod est verbum: discipulus verò est velut terra, quæ recipit semen; & tunc fructus est, cùm de semine illo accepto egreditur vbertas bonorum operum, quæ sunt in verbo tanquam in semine non actu, sed potentia.*

Vt aliquem fructum habeam in vobis; Vt in præ- 64.
dicatoris præmium resiliat, quod ab auditoribus fit. Vgo hic: *Vt aliquem fructum habeam, quia* PROFECTVS AVDIENTIVM REPVTANTVR PRÆDICATORIBVS AD PRÆMIVM.

Vt aliquem fructum habeam. Cur non potiùs dixit: *Vt fructum aliquem producatis*, aut *habeatis*. An vt innueret illorum fructum suum putare Apostolum? *Adeò*, inquit Oecumenius hîc, IN PROXIMI VIRTVTIBVS GAVDEBAT; *vt fructum indè redire ad se arbitraretur.*

Vt aliquem fructum habeam in vobis. Non caret suo pondere, quod dixit, *Vt habeam*; non, *Vt adferam*, aut, *Vt faciam.* Peritè Guilliadus: *Dicit,*

Vt habeam ; non , Vt faciam , vel Adferam fructum : quem enim adferebat aliis , hunc ipse fructum percipere sibi videbatur: ID SVVM LVCRVM ET SVMMVM DVCEBAT , QVOD FACIEBAT CHRISTO.

Gracis ac Barbaris, sapientibus & insipientibus debitor sum.

65. **D***Ebiter sum.* Et quid debitorem Græcis & Barbaris Apostolum fecerat ? An,quia omnium linguis loqui poterat,& sapientiã accepisset in mysterio?Ita censuit Origenes. An,quia ex missione , Deique iussu hoc debitum contraxerat ? Ita existimauit S. Ambrosius. *Debitor sum.* Addit Guilliadus : *Perindè ac si dicat :* DEBITOREM , inquam, NON DOCTOREM , NON MAGISTRVM ME DICO. HOS TITVLOS DOMINO TRANSCRIBO, *vni Magistro nostro Calesti. Et, si huius beneficio & actu sim doctor & magister gentium ; me vobis non prafero,sed subiicio Ministerium vobis,obsequium debeo : non vendico auctoritatem vel dominium.*

Gracis ac Barbaris. Cur Iudæos non nominat? *De Iudais tacuit* (inquit hic Sanctus Ambrosius) *quia magister gentium est.* Sed cur se *debitorem* vocat ? *Debitorem* (ait idem Sanctus Auctor) *se profitetur; quia ad hoc accepit doctrinam, vt* TRADAT ; ET QVVM TRADIT , ACQVIRAT. Alienum videtur vsurpare , qui, quod aliis communicandum accepit, soli sibi retinet.

Omnibus se debitorem facit,qui alibi nobilitatem suam producebat , ciuem se Romanum asserens. Nimirum, vera NOBILITAS OMNIBVS (vt ille ait) TRIBVTARIA EST. Omnibus debet , qui nobilis est. Ingenuitas sũma est, omnibus seruire.

66. *Sapientibus & insipientibus debiter sum.* Quid te istis quid te illis debitorem,Paule , constituit? An tua charitas? An illa ipsa dona,quæ vtrisque impertienda acceperas? *Requirendum nunc est,* inquit hic Origenes, *quomodo Apostolus Gracis ac Barbaris , sapientibus & insipientibus debiter est. Quid enim ab ipsis acceperat , vnde eis debitor fieret ? Arbitrer quidem diuersis gentibus indè eum effectum esse debitorem,quòd omnium gentium linguis eloquia accepit per gratiam Spiritus Sancti, sicut & ipse dicit: Omnium vestrum magis linguis loquor. Quia ergo linguarum notitiam non pro se, sed pro his,quibus pradicandum est,accepit; debiter omnibus illis efficitur,quorum accepit à Deo lingua notitiam. Sapientibus autem efficitur debitor per hoc,quòd accepit sapientiam in mysterio absconditam,quam perfectis & sapientibus loqueretur. Quomodò autem & insipientibus? In quo patiendi gratiam & longanimitatis accepit : summa etenim patientia est, ferre insipientium motus.*

Qui omnibus debitorem se dixit, omnes habet debitores; sed cur *sapiẽtibus* se quoque debitorem asseruit? quia illi præcipuè euangelico indigent doctore,qui se putant non indigere. *Hac dixit,* inquit Estius , *ne fortè Romani cogitarent se neque barbaros esse,neque rudes,& insipientes,* QVI PAVLO DOCTORE NON EGERENT.

S E C T I O VII.

67 *Auditorum captui se doctor aptet.*

68. *A Iudao cur primùm postuletur vt credat.*

69 *Curiosè Diuina haud rimanda.*

Anima vita , fides.

70 *Ex operibus bonis fidei vita vt colligatur.*

Fidelis fidei sacramenta sapè retractare apud se debet.

71 *Dei misericordia vt eluceat,quàm minatur.*

Ira Dei cur supplicium appelletur.

72 *Nemo sibi blandiatur , quòd à Deo legem scriptam non acceperit.*

73 *Dei cognitio vt captiua ligetur.*

Dei veritatem in iniquitate detinere quinam dicantur.

74 *Ex Dei notitia bona opera nasci debent.*

Non enim erubesco euangelium.

N*On enim erubesco Euangelium.* Demissius videtur de Euangelio sentire , quàm par esset. Videtur , sed non sentit: Romano- 67.
rum se aptat captui. Hoc expendens S. Chrysostomus hîc, hæc habet : *Quid ais , ô Paule ? Cum conueniret,vt diceres : Glorior, ac meipsum iacto, non hoc; sed,quod minus est,dicis : quòd videlicet te minimè pudeat ; quam loquutionem in rebus non admodùm insignibus vsurpare consueuimus. Quid igitur est , quod ais , & quam ob rem sic loqueris? cùm presertim alioqui ob id magis Euangelium, quam vel ob ipsum cælum glorietur : siquidem ad Galatas scribens, Mihi autem, ait, absit gloriari nisi in Cruce Domini nostri Iesu Christi. Cur igitur hic non ais; Glorior, potiùs; quàm, Non me pudet ?* ROMANI ADMODVM STVPESCEBANT AD RES MVNDI HVIVS OB DIVITIAS , OB PRINCIPATVM, OB VICTORIAS ; *quin & suos itidem Imperatores diis pares existimabant, quos certè etiam eo nomine dignabantur; vnde & templis & aris & sacrificiis illos colebant. Cùm ergo sic illi turgerent , essetque Paulus Iesum predicaturus ; Iesum, inquam fabri filium existimatum , eundemque in Iudaa educatum, idque in tenuis mulieris domo. satellitibus nullis stipatum, non opibus abundantem, sed vt reum condemnatum, interque latrones mortuum; tum autem eum, qui alias multas ignominias pertulisset, ac verisimile quidem esset fore, vt Romani pudere suffunderetur, vt qui nihil dum rerum arcanarum ac magnarum caperent; propterea ait; Non me pudet, illos interim erudiens non erubescere; nouerat enim, quòd, si id illi essent assequuti, statim, progressi vlteriùs, eousque peruenirent, vt & gloriarentur.*

Iudao primum , & Graco.

I*Vdao primùm.* Hæc dictio ordinem importat, 68.
non dignitatem : scilicèt ab illo primùm exigitur fides , qui ad Christi fidem per legem ac Prophetas fuerat aptatus. Pulchrè Oecumenius: *Dictio, Primùm, verbi solùm honorem confert, non gratia abundantiam : primùm enim à* IVDÆO POSTVLATVR VT CREDAT , *vtpotè qui iam ea, qua de Christo sunt , ex lege & Prophetis edoctus sit magis, quàm gentes.*

Iudao

Iudæo primum,& Græco; aliqui particulam illam *primum* etiam ſecundæ parti adiiciunt; in hunc modum : *Iudæo primùm,& Græco primùm*; ita Adamus Fumanus;*ideſt*,inquit,*ex æquo vtriſque,paulo poſt interpretabitur ; non enim eſt , inquiens,diſtinctio.Frequens eſt Hebræorum vocabulum poſitum ſemel,bis intelligere.*

Ex fide in fidem.

69. *EX fide in fidem.* vt,vndè principium,ibi & finis ; nec extra limites fidei in curioſitatis campos quis ſe ferri ſinat. Theodulus hîc: *A fide incipit,& in credentem definit : vel à fide orditur, & in fidem deſinere debet; tanquàm* NON DEBEAMVS NOS CVNCTA , QVÆ IN IPSO SVNT, CVRIOSE RIMARI.

Sicut ſcriptum eſt: Iuſtus autem ex fide viuit.

IVſtus ex fide viuit & animæ vita fides eſt ; Item ſic explicat B. Bernardinus Senenſis ſer. de fidei nobilit. art. 1. cap. 3. expendens hunc Pauli locum ; *iuſtus*, inquit , *ex fide viuit ; tanta namque* VIVACITATIS EST HÆC VIRTVS ; *vt mortis torporem quo mens humana ad ſalubria moueri non permittitur , omnino amoueat : timoris etiam fortiſſimi & amoris motus incitat vel excitat,vnde ſimilis eſt radio & calori ſolari, cuius vigore reuiuiſcunt plantæ,& herbæ,arbores,& cuncta virentia terræ.Similis eſt radici : nam vita radicis, vita totius arboris erit. Item ſimilis eſt cordi omnia in corpore viuificanti.*

70. Ex fide cum viuat iuſtus viuere & fides ipſa debet, vtque ex corporis motu corporis colligimus vitam,ſic ex operibus bonis vitam fidei. Peritè Petrus Bleſenſis de charit. Dei cap. 2. *Sicut teſtimonio Abacuc prophetæ & Pauli Apoſtoli probatur,apertè dicentium , quod iuſtus ex fide viuit; oportet ſanè , quod viua ſit fides , de qua , vel per quam viuere nos oportet. Notandum ergo quod ſicut vitam corporis,ex motu dignoſcimus, ita* EX OPERIBVS BONIS VITAM FIDEI COMPROBAMVS ; *illa ſiquidem fides viuit quæ per dilectionem operatur*; quæ non operatur mortua eſt,nec ex ea verè viuere iuſtus poteſt , quin nec iuſtus ex vero eſt, qui fidem nudam habet,nihil prætetea.

Cum iuſtus ex fide viuat frequenter cogitare, rertractareque fidei ſacramenta debet,vt ſe viuere prodat,id quod his verbis exprimebat Richardus Victorinus parte 1.de alleg. Tabernac. *Iuſtus meus ex fide viuit , apoſtolica ſententia eſt ſimul & prophetica. Nam Apoſtolus dicit quòd propheta prædixit , quia iuſtus ex fide viuit , ſi ſic eſt , immò quia ſic eſt,debemus vtique ſtudioſè cogitare,* FREQVENTER RETRACTARE SACRAMENTA FIDEI NOSTRÆ. *Sine fide namque impoſſibile eſt placere Deo.*

Reuelatur enim ira Dei de Cælo ſuper omnem impietatem.

71. R*Euelatur enim ira Dei de cælo.* Elucet hic Dei miſericordia , cuius ira reuelari è cœlo dicitur,non in terris poſitos percutere. *Vbi reuelatur* , inquit hic Toletus, NON INFERTVR NON PERCVTIT,*ſed reuelatur, vt terreat,& territis non inferatur.*

Nouatin. in Epiſt. Paul.

Ira Dei. Cur iræ vtatur nomine, & quid per iram intelligat, ſic edocet Theodoretus : IRAM AVTEM DEI, SVPPLICIVM APPELLAT; *non quòd Deus vlla animi ratione concitatus puniat, ſed vt eos,qui contradicunt,ipſo nomine terreat.*

Reuelatur enim ira Dei. Reuelari iram Dei cur potius dixit,quàm exerceri? Quia per Euangelij prædicationē annuntiatur tantum ira Dei, 72.
& prædicantur pœnæ, quas Deus peccatoribus comminatur,nimirum iram ſuam Deus oſtendit, non ſolum quando percutit , ſed etiam quando comminatur ; *Nam qui iraſcitur*, inquit Sanctus Hieronymus huc ſpectans, *interdum* NON PERCVTIT , *ſed tantummodo comminatur.*

Super omnem impietatem; Perpensè hoc dixit, vt omnes etiam gentiles comprehenderet , ne quis ſibi blandiretur,quòd legem non accepiſſet à Deo. Sanctus Auguſtinus ſerm. 143. de tempore totum hunc locum ita expendit : *Reuelatur ira Dei de cælo ſuper omnem impietatem; quid eſt,ſuper omnem impietatem? non ſolum ſuper Iudæos,qui Dei legem acceperunt,& legis datorem offenderūt: verum etiam ſuper omnem impietatem gentium reuelatur ira Dei de cælo , & ne quiſquam diceret, quare cùm ipſi legem non acceperint ? ſecutus adiunxit:& iniuſtitiam eorum qui veritatem in iniquitate detinent;iam tu reſponde:quam veritatem? non enim acceperunt legem , non enim audierunt prophetam. Audi quam veritatem quoniam quod notum eſt,inquit,Dei, manifeſtum eſt in illis. Vnde manifeſtum ? adhuc audi : Deus enim illis manifeſtauit. Si adhuc quæris , quomodo manifeſtauit, quibus legem non dedit? audi quomodo : inuiſibilia enim eius à conſtitutione mundi , per ea quæ facta ſunt intellecta conſpiciuntur.*

Qui veritatem Dei in iniuſtitia detinent.

NImirum Dei cognitio , qua maximè ſumus liberi,& quæ nos liberat , à malis velut captiua ligatur. *Veritatem Dei*,inquit Sanctus Thomas,*ideſt veram de Deo cognitionem detinent in iniuſtitia quaſi captiuatam; nam vera Dei cognitio quantū eſt de ſe inducit hominem ad bonum, ſed ligatur quaſi captiuitate detenta per iniuſtitiæ affectum*; captiua eſt,per quā ſolent captiui liberari. 73.

Qui veritatem Dei in iniuſtitia detinent,velut quodam carcere captiuam ? Pulchrè Eſtius hîc: *Porro veritatem Dei in iniuſtitia detinent,qui veram,quam à Deo aſſecuti ſunt notitiam,per iniuſtitiam, ideſt prauitatem ſuæ voluntatis ſupprimunt,* AC VELVTI CAPTIVAM INTRA SE TENENT,*dum vel non communicant eam alijs : vel non oſtendunt per opera pietatis.*

Non eſt malum detinere veritatem : eſt malum,eſt iniquum detinere in iniquitate. S. Auguſtinus ſerm. 55. de verbis Domini hunc locū ita expendebat. *Qui veritatem in iniquitate detinent. Nunquid dixit eos non detinere veritatem;ſed veritatem in iniquitate detinent.* BONVM EST QVOD TENENT SED MALVM EST VBI TENENT,*veritatem in iniquitate detinens* ; nullus locus adeo diſplicet veritati,quàm iniquitas. 74.

Veritatem Dei , ideſt Diuinarum rerum notitiam,quam ſunt adepti. *In iniuſtitia detinent*;ideſt (interprete B.Dionyſio) *iniuſtè viuendo apud ſe retinent , non procedentes in actum virtutum ; ſed ipſam veritatem* AB OPERIS EXEQVVTIONE RETRAHVNT *atque abſcondunt.* Sciunt ſcilicèt bonū,& nō faciunt. *Detinēdi* porrò verbo eſt vſus,

vt innueret hanc veritatem in opus dirigi, tentareque in actum exire; & ab impiis veluti quibusdam vinculis,& quodam carcere detineri, ne exeat ac erumpat.

Sectio VIII.

Deus enim illis manifestauit.

75. *Illis manifestauit.* Cur *manifestandi* verbo est vsus,non *reuelandi*? *Non dicit, Reuelauit* (inquit Estius) *quasi infuso lumine fidei; sed Manifestauit, idest manifestè & euidenter eos cognoscere fecit, scilicet per lumen naturæ.* Addit statim: *Neque enim dubitandum, quin omne bonum tàm intellectus quàm voluntatis, etiam, quod ex solis naturæ viribus absque speciali Dei auxilio prouenit;* AVCTORI DEO SIT TRIBVENDVM,*& pro eo sint agendæ Deo gratiæ; siquidem & bona corporis,vt sanitas,robur,pulchritudo, & cætera huiusmodi in Deum auctorem & largitorem cum gratiarum actione referenda sunt.* Omnia ad Deum transfert Apostolus, & cum rebus nostris etiam nos.

Inuisibilia enim ipsius à creatura mundi per ea quæ facta sunt intellecta conspiciuntur.

Inuisibilia enim ipsius. scilicèt Dei. Cur *Inuisibilia* dixerit, non *Inuisibile* aperit Theodoretus, 76.
dùm ait: *Non dixit Diuinus Apostolus, Inuisibile ipsius; sed, Inuisibilia ipsius, hoc est eius creatio & prouidentia, & iusta in vnoquoque sententia, rerumque administrandarum multiplices ac variæ rationes. Quamobrem veniam non merentur, qui, cùm huiusmodi præceptores habuerint,ex tot disciplinis nullam vtilitatem percepere.*

Signatè addidit *à creatura mundi*,vt cæli creaturam excluderet Angelum scilicet,qui velocius in Deum fertur, quàm homo humana carne vestitus; Benè Sanctus Bernardus serm. 5. in cant. *An hoc Apostolus intellexit,qui cum diceret,Inuisibilia Dei per ea quæ facta sunt intellecta conspiciuntur: adiecit protinus. à creatura mundi? Nimirum quoniam à creatura cæli non ita. Quò enim is inuolutus carne & terræ incola spiritus ex consideratione sensibilium proficiens,* GRADATIM QVODAMMODO PAVLATIMQVE NITITVR PERVENIRE: *eò ille cælestium habitator ingenita subtilitate ac sublimitate sua in omni velocitate facilitatéque pertingit.* Nimirum eo modo, iis alis,in Deum quilibet ferri debet, quas accepit a Deo, nec Dei ordo inuertendus est.

Sempiterna quoque eius virtus,& diuinitas.

Et diuinitas. Non est mysterio viduum,quod 77.
diuinitatis potius nomen adhibuit, quàm deitatis. DIVINVM ENIM BONVM, vt vocat S.Thomas, DICITVR BONVM COMMVNE, *quod ab omnibus participatur, propter hoc potius dixit diuinitatem,quæ participationem significat, quam Deitatem,quæ significat essentiam Dei.*

Et diuinitas. Per diuinitatem bonitatem intelligit B.Bruno,ait enim; *Et diuinitas, idest bonitas; vnde & bonos homines Diuinos vocamus.*

Ita vt sint inexcusabiles.

Ita vt sint inexcusabiles. Potest ex græco verti, vt ait Estius: *In hoc vt sint inexcusabiles:* Nimirum cognitio illa, quã de Deo philosophi & rebus creatis acceperunt in Dei iudicio reddit inexcusabiles; multo magis inexcusabiles fideles erunt,quorũ plenior Dei notitia est, si Deo gloriam non dederint, & gratias pro beneficiis non egerint; S.August.lib.10.confess.c.6.ita Deum alloquitur: *Cælum & terra,& omnia,quæ in eis sunt, vndique mihi dicunt vt te amem,* NEC CESSANT DICERE OMNIBVS, VT SINT INEXCVSABILES; & excusabilis erit,qui Deum pro se hominem factum fatetur,pro se passum,& mortuũ,nec amore amori respondit,nec gratus tãto benefactori est?

Sed euanuerunt in cogitationibus suis.

Vt talium sapientium perditio ab ipsis or- 78.
tum habuerit; vnde Diaboli hic nulla mentio fit: quod expendens S.Chrysostom.hom.5.de Diab.

Diab. tentat ait, *Obtenebrati sunt in cogitationibus suis Philosophi, & coluerunt & seruierunt creaturæ potius quam creatori.* NVSQVAM DIABOLVS HIC, NVSQVAM HIC DÆMON; *sed creatura sola diuinæ cognitionis magistra in medio proposita est. Quonam ergo pacto caussa impietatis est facta? Non ex natura sua, sed ex eorum incuria, qui ad res suas attenti non erant.* Frustra igitur Diabolum incuset, qui sua negligentiâ, sua malitiâ eum potiùs ad tentandum inuitat, quàm forti animo repellat.

79. *Et euanuerunt in cogitationibus suis.* Ex Græco verti potest, *in disquisitionibus*, seu *ratiocinationibus suis*; hoc enim significat vox διαλογισμοῖς: vt sit sensus, Dum contenti subtili inquisitione, quam inquirendo, & ratiocinando in Dei cognitione consecuti erant, non eum glorificauerunt, nec gratias egerunt; vani sunt effecti, illius cognitionis fine vidui, qui consistit in vero veri Dei cultu ac pietate. Scilicet de Deo, extra Deum cogitabant. Quàm plerique inanes sunt, qui non solùm de Deo ita cogitant; sed cogitant ea, QVÆ CONTRA DEVM: vt sunt omnes hæretici.

Et obscuratum est insipiens cor eorum.

ET *obscuratum est.* Græcè *obtenebratum est*; nimirum ab ingratitudine præcipuè. Adeò ingens hoc malum, vt eo tenebris mens inuoluatur. *Mens eorum*, inquit hîc Estius, *ex culpa tantæ impietatis, &* INGRATITVDINIS, *insipiens, stolida, & (vt Græca vox ἀσύνετος sonat) expers intelligentiæ effecta, multis errorum tenebris inuoluta est.* Scilicet multorum malorum ferax sterilis ingratitudo est.

Dicentes enim se esse sapientes stulti facti sunt.

VEri sapientis est non se sapientem dicere, sed probare; vt factis potius sapientiam suam prodat, quàm verbis. Incipit videri insipiens, quum sapientem se prædicat, *Dicentes se se esse sapientes, id est*, interprete S. Thoma, SAPIENTIAM SIBI A SE IPSIS ASCRIBENTES.

80. *Stulti facti sunt.* Addit Venerabilis Beda ex B. Augustino: QVOD CVRIOSITATE INVENERVNT, SVPERBIA PERDIDERVNT. *Stulti facti sunt. Vnde probas stultitiam eorum? Ostende Apostole. Ostendisti nobis vnde potuerunt peruenire ad cognitionem Dei: Quoniam inuisibilia eius per ea quæ facta sunt intellecta conspiciuntur. Insipiëtiam eorum vnde ostendis? Audi: Et immutauerunt gloriam incorruptibilis Dei in similitudinem imaginis corruptibilis hominis, & volucrum, & quadrupedum, & serpentium. Figuras enim istorum animalium sibi Deos Pagani fecerunt. Inuenisti Deum, & coluisti idolum: quomodo sapiens es?*

81. Aliqui vertunt, *cùm se putarent*, aut, *cùm se crederent.* Græcè est φάσκοντες: verbum autem φάσκω, non significat simpliciter dicere, sed palam, & in vulgus dicere, aliorum famam aucupari. Et verò tunc maximè INCIPIT INSANIRE, QVI SAPIENTIS SIBI NOMEN APVD HOMINES INSIPIENTES ARROGAT. Et infra vulgus incipit esse, qui famam apud illud venatur.

Qui se sapientes dixere, fuere stulti: igitur qui se stultos & dicent & ducent, sapientes erunt. Peritè S. Augustinus in sermone 8. de verbis Domini, *Dicentes se esse sapientes, stulti facti sunt. Habes remedium à contrario. Si, dicendo te esse sapientem, stultus factus es;* DIC TE STVLTVM, ET SAPIENS ERIS. *Sed dic, dic, & intus dic: quia ita est, vt dicis. Si dicis: noli coram hominibus dicere, & coram Deo non dicere.* Igitur sapientis nota est stultum se putare.

Mutauerunt gloriam incorruptibilis Dei in similitudinem imaginis corruptibilis hominis, & volucrum & quadrupedum & serpentium.

TOtum hunc locum in auaros intorquet, auaris aptat Balduinus in Allegor. Tilm. dum 82.
ait: *Hoc auari faciunt; qui auaritiam sectantes,* POSTPOSITA IMAGINE DEI, AMANT ET COLVNT IMAGINEM NVMMI, *cuius pretium in errore & stulta hominum opinione consistit. Quid enim sunt argentum & aurum, publica moneta charactere signata, nisi quædam simulacra Regum, & opera manuum hominum? Hi sunt ô auare, hi sunt Dij tui, quos toto corde, tota mente, tota anima diligis; quos præcipuo honore colis; in quibus confidis; in quibus totam spem in omni necessitate ponis.*

Gloriam soli Deo debitam ad hominem transtulerunt mortalem, ac corruptibilem. Sed quia in sceleribus ad grandiora semper itur, ab homine ad volucres, quadrupedes, serpentesque itum est; & honores Deo debiti fuere brutis bestiisque tributi. Sed reponat hic aliquis aliquos ex Philosophis excusabiles fuisse, cùm non ex animo, sed vulgi se se erroribus accommodantes, Diuinum cultum his rebus adhibuerint. Quin maioris ingratitudinis rei fuêre: nam cum scirent non esse nisi vnum verum Deum, illum suâ gloriâ tentarunt exuere; nec infimam plebem exemplo suo ab impietate reuocarunt. NON LEVIS ERROR EST SE SE LEVIS POPVLI ERRORIBVS ACCOMMODARE. Valde incommoda, vt ita loquar, accommodatio ista est.

Grauia peccata nisi diluantur, ad grauiora 83.
ducunt; & fœda ad fœdiora trahunt, nisi tollantur. Hunc lapsum indicat horum verborum nexus, *Mutauerunt gloriam incorruptibilis Dei in similitudinem imaginis corruptibilis hominis, & volucrum, & quadrupedum, & serpentium.* Ab hominum impio cultu, Deo neglecto, itum ad bruta animantia est; & inter illa ad ea quæ infima. A DIGNIORIBVS CREATVRIS, inquit hîc S. Anselmus, AD MINVS DIGNAS GRADATIM DESCENDIT; vt ostendat illos in profundiores stultitiæ tenebras corruisse.

Volucrum. Animalium genera ponit: sed piscium cur non meminit? *Prætermittit pisces* (inquit S. Thomas hîc) *tanquam magis ab humana conuersatione seiunctos.* Estius pisces in nomine *serpentium* clausos putat quum ait, *Serpentium. ἑρπετῶν, id est, reptilium, quo nomine etiam* PISCES *comprehenduntur.*

Propter quod tradidit illos Deus in desideria cordis eorum, in immunditiam; vt contumelijs afficiant corpora sua in semetipsis.

FLammis tradi merebantur, & Satanæ tan- 84.
quam carnifici: cur igitur traditos dicit in

cordis eorum desideria? An quia quolibet alio supplicio grauius est? *Nullum potius in impios*, inquit Dominicus Soto hic, ACERBIVS PATIBVLVM DECERNI, QVAM QVOD IN PROPRIA TRADERENTVR DESIDERIA, *atque ea quidem immunda & impudica, quæ voluntatem ad malum propellerent, quo naturam ipsam inquinarent & infamarent.*

Tradidit illos Deus in desideria cordis eorum, vt nimirum peccatum sequens esset pœna prioris: sensus est, Deum peccatis illorum Philosophorum offensum, ita eos peculiari suo auxilio destituisse, & cupiditatibus ipsorum permisisse, vt in immunditiæ peccata ac fœdas libidines, totos se darent: vbi interim vides vt pleraque Deus negat ex misericordia, sic permittere aliqua ex iustitia. Præclarè hunc locum expendebat S. Augustinus in Psalm. 26. quum ait, PROPITIVS DEVS QVVM MALE AMAMVS, NEGAT QVOD AMAMVS: *iratus autem dat amatori, quod malè amat. Habes euidenter Apostolum dicentem, Tradidit illos Deus in concupiscentiam cordis eorum; dedit ergo quod amabant, sed damnando. Habes rursum negantem petitum, Propter quod ter Dominum rogaui, inquit, vt auferret eum à me, stimulum videlicet carnis, & dixit mihi: Sufficit tibi gratia mea, nam virtus in infirmitate perficitur. Ecce illos dedit in concupiscentiam cordis eorum; Paulo Apostolo negauit quod orauit. Illis dedit ad damnationem, huic negauit ad sanitatem.*

85. Aliqui ex Græco vertunt, *Tradidit illos Deus in desiderijs cordium eorum.* Alij, *Tradidit illos Deus cupiditatibus cordium suorum:* sensus est, Deum illos permisisse suis cupiditatibus, vt in fœdas libidines se darent. NOCENTIORI HOSTI TRADI NVLLVS POTEST, QVAM SI SVÆ TRADATVR CVPIDITATI. Mitis præ cupiditatis sæuitia, Dæmonis sæuitia est.

Ex Græco verti etiam potest, *Vt inhonorent corpora sua:* sic habet Estius, additque, *Fuit hæc congruens pœna peccati, vt QVI DEVM GLORIA DEBITA DEFRAVDASSENT, ipsi è diuerso turpissimam in se ipsis, & à se ipsis* IGNOMINIAM *paterentur.*

Qui est benedictus in secula.

86. QVi est benedictus in secula. Hic sanctorum virorum mos, vt frequentiùs in Dei laudem, benedictionemque erumpant, quo fœdius à malis vident eius nomen improbis moribus blasphemari. Præstat hoc Paolus hîc: dum falsa Numina colentium impietatem narrat, Deum benedicit. *Qui est benedictus in secula*, addit Primasius, *cui si seruissent, & ipsi benedicti in secula fieri potuissent.* MALEDICTI *ergo & temporales effecti sunt, qui* BENEDICTVM *in secula reliquerunt.*

Nam fœmina eorum immutauerunt naturalem vsum.

87. CVr de molliori sexu hîc agit Apostolus, cum ageret de viris, & Philosophos feriret? An vt innueret facilè à mulieribus fieri, quod à viris fit, & magnas in sequiori sexu vires habere fortioris exempla? *Quæres*, inquit hîc Estius, *cur fœminei sexus hîc meminerit, cum de Philosophis ageret? Idcirco, ni fallor, vt ostendat punitionem,* & EXEMPLA VIRORVM REDVNDASSE ETIAM IN FOEMINAS. *Id enim Græca lectio insinuat. Nam & fœmina eorum, &c. quasi dicat culpâ virorum etiam ad fœminas turpitudinem manasse, quod in Sapho poetria notatur: tametsi mox redit ad viros.*

Sectio IX.

88 *Affectus in peccatum quàm noxius.*
Ex industria peccare quàm graue piaculum.
Libidinis auaritia.
Auaritia malitia quàm grandis.
89 *Ab inuidia homicidium habuit originem.*
Homicidium etiam in voluntate.
Detractio cur idololatria comparata.
90 *Deo odibiles cur detractores dicantur.*
Qui super alios vult esse, infra se fit.
91 *Superbia semper noua mala excogitat.*
Inordinatè feruntur, qui à sapientia fonte recesserunt.
92 *Alijs misereri non potest, qui in se misericors non est.*
Notati qui peccantem efferunt, cùm deberent corrigere.
Factis vt sit æqualis assensus.
93 *Peccantes efferre quàm sit graue.*
Consentire vt sit grauius, quàm facere.

Repletos omni iniquitate, malitia, fornicatione, auaritia.

REPLETOS *omni iniquitate.* Pondus illud verbum habet, *Repletos*; nam vt ait 88.
S. Thom. *ille videtur repleri iniquitate, cuius* AFFECTVS EST TOTALITER AD PECCATVM DISPOSITVS; & in omnium peccatorum genera facilè labitur, si occasio adsit.

Malitia. Græcè πονηρία, *Quæ est* (vt ait Catharinus hîc) *inueteratum vitium, & connaturale factum, cum quis* DE INDVSTRIA EXQVIRIT, *etiam laborans malè agere: ita delectatur in malo. Et est proprium Diaboli epitheton, à quo in oratione Dominica petimus liberari dicentes, Sed libera nos à Malo.* ἀπὸ τοῦ πονηροῦ.

Auaritia. Græcè πλεονεξία, quæ vox studium habendi significat plus quàm sibi competat. *Quasi dicas*, inquit Estius, *pluris habentiam, nec id solum in diuitijs, verùm etiam in honoribus, alijsque rebus; nam* AD LIBIDINES TRANSFERTVR *interdum; cùm & libidinis mancipia noxiâ quadam auaritiâ torqueantur*; vt habitis voluptatibus nunquam satientur, non habitis semper inhient.

Auaritia. Ordinem pende. Post malitiam, auaritiam locat; *Quia* (vt ait Catharinus) *tota malitia in auaritia est.*

Plenos

Plenos inuidiâ, homicidio.

89. P*Lenos inuidiâ, homicidio.* Aptè inuidiæ adnectit cædem: nam ab inuidia homicidium habuit originem: inuidia quippe correptus fratrem Abel occidit Cain. Inuidus statim de sanguinis fusu cogitat. Succinit S. Hieronymus, *Pulchrè inuidiam homicidio sociauit*, QVIA PRIMA HVIVS CRIMINIS IPSA MATERIA EST. Eodem spectat S. Anselmus hîc, *Pulchrè homicidium inuidiæ sociauit Apostolus, quoniam ipsa est prima huius criminis materia: nam primum homicidium & Diaboli & Cain de inuidia ortum est:* & ADHVC NONNVNQVAM FIVNT HOMICIDIA PER INVIDIAM.

Homicidia. Aliqui legunt; *homicidijs.* Mirum qui cætera vitia singulari numero extulerat, numerosè *homicidia* dixit. *Dicit autem pluraliter homicidijs*, expositore S. Thoma, *quia homicidium non* SOLVM CONSISTIT IN OPERE, SED ETIAM IN VOLVNTATE. 1. Ioan. 1. *Qui odit fratrem suum, homicida est: qui scilicet odit ad occidendum.* Adeo vt homicidij plerunque fiot rei, qui se esse ooo putant.

Detractores Deo odibiles.

90. D*Etractores Deo odibiles.* Quàm sint odibiles, sic explicat hîc Primasius, *Quia nihil tam odibile Deo quàm idololatria*, CVI DETRACTIO COMPARATVR; *cùm & idololatra & detractor eradicandi à Scriptura dicantur.*

Deo odibiles. Detractores oon homioibus taotùm odibiles sunt, sed (quod grauius) Deo. Cur autem *Deo odibiles* dicuntur? *Quia* (inquit hîc S. Thomas) IMPVGNANT ID MAXIME, QVOD DEVS IN HOMINIBVS AMAT, *scilicet mutuum amorem.*

Contumeliosos, superbos, elatos, inuentores malorum.

S*Vperbos.* Superbum ita definit Primasius hîc, *Qui vult supergredi quod est, superbus dicitur, sicut Diabolus, qui perdidit hoc quod fuit. Et* QVI SVPER ALIOS VVLT ESSE, INFRA SE FIET; minorque se ipso est, qui aliis se maiorem facit.

91. *Inuentores.* Superbi elati, malis adiouentis non contenti, noua semper quærunt. *Semper superbia*, inquit S. Hieronymus, EXCOGITAT ET INVENIT MALA: *sicut auctor superbiæ per elationem suam inuenit sibi malum, quod antè non fuerat.*

Insipientes, incompositos.

I*Nsipientes, incompositos*; hoc ab illo nascitur. Nam vt ait hîc S. Hierooymus, *qui à fonte sapientiæ recesserunt, necesse est* VT INORDINATE FERANTVR; & incompositos esse, qui insipientes suot.

Absque fœdere, sine misericordia.

92. S*Ine misericordia.* Aliorum criminum appendix est misericordia carere. *Quomodo aliorum poterant misereri*, verba sunt S. Hieronymi ad hæc verba, QVI IN SE MISERICORDES ESSE NOLVERVNT? Non est in se misericors, sed sæuus ac crudelis, qui se vitiis mancipat, onerat se peccatis.

Non solùm qui ea faciunt, sed etiam qui consentiunt facientibus.

S*Ed etiam qui consentiunt facientibus.* Quod illi maximè faciunt qui peccantem efferunt, & laudant, CVM DEBERENT CORRIGERE. *Malum facientibus malè consentiunt & qui laudant*, vt ait S. Thomas, *& qui consilium exhibent, aut fauorem.*

Ex hoc loco æqualem factis assensum esse colligit S. Petrus Chrysologus, eosque perstringit, qui seipsos simulacra faciunt. Præstat hîc eius verba sistere; sic ille scribit sermone 155. FACTIS SEMPER EST ÆQAALIS ASSENSVS *Apostolo probante cum dicit, Non solum qui faciunt ea, sed etiam qui consentiunt facientibus. Et si tanta est de assensione damnatio, quis satis lugeat eos qui simulacra faciunt semetipsos? Nonne isti amiserunt imaginem Dei, similitudinem perdiderunt Christi, exuti sunt indumentum, qui se simulacrorum formis sacrilegis formauerunt?*

Ex his verbis hoc qooqne colligas, quàm sit graue peccantes efferre, & laudare facientes mala aut ipsam ioiquitatem. Rem egregiè veget S. Isidorus Pelusiota lib. 4. epist. 60. huc spectans dum ait, *Longè grauius, & quod ad pœnæ rationem attinet, maius est, laudare peccantes, quàm ipsum peccare. Non immerito dictum est, Non solum ea faciunt, sed etiam consentiunt facientibus. Nam ille quidem qui post admissum peccatum, id condemnat, poterit tandem procedente tempore seipsum recuperare, atque in integrum restituere: quippe qui maximum ad pœnitentiam agendam adiumentum habeat, condemnationem & detestationem peccati. At qui* ETIAM LAVDAT IMPROBITATEM, *is auxilio, quod ex pœnitentia ipsi prouenire poterat, seipsum priuat*, Istuc idem expendebat idem sanctus Doctor lib. 5. epist. 159. in hæc verba, *Sed hi minus animaduertunt, facere negligentia esse posse*; CONSENTIRE VERO, MENTIS CORRVPTÆ. *Illud est rationis aberrantis; hoc verò est indici[illegible]non sani; & qui negligendo peccauit, etiam erubescit, & ad pœnitentiam fortè conuertetur. Verum qui sua per omnia sententia acquiescit in ea affectione & perturbatione animi, tantum abest vt discedat à malo, aut facti pudore ducatur; vt etiam in eo glorietur.* 93.

CAPVT II.

EPIST. AD ROMANOS expenditur & illustratur.

SECTIO I.

Bona temporalia etiam malis largitur Deus, vt fiant boni.

Ingratitudinis summum, beneficia non cognoscere.

Impij Diuinitatis iram in se armant.

Pœnitentia, omnis boni origo.

97 *Thesauros misericordia Diuina quisnam in se euacuet.*

Ira extranea vt à Deo sit; vtque apud peccatorem, non apud Deum, thesaurizare eam quis dicatur.

Apud peccatorem potius quàm apud Deum, ira thesaurus vt maneat.

98 *Malus, ruina sua auctor.*

Iudicij dies, dies ira cur dicatur.

99 *Ira rationis lumen nobis surripit, & noctem in nobis facit, in Deo diem.*

Tota ira Dei in die iudicij in malos accendetur.

100 *In extremo iudicio impijs nulla est spes misericordia.*

Dei iudicia nunc plerique vellicant: in extremo iudicio id non fiet.

101 *In extremo iudicio cur secundùm cuiusque opera Deus sit redditurus, non in præsenti.*

Operum maximè apud Deum ratio habetur.

102 *Bonorum vita ita texitur, & bonis operibus ita continuatur, vt vnum opus perficere videantur.*

Qui alicui bono manum admouet, contradicentes ferat.

103 *Gloria & honor apud Deum & in Deo quarendus.*

Pertinacia & durities multorum malorum radix & fundamentum.

104 *Dei indignatio qualibet pœnâ grauior.*

Impij indignabuntur sibi, quod impiè egerint.

Anima supplicium maius, quàm corporis.

105 *Pœna malis actibus debetur, non malis habitibus.*

106 *Maiori institutione informatus, grauiori pœnâ punietur.*

Potior in beneficijs, principalior in pœnis.

107 *Mundana gloria perturbationibus obnoxia.*

Quieta & perpetua iustorum merces.

108 *Pax vera vbi sit.*

Iustitia regula seruanda in promissis exhibendis.

109 *Grauiores dabunt pœnas, qui maiori doctrina lumine perfusi peccauerũt.*

Iudæi quàm seuerè puniendi, quia legem habuere.

110 *Non doctores legis, sed factores iustificantur apud Deum.*

Erigendi, qui reprehensione depressi.

Propter quod inexcusabilis es ô homo omnis qui iudicas.

NON de publicis iudiciis hic est sermo, sed de priuatis. Cohærent hæc cum superioribus: cum enim supra Apostolus Gentilium vitia traduxisset, nunc Iudæos monet, ne Gentiles contemnerent, & damnarent. Hic quippe multorum est mos, VT ALIORVM VITIA FACILE DAMNENT, non videant sua. 94.

Existimas autem hoc ô homo, qui iudicas eos, qui talia agunt, & facis ea, quia effugies iudicium Dei? An diuitias bonitatis eius & patientiæ & longanimitatis contemnis?

MIrum cur tam seuerè loquatur, vt videatur fulmina potius emittere quàm verba. *Seuerissimè loquitur* (inquit hîc S. Ambrosius) *sciens malignam mentem non posse nisi* TIMORE A VITIIS FACILE REVOCARI. Quem patientiæ longanimitas non emendauit, duris acribusque percelli debet, non lenibus deliniri. Eodem spectat S. Anselmus hîc quum ait, *Seuerè loquitur Apostolus: quia* MALA ET DVRA MENS NON REVOCATVR NISI TIMORE. Duri nimirum durè increpandi sunt, ne leniùs tractati duriores fiant.

Longanimitatis. Quàm in homines longanimis Deus sit, discere ex se ipso quisque potest. 95.
Pende qualis in illatis iniuriis sis, & quàm magna sit Dei longanimitas coniicies. Præstat hîc sistere quæ habet S. Chrysostomus sermone de tribus pueris, vbi ita loquitur, *Vis* LONGANIMITATEM DEI IMITARI? *illatam tibi contumeliam cogita: quomodo intolerabilis tibi soleas videri. Sæpenumero quis à famulo contumeliâ afficitur; & continuò se hominem liberum affectum esse contumelia obijciens, pœnas facinoris repetit perpetrati, atque ineuitabili mortis supplicio, contumelia auctorem punit. Affectus est rursus contumelia quispiam à vilis ac priuata conditionis homine, cum ipse vnus ex eorum sit numero, qui in Republica administratione versantur: tum repentè contumeliâ irritatus, ad vindictam præceps fertur; neque communem naturam, aut parem omnium conditionem spectat, sed eam qua præditus est, respicit dignitatem; qua sublatâ vnam & eandem esse generis conditionem videre possumus: quoniam omnes ex terra formati sumus, & in terram dissoluemur: vna verò est ad vitam via, & egressus aqualis. Ex luto, inquit, compactus es, vt & ego: veruntamen lutum quidem tantam ab ijs, qui aquali conditione sunt, exigit prærogatiuam honoris. Deus autem, qui omnibus antecellit & natura & lege; quique tanto superior est, quanto creaturis creatorem sublimiorem censeri par est: blasphemijs offensus ac despectus ab ingratis, non excandescit ille quidem: (quippe in quem perturbatio non cadat) sed paulò post tamen eos, qui in insipiẽtia perseuerant, castigat. Propterea quod discretor veritatis*

est

est & inexorabilis index, ne confestim omnes qui peccaat, deleantur, supplicium differt; & patientiam offert, vt alliciat ad pœnitentiam. Hactenus ille.

An diuitias benitatis eius, patientia & longanimitatis contemnis? Quo hominum amentia euadit & impietas vt per eam scalam in interitum eant, qua possent in cœlum euchi! Perpensè hîc Primasius, *Multum se homines per patientiam Dei seducunt? quia non vult statim punire peccantes. Putant enim eum aut non curare res humanas aut donare quæ differt. Plerique etiam calumniantur, quare in præsenti non reddit? Miseri etiam in hoc ingrati fient in omnibus beneficiis Dei, qui et imputant, quòd eorum differatur interitus non intelligentes,* QVIA SI STATIM REDDERET, NVLLVS IAM HOMINVM REMANSISSET, NEC EX INIVSTIS FIERENT IVSTI. *Quid plura? Paulum quoque ipsum Ecclesia non haberet. Hominibus autem videtur Deus diu expectare peccantes qui parui temporis sumus, & centum annos pro infinito habemus. Ille autem apud quem mille anni tanquam vna dies sunt, centum annos pro hora habet. Et ideo hoc parum est ante Dominum; cùm & homines aliquanis diebus soleant expectare peccantes.*

96. Longanimis est Deus, vt dum pœnas differt, ad pœnitentiam prouocet. Pulchrè ad hæc verba Sanctus Augustinus in Psalm. 102. *An diuitias benignitatis & longanimitatis eius contemnis, ignorans quia patientia Dei ad pœnitentiam te adducit? Quod tibi parcit, putas quia places ei? Hæc fecisti, inquit, & tacui; suspicatus es inique quòd ero tui similis. Non mihi placent peccata, sed benignitate quære rectè facta.* SI PVNIREM PECCATORES NON INVENIREM CONFESSORES. *Ergo te Deus longanimitate sua parcendo* AD POENITENTIAM *adducit.*

Ignoras, quoniam benignitas Dei ad pœnitentiam te adducit?

DEi magnis benignitas ad pœnitentiam nos adducit, dum temporalia bona malis largitur, vt fiant boni. Sanctus Bernardinus Senensis serm. 21. Quare prosperentur peccatores art. 1. cap. 3. *Apostolus*, inquit, *ait: An ignoras quia benignitas Dei, scilicet quia tibi* BONA TEMPORALIA DONAT, AD POENITENTIAM TE ADDVCIT, *id est, te adducere debet.* Vt desinas in eum sæuire, qui bonis terrenis cumulat malos quoque, quia cœlestibus non potest, quum esse illi nolunt, quod sunt.

Ignoras. Post contemptum meminit ignorantiæ, quæ licet peccatum leuius reddat, hîc aggrauat. *Grauissimum est*, inquit Sanctus Thomas, *in genere ingratitudinis. Magis est enim ingratus,* QVI BENEFICIVM NON COGNOSCIT, *quàm qui diminuit, quod est contemnere.*

Ignoras quoniam benignitas Dei ad pœnitentiam te adducit? Hunc locum ita contra peccatores intorquebat Saluianus lib. 5. de Gubernat. Dei, *Apostolus ait, Ignoras quoniam benitas Dei ad pœnitentiam te adducit? Secundum duritiam autem tuam, & impœnitens cor, thesaurizas tibi iram in die iræ. Et verè ita agimus, vt dicit Apostolus. Deus enim nos vocat ad pœnitentiam, sed nos thesaurizamus iram. Deus nos inuitat ad veniam, sed nos quotidie cumulamus offensam. Vim Deo facimus, iniquitatibus nostris* IPSI IN NOS IRAM DIVINITATIS ARMAMVS. *Cogimus ad vlciscendum criminum nostrorum immanitate nolentem Deum.*

Ad pœnitentiam te adducit. Non impunitatem pollicetur, si pecces; sed veniam, si pœnitentiam agas. Pœnitentiam dum nominat, omnis boni FONTEM ORIGINEMQVE dicit: Signatè *adducit*, ait: nec enim nude ad pœnitentiam vocat, & inuitat, sed adducit quoque.

Thesaurizas tibi iram in die iræ, & reuelationis iusti iudicij Dei.

THesaurizas. Iram sibi thesaurizat, qui Dei contemnit misericordiam, & in se (quan- 97.
tùm in se est) istam euacuat, Sanctus Bernardus serm. de Triplici misericord. *Thesaurizas*, inquit, *tibi thesauros iræ pro prerogatis thesauris misericordiæ, quos contemnis; &* EVACVAS IN TE MISERICORDIAM DEI, qua terra plena dicitur.

Thesaurizas tibi iram. Signatè, *Tibi*, dixit; non *Deo*, Quasi extranea ira à Deo sit, & à peccatoribus proueniat potius, quàm ab innata illius bonitate. Scitè ille, *Vides iram* DEI NON APVD DEVM, SED APVD PECCATOREM THESAVRIZARI. *Quasi potiùs ad hominem, quàm ad Deum pertinere; seu potiùs ab homine, quàm à Deo prouenire videatur.*

Thesaurizas tibi iram. Nimirum apud peccatorem potiùs quàm apud Deum iræ thesaurus manet. Benè bonus ille auctor, *Vides iram Dei, non apud Deum sed apud peccatorem thesaurizari: quasi potius ad hominem quam ad Deum pertinere; seu potius ab homine quàm à Deo prouenire videatur. Vide D. Hieronymum priori loco proximè citato. Thesaurizas, inquit tibi iram, quam Deus naturaliter non habet.*

Thesaurizas tibi iram. Malus, ruinæ suæ au- 98.
ctor sibi est. *Vide porrò*, inquit hîc Sanctus Chrysostomus, *quàm propriè dictionibus vtitur. Colligis enim, inquit, tibi ipsi iram, manifestans quod prorsus reconditum est, ac demonstrans non eum, qui iudicat, sed eum, qui iudicatur, huius rei authorem esse. Tibi enim ipsi, ait, colligis: non tibi Deus: etenim ille omnia præstitit, quæ oportebat.*

In die iræ. Extremi iudicij periphrasis est. Nimirum nunc irasci Deus non videtur, nec de peccatoribus vindictam sumere, si extremum illum diem respiciamus. *In die iræ, id est, in die iudicij*, ait Sanctus Thomas, *quia scilicet nunc Deus vindictam non infert, quam tunc inferret.* Nunc videtur potius monere nos, quàm se vindicare.

In die iræ. In nobis ira & furor, rationis lu- 99.
men ac solem velot quædam nubes nobis surripit & noctem in nobis facit. IN DEO DIEM NON ERIPIT, SED FACERET SI NON ESSET. Nam in tranquillitate iudicat, & absque vllius affectus tenebris nocentes damnat, bonos remunerat.

In die iræ. Cur iudicij extremi dies, dies iræ dicitur? Et non etiam aliis diebus effundit iram suam Deus? Effundit passim, sed, si diem illum spectes, exiguam. *Dies iræ*, inquit Guilliadus hîc *peculiariter dicitur tempus iudicij vniuersalis; quia in vltimo illo iudicio* TOTA IRA DEI IN SCELERATOS ACCENDETVR, *& ad plenum omnibus rependetur.*

In

100. *In die iræ.* Cur extremum iudicij diem, *Iræ diem*, vocat? *Meritò* (inquit Estius) *diem iudicij vocat, Diem iræ; quia tunc impiis* NVLLA ERIT SPES MISERICORDIÆ, *sicut nunc est, dum viuunt.* Expandet tunc iudex iræ vexillum.

Iusti iudicij Dei Et non omne Dei iudicium iustum est? Cur igitur hoc præcipuè extremo diei aptat? Quia NVNC DEI IVDICIA PLERVMQVE HOMINES VELLICANT, licet sint iusta. Tunc autem manifestè constabit, iustum esse Dei iudicium in omnes, vt querimoniæ nullus adsit locus.

Qui reddet vnicuique secundùm opera eius: iis quidem, qui secundùm patientiam boni operis, gloriam & honorem, & incorruptionem quærunt, vitam æternam.

101. IN die iudicij vnicuique reddet secundum eius opera; & nunc quoque non reddit? IN PRÆSENTI NON REDDIT SECVNDVM OPERA, inquit Sanctus Thomas; *sed quandoque malè agentibus gratiam largitur, sicut ipsi Paulo Apostolo, qui prius blasphemus, & persecutor misericordiam consecutus est.*

Reddet secundùm OPERA, non secundùm FIDEM, duntaxat. Redditurus est autem supremus iudex vnicuique secundùm opera eius, tam bona quàm mala; si tamen hæc remissa non fuerint, illa non fuerint mortificata. Reddendi porrò verbo potiùs est vsus quàm dandi, vt bonis operibus præmium esse debitum ex iustitia ostendat, malis verò pœnam.

102. *Secundum patientiam boni operis.* Cur singulari vtitur numero non plurali? An quia bonorum vita ita texitur, & BONIS OPERIBVS CONTINVATVR VT VNVM BONVM OPVS PERFICERE VIDEANTVR, operâ multis bonis operibus dantes? An quia ita pluribus se addicunt, ac si adiicerent se vni? An denique quia in iustis non tam operum multitudinem Deus spectat, quàm perfectionem?

Secundum patientiam boni operis. Nimirum patientia comitari bonum opus debet, adeò vt à bono opere nemo desistat, licet aduersis obsideatur; ferè enim ita accidit, vt vix ALIQVIS ALICVI BONO OPERI MANVM ADMOVEAT, CVM ADVERSARIOS MVLTOS HABEAT, cui, tolerando aduersa multa, si forti ferantur animo, fiunt fecunda. Apud Deum illud maximè bonum opus laudem mercedémque meretur, quod multis contradicentibus quis præstiterit, aut inter tribulationum tenebras emicuerit. Præterea patientia hîc longanimitatem etiam ac perseuerantiam significat, quæ boni operis decus, & corona est; adeò vt solum opus mercede sit donandum, quod perseuerantiæ corona nobilitetur.

103. *Gloriam, & honorem*; Non terrenum, non apud homines; sed cælestem, & apud Deum, & in Deo, quod notabat & Estius; *Gloriam* inquit, *& honorem* APVD DEVM ATQVE IN DEO, *& incorruptionem id est immortalitatem quærunt.* Vera illa gloria, & verus honor est, si cum immortalitate nectantur, ad incorruptionem ducant, à qua nota mundanus honor abit, abit gloria quæ ab hominibus.

Iis autem, qui sunt ex contentione, & qui non acquiescunt veritati, credunt autem iniquitati, ira & indignatio.

EX contentione sunt, qui capitis sui sensa sine ratione, sed magna animi pertinacia defendunt, vt Iudæorum fit circunscriptio, qui hoc vitio semper laborarunt & laborant adhuc; quod non esse infimum vel hinc colligas, quòd hoc primo loco recensetur; tamquam aliorum RADIX ET FVNDAMENTVM: ægrè de illis aliquid boni credas, qui nimium sensibus suis credunt, melius sentientium mente neglecta.

104. *Ira & indignatio*; Scilicet reddetur à Deo; sed cur non dixit potius, *pœna, & supplicium*; quod verborum ordo exigere videbatur? An vt innueret graue supplicium futurorum, quale ab animo irato solet expectari? scilicet QVALIBET POENA GRAVIOR DEI IRA DEI INDIGNATIO EST, adeò vt & Dauid in ira Dei à Deo corripi extimuerit; cum diceret, *neque in ira tua corripias me.*

Ira, æterna scilicet, adeo vt respectu illius iram in aliis pœnis demonstrare Deus non videatur. B. Bruno: *His vtique erit, id est inquit, æterna damnatio, & talis ira quæ sit indignatio. Impij enim in ignem positi grauiter indignabuntur sibi ipsis, quod malè egerint.*

Tribulatio & angustia in omnem animam hominis operantis malum, Iudæi primùm & Græci.

IN *omnem animam hominis*; id est in omnem hominem, nisi quod animæ potius meminit, quia hæc peccati radix, & fons; pœnam, ac supplicium in animam malè operantis signatè venturam dicit, nam CORPORIS CRVCIATVS VIX INTER CRVCIATVS CENSERI MERENTVR, si iis comparentur, quibus iniquorum anima æternùm torquebitur.

105. *Operantis malum.* Cur non breuiùs dixit, *mali*, aut, *iniqui*? vt innueret POENAM MALIS ACTIBVS DEBERI, NON MALIS HABITIBVS, sicut & præmium bonis operibus respondet, non habitibus bonis; id quod obseruans Estius hîc ait: *Nec dixit in omnem animam hominis iniusti, sed operantis malum; & mox: omni operanti bonum; non autem omni bono siue iusto; quia retributio siue in bonum siue in malum propriè* RESPICIT OPERA *tanquam merita quædam, non autem habitus, vt quibus propria ratio meriti non conuenit.*

106. *Iudæi primùm.* Nam proba institutio peccantem maiori pœnæ obnoxium facit. *Iudæi primùm, quantò enim*, inquit hîc Theodulus, *maiore* INSTITVTIONE *donatus est; tantò* MAIORIBVS SI PECCET POENIS AFFICIETVR.

Iudæi primùm, & Græci. Agitur hic de pœnis, sed cur Iudæus Græcis anteferetur? *Vt hoc pacto* inquit Estius, QVI POTIOR IN BENEFICIIS ETIAM PRINCIPALIOR SIT IN POENIS; & qui pluribus Dei donis à Deo fuerat cumulatus, grauiores det pœnas, quod beneficiis non respondet.

Gloria

Gloria autem, & honor, & pax omni operanti bonum, Iudæo primùm & Græco.

107. MVndana gloria terrenus honor pace deſtituitur, quiete caret, quod illi ſciont, qui hunc, qui illam auidiſſimè cupiunt, ſtudioſiſſimè quærunt, INQVIETVM, SOLICITVMQVE AMBITIOSI COR EST, & multis mordetur coris, mille, tumultibus æſtuat; honor qui à Deo gloria quæ aut à cœlo eſt, aut in cœlo, pace inſignitur, quietum, tranquillúmque poſſeſſorem ſuum reddit, vt non mitum ſi poſt gloriam, & *honorem pacis* meminerit Paulus dicens: *Gloria autem & honor & pax omni operanti bonum.* Quæ verba expendens Eſtius ait: *Gloria & honori pacem adiungit, vt ſignificet benè operantibus futuram omnium bonorum* QVIETAM, PERPETVAM, *certam, & ſecuram poſſeſſionem?*

108. *Gloria autem & honor, & pax.* His tribus reſpondet illis tribus, quæ iuſti bonorum opetum exhibitione quætebant, ſed cor incorruptionis loco, hîc *pacem* ponit. *Pacem ponit*, inquit hîc Sanctus Thomas, *loco incorruptionis quam includit pax & multa alia comprehendit, non enim poteſt eſſe pax hominis perfecta, quandiu aliquis timet ſe amiſſurum bona quæ habet; ſed tunc aliquis* HABET VERAM PACEM CORDIS QVANDO HABET OMNIA QVÆ CONCVPISCIT, ET EA PERDERE NON TIMET.

Iudæo primùm, & Græco. Cum perſonarum acceptator non ſit Deus, cur Iudæum præfert Græco, Græcum poſtponit Iudæo? *In his*, ait Sanctus Thomas, *primatum Iudæis attribuit,* QVIA EIS SVNT PRIMO PROMISSA, & *in eorum promiſſiones Gentes introierunt*; quædam iuſtitiæ exercetur regula, dum in mercedis collatione præferuntur, quibus prius promiſſa fuerat.

Quicunque in lege peccauerunt, per legem iudicabuntur.

109. PEr legem intelligit legem ſcriptam. alioquin ſine lege non eſt peccatum, quia non eſt legis tranſgreſſio vbi non eſt lex. Senſus igitur eſt quicunque ſub lege peccauerunt per legem condemnabuntur, iudicante eos lege, atque adeo grauiores dabunt pœnas, qui doctrinæ plus habuerunt. Benè Sanctus Chryſoſtomus in pſal. 6. *Quicunque*, inquit, *in lege peccauerunt per legem iudicabuntur. Quare? quoniam illi quidem habent, quæ eos accuſat, naturam; hi verò cum natura etiam legem, &* QVO PLVS DOCTRINÆ ACCEPERVNT EO MAIVS SVBIBVNT SVPPLICIVM grauioréſque dabunt pœnas qui maiori lumine perfuſi, peccati ſe tenebris inuoluerunt.

Per legem iudicabuntur. Per legem iudicantur, qui viuunt ſub lege. Superiùs de Gentilibus dixerat, *Peribunt*; de Iudæis verò, *Per legem iudicabuntur*, quod grauius; iudicabuntur enim & damnabuntur. Quanti horroris & tormenti malis Chriſtianis ſit futurum per Euangelicam legem, ſub qua viuunt, & contra quam faciunt, iudicet, qui poteſt. Sanctus Ambroſ. hîc ita Iudæos premit; *Per legem iudicabuntur ſub qua vixerunt; ipſa enim accuſante pœnas exoluent. Nam* PROPE GRAVIOR IVDÆORVM CAVSA EST APVD EOS IPSOS, QVAM GENTILIVM: *ſicut enim credentes præferuntur, ita &, cum diffidunt, peiores inueniuntur, plus enim diſplicet, qui, quod habuit, amiſit; quam qui, quod non ſperauit, conſequi non potuit; iſte enim non intrauit in regiam, ille foras miſſus eſt.*

Non enim auditores legis, iuſti ſunt apud Deum; ſed factores legis iuſtificabuntur.

NOn auditor legis, ſed factor iuſtus apud Deum cenſetur; auditoris meminit, eadem & Doctoris ratio eſt. *Non auditores*, inquit B. Laurentius Iuſtinianus de caſto connubio. cap. 18. *non* DOCTORES *legis ſed* FACTORES *iuſtificantur apud Deum.* 110.

Quùm enim gentes, quæ legem non habent, naturaliter ea, quæ legis ſunt faciunt, eiuſmodi legem non habentes, ipſi ſibi ſunt lex.

QVum enim Gentes. Erigit, quos depreſſerat. *Licet intueri*, inquit hîc Caietanus, *artem Pauli ſimul declarantis propoſitam materiam, & exequentis officia* MODO DEPRIMENDI, MODO ERIGENDI *tum Gentiles tum Iudeos. Cum enim potuiſſet declarare, quòd factores legis iuſtificabuntur, ex operibus multorum veteris teſtamenti; elegit ex induſtria declarare hoc ex operibus Gentilium, vt, qui iam depreſſerat Gentes, tum in ſapientibus extendendo vſque ad fœminas, tum in iudicibus, modò erigat eos.*

SECTIO II.

111. *Dei dona tunc verè noſtra facimus quum aliis ea communicamus.*
Quanta cura & labore & induſtria prædicationis munus exercendum.
112. *Suum Euangelium doctores faciunt, quum operantur, quæ docent.*
Lex ex Dei gratia data.
113. *Perſtricti, qui in illis gloriantur, quæ contra Deum.*
Bonus alterum doctor non eſt, qui ſuus eſt diſcipulus.
114. *Vita ſermoni reſpondeat.*
Pleríque furti damnandi, qui ſe immunes à furto putant.
Furari quinam Chriſtum dicantur.
115. *Habendi cupiditas quàm noxia.*
116. *Legis temerator, ingloriſus.*
Mala opera ſunt occaſio, vt Deus blaſphemetur.
Peccata etiam minima maximè facienda; quia illis Deus maximè inhonoratur.
Quam graue piaculum ſub ſpecioſo Dei titulo Deum offendere.
117. *Circumciſio quando vtilis Iudæis fuerit.*

Iuſtitia

Iustitia ab hominibus, quantum in nobis est, est occultanda.

Secundum Euangelium meum.

111. QVODNAM *Euangelium suum* vocat Paolus? quod prædicandum illi Christus tradiderat; nam euangelium suum non aliud vult intelligi, qoàm euangelicam doctrinam, à se prædicatam, quod eam Christo reuelante didicisset; nimirum euangelium verè suum fecit, cum illud omnibus prædicauit, non adeo eius fuisset, si fuisset Pauli solius, nec ceteris commuoicasset, SVPERA DEI DONA MAGIS NOSTRA FACIMVS, SI ALIIS QVOQVE DISTRIBVAMVS; auatos possessores oon amant quæ à Dei liberalitate sunt.

Secundum euangelium meum. Cur euangelium suum dixerit, non suum baptismum, sic exponit Sanctus Thomas hîc: *Dicit autem euangelium meum, quamuis non possit dicere baptismum suum, & sit vtriusque minister; quia in baptismo nihil* OPERATVR INOVSTRIA HOMINIS, *sed in euangelio prædicando* INDVSTRIA PRÆOICATORIS OPERATVR vt hinc euangelicus doctor colligat, quanta industria, cura, ac labore vti debeat, vt titè muous suum in Dei sui gloriam, ac proximi vtilitatem obeat.

112. *Secundum Euangelium meum.* Cur *suum* vocat Euangelium, quod est Christi? *Suum appellat Euangelium*, inquit Guilliadus hîc, *ratione ministerij.* Addit: *Penes vnum Deum est Euangelij edendi auctoritas: sola dispensatio Apostolis est commissa.* Præterea suum quod alij prædicant, doctores faciuot; dùm OPERIBVS PRÆSTANT, QVÆ PRÆSTANDA ALIOS DOCENT.

Si autem tu Iudæus cognominaris, & requiescis in lege, & gloriaris in Deo.

R*Equiescis in lege.* Cur est hoc verbo vsus? An, quia suis laboribus tribuere Iudæus non debet, quod legem acceperit; sed supetæ gratiæ. *Requiescit. Porrò videas*, inquit hîc Theodulus, *quod haudquaquam laboribus eius aut virtutibus rebúsve præclarè gestis data sit lex; verùm* DIVINA POTIVS EX GRATIA.

113. *Et gloriaris in Deo.* Cur hoc Iudæo obiicit Apostolus? Quia non bene in Deo gloriabatur, *nec sicut oportebat; vel plus sibi tribuendo quàm deberet, vel non in Deum bona quæcunque accepisset referendo*, vt ait Estius. *Quid hîc illi*, QVI IN ILLIS GLORIANTVR, QVÆ CONTRA DEVM?

Qui ergo alium doces, teipsum non doces: qui prædicas non furandum furaris.

SE ipsum non docet, qui non viuit sicut docet, & aliud verbis loquitur, aliud moribus, & doctrinam suam operibus non ostendit. NON BONVS ALIORVM DOCTOR EST, QVI SVI DISCIPVLVS NON FVERIT, nec audire perfectus magister debet, qui se recta docentem non audit.

114. *Te ipsum non doces.* Ille seipsum non docet, qui ea non vtitur doctrina, quam aliis exhibet; vt videatur quis illud nescire, quod non præstat. Non eos reprehendit, quod docerent (hoc enim bonum est) sed eos pungit, QVOD VITA SERMONI NON RESPONDERENT; & aliter, ac loquerentur, ipsi viuerent.

Qui prædicas non furandum, furaris. Et cur furti eum insimulat? tanquam hoc vitium maximè illi esset familiare. Facilius quis furti est reus, quàm putet. Furantur plerique *si non* RE-IPSA, (ait Sasbout) SALTEM ANIMO, *si non opes, saltem famam & honores.*

Furaris. Qui furator aliena, sua perdit & sunt qui furti huius materiam ad Christum porrigaot. Primasius hîc. *Furaris; quidam dicunt* FVRARIS CHRISTVM, *idest abscondis eum ab hominibus; vel sacras scripturas, si possis, velis subtrahere.*

Qui abominaris idola, sacrilegium facis.

115. SAcrilegium hîc de participatione cultus idolorum accipi debet, cum illis verbis opponatur, *qui abominaris idola*, sed quî, aut quando hoc scelere se Iudæus polluebat, *commutebat*, inquit Estius, *huiusmodi sacrilegium Iudæus, quando cupiditate victus res idolis consecratas contra legem vsurpabat*, ID ENIM ERAT IDOLORVM CVLTVS PARTICIPEM FIERI. Tantum habendi cupiditas noxia est, & ad tam immania ducit quos corripit. Addit idem auctor: *Potest etiam intelligi in eo, quòd gula, aut hominum amicitiâ illecti, mensas adhibeant idolotytis instructas*; omni hostilitate nocentior amicitia fit, qua blanda eius facie se sinit quispiam à Deo auocari ad ea, quæ Deo displicent.

Qui in lege gloriaris, per præuaricationem legis Deum inhonoras.

116. REuera magnæ gloriæ loco duci debebat, legem à Deo accepisse. Non ob id ergo Paulus Iudæum perstringit; sed quod de lege gloriaretur, ioglorius legis violatione ac contemptu fieret; & (quod grauius) legis præuaricator factus, Deum contumelia afficeret, & (*quantum in se erat*) *inglorium* (vt ille ait) *Deum faceret.*

Deum inhonoras; vt nullum aliud malum à legis transgressione sequatur, solum istuc ab eius violatione quemlibet deberet submouere, quòd ea Deus inhonoratur; *Sicut enim* inquit hîc Sanctus Thomas, *legis obseruantia in bonis operibus est occasio videntibus, vt honorent Deum, ita etiam transgressio legis per mala opera occasio est videntibus blasphemandi.*

Per præuaricationem legis Deum inhonoras. Sicut Deus legis obseruantia hoooratur, sic contumelia afficitur, dum eius lex contemnitur; ex quo fit, vt maximi fieri quælibet peccata debeant etiam mioima, cum illis Dei honor ab hominibus lædatur. Grauiter hunc Pauli locum vrget Sanctus Basilius in Reg. Breuior. vbi ait: *Quis peccatum vllum cuiuscunque modi illud sit leue audeat appellare, cum asseruerit Apostolus, quod per transgressionem legis Deum inhonorat.* Nimis leuis est, qui leue illud putat, quo Deus læditur & inhonoratur.

Nomen

Nomen enim Dei per vos blaſphematur inter Gentes ſicut ſcriptum eſt.

GRæcè eſt δι' ὑμᾶς: *propter vos*, veſtrâ causâ, veſtrâ culpâ; dum enim Dei cultores legem eius violant, cæteri malè de Deo loquuntur, eius honori, ac maieſtati detrahunt, *qui tam malos*, vt ille ait, *cultores habeat, quaſi eos vel negligat punire, vel non poſſit, vel etiam ſcelera ipſa approbet*; ex quo conijci debet, quàm graue ſit piaculum eorum, qui ſub ſpecioſo cultorum, & ſeruorum Dei titulo Deum offendunt, idque ſub aliorum oculis, qui ſtatim legi ipſi ſub qua tales degunt, detractum eunt, licet talis lex, talia adeò non probet, vt damnet.

Circumciſio quidem prodeſt, ſi legem obſerues.

117. ET quî nunc ait prodeſſe circumciſionē, cum alibi nihil operari aſſerat, nihil valere? *Reſpicit*, inquit Eſtius, *ad tempus, quo hæc ſcribebat, quando Iudæis nondum erant legalia prohibita; tunc enim circumciſio proderat Iudæo legem obſeruanti; quia circumciſione benè vtitur.*

Et circumciſio cordis in ſpiritu, non littera.

ET *circumciſio cordis.* Veræ circumciſionis hæc nota eſt quum mentem à vitiis circumcidimus. Quærat hîc aliquis, cur olim corporalis circumciſio non in aure potiùs oculiſque aut manibus vultúque inſtituta fuerit. Sanctus Maximus Taurinenſis epiſt. ad Theraſiam nodum ſic ſoluit: *Illud figurauit Dominus, quod poſtmodum monſtrauit: ne iuſtitiam noſtram coram hominibus faceremus ſed in occulto coram eo ſolo, cui ſoli nihil eſt occultum.*

CAPVT III.

EPIST. AD ROMANOS *expenditur & illuſtratur.*

SECTIO I.

118 *Iudæi cur Gentilibus præferantur, aliquandò poſtponuntur.*
Præcipuo beneficio recenſito, mente ad alia eundum.
119 *Impiorum multitudo bonis non officit.*
Aliquorum lapſus ceteris non præiudicat.
120 *Dei gratia hominum dignitatem non reſpicit.*
Nullus peccat niſi falſa ſpecie boni.
Aliorum offenſio vitanda.
121 *Dura peccati ſeruitus.*
Deus non in maieſtate tantùm, ſed & in pietate & per charitatis experientiam cognoſcendus.
Nouarin. in Epiſt. Pauli.
122 *Impiorum verba mortua, & fœtorem inhalantia.*
Iuſtorum guttur vt ſepulchro comparetur.
Mortis & paſſionis Chriſti Sacramentum mente voluendum.
123 *Voracitatis & adulationis nexus.*
Verba adulatoria, peſtifera.
124 *Honorum funera minimè quærenda.*
Mali malas habent linguas.
125 *Malorum os cur amaritudine plenum dicatur.*
Diuina iuſtitia in omnes extenditur, omnibus ſupereminet.

Quid ergo amplius Iudæo eſt? aut quæ vtilitas circunciſionis? Multum per omnem modum.

MVltum per omnem modum. Ideſt multum amplius Iudæo eſt, vt ad priorem quæſtionis reſpondeat partem. 118. Quod ſi aliquis reponat ſi multum omnino amplius Iudæo eſt præ Gentili, quomodo ad Gal. 3. parem facit vtriuſque conditionem; dum ait: *Non eſt Iudæus, neque Græcus, non eſt ſeruus neque liber?* Eſtius ita nodum ſoluit: *Reſpondeo. Paulum eo loco non aliud velle, quàm rem eſſe adiaphoram in religione Chriſtiana, ſiue quis Iudæus an Gentilis, ſeruus an liber: hîc verò eum loqui de beneficiis olim populo Iudaico præſtitis præ cæteris Gentibus. De qua re Pſalmiſta: Non fecit taliter omni nationi.*

Primùm quidem, quia credita ſunt illis eloquia Dei.

IVdæorum priuilegia præ Gentibus explicat, & illius meminit quod erat præcipuum, ſcilicet habere legem Dei, & ſcripturas à Deo ſibi traditas. *Primum quidem*; Ac ſi diceret, non hoc ſolum, ſed & alia multa; quæ tamen hîc non recenſet, alibi id facturus. PRÆCIPVO BENEFICIO RECENSITO, alia in alium locum reiicit, cuilibet relinquens, VT IN ALIORVM COGITATIONEM FERRETVR

Nunquid incredulitas illorum, fidem Dei euacuabit?

NImirum, malorum improbitas bonis non nocet, ſi perſiſtant in bonitate; licet multi illi ſint, pauci iſti. 119. Vtile eſt, quod hinc elicit Guilliadus. *Hic locus*, inquit, *conſolatur nos ac monet, ne propter ingentem* MVLTITVDINEM IMPIORVM SVSPICEMVR PROMISSIONEM GRATIÆ ECCLESIÆ FACTAM, IRRITAM ESSE: *ſed ſciamus, verè eam exhiberi credentibus, etiamſi pauciſſimi ſint.*

Aliquorū lapſus cæteris non præiudicat, quod in illos torqueas, qui vnius crimen in congregatione aliqua viuentis in cæteros reiiciunt, ac vno peccante totam nocentem familiam faciunt, cetera innocentem: NON PER HOC, inquit hîc S. Thomas, QVOD QVIDAM NON CREDIDERVNT, EVACVATVR FIDES ILLORVM, QVI

CREDIDERVNT *Malum enim quorumdam in societate existentium non euacuat bonam aliorum quod est contra illos, contra quos Augustinus dicit: Ad quid aliud tractant, nisi vt cùm Episcopus, vel Clericus, vel monachus, vel sanctimonalis ceciderit, omnes tales esse credant?* nec credant tantùm, sed in alios spargant, quod credunt.

Omnis autem homo mendax.

120. O*Mnis autem homo mendax.* Cur istuc adiecit Apostolus? *Hoc addit* (inquit hîc S. Anselmus) *vt appareat promissionem Dei factam esse & completam* NON PROPTER ALIQVAM HOMINVM DIGNITATEM; *sed propter miseriam; vt commendatior sit gratia.*

Si enim veritas Dei in meo mendacio abundauit in gloriam ipsius, quid adhuc & ego tanquam peccator iudicor?

MEndacium hîc vocat, vt interpretes notauêre, quod paulo ante iniquitatem dixerat, id est peccatum, sed cur tali nomine peccatũ insignit? Quia NVLLVS PECCAT, inquit Estius, NISI FALSA SPECIE BONI; *Dixit autem mendacium propter antithesim cum veritate.*

Quid ergo? præcellimus eos.

121. Q*Vid ergo? præcellimus eos?* etiam se suis annumerat. *Obserua,* inquit hîc Guilliadus, *sanctum artificium. Cum excellentiam Iudæis assereret: Quid amplius Iudæo est? in tertia persona loquebatur: nunc, dùm vult omnia detrahere, ne proprio merito superbiant, seipsum numero admiscet,* OFFENSIONEM EFFVGIENS.

Causati enim sumus, Iudæos & Græcos omnes sub peccato esse.

O*Mnes sub peccato esse.* Plus dixit, quam si dixisset, *In peccato,* quo innueret sub peccati iure oneteque esse, qui peccatum admittit, VT DVRA PREMATVR SERVITVTE.

Non est intelligens, non est requirens Deum.

122. N*On est intelligens.* Et non plures in illo populo Dei habuere intelligentiam? Nodum proponit soluitque Vgo Victorinus hîc. *Non intelligens, inquit, dici potest, qui, etsi cognoscat* DEVM IN MAIESTATE, *non tamen cognoscit eum* IN HVMILITATE ET PIETATE. *Vel non intelligens Deum perfectè quis dicitur, qui, etsi aliquam notitiam habeat, non tamen per* CHARITATIS EXPERIENTIAM.

Sepulchrum patens est guttur eorum.

VT non mirum, si ab eorum ore tanquã à sepulchro mortua ac cadauerosa (vt ita loquar) exeant verba. *Sepulchrum patens,* inquit hîc B. Dionys. *est guttur eorum, id est simile monumẽto aperto: quoniã sicut ex tali sepulchro ascendit fœtor cadaueris, sic ex ore istorum* PROCEDVNT VERBA MORTVA ATQVE FOETENTIA. In hoc autem impiorum guttur nocentius sepulchro est, quòd fœtor à sepulchro exiens ita afficit, vt non perimat & occidat: occidunt audientium animas sæpe mortua fœtentiaque malorum hominum verba.

Malorum guttur sepulchrum patens est: sed (quod miseriæ) huiusmodi quoque bonorum est os. Sanctorum Euangelistarum guttur sepulchro patenti lego comparatum. Sanctus Maximus homil. 3. de Pass. Dom. ita loquitur: *Sepulchrum Christi patens est Euangelistarum beatum guttur, per quod illud æterno litterarum thesauro condiderunt. Patens autem sepulchrum ideo dicitur, quia, qui vult ad Christi peruenire mysterium, non ingreditur ad illud nisi per Euangelica scriptura secretum: in Litterarum enim sacrarum quasi quodam nouo vasculo commendandus est Dominus. Quisquis igitur illum videre desiderat, ibi* ET PASSIONIS SIVE SACRAMENTVM INVENIT, *& resurrectionis gloriam recognoscit. Patens ergo guttur Sanctorum est; vnde Apostolus ad Corinthios: Os nostrum patet ad vos, O Corinthy inuitans eos, vt per prædicationis suæ semper apertam ianuam ingrediantur Christi secreta mysteria.*

Sepulchrum patens est guttur eorum. Voracitas significatur, quam comitatur, & cui famulatur adulatio. Plerique adulationis emittunt verba, vt gulæ obsequantur. S. Augustinus ad hæc habet: *Ad voracitatis significationem referri potest,* PROPTER QVAM PLERVMQVE HOMINES ADVLATIONE MENTIVNTVR. *Et mirabiliter dixit, Patens sepulchrum; quoniam semper inhiat illa voracitas, non vt sepulchra, quæ receptis cadaueribus, muniuntur. Potest & illud intelligi: quòd mendacio & blanda adulatione trahant in se, quos ad peccata illectant; & eos tanquam deuorant, cùm in suam vitam conuertunt. Quod, quibus contingit, quoniam peccato moriuntur, rectè illi, à quibus inducuntur, sepulchra patentia dicti sunt, quia & ipsi quodammodò exanimes sunt, vitam non habendo veritatis; & mortuos in se recipiunt, quos verbis mendacibus, & vano corde interemptos in se conuerterunt.* 123.

Sepulchrum patens. vt nihil vitale ab eorum exeat ore; sed omne cadauerosum, & mortem inferens; & tunc præcipuè, cum blanda & adulatoria emittont verba. *Sepulchrum patens,* inquit hîc Primasius, *est guttur eorum. Violentiam pestiferi odoris exaggerant fœtore doctrina. Omnis odor mortis procedit de ore eorum, hoc est* VERBA PESTIFERA ET ADVLATORIA, *quæ interficiunt audientes. Ideo enim sepulchra clauduntur, ne in visa possit exhalatione sui generent pestem.*

Sepulchrum patens est guttur eorum. Hæc verba iis aptat S. Optatus Mileuit. libr. contra Parmenian. qui honorum funera optant. *Esuritis,* inquit, *honores innocentium sacerdotum. Vnde furori vestro tanta fames innata est, vt guttura vestra sepulchra patentia feceritis? Vnicuique sepulchro sufficit vnum funus, & clauditur:* GVTTVRI VESTRO HONORVM FVNERA MINIME SVFFICIVNT, *& adhuc patet, dum aliquos quæritis deuorare; vt meritò de vobis dictum sit: Sepulchrum patens est guttur eorum.* 124.

Linguis suis dolosè agebant.

MAlis vtique linguis, quia suis; *nam hoc videtur significare,* inquit hîc Beda, *quod ait suis;*

ſuis; MALI ENIM MALAS HABENT LINGVAS, *ideſt mali loquuntur dolum.*

Quorum os maledictione & amaritudine plenum eſt.

125. QVorum os maledictione & amaritudine plenum eſt. Plus dixit, quàm ſi dixiſſet eos in ore amaritudinem habere & maledictionem. *Non dicuntur*; inquit hîc S. Anſelmus, *habere maledictionem & amaritudinē in ore, ſed os eorum plenum eſſe fertur maledictione & amaritudine*; VT ABVNDANTIA MALEDICTIONIS ET AMARITVDINIS IN ORE IPSORVM MONSTRETVR ESSE.

Iuſtitia autem Dei per fidem Ieſu Christi in omnes & ſuper omnes, qui credunt in eum.

IN *omnes & ſuper omnes.* Hanc phraſim ita expendebat Caietanus hîc: *Dicit autem, In omnes & ſuper omnes, ad ſignificandum* EXTENSIONEM IVSTITIÆ DEI ERGA OMNES, & *cum* HOC SVPERIORITATEM: *ſupereminet enim iuſtitia Dei per fidem Ieſu Chriſti, iuſtitiis operum,*

SECTIO II.

126 *Nemo gloria ſua indiget: indiget gloria Dei.*
Gloria loco Deus ducit, gratia ſua omnes donari.

127 *Glorioſus Deus apparet, dum noſtri miſeretur.*
Nullus in ſeipſo gloriari debet.
Nulli ſufficit imbecillitas ſua: nemo ſe poteſt à peccato liberare.

128 *Deus Pater omnes ad ſe inuitat, Chriſto expoſito tanquàm ſigno.*
Plerunque oſtentant homines, quod non exhibent non ita Deus.

129 *Poſt ſemel applicatum Chriſti ſanguinem, peccato viuere nullus debet.*
Nimis durus, qui poſt exemplum humanitatis Chriſti in eum ſæuit.
Doctores iis ſe accommodent, quos alloquuntur.

130 *Cur legis opera reijciat Apoſtolus, & fidem præferat.*
Fides, ſalutis initium.
In bono boni initium maximè fieri debet.

131 *Fides gratia Dei filia primogenita.*
Quanto ſtudio ſalutem noſtram quærat Deus: vt videatur illi quodammodò à Dei titulo excidere, ſi ſalutis media non exhiberet.

132 *Lex ſtatui cur dicatur.*
Legis firmitas in præceptorum obſeruatione potiſſimè ſita.
Nouarin. in Epiſt. Paul.

Omnes enim peccauerunt, & egent gloria Dei.

ET *egent gloria Dei.* Gloria Dei, qui peccant, audis indigere. Non facilè repetias dictum, aliquem ſua gloria indigere. NON GLORIA SVA EGENT; inquit S. Ambr. *vt glorientur quaſi de ſuis meritis*: SED EGENT GLORIA DEI; *ideſt omninò neceſſarium eſt illis, vt gloria Dei dilatetur in ipſis*; Beda hîc; *Egent gloria Dei*, NON GLORIA SVA; *quid enim habent quod non acceperunt? Si autem acceperunt, quid gloriantur quaſi non acceperint? Egent itaque gloria Dei.* 126.

Et egent gloria Dei; Aliqui codices habent; *Et egent gratia Dei*; ſed eodem hæ lectiones reſiliunt; qui peccauerunt miſerantis Dei indigent auxilio, & gratia remiſſionis per quam Dei nomen glorificatur; ſcilicet GLORIÆ LOCO DEVS DVCIT, GRATIA SVA HOMINES DONARE. Alij ſic explicant; Omnes peccauerunt, ac proinde deſtituuntur gloria Dei, ideſt non habent vnde coram Deo glorientur; nam Græcum verbum ὑστεροῦνται verti poteſt; *deſtituuntur.*

Et egent gloria Dei. Dei ſcilicet gratia, quæ gloria Dei dicitur; quia in illius præcipuè exhibitione gloriam ſuam ſuis Deus oſtendit. *Egent gloria Dei*, inquit hîc B. Dionyſius, *ideſt miſeratione Diuina, videlicet gratia*, PER QVAM DEVS GLORIOSVS APPARET, *qui ex ſua liberrima bonitate ſaluat electos.* Et Vgo hîc. *Et egent gloria Dei*, ideſt, inquit *remiſſione peccatorum, per quam Deus maximè apparet* GLORIOSVS. 127.

Gloria Dei. Dei gloria eſt electorum ſalus, nec aliquis gloriari debet in ſe, quod per gratiam vocetur ad gloriam. Inglorius eſſe incipit, qui incipit gloriari in ſeipſo. *Ex ſua bonitate*, aiebat productus Dionyſius, *ſaluat electos, ita vt* NVLLVS IN SEIPSO VALEAT GLORIARI: *ſed omne bonum Domino adſcribitur.* Scilicet à iuſtorum cenſu proſcribi meretur, qui, ſiquid iuſtè agit, Domino non adſcribit.

Omnes egent gloria Dei, quia nulli ſufficit imbecillitas ſua; nemo ſe poteſt à peccato liberare; *Quid eſt*, inquit S. Auguſtinus, *Egent gloria Dei?* VT IPSE LIBERET, NON TV, QVIA TV TE LIBERARE NON POTES, *indigens liberari. Quid eſt quod te iactas? quid eſt quod de lege & iuſtitia præſumis? non vides quod intus confligat in te, de te, aduerſus te? non audis pugnantem & confitentem, & adiutorium in pugna deſiderantem? Non audis Athletam Domini ab Agonotheta petentem adiutorium pugnæ ſuæ? non enim ſic te ſpectat Deus certantem, quomodo te ſpectat editor, ſi fortè pugnes in amphiteatro: ille tibi premium dare poteſt ſi viceris, adiuuare te periclitantem non poteſt, non ſic ſpectat Deus*, Hactenus ille in Pſal. 30. ſcribens,

Quem propoſuit Deus propitiationem per fidem in ſanguine ipſius ad oſtenſionem iuſtitiæ ſuæ propter remiſſionem præcedentium delictorum.

PRopoſuit & exhibuit Deus Pater Filium propitiationem, *tanquam victimam quandam*, vt ille ait, *ira ſuæ diuinæ auertendæ.* ſed cur *proponendi*, vſus eſt verbo? An vt id manifeſtè factum innueret; vtque omnes ad eum alliceret, 128.

AC TANQVAM SIGNO EXPOSITO INVITARET?

Ad ostensionem iustitiæ suæ; sensus est, vt mundo Dei iustitiam manifestaret, qua scilicet homines verè, & coram Deo iusti fiunt. Sed cur *ostensionis* potius vsus est nomine, quàm *exhibitionis*? Estius: *Ostendere pro exhibere frequens est in Scripturis, equidem arbitror vtrumque simul ab Apostolo significatum*, MANIFESTATIONEM CVM EXHIBITIONE. Plerumque homines ostentant aliqua, quæ non exhibent, Deus quæ manifestat exhibenda, reipsa exhibet.

129. Cur *præcedentium*, ac præteritorum dixit, cum Christi sanguis omnibus delendis peccatis valeat? *Præcedentia solùm nominat*, ait Estius, *vt nobis insinuet deinceps, post effectum, &* SEMEL APPLICATVM VNICVIQVE CHRISTI SANGVINEM NON ESSE PECCATIS VIVENDVM SED IVSTITIÆ. Eodem ferè spectat & Sasbout hîc: *Dicit, Præcedentium* (inquit) *vt significet, deinceps non esse viuendum peccatis; sed iustitia. Nimis ingratus est, &* DVRÆ MENTIS, QVI POST TALE EXEMPLVM HVMANITATIS EXHIBITVM, ET SANGVINEM FILII DEI EFFVSVM, NON REPRIMIT SE, ET CONTINET A PECCATIS.

Sed per legem fidei.

SEd *per legem fidei*. Cur non simpliciùs dixit, *sed per fidem*? Respondet ex Sancto Chrysostomo Estius, *vt à legis vocabulo non recederet quod* GRATVM SCIEBAT AVRIBVS IVDÆORVM; nimirum doctores opportunè se in verbis iis possunt accommodare, quos alloquuntur, & tangere quæ sunt grata, vt ad salutaria faciliùs alliciant.

Arbitramur enim iustificari hominem per fidem sine operibus legis.

130. GRæcè est λογιζόμεθα, idest *ratione colligimus*, siue vt aliqui vertunt, *ratiocinamur*, sed cur *hominem* dixit? commune naturæ nomen vsurpans, indicauit neminem hîc excipi non Iudæum, non Gentilem. Nullus igitur ex operibus legis iustificatur; sed hîc aliquis quærat cur legis opera reiiciat Apostolus dicens non ex fide hominem iustificari, sed ex operibus? Excludit opera à iustificationis negotio Apostolus, sed quæ fidem præcedunt, aut à fide non sunt profecta; nam quod ad opera salutaria & quæ ex fide sint nata, tenendum quod asserit Sanctus Iacobus; sed hæc *opera sunt ex fide*, ait Sanctus Augustinus, *non ex operibus fides*.

Mirum cur hîc Apostolus iustificationem fidei tribuat, quæ alibi pœnitentiæ, aut dilectioni, aut diuini nominis inuocationi solet adscribi; An id iure factum, quia fides humanæ salutis ac proinde ipsius iustitiæ initium est, non solùm quia fides iustitiam præcedit, sed quia sic eam inchoat vt etiam ipsius pars quædam sit, sicut à corde principium est vitæ hominis, quum tamen in ipso etiam vita sit? Tanti nimirum IN BONO BONI INITIVM DEBET FIERI. Præterea iustificatio fidei adscribitur, quia ipsa iustificationis est fundamentum, imo & radix, ex qua iustitia nostra veluti pullulat.

131. Per *fidem* hominem ait hîc Apostolus iustificari; cur ergo alibi *gratis* non dixit iustificari? An Paulo Paulus aduersatur, & quod vno loco asserit, alio euenerit? Minimè; vtrumque verum & fide iustificamur; & gratis, quia fides ipsa gratis datur tanquam iustitiæ quædam pars initialis, *Est enim fides*, vt ait hîc Estius, GRATIÆ DEI PER CHRISTVM FILIA PRIMOGENITA.

An Iudæorum Deus tantùm?

ET quis iu dubium vnquam renocauit Deum Gentium quoque Deum esse? quæ ratio coëgit Apostolum vt hoc hîc statueret? An quia si Deus Gentilibus salutis remedia non prouidisset, eorum esse Deus non videretur? Estius ad hæc verba: *Sensus*, inquit, *est Deum, quod ad beneficium attinet iustitiæ, & salutis æternæ non solùm Iudæorum Deum esse, verum etiam Gentilium, vt qui æquè sint Dei creatura rationis capax, & ad supernam fælicitatem ordinata.* Tantò nimirum studio nostram Deus salutem quærit, vt quodammodo videretur ILLI A DEI TITVLO ERGA ALIQVOS EXCIDERE, SI EORVM SALVTEM, QVANTVM IN ILLO EST, NON QVÆRERET, & media illius adipiscendæ non stabiliret.

Sed legem statuimus.

SEd *legem statuimus*. Adeo non destruit legem, vt stabiliat, & confirmet; quia nimirum fides impetrat gratiam, qua lex, legisque præcepta implentur; vel quia quæ lex vetus significabat, & promittebat; noua quam Paulus prædicabat re ipsa exhibet; impletur quippè promissio, non euacuatur cùm lex promissa datur. 132.

Legem statuere est stabilire, confirmare; sed quî per fidem lex statuitur, ac confirmatur? Quia fides gratiam impetrat, qua lex impleatur; legis nimirum firmitas, impletio & consummatio in PRÆCEPTORVM OBSERVATIONE POTISSIME SITA EST, vt frustra de lege sibi blandiatur, qui legis præcepta non custodit; Vnde loquitur Apostolus non de lege cæremoniali, sed morali, idest de lege Decalogi, nec de ea, quatenus per Mosem lata est, sed vt iustitiæ præcepta continet, quæ omnibus siue Iudæis, siue Gentilibus seruanda proponuntur.

CAPVT IV.

EPIST. AD ROMANOS expenditur & illustratur.

SECTIO I.

133 *Doctor affectu eos induat, quos alloquitur ad quos scribis.*

Sola vera gloria, quæ apud Deum.

134 *Fides, bonorum operum radix & fundamentum.*

Quod de iustis legimus, curandum, vt legatur in nobis.

Ingloria est gloria, quæ extra Deum.

135 *Iusto*

Quid ergo dicemus inuenisse Abraham patrem nostrum secundùm carnem?

133. INVENIRE hebraica phrasi est consequi, indipisci; sed cur potius dixit *Abraham patrem nostrum*, quàm *Abraham patrem vestrum?* An quia loquitur ex persona suæ gẽtis? nimirũ tanto affectu hęc scribebat, vt in illos immigrasse videretur, ad quotũ salutem hæc dabat. Vera hęc doctoris consignatio, VT AFFECTV EOS INOVAT, QVOS ALLOQVITVR, AO QVOS SCRIBIT.

Si enim Abraham ex operibus iustificatus est, habet gloriam, sed non apud Deum.

HAbet gloriam, sed non apud Deum; & quænam gloria esse potest, quæ non sit apud Deum? gloria est inanis, & vacua; *Per concessionem*, inquit Estius, *ait, habet, idest habeat gloriam, vt sensus sit: Et si fortè, quod nunc non discutio de sua operum iustitia gloriari possis apud homines, qui tantùm vident ea, quæ foris sunt, haud quaquam tamen habet vnde* GLORIETVR APVD DEVM, *qui videt abscondita cordis.*

134. Cur fidem Paulus operibus præfert, cum opera fidei prætulerit Iacobus? an sibi aduersi sunt, qui vno scripsere spiritu, idem spectarunt? voluere idem. *Iacobus*, inquit S. August. in Psalm. 31. *in Epistola sua contra eos qui nolebant bene operari, de sola fide præsumentes, ipsius Abrahæ opera commendauit, cuius Paulus fidem. & non sunt sibi aduersi Apostoli. Dicit autem opus omnibus notum: Abraham filium suum immolandum Deo obtulit. Magnum opus, sed ex fide. Laudo superædificationem operis, sed* VIDEO FIDEI FVNDAMENTVM, LAVDO FRVCTVM BONI OPERIS; *sed in fide agnosco radicem; si enim hoc præter rectam fidem faceret Abraham, nihil illi prodesset, qualecunque illud opus esset.*

Mirum quod vnius Abrahæ exemplo rem probet quæ omnes comprehendit, nimirum ex fide quemlibet iustificari, non ex operibus, & verò rem egregiè conficit, aptéque deducit, *Si enim Abraham*, inquit Estius, *ex fide, & non ex operibus iustificatus est, quem tamen ex scriptura tanquam egregiè iustum describit, atque in exemplum iustitiæ nobis proponit, igitur* NOS QVOQVE NON EX OPERIBVS, *sed ex fide iustitiam expectare debemus.* Ex quo colligitur, ea quæ in alicuius iusti laudem referuntur, in nostram quoque vtilitatem producta, sicque QVOD DE IVSTIS LEGIMVS, CVRANDVM EST VT LEGATVR IN NOBIS.

Sed non apud Deum; Ingloria gloria quælibet est, quæ non est apud Deum; *Auertat ipse Deus à nobis* TALEM GLORIAM, inquit S Augustinus in Psalm. trigesimum primum, *& illud potius audiamus: Qui gloriatur in Domino.*

Nouatin. in Epist. Paul.

Quid enim dicit scriptura? Credidit Abraham Deo, & reputatum est illi ad iustitiam.

TEstimonium, quod ex Scriptura Paulus adducit ex *cap. 15. Geneseos* sumptum est; quo quidem loco nondum Abraham sed Abram dicebatur; cur igitur Abraham hic Paulus scripsit, cum hoc nomen postea illi Deus indiderit? An quia tritum Iudæorum ore erat, & eorum auribus maximè gratum? & in nuda iustorum recensione ea nomina vsurpanda, quæ in eorum MAIOREM GLORIAM RESILIVNT, maioremque auditorum ineuot gratiam. Vt videant, quàm aberrent, qui iustos vellicant, & eorum nomini, ea, qua possunt arte, eunt detractum. 135.

Reputatũ est ad iustitiam, sed à quo reputatum? haud dubiũ, quin à Deo, qui falli in rerum indicio nõ potest; hinc in Hebræo legitur; *Reputauit illud ei iustitiã*, scilicet Deus, non quod ex sola reputantis, aut imputantis benignitate iustus esset, sed quia verè iustus ex fide esset, quò sensu accipit hanc reputationem S. Cyprianus in Epist. ad Cæcilium: *Si Abraham*, inquit, *Deo credidit, &* DEPVTATVM EST *ei ad iustitiam; vtique quisquis Deo credit, & fide* VIVIT IVSTVS *inuenitur*; in quibus verbis indicat idem esse aliquid alicui deputari ad iustitiam & iustum quempiam esse.

Ei verò, qui non operatur, credenti autem in eum, qui iustificat impium, reputatur fides eius ad iustitiam secundum propositum gratiæ Dei.

VT fides ad iustitiam reputetur ceteris animari virtutibus debet, ac præcipuè præcipua dilectione; hoc est enim verè credere in eum qui impium iustificat: S. Augustinus tract. 19. in Ioann. expendens hunc locum, ait: *Quid est credere in eum?* CREDENDO AMARE, CREDENDO DILIGERE, *credendo in eum, & eius membris incorporari:* Alioquin vix plenè credere credendus est, qui credit tantùm, nec fidem bonis operibus informat, & animat. 136.

Sicut & Dauid dicit beatitudinem hominis, cui Deus accepto fert iustitiam sine operibus.

PRo beatitudine græcè est μακαρισμός, id est *beatificatio*: vt notauit etiam Estius, qui addit: *Quo vocabulo ipsa* IVSTIFICATIO *significatur*, quæ via ad æternam beatitudinem est, ac veluti illius semen.

Beatus vir, cui non imputauit Dominus peccatum.

137. NOn beatum vocat, qui diuitiis onustus sit, sed qui liber à peccatis, cui Deus peccata coodonauerit. *Cui non imputauit*; non imputat, quia vt ita loquar amputat, & delet; græcè est λογίσηται id est *imputauerit*, vt generalis sententia sit, tempus omne complectens. Dicitur autem Deus peccatum non imputate, *quia*, inquit Estius, *cum delet, ac remittit homini peccatum, non iam eum amplius habet pro peccatore; quippè qui peccato remisso iam peccator esse desierit.* Addit: PECCATVM NON IMPVTARE DEVS DICITVR, QVIA NON ASPICIT, *nec imputat illud ad eam pœnam, quæ peccato propriè respondet, id est ad supplicium mortis æternæ*; & licet temporalibus pœnis peccatum puniat, hæ tamen SI ÆTERNIS CONFERANTVR POENÆ NON VIDENTVR ESSE.

Beatus vir, cui non imputauit Dominus peccatum. Mirum cur à plurali numero statim ad singularem transitum faciat; nisi quòd significare voluit paucos esse, quibus non imputet Deus peccatum. *Beatus vir, quasi dicat*, inquit Cornelius hîc: *Beatus imò beatior est, qui postquàm expurgatus à peccatis est, iustè deinceps viuit, omnique studio vitat peccata; ita vt nihil mali faciat*, QVOD EI DEVS IN PECCATVM IMPVTARE POSSIT. Ægrè, qui impuræ se vitæ addixit, litare puritati potest; vt non abs re singulari sit vsus numero & Propheta & Apostolus.

Lex enim iram operatur.

138. AC si diceret, adeo lege non obtinetur hæreditas, seu benedictio, vt lex potiùs iram operetur, id est pœnam augeat, maledictionem afferat. Sed qua id ratione præstat lex? ex occasione, non ex instituto; & quia legis occasione augetur in homine concupiscentia, dum ex inclinatione naturæ corruptæ magis ferè semper nitimur in vetitum, ARDENTIVS CVPIMVS QVOD PROHIBETVR, & fit nobis dulcius, quod lege negatur. Denique auget lex pœnam, quia ob legem efferuntur plerique qui ferre legis onus nolunt; quod intelligitur de lege à fide, & gratia separata.

Nec considerauit corpus suum emortuum.

EMortuom vocat generationi non amplius aptum; si naturæ consideres vires, nam quod postea ex Cethura sobolem habuerit, id diuinæ virtuti tribuendum est. Quod si corpus emortuũ dicitur soboli suscipiendæ ineptum, & ANIMA MORTVA quodammodo videri possit, SI VIRTVTIS FOETVS NON PRODVCAT, præsertim quod hæc senio haud sit obnoxia, sed quò diuturnior duratio eius est, eò sit pariendis fœtibus magis idonea contra ac in corpore accidat.

139. Cum centum annorum esset Abraham dicitur ineptus generationi fuisse, & tamen adhuc annos septuaginta quinque vixisse cõstat ex Genes. cap. 25. Itane adeo defecerat, vt vix post mediam ætatem gignendi impotentia laboraret? nodum vidit, nodum soluit Estius hîc: *Nimirum patres illos antiqui temporis post mediam ætatem longam vixisse senectutem, ita vt ætas deficiens longè diuturnior in illis esset, quàm accrescens; exemplo sit Isaac qui vixit annos centum octoginta Gen. vigesimo quinto. Cui tamen ætatis anno, iuxta peritorum supputationem centesimo vigesimo, aut circiter præ senectute caligauerunt oculi, sic vt videre non posset, & tamen annos adhuc superuixit sexaginta*; sed cur id factum? *Vt diu*, inquit idem auctor, *superstites essent diuinorum operum testes ad rudem adhuc, & raram posteritatem, simul vt eam actibus, & legibus ad vitam politicam* DEIQVE CVLTVM SPECTANTIBVS SVFFICIENTER INSTITVERENT. Cui rei aptissima senectus est, crescens ætas non adeo apta.

140. *Dans gloriam Deo*; Credens scilicet eum esse omnipotentem, inque suis dictis veracem, stantémque promissis suis. Dedit gloriam Deo, non inanem apud homines gloriam venatus est. *Dans gloriam Deo*; *Hoc*, inquit Sanctus Augustinus, *aduersùs illos positum est, qui gloriam suam* DE OPERIBVS LEGIS CORAM HOMINIBVS QVÆREBANT; Minor quàm homo incipit esse, qui gloriam coram hominibus quærit.

Plenissimè sciens. Sed quid? *Quia quæcunque promisit Deus, potens est & facere.* Sed quid magnum hîc de magno Abrahamo, quòd crediderit Deum esse omnipotentem? *Dicimus* (reponit Vgo Victorinus) *quod tunc illud* CREDERE MAGNVM ERAT, QVANDO PENE VNIVERSVS ORBIS IN CVLTVRA DÆMONVM ERRABAT. Scilicet tam noxium est inter malos viuere, vt magnum in Abrahamo extiterit de Deo credidisse, eum posse perficere & implere, quæ promisit; cùm ipse inter malos esset & impiorum præsentia veluti obrueretur.

Ideo & reputatum est illi ad iustitiam.

141. EAdem scilicet ratione, qua & superiùs dictũ fuerat ei, fidem promissionis ad iustitiam reputatam; sed cur hoc etiam hîc repetit? Quia quoties credidit Abraham Deo, toties ei fides ad iustitiam reputata est, non prima tantùm vice; vt scias in quolibet actu posse Dei seruum IVSTITIAM SVAM AVGERE; sicque in virtutibus NVNQVAM SISTENDVM esse, sed semper progrediendum.

Resurrexit propter iustificationem nostram.

PRæclarè hæc verba expendit Sanctus Augustinus sermone 15. de Verb. Apostoli: *Quid est, Propter iustificationem nostram? Vt iustificet nos, & iustos faciat nos: Eris opus Dei, non solùm quia homo es; sed etiam quia iustus es. Melius est enim iustum esse, quàm te hominem esse.* SI HOMINEM TE FECIT DEVS, ET IVSTVM TV TE FACIS; MELIVS ALIQVID FACIS, QVAM FECIT DEVS.

CAPVT V.

EPIST. AD ROMANOS expenditur & illuſtratur.

SECTIO I.

142 *Dei pax ſemper quærenda ac ſi non haberemus*
Pax creſcere ſemper debet.
Pacem ad Deũ cur habere dicamur.
143 *In tribulationibus ipſis aliquem gloriari, maximum eſt.*
144 *A Dei gratia eſt, quòd quis in tribulationibus glorietur.*
Malus in conſcientia nullum ſolatium habet.
In gaudiis gloriari non eſt magnum: eſt magnum in tribulationibus.
145 *Tribulatio exercẽdæ patiẽtiæ materia.*
Tribulatio, virtutum radix.
146 *Tribulatio ex ſui natura robuſtiorem reddit, quem afficit.*
147 *Operari probationem, vt patientia dicatur.*
Spes, quæ in hominibus, confundit; non quæ in Deo.
148 *Dei promiſſio non fallit, quia Dei naturam ſequitur.*
Spes humana imbecillis, & dubia.
Amandus Deus, qui nos amat.
Dei charitas in cordibus hominum ſeſe diffundit & dilatat.
149 *Diffuſa in cordibus charitas Dei, rerum, quæ infra Deum, appetitum excludere debet.*
Omnia bona à Deo, & Dei gratia.
Charitas cur diffuſa dicatur non incluſa.
150 *Diuinæ largitatis magnitudo vnde collecta.*
Charitas, non cupiditas diffundi in cordibus noſtris debet.
151 *Dignitas charitatis quàm eximia.*
A Deo quiſque habet, non à ſe, quòd Deum diligit.
Omnia fit Spiritus Sanctus.

Iuſtificati ergo ex fide, pacem habeamus ad Deum per Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum.

142. PLERIQVE codices pro *habeamus*, habent, *habemus*, & ita Tertullianus legiſſe videtur cum libr. 5. aduerſus Marcionem cap. 13. ait. *Monet iuſtificatos ex fide Chriſti non ex lege pacem habere.* Vtraque lectio ſuſtineri poteſt; vtraque copulari; ſcilicet ITA PACEM CVM DEO DEBEMVS HABERE VT EAM SEMPER DEBEAMVS QVÆRERE, AC SI NON HABEREMVS; præſertim cùm nullus certo ſciat ſe illam cum illo habere.

Pacem habeamus ad Deum. Cur *ad Deum* potius dixit, quàm *in Deo?* Vgo Victorinus hic. *Eſt*, inquam, *pax in Deo, eſt ad Deum pax. Pax in Deo erit in futuro, quando erit Deus omnia in omnibus*; PAX AD DEVM *eſt in præſenti.* In Deo erit pax, cum creſcere amplius non poterit, *ad Deum* nunc eſt, quia curare quiſque hîc debet, vt ſemper AVGEATVR.

Pacem habeamus ad Deum. Plura indicauit, quàm dixit. Præclarè S. Leo ſerm. 6. in ſolemnit. Natiuit. Dom. *Apoſtolus dicit: Iuſtificati ergo ex fide, pacem habeamus ad Deum. Cuius ſententia breuitate omnium ferè mandatorum continetur effectus: quia, vbi fuerit veritas pacis, nihil ibi poteſt deeſſe virtutis. Quid eſt autem, dilectiſſimi,* PACEM HABERE AD DEVM, *niſi velle, quod iubet; & nolle, quod prohibet? Si enim humanæ amicitiæ, pares animos, & ſimiles expetunt voluntates; nec vnquàm diuerſitas morum ad firmam poteſt peruenire concordiam: quomodo Diuinæ particeps erit pacis, cui ea placent, quæ Deo diſplicent; & iis appetit delectari, quibus illum nouit offendi?*

Et gloriamur in tribulationibus.

GLoriamur in tribulationibus. Parum eſt æquo animo tribulationes ferre, gloriari in illi debemus, & de illis, tanquam de magno aliquo bono. Pleriqne de tribulationibus gloriantur, cum ſcilicet iam præterierint; Paulinæ mentis ſuppariſque eſt, etiam IN TRIBVLATIONIBVS IPSIS GLORIARI, & efferri eo quoque tempore quo feruntur; niſi quod *in tribulationibus*, pro *de tribulationibus* poſuit, vt notauit Eſtius. 143.

Gloriamur in tribulationibus. Feſtiuum, quod hîc addit Vgo. *Sicut*, inquit, *mulier gloriari ſolet, quando verberatur à viro ſuo, eò quod hoc eſt ſignum dilectionis.* Vnde alicubi hunc morem vigere tradunt, vt ægrè mulieres ferant, ſi à viris non verberentur. 144.

Gloriamur in tribulationibus; Parum eſt æquo & forti animo tribulationes ferre, in iis gloriari etiam debemus: ſed vnde habebant vt gloriarentur? à Dei gratia, à Spiritu Sancto, illa diffuſa in cordibus erat, hîc exhibitus tanquam pignus; *Vnde ille gloriaretur*, inquit Beatus Auguſtinus apud Bedam hîc, *dicens*: *Gloriamur in tribulationibus, ſi egeſtatem intus pateretur? Videbantur foris anguſtiæ*, SED INTVS LATITVDO ERAT. *Quid autem facit malus homo cum cœperit tribulari? Foris nihil habet, ablata ſunt omnia*, IN CONSCIENTIA NVLLVM SOLATIVM EST. *Non eſt quò exeat, quia dura ſunt. Non eſt quò intret, quia mala ſunt. Conſolatio non eſt in externis, non eſt in internis. Quomodo conſolabatur ille plenus ſagina interiore, & de ipſa ſagina ructans, Dominus dedit, Dominus abſtulit, ſicut Domino placuit ita factum eſt, ſit nomen Domini benedictum. Quiſquis autem malus eſt, malè ſecum torqueatur neceſſe eſt. Sibi ipſe tormento eſt. Ipſe enim eſt pœna ſua, quem torquet conſcientia ſua.*

Non est magnum in gaudiis gloriari, est magnum in tribulationibus; *Non solùm*, ait Sanctus Augustinus in Psalm. 31. *dicit Apostolus, sed & gloriamur in tribulationibus. Nam* NON EST MAGNVM GLORIARI IN GAVDIIS, GLORIARI IN LÆTITIIS: RECTVS CORDE ETIAM TRIBVLATIONE GLORIATVR. *Et audi quomodo gloriatur in tribulatione: quia non frustrà quisque non superuacuè; vide, rectum cor, scientes, inquit, quia tribulatio patientiam operatur, patientia autem probationem, probatio verò spem, spes verò non confundit.*

Tribulatio patientiam operatur: patientia autem probationem.

145. TRibui nobis debet, si patientiam non operatur in nobis. Quî verò patientiam operetur, sic explicat Sanctus Thomas hîc: *Tribulatio patientiam operatur non quidem sic, quòd tribulatio sit eius causa effectiua, sed quia tribulatio est* MATERIA ET OCCASIO EXERCENDI PATIENTIÆ ACTVM.

Tribulationem primam posuit tanquam cæterarum virtutum, quas recenset fundamentum atque radicem. Aptè hunc locum versat Beatus Laurentius Iustinianus lib. de obed. cap. 21. *Bona*, inquit, *& amplectenda tribulationis est pugna, quæ virtutis coronam intexit, Paulo perhibente, qui ait: Tribulatio patientiam operatur, patientia probationem, probatio verò spem, spes autem non confundit: quia charitas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum Sanctum, qui datus est nobis. Vidésne quot ex* HAC TRIBVLATIONIS RADICE VIRTVTVM GERMINAT FRVCTVS? *Amara quidem in sui initio censetur tribulationis experientia, sed locupletem in illa examinatis præstat mercedem.*

146. *Patientiam operatur.* Tribulatione abutitur, qui in eius præsentia in impatientiam erumpit; hoc autem non tribulationi debet adscribere, sed sibi. Tribulatio robustiorem illum reddit quem afficit, nisi ipse sibi sua imbecillitate præiudicet. Venti similitudine arborem inuadentis id peritè explicat S. Chrysostomus serm. 14. de diuersis noui testamenti locis, vbi ait: *Quid est, scientes quòd tribulatio patientiam operatur? Hunc maximum fructum habet,* QVOD HOMINEM AFFLICTVM ROBVSTIOREM REDDIT. *Nam quemadmodum arbores, quæ in vmbrosis ac ventorum expertibus locis aluntur, cum externa specie prosperè germinent, molles fiunt atque fungosæ, & facilè quouis incursu læduntur: quæ verò in excelsis montium verticibus sitæ sunt, à multis magnisque ventis agitantur, intemperiem aëris assiduè ferunt, grauissima tempestate pulsantur, & multa niue feriuntur, ferro quouis robustiores euadunt: pari ratione corpora, quæ multis ac variis in deliciis educantur, quæ mollibus vestimentis ornantur, quæ continuis balneis & vnguentis vtuntur, ac diuersi generis alimentis præter vsum necessarium delicatè fruuntur, prorsus ad sudores laboresque pro religione subeundos inutilia redduntur, maximéque suppliciis sunt obnoxia: sic nimirum & animæ, quæ miseriarum expertem vitam ducunt, quæ deliciis affluunt, quæ libenter præsentibus rebus sunt deditæ, ac vitam doloris expertem præferunt, afflictionibus pro regno cælorum more Sanctorum omnium, subeundis, cera quauis molliores & imbecilliores effectæ igni pabulum exponuntur æterno. Quæ verò periculis, laboribus, & ærumnis afflictionis Dei causa toleratæ sunt expositæ, atque in ipsis enutritæ, ferro ipso vel adamante solidiores fiunt ac generosiores, & ex eo quod assiduè vexentur, inexpugnabiles aduersariis redduntur, & inuictum quendam patientiæ ac fortitudinis habitum acquirunt.*

Patientia probationem. Huic sententiæ aduersari illa videtur, quæ habetur Iacobi. c. 3. *Pro-* 147.
batio fidei vestræ patientiam operatur non patientia probationem. Sanctus Thomas hîc ita nodum soluit: *Dicendum est, quòd probatio dupliciter potest intelligi vno modo secundùm quod est in probato; & sic probatio est ipsa tribulatio, per quam homo probatur: vnde idem est dicere, quòd tribulatio patientiam operatur, & quod tribulatio probat patientiam. Alio modo accipitur probatio pro probatam esse; & ita accipitur hîc, quod* PATIENTIA PROBATIONEM OPERATVR: *quia ex hoc quòd homo patienter tribulationem sustinet, redditur iam probatus.*

Spes autem non confundit.

ILla vtique quæ in Deum iacitur, collocatur in Deo nam alioquin maximè confunditur, qui sperat in se, aut in hominibus; vnde statim subdit Apostolus, *quia charitas Dei diffusa est in cordibus nostris, per spiritum sanctum qui datus est nobis*; vt non infirma fiducia, & spes sit, quæ tam magnum pignus tenet. Rem peritè expendit Beda ex B. Augustino. *Spes non confundit. Quis est qui confunditur? Qui dicit, ego quod sperabam non inueni. Et meritò. Sperabas enim de te, aut sperabas de homine amico. Maledictus autem qui spem suam ponit in homine. Confunderis, quia fefellit te spes posita in mendaciū. Omnis enim homo mendax. Si autem ponas spem tuam in Domino Deo: non confunderis,* QVIA ILLE IN QVO SPEM POSVISTI FALLERE NON POTEST. *Vnde & ille sanctus confirmatus in tempore malo in die tribulationis quia non confunditur, quid ait? Gloriamur in tribulationibus, scientes quod tribulatio patientiam operatur, patientia probationem; probatio spem. Spes autem non confundit. Vnde spes non confundit?* QVIA IN DEO POSITA EST. *Ideo sequitur, Charitas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum Sanctum qui datus est nobis. Iam datus est nobis Spiritus Sanctus. Quomodo nos fallit, cuius tale pignus tenemus?*

Spes non confundit, quia Dei promissis inniti- 148.
tur, quæ certa, non fallacia sunt, vt illa plerumque quæ sunt ab hominibus; *Spes non pudefacit, quia Dei est promissio: &* BONA PROMISSI SEQVVNTVR EIVS NATVRAM QVI PROMISIT; *relictis igitur incertis, apprehende ea quæ conspicua sunt: conspicua autem sunt non præsentia, sed futura*; ita scribit Sanctus Chrysost. hom. 6. de Anna.

Spes autem non confundit. Quia sperantem non decipit, nec frustratur illum re sperata; quod de diuina spe intellige, non de humana, hæc quippè maximè confundit & sperantes fallit; vt inconstantes, mutabilésque homines sunt, sic constans, ac firma spes illa esse nequit, quæ in hominibus ponitur. Igitur spe diuina pascatur qui confundi non vult. Sed cur non explicauit Diuus Paulus de qua spe loqueretur,

cur

cur non dixit: *Spes autem diuina non confundit?* An quia tam imbecillis, & dubia spes humana est, vt vix spei nomine debeat iosigniri?

Quia charitas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum sanctum, qui datus est nobis.

CHaritas Dei; Aut qua nos ipse diligit, aut qua nos ipsum diligimus, nam ad vtrumque sensom hæc tractatores verba vocant, & vtrumque ferunt ipsa verba; sed cur Paulus non explicauit de qua charitate loqueretur? An vt rectè doceret, amandum esse, qui nos diligit?

Diffusa est in cordibus nostris. Græcè est *effusa*; Sanctus Cyprianus legit *infusa*. Sed cur *in cordibus nostris* potiùs dixit, quàm *in corda nostra?* vt hoc casu plus significaret? *Plus*, inquit Estius, *hoc casu significatum est, quam si accusatiuo diceretur in corda nostra; significatur enim, vt grammaticè loquar, motus in loco, quo fiat, vt charitas* SESE DIFFVNDAT, ATQVE DILATET IN CORDIBVS HOMINVM.

149. Diffusa in cordibus charitas Dei, rerum quæ infra Deum appetitum, & affectum à cordibus debet excludere. Aptè Ioannes Cassianus collat. 21. cap. 33. *Non ergo*, inquit, *dominatur in eo peccatum, quia charitas Dei, quæ diffusa est in cordibus nostris, per Spiritum sanctum qui datus est nobis* OMNEM ALTERIVS CVIVSQVE REI EXCLVDIT AFFECTVM, *nec potest, aut vetita concupiscere, aut imperata contemnere, cuius totum studium, totumque desiderium diuino amori semper intentum, vsque adeò vilium rerum oblectatione non capitur, vt etiam his quæ concessa sunt non vtatur.*

Quia charitas Dei. Opportunè istuc adiecit, ne quæ superiùs bona numerauerat, aliquis suis lacertis tribueret, cum à Deo & Dei gratia sint. Pulchrè Sanctus Augustinus lib. de Grat. & libero arbitr. cap. 18. *Apostolus ad Romanos ait: Gloriamur in tribulationibus, scientes quoniam tribulatio patientiam operatur, patientia probationem, probatio spem; spes autem non confundit, quia charitas Dei diffusa est in nobis* NON STATIM PER NOS, SED PER SPIRITVM SANCTVM, QVI DATVS EST NOBIS IPSA CHARITATE, FIT, *quam Dei donum esse manifestat vt tribulatio non auferat, sed potius operetur patientiam.*

150. *Diffusa est.* Festiuè S. Augustinus serm. 36. ex 40. nouissimè editis: *Non dixit inclusa, sed,* DIFFVSA: *verbum enim, quod est* INCLVSA, *quasi angustias sonat: quod est diffusa, latitudinem insinuat.*

Diffusa est. Aliqui legunt: *Effusa est*, largitati summæ significandæ. NEC DIXIT, inquit hîc Sanctus Chrysostomus, DATA EST; SED EFFVSA EST IN CORDIBVS NOSTRIS; LARGITATEM OSTENDENS: *quod enim maximum erat donum, hoc dedit; non cœlum, non terram, non mare, sed quod his omnibus antiquius pretiosiusque erat; & Angelos ex hominibus, & Dei filios, & Christi fratres effecit. Quid autem hoc est? Spiritus sanctus. Quod si nollet magnis nos coronis post labores donare, nunquam ante ipsos labores tot tantaque donasset bona. Nunc verò dilectionis suæ feruorem hinc declarat: quod non sensim ac pedetentim nos honestauit; sed cumulatè, ac plena manu bonorum fontem effudit; idque ante ipsa certamina.*

Felix in cuius corde diffunditur charitas, non diffunditur rerum temporalium amore cupiditas. *Charitas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum sanctum qui datus est nobis. Tu autem nec Deum, nec proximum, nisi propter temporalia beneficia diligis. Per* TEMPORALIA ERGO DIFFVNDITVR IN TE, *non per Spiritum sanctum. Non est* CHARITAS *quæ ita diffunditur, sed* CVPIDITAS. Verba sunt Guigonij Carthusiensis in medit. digna prorsus quæ cordi sculpantur.

Charitas Dei diffusa est in cordibus nostris; 151.
idest Deus ipse; nam charitas eò dignitatis euecta est, vt non tantùm res Dei dicta sit, sed Deus ipse charitatis sibi oomen indiderit; Pulchrè hoc expendebat in charitatis commendationem Ioannes Cassianus, qui collat. 16. cap. 13. ad hunc locum spectans ait: *Denique* IN TANTVM VIRTVS CHARITATIS EXTOLLITVR *vt eam Beatus Ioannes Apostolus non solùm rem Dei, sed etiam Deum esse pronunciet, dicens: Deus charitas est, & qui manet in charitate in Deo manet, & Deus in eo. Nam vsque adeo illam diuinam esse perspicimus, vt illud Apostoli manifestissimè vigere sentiamus in nobis: Quoniam charitas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum sanctum qui habitat in nobis: quod tale est, ac si dicat, quoniam* DEVS DIFFVSVS EST IN CORDIBVS NOSTRIS *per Spiritum sanctum qui habitat in nobis.*

Per Spiritum sanctum; ne quis crederet à seipso se habere charitatem, hoc adiecit: *Cùm dixisset*, inquit Sanctus Augustinus serm. 43. de verbis Domini. *Charitas Dei diffusa est in cordibus nostris*: NE PVTARET QVISQVE A SE SIBI ESSE QVOD DILIGIT DEVM, *continuò addidit, per Spiritum sanctum, qui datus est nobis.*

Qui datus est nobis. Sed cui rei datur? Immò cui rei non datur? *Datur nimirum in præsenti* (inquit B. Laurent. Iustinian. in Fascic. amor. cap. 9. tangens hæc verba) *vt iustificet impios, roboret debiles, & innocentes repleat pietate: doceat ignaros, pugnantes adiuuet, custodiat patientes, erudiat dubios, intelligentes illuminet, amantesque charitatis face succendat. Ipse enim duce, peregrinationis huius vastitatem peragramus: intrepidi ipso comitante, inimicorum insidias insultusque vitamus acerrimos: ipso protegente ac dirigente, in æterna felicitatis tranquillum portum ingredimur. Cœlitus igitur datur, nullo condigno suscipientium merito præcedente.* Itaque omnibus omnia fit Spiritus sanctus, omnibus se aptat, vt omnes saluet.

SECTIO II.

152 *Quàm magna iustis seruat Deus, qui tam magna impiis contulit.*

Ab eo, qui iustificauit impium, quæ sperare pij possint.

153 *Beneficia quantum in homines possint.*

154 *Charitatem suam commendare cur potiùs Deus dicatur quàm potentiã.*

Lauda

Laudatoribus suis quid seruet Deus, qui peccatoribus tantum se commendauit.

155 *Quàm magna Dei amatores à Deo sperare possint.*

Vita mortalis vix vita nomen meretur.

156 *Cur per vnum hominem peccatum in mundum intrasse dicatur.*

Peccatum originis alia peccata virtute continet.

157 *Peccatum in mundum intrasse per diabolum cur non sit dictum.*

In virum resilit, si mulier ex viri oscitantia peccet.

Quod est mulieris attribuitur viro.

158 *Peccatum cur ante legem dicatur non amputari.*

Regnasse cur dicatur mors.

159 *Vbi abundat miseria, ibi superabundet misericordia.*

Superabundasse Dei gratia in homines cur dicta sit.

Ut quid enim Christus, cùm adhuc infirmi essemus, secundum tempus pro impiis mortuus est?

152. P*Ro impiis mortuus est*; vt scilicet fierent eius morte pij, & Christi morte pietas viuisceret. Sed quid piis seruat, quid dat iustis? *Pro quibus mortuus est?* inquit S. Augustinus in Psal. 149. *Vtinam pro nobis, vtinam pro iustis. Sed quid? etenim Christus (ait Apostolus) pro impiis mortuus est.* QVI DONAVIT IMPIIS MORTEM SVAM, QVID SERVAT IVSTIS NISI VITAM SVAM? *Erigat ergo se humana fragilitas; non desperet, non se collidat.*

Qui pro impiis mortuus, quid piis faciet? *Securus es* (inquit S. Augustinus in Psal. 96.) *accepturum te vitam ipsius, qui pignus habes mortem ipsius. Pro quibus enim mortuus est? Numquid pro iustis? Paulum interroga. etenim Christus pro impiis mortuus est. Impius eras, & mortuus est pro te: iustificatus es, & deseret te?* QVI IVSTIFICAVIT IMPIVM, RELINQVET PIVM?

Nam pro bono forsitan quis audeat mori.

153. AC si diceret vix reperire sit qui moriatur pro iusto, facilius qui pro bono. Sed quodnam discrimen inter iustum est, & bonum? Iustus est qui reddit vnicuique quod suum est; bonus qui liberalis, qui beneficus in multos est, ac benè de multis meritus. Nimirum TANTVM ACCEPTA BENEFICIA POSSVNT, vt homines pro benefactoribus vitam suam exponant, non aliàs id facturi pro aliis. Quàm igitur magnæ beneficentiæ sunt vires, indicat facilius esse, quempiam pro benefico mori, quàm pro iusto.

Commendat autem charitatem suam Deus in nobis; quoniam, cùm adhuc peccatores essemus secundùm tempus, Christus pro nobis mortuus est.

VT in aliis creaturis potentiam, magnitudinémque suam ostendat Deus, & commendet, in hominibus præcipuè commendat charitatem. 154.
Scitè Sanctus Thomas tract. de Domin. aduentu. *Pro opere suo ex compassione, & pietate innocenter nasci, & mori, solius Dei clementia est. Talis amor decet Deum: talis amor non est nisi Dei: qui orbem creauit vt Deus, hominem amauit vt Deus. Vnde Apostolus*, COMMENDAT, *inquit*, IN NOBIS DEVS CHARITATEM SVAM: QVI SCILICET IN COELIS, ET ANGELIS POTENTIAM MAGNITVDINEMQVE *monstrauerat. Stupet cœlum, & terra super immensum pondus tam eximia charitatis: expauescit orbis super tam nimiam, & inæstimabilem dignationem.*

Quid Dei cultores, laudatores Dei, à Deo sperent; cum tantum obtinuerint peccatores? *Commendat*, inquit S. Augustinus in psal. 146. *Dilectionem suam Deus in nobis. Quomodo commendat? quoniam cum adhuc peccatores essemus Christus pro nobis mortuus est.* QVID ERGO SERVAT LAVDATORIBVS, QVI SIC SE COMMENDAT PECCATORIBVS?

Si enim cùm inimici essemus, reconciliati sumus Deo per mortem Filij eius: multò magis reconciliati, salui erimus in vita ipsius.

EX his verbis colligas quid sperare à Deo Dei 155.
amatores possint in alia vita, cum tantùm in ista inimici obtinuerint. *Cum enim adhuc inimici essemus? reconciliauit nos Deo in sanguine suo. Si hoc fecit homo, quid faciet Deus?* SI HOC FECIT PAVPER, QVID FACIET DIVES? *Si hoc fecit pro inimicis, quid faciet pro amicis? Si hoc fecit in via, quid faciet in patria? Si hoc fecit in exilio, quid faciet in Palatio? Si hoc fecit in terra, vbi sui eum non receperunt, quid in cælo vbi ei omnes obediunt?* Ita rem versabat S. Bernardus serm. de verbis sapientiæ.

In vita ipsius. In qua vita? De gloriosa hæc verba intelligunt interpretes, & inter alios B. Dyonisius: quæ absolutè dicitur vita; cùm vita mortalis mortisque obnoxia, mors potiùs quædam videatur, quàm vita.

Propterea, sicut per vnum hominem peccatum in hunc Mundum intrauit, & per peccatum mors, & ita in omnes homines mors pertransiit, in quo omnes peccauerunt.

CVr per vnum hominem, scilicet Adamum 156.
peccatum, & mortem in mundum intrasse asserit Apostolus, cùm per Euam, quæ prior peccauit ingressum illud, ingressa ista fuerit? Quid? quod Eccles. 25. dicitur: *A muliere initium factum est peccati, & per illam omnes morimur?* An per vnum hominem ita dixit vt fœminam non excluderet? Significatur quippe vnus homo vt est principium generationis, quod esse non potuit absque muliere.

Per

Per vnum hominem peccatum in hunc mundum intrauit, peccatum dixit non numerosè peccata, vt innueret se de originis culpa loqui; quod si quis obiiciat illud Dauidis Psalm. 50. *In peccatis concepit me mater mea*, respondet Sanctus Thomas hîc originale peccatum dici, QVIA CONTINET VIRTVALITER MVLTA PECCATA *in quantum ex corruptione fomitis inclinamur ad multa peccata.*

157. Sed cur per hominem dictum est intrasse peccatum, & non per diabolum; cùm priùs in illo fuerit, præsertim cùm scriptum sit diaboli inuidia mortem in Mundum intrasse? *Aliter* (inquit hîc Vgo Victorinus) *per diabolum aliter per hominem peccatum intrauit: sola enim imitatione, & non propagatione per diabolum: non sola imitatione; sed etiam* PROPAGATIONE INTRAVIT PER HOMINEM.

Cur potiùs per vnum hominem dixit peccatum intrasse in mundum quàm per vnam mulierem? *Quia consuetudo Scripturæ est*, inquit Sanctus Thomas, *vt genealogia non per mulieres sed per viros ducantur, & ideo Apostolus hîc volens quasi genealogiam quandam peccati ostendere non fecit mentionem de muliere, sed solùm de viro;* subdit: *Alio modo, quia etiam mulier de viro sumpta est*, ET IDEO QVOD EST MVLIERIS ATTRIBVITVR VIRO. Quod locum etiam habet in actualibus culpis, IN VIRVM ENIM RESILIT QVOD MVLIER EX VIRI OSCITANTIA PECCAT. Paulò aliter hunc eundem nodum soluit Vgo Victorinus hîc, vbi ait. *Quia vir & mulier, vna caro sunt: ideóque quicquid factum est ab illo vel illa, ad primum* HOMINEM DICITVR PERTINERE. *Vel aliter: si vir non peccasset, forsitan aliam sociam ei prouidisset Deus, de qua innocentes, & sibi conformes genuisset; vel merito ipsius, peccata vxoris dimisisset; sed, quia peccauit, per ipsum non immerito peccatum intrasse in Mundum dicitur.*

Peccatum autem non imputabatur, cùm lex non esset.

158. NOn quod non esset ante legem peccatum, sed quia non imputabatur ad transgressionem; quia vbi non est lex nec præuaricatio. Quod si aliquis reponat, si peccatum non imputabatur, quomodo iam grauiter à Deo punitum legitur, vt mundum vniuersum diluuium operuerit, & Vrbes impuritatis igne correptas incendio Deus absumpserit? An hoc factum nō ob VIOLATAM LEGEM ALIQVAM A DEO POSITAM, SED OB NATVRÆ IVRA TEMERATA?

Sed regnauit mors ab Adam vsque ad Moysen.

REgnauit mors, & multò magis gratia. Sed cur dictum potiùs, *Regnauit*; quàm, *Regnat?* S. Ambrosius hîc: *Mortem dicit regnasse, non regnare; quia, qui intellexerunt per legem iudicium Dei, sublati sunt de eius imperio.*

Vbi autem abundauit delictum, superabundauit gratia.

159. QVod Deus in nos peccatores facit, debemus nos pro viribus in egenos facere, in miseros, pro gratia misericordia, & compassio, substituatur, & rem confecisti; aptè S. Anselmus Lib. 1. Epist. 9. *Sicut nobis credendum est, quia vbi abundauit peccatum, superabundauit gratia ita nobis faciendum est*, VT VBI ABVNDAT MISERIA SVPERABVNDET MISERICORDIA. *Si enim ibi dilatatur gratia vbi maior est offensio, quomodo contrahetur misericordia, vbi maior debetur compassio?*

Superabundauit. Cur potiùs hoc verbo sit vsus Apostolus quàm simplici, sic expendebat S. Chrysostomus hîc: *Non dixit*, ABVNDAVIT, SED, SVPERABVNDAVIT: *non enim supplicio liberauit solùm, sed & peccatorum condonationem ac vitam largitus est, & alia item, quæ sæpenumerò diximus. Haud secùs ac si quis febricitantem non morbo solùm liberet, sed & formosum & fortem & honoratum efficiat; aut esurientem non alat solùm, sed efficiat multarum possessionum dominum, denique & ad maximum promoueat principatum.*

CAPVT VI.

EPIST. AD ROMANOS expenditur & illustratur.

SECTIO I.

160 *Peccatum plenè relinquendum.*
Nihil commercij cum peccato habendum.
Peccatum Dominum ac Imperatorem vt referat.
161 *In Christi gestis Christianorum vita figurata.*
Semel mortuus malo, semper viuere bono debet.
162 *Vix nati Sepulchro destinamur.*
Christi baptismus cur nostra dicatur Sepultura.
163 *Filij gloria in Patrem resilit.*
Assiduè in bonis operibus esse debemus.
164 *Virtus alumnos suos innouat.*
Praua vitæ transitus ad bonam, resurrectionis quandam speciem habet.
165 *In vita nouitate ambulare quis dicatur.*
De die in diem debemus semper proficere.
166 *Proba vitæ fructus vt à nobis exigantur.*
Vetus homo confixus est, vt noui esse inciperemus.
Corpus peccati quid sit.
167 *Aliter Christus mortuus peccato est dictus; aliter nos.*

Qui

Qui enim mortui sumus peccato, quomodo adhuc viuemus in illo?

160. NOn dixit, *Qui peccatum reliquimus*; sed significantius, *Mortui sumus peccato. Mors* (inquit hîc Cornelius) *est* PLENA DERELICTIO ET SEPARATIO AC PRÆCISIO. Plerique adhuc in peccato viuunt, quod reliquisse videbantur; quia non plenè mortui peccato fuerant.

Mortuus peccato est, qui omnino à peccato est liber, nihil cum illo habet commercij; Benè Estius; *Mortuos*, inquit, *peccato vocat eos qui respectu peccati mortui sunt*, id est, *qui à peccati seruitute liberi*: QVIBVSQVE CVM PECCATO NON PLVS EST NEGOTII, AVT COMMERCIJ, QVAM MORTVIS ESSE SOLET CVM VIVENTIBVS, *aut certè (quod eodem recidit) mortui peccato dicimur, dum neque nos in peccato viuimus, ei seruiendo, neque peccatum viuit in nobis, regnando.*

Quomodo adhuc viuemus in illo? Morte omni horribilior vita est, qua quis peccato viuit. Rectè hanc partem expendebat Sanctus Augustinus lib. de spiritu & littera cap. 6. *cum id*, inquit, *præstiterit gratia, vt moreremur peccato. Quid aliud facimus*, SI VIVEMVS IN EO NISI VT GRATIÆ SIMVS INGRATI?

Mortui sumus peccato. Qui peccato est mortuus ab eius est liber seruitute. Peccatum singulari numero dicit, vt ad peccati fomitem, quem contraximus, respiciat: *atque hoc peccatum considerat* (inquit hîc Estius) *vt* DOMINVM AC IMPERATOREM, *in hominem tunc regnantem, quando prauis eius motibus ac desiderijs obtemperat.*

An ignoratis, quia quicunque baptizati sumus in Christo Iesu, in morte ipsius baptizati sumus?

161. IN *morte ipsius baptizati sumus.* vt Christi mors, & passio non solum causa fuerit nostræ iustificationis, sed etiam typus, ac figura; significabat quippè eius mortem & interitum veteris hominis in nobis; vt hinc videas in Christi gestis Christianorum vitam fuisse figuratam, in omnibusque nostram salutem, profectum nostrum spectasse Christum. Pulchrè de hac re Sanctus Augustinus in Enchir. cap. 53. *Quicquid*, inquit, *gestum in Cruce Christi, in sepultura in Resurrectione tertio die, in Ascensione in Cœlum, & in sedere ad dexteram Patris; ita gestum est, vt his rebus non mysticè tantum dictis*, SED ETIAM GESTIS, CONFIGVRARETVR VITA CHRISTIANA, QVÆ HIC GERITVR.

In morte ipsius baptizati sumus: vt ipsius quoque mortem baptismo referamus; vnde & subdit: *Consepulti enim sumus cum illo per baptismum in mortem*, Quæ verba scita expositione donat Sanctus Anselmus hîc. *In morte Christi, idest in similitudinem mortis Christi sumus baptizati; vt, sicut ille semel mortuus est, & semper viuit*; ITA NOS SEMEL MORTVI MALO, SEMPER VIVAMVS BONO. *Quomodo enim mortuus peccare non potest, ita & nos in Christo sumus commortui, & implicati peccatis capitalibus non debemus; quia, qui crucifixus est, nihil aliud facit, nisi horam mortis expectat, & spiritum suum Deo commendat, nihil iam in hoc Mundo appetit: nam, quemadmodum pedes & manus Christi Cruci sunt affixi, vt in nullam partem moueri possent; ita manus & pedes nostri debent imitatione eius ligari, vt non possint ad peccatum moueri.*

Consepulti enim sumus cum illo per baptismum in mortem.

162. VT sit sensus, per baptismi cæremoniam sumus vnà cum Christo sepulti, quatenus immersio quæ fit in baptismo significat, & quodammodo exprimit Christi sepulturam; atque adeo & mortem, cum non soleant nisi mortui sepeliri. Vides quàm properè ad mortem vocemur, ad sepulchrum? nimirum VIX NATI SEPVLCHRO DESTINAMVR: Cogitare sepulchrum deberemus, nosque ad mortem præparare, nam in Christi morte, ac sepulchro ad nostrum quoque, ac nostram, mentem possumus flectere. Perfectam vitam futuram spera; cuius initium sepulturæ iungatur, ac copuletur, & cum mortis cogitatione, vt ita loquar, adolescat.

Christi baptismum nobis esse sepulturam hinc colligit Sanctus Maximus: *Consepulti sumus, sicut ait Apostolus, cum illo per Baptismum in mortem.* BAPTISMVS IGITVR CHRISTI NOBIS EST SEPVLTVRA, IN QVO PECCATIS MORIMVR, *Criminibus sepelimur, & veteris hominis conscientia resoluta in alteram natiuitatem rediuiua infantia reparamur. Baptismus, inquam, Saluatoris nobis est sepultura: quia ibi perdidimus quod ante viximus, & ibi denuò accipimus vt viuamus. Magna igitur sepulturæ huius est gratia, in qua nobis & vtilis mors infertur, & vtilior condonatur. Magna, inquam, sepulturæ huius gratia, quæ & purificat peccatorem, & viuificat morientem.*

Vt quomodo Christus surrexit à mortuis per gloriam Patris, ità & nos in nouitate vitæ ambulemus.

163. PEr *gloriam Patris.* Syrus *in gloriam Patris*, adeo vt ipsa noua & gloriosa vita ad quam à Patre resuscitatus est Christus vocetur gloria Patris, cur igitur Christus ipse orans dixit Ioan. 17. *Pater glorifica filium tuum*; sic enim aliqui vertunt quod nos habemus; *clarifica filium tuum?* Sed hoc nihil refert nam FILII GLORIA IN PATREM RESILIT, & clarificari Christus volebat, vt clarificaretur Pater; inde loco producto subdit; *vt Filius tuus clarificet te.* Hoc ad terrenos etiam filios, patresque flectamus; Filiorum quippè est gloriam in illos referre à quibus habuere vt essent.

Noui nimirum homines per baptismum facti in vitæ nouitate debemus ambulare: *Ambulandi* porrò verbum continuationem quandam importat; adeo vt assidui in bonis esse operibus debeamus, nec satis sit semel illis manum admouisse.

164. *In nouitate vitæ*; virtutis cultum nobis rectè commendat, quæ cultores suos renouat. Ita

Nicetas

Nicetas in orat.43. S. Gregorij Nazianzeni. *In nouitate vita ambuletis,ac verſemini,hoc eſt, cum* VIRTVTE QVÆ ALVMNOS SVOS RENOVAT, *ac iuuenes efficit viuatis. Id autem aſſequimini, ſi continentiam velut frænum omnibus ſenſuum instrumentis inieceritis.*

Ita & nos in nouitate vita ambulemus. Nimirum prauæ vitæ tranſitus ad bonam,reſurrectionis quandam habet ſpeciem, & eius veluti procemium eſt. Sanctus Chryſoſtomus hom. 10. in Epiſt. ad Romanos ita loquitur: *Ipſe reſurrectione, quæ de nobis futura eſt, propoſita, aliam à nobis reſurrectionem poſtulat; nempè nouum vitæ præſentis genus atque inſtitutum à morum immutatione factum. Nam vbi ſcortator fit castus; vbi auarus, miſericors; vbi aſper, manſuetus; & hic quoque exiſtit reſurrectio, quæ tanquam illius alterius procemium eſt.*

165. *In nouitate vita ambulemus.* De iſta vitæ nouitate hæc habet Richardus in Allegor. Tilm. *Ad illatam iniuriam hilareſcere obiectam contumeliam non erubeſcere, de tribulatione gaudere; nonne* HOC EST IN NOVITATE AMBVLARE, *& ſecundum aliquem modum* SEIPSVM IMPASSIBILEM OSTENDERE, *& ſuis paſſionibus non ſubiacere?*

In nouitate vita ambulemus. Ita ne ſemper in nouitate vitæ ambulandum nobis eſt? at poſt multos annos quæ vita erat noua, vetus incipiet eſſe. Numquam erit vetus, noua ſemper erit, quia DE DIE IN DIEM DEBEMVS PROFICERE, vt nouis nouæ vitæ actibus noua vita ſemper innouetur, ſicque quo plures dies annoſque numerat eo pluribus, ſed nouis virtutum fructibus cumuletur, nouis proborum morum germinibus ſemper, ac quotidie magis vernet, ac floreat.

Si enim complantati facti ſumus ſimilitudini mortis eius: ſimul & reſurrectionis erimus.

166. COmplantati. Vel nudum hoc verbum fructûs nos admonet. *Non dixit*, inquit hîc Theophylactus, *quòd communicauerimus ſimilitudini mortis eius; verum, Complantati ſumus plantationis nomine* FRVCTVM, *qui ex ea prouenit ita adumbrans: corpus enim Domini in terra ſepultum ſalutis fructum protulit.*

Hoc ſcientes quia vetus homo noſter ſimul crucifixus eſt, vt destruatur corpus peccati, & vltrà non ſeruiamus peccato.

VEtus homo noſter cõfixus eſt, vt noui eſſe inciperemus. Sanctus Auguſtinus expendens hæc Apoſtoli verba in Pſalm. 37. ait *Perſonam in ſe transfigurauerat primi hominis. Scimus, dicente Apoſtolo, quia vetus homo noſter confixus eſt cruci cum illo quomodo autem careremus vetuſtate niſi crucifigeretur infirmitate. Ad hoc enim venit vt* RENOVEMVR IN ILLO, *quia deſiderando eum, Paſſionem* EIVS IMITANDO RENOVAMVR.

Corpus peccati. Cuncta peccata intelligit Sanctus Ambroſius hîc. *Omnia peccata*, inquit, *ſimul, corpus appellat; quod deſtrui dicit per bonam vitam.* Sicut per malam ædificatur.

Nouarin. in Epiſt. Paul.

Ita & vos exiſtimate, vos mortuos quidem eſſe peccato, viuentes autem in Chriſto Ieſu Domino noſtro.

PRo Verbo *exiſtimate*, Ruffinus habet, *cogitate*, ideſt, animo reputate de vobis ipſis, nempè vos ſemel peccato mortuos eſſe in Baptiſmo, de cætero autem vos oportere in Deo viuere, adeo vt nulla vos peccati corripiat mors. Etiam Chriſtus dicitur peccato mortuus, SED ALITER AC NOS; nam ille peccato mortuus eſt, quia mortuus fuit, vt peccatum tolleret, nos verò quia ampliùs in peccato non viuimus; hinc in Græco de ipſo dicitur, *ἀπέθανεν* ideſt *mortuus fuit* peccato, nos *νεκροὶ* ideſt *mortui* peccato dicimur, ſcilicet morte præſente & in nobis permanente, cum in Chriſto morti vita ſucceſſerit, & ita mortuus fuerit vt ſemper ſit victurus, moriturus nunquã. Igitur qui peccato mortuus ſemel eſt, pergat in hac morte eſſe, quæ eſt ad vitam. 167.

SECTIO II.

168 *Peccati imperium à nobis debemus ſubmouere.*

Mortis cogitatio à peccato nos auocat.

Mors & cetera pænalitates, peccata, cur non vocentur.

169 *Cur dictum ſit: vt peccatum in nobis non regnet.*

Quando peccatum in nobis regnet.

170 *Peccati regnum in quo ſitum.*

Vnius peccati regnum multorum criminum ſatellitium habet.

171 *Conſolationis materia, peccandi breue tempus eſſe.*

Deſiderijs malis minimè obediendum.

172 *Arma iniquitatis vt fiant membra.*

Totos nos Dei obſequiis impendere debemus.

173 *Deo militat, qui iuſtitia militat.*

Peccati dominium in ſui excuſationem nemo afferat.

174 *A peccati iugo ad Euangelicam libertatem vocatum eſſe, quàm grande beneficium.*

175 *Peccati iugum excutiendum, vt ſeruiamus iuſtitia.*

Carnis infirmitas excuſanda, non voluntatis.

176 *Eo conatu, quo quis peccatis ſeruiebat, ſeruiat iuſtitia.*

177 *Magna in Dei operibus perficiendis alacritas.*

Ab vno peccato ad aliud facilis tranſitus.

Quo affectu quis ferebatur ad vitia, feratur ad virtutes.

178 *Dolorem ac confuſionem ſola peccata elicere à nobis debent.*

Ille verè Deo ſeruit, qui iuſtitiæ ſe ſacrat ſeruituti.

179 *Stipendia peccati cur mors sit dicta.*
180 *Dei serui intuitu mercedis principaliter Deo non seruiant, sed ex amore.*
Mors iustè ob peccatum illata.
181 *Omnia bona à Dei gratia vt sint.*

Non ergo regnet peccatum in vestro mortali corpore, vt obediatis concupiscentiis eius.

168. NOn regnet; Peccati in nos imperium à nobis debemus submouere; quia penitus amouere peccatum, idest peccati fomité non possumus. Præclarè hoc verbum vrget Sanctus Thomas hîc. *Non dicit,*inquit,*Non sit peccatum in vestro mortali corpore, quia quamdiu corpus nostrum est mortale, id est, necessitati mortis addictum, non potest esse, quin in corpore nostro sit peccatum, idest, fomes peccati. Sed ex quo à Deo liberati sumus à regno peccati, debemus conari, quod peccatum in corpore nostro* DOMINIVM IAM AMISSVM IN NOBIS NON RECVPERET, *& hoc est quod dicit, non regnet peccatum in vestro mortali corpore, & hoc quidem necessarium est cauere, dum corpus mortale gerimus.*

Peccati nomine peccati fomitem intelligit, quod & à peccato, & ad peccatum inclinet: Sed cur & mors ab hoc capite peccatum non dicitur, quia ortum à peccato habet? An quia adeo non inclinat ad peccatum vt potiùs à peccato auertat si seriò cogitetur? *Mors*, inquit hîc Estius, *& cetera pœnalitates licet etiam sint ex peccato primæ transgressionis, quia tamen ad peccatum* NON INCLINANT, *non solent peccata vocari in Scripturis*; vt videas quàm vtilis mortis cogitatio sit, & quàm salutaris pœnalitatum perpessio si patientiæ sinu excipiantur.

169. *Non ergo regnet peccatum.* Cur dixerit, *Non regnet*, potiùs quàm, *Non sit*, hanc reddit rationem Sanctus Augustinus huius verbi vim expendens in Psalm. 75. hæc autem sunt eius verba huc spectantis. *Si non possunt modò nisi esse desideria carnalia, non est illis consentiendum. Propterea non dixit Apostolus, Non sit peccatum in vestro mortali corpore: nouit enim quia quamdiu mortale est, est ibi peccatum. Sed quid ait?* NON ERGO REGNET *peccatum in vestro mortali corpore. Quid est, non regnet? ipse exposuit: ad obediendum, inquit desideriis. Existunt desideria, non tu obaudis desideriis tuis, non sequeris ipsa desideria, non illis consentis. Est tibi peccatum, sed amisit regnum, quando iam in te non regnat peccatum, postea inimica nouissima destruetur mors.* Et in Psalm. 50. Hæc quoque in hanc rem habet. *Non regnet peccatum in vestro mortali corpore. Non dicit*, NON SIT, SED, NON REGNET, *Inest peccatum, cùm delectaris,* REGNAT SI CONSENSERIT CARNALIS *delectatio præsertim vsque ad illicita & aliena progrediens, frænanda est non relaxanda, imperio domanda, non in imperio collocanda.* Primasius rem sic expendit: *Non dixit: non sit*: QVIA IAM IBI EST: *Sed*, NON REGNET, *id est: non fiat quod iubet. Surgit ira: noli dare ira linguam ad maledicendum, non manum ad feriendum: non membra libidini; quæ non surgeret, nisi peccatum esset in membris nostris. Inest quidem peccatum in membris: Sed non regnat, si non obeditur desideriis illius.* Et S. Gregorius lib. 14. Moral. c. 8. *Non ait,* NON SIT; *sed* NON REGNET: *quia non esse non potest; non autem regnare in cordibus bonorum potest.*

Non regnet. Porrò in quonam peccati regnum situm sit, explicat in hunc modum Sanctus Augustinus tract. 41. in Ioannem. *Non ait,* NON SIT, *sed* NON REGNET. *Quamdiu viuis peccatum necesse est esse in membris tuis*: SALTEM ILLI REGNVM AVFERATVR, *non fiat quod iubet. Surgit ira, noli dare ira linguam ad maledicendum: noli dare ei manum aut pedem ad feriendum. Non surgeret ira ista irrationabilis, nisi peccatum esset in membris. Sed tolle illi regnum, non habeat arma vndè contra te pugnet, discet etiam non surgere, cùm arma cœperit non inuenire. Non* 170. *exhibeatis membra vestra arma iniquitatis peccato, alioquin toti captiui eritis, & non erit ei dicere, mente seruio legi Dei. Mens enim si tenent arma, membra non mouentur in ministerium furentis peccati. Teneat arcem imperator interior, quia sub maiore Imperatore iuuandus assistit.*

Non ergo regnet peccatum. Nimirum, vbi peccatum, ibi regnum. Ibi regia est, vbi multorum criminum satellitium. Pulchrè Origenes homil. 2. in Ierem. *Non potest aliquid regnum dici, nisi quod sub se continet nationes. Verbi gratia dictum sit: regnum fornicatio in homine potentiore. Necesse est, vt regnum fornicationis* HABEAT GENTES SVAS, *& illud ipsum generet delictum auaritiæ & fraudis, quo vix aliquis immunis est.*

In vestro mortali corpore. Dum mortale dicit corpus, CONSOLATVR NOS (inquit ex B. Chrysostomo Toletus) PECCANDI TEMPVS BREVE ESSE *significans.* Quando enim induerit immortalitatem, peccandi tempus non amplius erit, nec vllam aduersus nos pugnam excitabit.

Vt obediatis concupiscentiis eius. S. Augustinus legit: *Ad obediendum desideriis eius.* Quam lectionem vtiliter versat serm. 15. de Verb. Apost. *Audi Apostolum: Non regnet peccatum in vestro mortali corpore. Quid est, Non regnet? Ad obediendum desideriis eius. Non dixit: Noli habere* 171. *desideria mala. Quomodo enim in hac carne mortali, vbi caro concupiscit aduersus spiritum, & spiritus aduersus carnem, non habeo desideria mala? Illud ergo fac: Non regnet peccatum in vestro mortali corpore ad obediendum desideriis eius, &* SI SVNT DESIDERIA, NON EIS OBEDIATVR, *ne iniquitas dominetur.*

Sed neque exhibeatis membra vestra arma iniquitatis peccato.

QVi membra arma iniquitatis euadant, docet hîc Primasius dum ait: *Vnumquodque membrum*, SI OFFICIVM SVVM IN MALOS VSVS CONVERTERIT, ARMA INIQVITATIS EFFICITVR AD *iustitiam expugnandam: si manus ad furtum, lingua ad mendacium vel blasphemiam: si oculus concupiscentiæ seruiat ad pudicitiam expugnandam.*

Sed

Sed exhibete vos Deo tanquam ex mortuis viuentes, & membra veſtra, arma iuſtitiæ Deo.

173. SEd exhibete vos Deo. Non rudè dixit, *Membra veſtra*, vt exigere videbatur antitheſis; ſed, *Vos*; ne in membrorum extimo obſequio quis ſiſteret, cùm QVICQVID SVMVS EXHIBERE DEO DEBEAMVS, ET IN EIVS CVLTVM GLORIAMQVE NOS IMPENDERE. Vos, Græcè *Voſmetipſos*. Totos ſcilicet & vos in Dei obſequium Deo ſiſtite, non partem veſtri duntaxat. Sui malus eſt cuſtos, qui aliquid ſui reſeruat ſibi; nec totum ei ſe exhibet, qui totum ſe exhibuit.

Arma iuſtitiæ Deo. Iuſtitiam Deo iungit; quia non aliud iuſtitiæ regnum, & Dei; *nec aliud* (inquit Eſtius) IVSTITIÆ MILITARE, ALIVD DEO.

Peccatum enim vobis non dominabitur.

HOc adiecit ne quis peccati in ſe dominium in ſui excuſationem aſſereret; *hoc Apoſtolus excludit*, ait S.Thomas, *docens: Peccatum enim vobis non dominabitur, ſcilicet ſi* COEPERITIS PECCATO RESISTERE, *& vos Deo exhibere*; in nobis eſt ne in nos peccatum dominetur; dominabitur ſi nos eius imperio ſubdiderimus.

Gratias autem Deo quòd fuiſtis ſerui peccati; obediſtis autem ex corde in eam formam doctrinæ, in quam traditi eſtis.

174. NOn eſt ſenſus, quod pro peccati ſeruitute agendæ gratiæ Deo ſint, ſed quod à peccati iugo ad Euangelicæ vitæ libertatem Dei ope tranſierint, nimirum eò grandius donum eſt, quò infelicior ſtatus fuerat, à quo quis Dei auxilio ad meliorem eſt euectus. Rectè hunc locum explicabat Eſtius hîc. *Porrò*, inquit, *non agit gratias Deo pro ſeruitute peccati, quam aliquando paſſi ſint, tanquam illud eſſet Dei beneficium: ſed phraſis eſt Hebraica ſenſum hunc habens: Gratia Deo habenda, quod cùm fueritis ſerui peccati: nunc è conuerſo obedieritis ex corde, id eſt toto animo voſmetipſos* COMPOSVERITIS AD FORMAM EVANGELICÆ DOCTRINÆ, *cui contraditi eſtis. Similes ſunt locutiones Iſa. 12. Confitebor tibi Domine, quoniam iratus es mihi, conuerſus eſt furor tuus & conſolatus es me. & Luc. 15. Manducemus & epulemur: quia hic filius meus mortuus erat, & reuixit; perierat & inuentus eſt. Iam ſi gratia Deo ſunt agenda pro eo quod ex corde obediunt homines Euangelio: Igitur obedientia voluntatis humanæ & opus & donum Dei eſt, vt ne quis glorietur. Epheſ. 2.*

Liberati autem à peccato, ſerui facti eſtis iuſtitiæ.

175. NImirum à ſeruitute ad ſeruitutem tranſeundum; peccati iugum excutiendum eſt, vt iuſtitiæ ſeruiamus, & honorabilis ſeruitus iſta eſt illa probroſa, *ſerui facti eſtis iuſtitiæ*, Græcè ἐδουλώθητε τῇ δικαιοσύνῃ MANCIPATI ESTIS IVSTITIÆ, vt totos ſe iuſtitiæ traderent, Dei ſeruituti ſe addicerent.

Nouarin. in Epiſt. Paul.

Humanum dico propter infirmitatem carnis veſtræ.

PRopter infirmitatem carnis veſtræ. Appoſitè hîc S.Chryſoſtomus: *Non dixit Infirmitatem veſtræ vel* VOLVNTATIS *vel propenſionis atque alacritatis; ſed carnis. Orationem minus inuidioſam reddens.*

Sicut enim exhibuiſtis membra veſtra ſeruire immunditiæ & iniquitati ad iniquitatem; ita nunc exhibete membra veſtra ſeruire iuſtitiæ in ſanctificationem.

SVorum ſe imbecillitati aptat: hoc tantùm exigit, vt eo conatu, quo peccatis inſeruiebant, 176.
eodem ſeruiant iuſtitiæ, quaſi dicat, ait Origenes: *Currebant priùs pedes veſtri ad effundendum: nunc autem ad liberandum ſanguinem currant. Protendebantur manus priùs, vt aliena diriperent: nunc protendantur, vt propria largiantur. Circumſpiciebant priùs oculi alienam ad concupiſcendum: nunc circumſpiciant pauperes ad miſerendum, & vniuſcuiuſque membri miniſterium, quod exhibuit vitiis, aptet virtutibus.*

Sicut enim exhibuiſtis membra veſtra ſeruire immunditiæ. Exhibendi verbum, ſpontaneum actum notat, ab omni timoris vi alienum. Idem requiratur in virtutis exercitio. *Quid eſt autem*, ait S.Anſelmus. *Sicut illud, ita & hoc agite. Niſi, quemadmodum ad peccandum nullus* VOS COGEBAT TIMOR; SIC AD IVSTE VIVENDVM?

Magnam in Dei operibus perficiendis alacritatem requiri hoc ex his verbis colligebat 177.
Sanctus Chryſoſtomus in Pſalm. 111. *hoc requirit Paulus, ita dicens obſcurè & ænigmaticè: quemadmodum exhibuiſtis membra veſtra ſerua immunditiæ & iniuſtitiæ ad iniuſtitiam: ita exhibete membra veſtra ſerua iuſtitiæ ad ſanctificationem: hoc eſt, Cum quanto ſtudio, cum* QVANTA ANIMI ALACRITATE, *vitium ſectabamini, etſi nullum eſſet præmium propoſitum, ſed contrà pœna & ſupplicium: Cum tanta virtute virtutem ſectemini.*

Et iniquitati ad iniquitatem: vt ab vno peccato fiat ad aliud tranſitus: hoc quippe in peccatoribus videtur, vt vnus lapſus, gradus ad alium ſit; ab vno crimine ad aliud eant, & (quod maius) ad maius. Siſtere nimirum iniquitas nequit: niſi penitùs tollatur, ſerpit ſemper.

Sicut enim exhibuiſtis membra veſtra ſeruire immunditiæ. Nimirum quanta cupiditate, quanto affectu quis in vitia ferebatur, tanto feratur ad virtutes. *Dicendo ſicut*, inquit hîc Caietanus, MONET MODVM PROPORTIONALEM *tàm penes cogitationes, quàm affectus: Studia, vigilantias, quibus vſi ſunt ad exhibendum membra propria ſeruire immunditiæ.* O eiſdem ſtimulis ad virtutem ſanctitatemque agerentur homines, quibus ad vitia vrgentur.

Quem ergo fructum habuiſtis tunc in illis, in quibus nunc erubeſcitis?

IN quibus nunc erubeſcitis. Ruborem, ac con- 178.
fuſionem ſola peccata elicere à nobis debent non alia quæcunque illa ſint: S. Auguſtinus in

Psalm. 30. ad hunc locum spectans, ait: *Est quadam confusio temporalis, vtilis, perturbatio animi respicientis peccata sua, respectione perhorrescentis, ore erubescentis, erubescentia corrigentis. Vnde dicit & Apostolus, quam enim gloriam habuistis tunc in his quibus nunc erubescitis? ergo erubescere illos dicit infideles, iam fideles:* NON DE PRÆSENTIBVS DAMNIS SED DE PRÆTERITIS PECCATIS. *Hanc confusionem non formidet Christianus: imò si hanc non habuerit: æternam habebit.*

Nunc verò liberati à peccato, serui autem facti Deo, habuistis fructum vestrum in sanctificationem, finem verò vitam æternam.

SErui autem facti Deo. Quos priùs dixit seruos factos iustitiæ, nunc seruos Dei factos asserit, vt innueret ILLOS VERE DEO SERVIRE, QVI IVSTITIÆ SERVITVTI SE SACRANT, nec posse aliquem Dei seruum esse qui iustitiæ non sit; vix poterat iustitiæ seruitutem plenius commendare, quàm asserens Dei seruos fieri, qui iustitiæ sunt.

Stipendia enim peccati, mors: gratia autem Dei, vita æterna in Christo Iesu Domino nostro.

STipendia peccati mors. Mirum, cur *stipendij* nomine vtatur potiùs, quàm *mercedis*. *Dicantur stipendia* (inquit hîc S. Thomas) *mercedes militum à stipe pendenda, idest ponderanda; quia pecunia distribuenda militibus ponderabatur. Quia ergo peccatores peccato militant, membra sua exhibentes arma peccato (vt supra dictum est) mors dicitur esse stipendium peccati, idest retributio, quam retribuit sibi seruientibus.*

179. *Stipendia enim peccati mors.* Cur *stipendij* vtatur voce, sic expendit Photius apud Theodulum hîc: *Stipendium appellat, quam ceù mercedem nobis per peccatum comparemus; quamque admissum flagitium seu perpetratam nobis reddit atque donat.* S. Fulgentius lib. 1. ad Monimum cap. 10. hunc eundem locum ita versat, & expendit. *Cur mors stipendium, vita verò æterna gratia dicitur? nisi quia illa redditur, hæc donatur; sed vbi illam Deus reddit, opus malum peccatoris hominis punit, quod nullatenus fecisset homo, nisi discessisset à Deo: Cum vero Deus vitam æternam donat, opus suum quod inchoauit iustificans impium, perficit, glorificans iustum.*

180. *Stipendia enim peccati mors.* Cur stipendij nomine vtitur, cùm de peccatis ageretur; non verò, cùm de retributione? subdit enim: *Gratia autem Dei vita æterna.* Nodum vidit, nodum soluit Toletus hîc: *Potuisset Paulus vti etiam vocabulo stipendij in retributione Dei: noluit tamen vti hac voce, sed gratiæ vocabulo, tum vt ostenderet* SERVOS DESERVIRE DEO NON INTVITV MERCEDIS PRINCIPALITER, SED EX AMORE ET SPONTE PROPTER IPSVM DEVM; *tum etiam vt significaret vitam æternam & mercedem; quæ iustis datur, gratiam includere.*

Stipendium prætereà peccati mors dicitur, vt iustè illatam significaret, & peccato debitam. Sedulius hîc: *Stipendium pro opere militiæ redditur peccatum: nam ideo dixit stipendium peccati mors,* VT MORTEM PECCATO NON IMMERITO ILLATAM, *sed debitam demonstraret.*

Gratia autem Dei. Aliter de Dei bonis loquitur, ac fuerit de nostris malis loquutus. *Stipendij* nomen in istis vsurpauit non in illis. Quod expendens S. Chrysost. hîc ait: *Peccati stipendia cum nominasset, de bonis verba faciens non eandem seruauit ordinem; neque enim dixit: Merces rectè factorum vestrorum. Sed: Gratia autem Dei. Ostendens illos sua morte liberatos non esse; neque, quod debitum esset, accepisse; nec id, quod datum illis est, esse aut retributionem aut remunerationem laborum; sed omnia gratia obuenisse.* 181.

Gratia autem Dei vita æterna. Cum dixisset: *Stipendia peccati, mors.* Cur non dixit? *Stipendia iustitia vita æterna.* Nodum soluit Sasbout hîc. *Vt indicaret,* inquit, *fontem bonæ vitæ, & vnde proficiscantur operum merita, quibus tanquam debita merces redditur vita æterna, dixit: Gratia Dei, vita æterna,* & verborum consequentiâ neglectâ, rerum consequentiæ stetit.

CAPVT VII.

EPIST. AD ROMANOS expenditur & illustratur.

SECTIO I.

182 *Bonorum operum fructus gignendi.*
183 *Eorum offensa, quantum fieri potest, vitanda, quos corripimus.*
Apostolicæ modestiæ exemplum.
Veteris legis infœcunditas.
184 *Passiones non domitæ quanta secum mala deuehant.*
Quod inuidiosum declinare debemus.
185 *Peccati cognitio à lege, non commissio.*
Lex concupiscentiam demonstrauit, non inserit.
Peccati occasionem à lege arripuimus.
186 *Hominum desidia quàm periculosa.*
Peccatum reuixisse cur dictum sit, non vixisse.
Vbique Deus quærit, vt nos ad se alliciat.
187 *Cùm carnem quisque secum circumferat, timere semper lapsum debet.*
Sacra Scriptura vbique vtilis.
188 *Voluptatis temporalis dulcedine homo venditus.*
Vt faceret Apostolus, id quod oderat.

Nam, quæ sub viro est mulier, viuente viro, alligata est legi.

CVR exemplum potiùs mulieris produxit, quàm viri? *Conuenienter,* inquit hîc Toletus, *Paulus* 182.

Paulus exemplum à muliere ſumit:nam in lege vna mulier nunquam duobus viris nupſit ſimul viuentibus:vir autem vnus duas potuit ducere vxores; viuentéque vna, potuit alteram ſimul accipere(quod Iacob & alij fecerunt)mulier autem vna nunquam potuit duos viros habere: idcirco Paulus accommodatè ſententiam ſuperiorem expoſuit,legem dominari homini,quandiù viuit homo:intelligẽda enim eſt ſecundum legem illam antiquam,legem viri dominari fœmina,quandiu viuit vir;non autem è contrario. In Euangelio autem par ratio eſt:vti enim fœmina plures ſimul viros,ita & vni viro plures ſimul habere vxores non licet.

Comparat legem viro,homines verò legi ſubiectos mulieri virũ habenti;vt à nexu colligeremus BONA OPERA TANQVAM LIBEROS GIGNENDA; *nec enim ſterile aut infœcundum hoc eſſe coniugium* debet,ſi tamen diuinæ gratiæ ſemen accedat, quod ad ſpiritalem gignendam prolem eſt neceſſarium.Lex virum refert, & vir pariter legem;vir quippe vt illa ait,*eſt quaſi lex mulieris*, ad cuius formam ſe illa debet efformare, & cuius debet iuſſa ſequi, & implere.

Itaque,fratres mei,& vos mortificati eſtis legi per corpus Chriſti;vt ſitis alterius, qui ex mortuis reſurrexit, vt fructificemus Deo.

183. M*Ortificati eſtis legi.* Cur non potiùs dixit? *Lex vobis mortificata eſt.* Vt minùs Iudæos offenderet, qui hac loquutione maximè percellerentur. S. Anſelmus hic: *Debuiſſet dicere: Mortificata eſt vobis lex. Sed hoc inter Iudæos dicere adhuc intractabile videbatur;& ideo magis intelligendum reliquit. Et idem valet, quod dixit: Lex enim mortua eſt,quando carnalis eius actio penitus ceſſat; & ille legi mortuus eſt, qui ab huiuſcemodi actione ceſſauit, Cautè ergo loqnutus eſt Apoſtolus,* NE IVDÆOS OFFENDERET; *eligens potius dicere:Mortificati eſtis legi quàm Mortificata eſt lex vobis,quanquàm vtrumque idem ſignificet.* Nimirum, eorum offenſa quantum fieri poteſt vitanda, quos corripimus.

Vt fructificemus Deo. Perſonam mutat, & ſe quoque ſuis verbis comprehendit,vt hic apoſtolicæ modeſtiæ exemplum exhibeat. Sed cur non dixit: *vt fructificemus legi*, & non Deo, præſertim cum legem viro comparauerit: *Quod verò*, inquit Chryſoſt. *ad fructus bonos,ac vitales attinet legi fructificare non poterant,* PROPTER IPSIVS LEGIS INFOECVNDITATEM, *quoniam ab ea non ſuſcipiebant ſemen gratia, ex quo ſolo genus hoc fructuum concipi, gignique poteſt.*

Vt fructificemus Deo. Non tempus determinat, nec fructuum genus; quia nimirum verus Chriſti cultor, & Euangelicæ doctrinæ ſectator, SEMPER ALIQVID BONI DEBET PRODVCERE,& omnium virtutum fructus edere;ad certa non ſe debet tempora alligare, nec ad vnum bonorum operum genus coërcere.

Cùm enim eſſemus in carne, paßiones peccatorum, quæ per legem erant, operabantur in membris noſtris, vt fructificarent morti.

184. H*Inc colligas quanta ſecum mala deuehant non domitæ paſſiones; id quod perpensè* *Nouarin.in Epiſt. Paul.* notabat Sanctus Petrus Chryſologus ſerm. 115. in hæc verba. *Cum enim eſſemus, in carne, paſſiones peccatorum; quæ per legem erant. Dicam ſicut dictum eſt à Domino: Si lumen quod in te eſt, tenebræ ſunt; ipſa tenebra quanta? ſi per legem paſſiones peccatorum membris dominã tur humanis,* QVID IPSÆ PER SE FACIVNT PASSIONES, *quæ naſcenti mox homini, infeliciter & pœnaliter obſecundant? cum taliter naſcentem, generatum taliter angores deprimunt, vrgent pericula, afficiunt pœnæ: paſſiones ſunt, fratres, per quas infirmatur infantia, pueritia trahitur, adoleſcentia inſanit, iuuentus & ſenectus multis luctibus cumulantur, ipſa ſunt quæ totam hominis vitam inimico conturbante comitantur ad lapſum: quas lex dum prohiberet, admonuit: dum diſcuteret, ampliauit: dum accuſaret, reddidit clariores. & quæ per ignorantiam latebant, fecit eſſe per ſcientiam notiores, & ſicut per falcem ſpinæ magis dum ſucciduntur, accreſcunt: ita dum reſecantur per legem, pullulant paſſiones: quia intrinſecus velut in radice carnis fixa ſolidantur.*

Nunc autem ſoluti ſumus à lege mortis, in qua detinebamur.

S*Oluti ſumus à lege.* Cur non potiùs dixit ſolutam & abolitam ipſam legem? Theodulus: *Quod* INVIDIOSVM ERAT DECLINANS, *non dixit: lex eſt abolita vel ſoluta, verùm. Nos à lege liberati ſumus: hoc eſt abſoluti & adempti. Quamobrem? Nam mortui ſumus per peccatum, quod nos detinebat; excitatique ſumus non per legem, ſed per Chriſtum.*

Sed peccatum non cognoui niſi per legem; nam concupiſcentiam neſciebam, niſi lex diceret: Non concupiſces. 185.

P*Eccatum non cognoui niſi per legem.* Pulchrè ad hæc verba Theodulus. *Non dixit; Peccatum non feci niſi per legem; verùm. Non noui. Lex itaque in cauſa eſt,* NON VTI PECCATVM COMMITTAS; SED VT ILLVD IPSVM POTIVS AGNOSCAS: *erudire namque ſolet(ea enim eius eſt natura)nec permittit per ignorantiam ac brutorum naturam excidere,& ratione vacantibus pecoribus adæquari.*

Concupiſcentiam neſciebam. Non dixit, *Non habebam*;ſed *Neſciebam*.vt innueret legem concupiſcentiam demonſtraſſe non inſeuiſſe. quod notabat etiam S. Auguſtinus lib. 1. ad Simplicianum quæſt. 1. *Non ait: Concupiſcentiam non habebam, niſi lex diceret: Non concupiſces: ſed ait; Concupiſcentiam neſciebam, niſi lex diceret: Non concupiſces. Vnde apparet* CONCVPISCENTIAM PER LEGEM NON INSITAM, SED DEMONSTRATAM.

Occaſione autem acceptâ, peccatum per mandatum operatum eſt in me omnem concupiſcentiam.

O*Ccaſione autem accepta.* ſignatè *accepta* dixit, *non data*, peccandi occaſionem lex non exhibuit,ſed nos arripuimus à lege;expensè S. Thomas, *Non dicit, quod lex dederit occaſionem peccandi, Sed quia ipſum peccatum occaſionẽ*

acceperit ex lege: ille enim qui dat occasionem scandalizat, & per consequens peccato: quod quidem fit, quando aliquis facit aliquod opus minus rectum, unde proximus offenditur, aut scandalizatur. Sic igitur lex rectum aliquid facit, quia peccatum prohibuit, unde occasionem non dedit peccandi: SED HOMO OCCASIONEM EX LEGE ACCIPIT, *& propter hoc sequitur, quod lex non sit peccatum, sed magis, quod peccatum sit ex parte hominis.*

Sed, cùm venisset mandatum, peccatum reuixit.

186. PEccatum reuixit. Reuixisse dicit, vt innueret antea vixisse. Sed quî dictum est reuixisse, quod nunquam mortuum fuerat? OPINIONE HOMINVM, inquit S. Ambrosius hîc, *mortuum est, cùm viueret; sicut assolet falsa fama fieri peregrinis.*

Peccatum reuixit. Anteà vixerat, quod reuixit. Hinc Primasius hîc: REVIXIT, *ait,* *Non* VIXIT: *vixerat enim aliquando in paradiso, quando contra datum praeceptum satis apparebat admissum.*

Vt fiat supra modum peccans peccatum per mandatum.

PEccans peccatum. Aliqui ex Graeco vertunt: *Peccator peccatum*, ita Ruffinus, & alij. Sanctus Hieronymus legit, *peccans* additque ad explicatum scribens ad Algasiam: *Atque ita factum est, vt peccatum, quod priusquam haberem intelligentiam absque peccato erat per praeuaricationem mandati incipiat mihi esse peccantius peccatum.* Loquitur igitur Apostolus de peccato vt de quapiam persona; aitque occasione peccati factum esse magnum peccatorem, dum in nobis concupiscentiam operator, & in apertam praeuaricationem inducit. Ex quo infert Sanctus Augustinus serm 6. de verbis Apostoli: *Data est ergo illa vt inueniretur infirmitas,* ET VEL SIC MEDICVS QVAERERETVR; vt videas vbique Deum curare vt ad se nos alliciat; obiicit nobis nostram infirmitatem, quò eius imploremus auxilium, firmioresque reddamur, quò nos cognoscimus infirmiores.

Scimus enim quia lex spiritualis est: ego autem carnalis sum venundatus sub peccato.

187. SCilicet cum carnem quis secum circumferat timere semper lapsum debet, vt nullibi se putet securum. Sanctus Augustinus serm. 6. de verbis Apostoli expendens cur se Apostolus carnalem dixerit haec habet. *Scimus autem quia lex spiritualis est: ego autem carnalis sum: Ergo carnalis Apostolus, qui aliis dicebat, vos qui spiritales estis instruite huiusmodi in spiritu lenitatis: alios tanquam spiritales alloquitur, & ipse carnalis est? sed quid dixit, & ipsis spiritualibus,* QVIA NONDVM ERANT SECVRI, *nondum erant in perfectione caelesti & Angelica, nondum erant in illius patriae securitate, sed in huius peregrinationis solicitudine versabantur? quid eis dixit? certè spiritales eos vocauit; vos, inquit, qui spiritales estis instruite huiusmodi in spiritu lenitatis, intendens teipsum, ne & tu tenteris; ecce quem spiritalem iam appellauit, timuit illi tentationis fragilitatem, undè possit tentari spiritalis, & si non ex mente, vtique ex carne.*

Lex spiritualis est etiam ab ea parte, qua nudas historias recenset, quia omnis rei narrationem ad mores informandos Deus dirigit: opportunè S. Gregor. Nyssenus prooem. in canticum canticorum. *Magnus Apostolus legem dicens esse spiritualem, legis nomine comprehendit etiam historicas narrationes adeò, vt vniuersa à Deo inspirata Scriptura sit lex iis qui ipsam legunt, non solum per praecepta, sed etiam per historicas narrationes erudiens, & ad cognitionem mysteriorum, &* AD SINCERAM VITAE INSTITVTIONEM, *eos qui ad scientiam accommodatè audiunt.*

Venundatus. Sed quonam pretio venditus? 188.
Venundatus (inquit Sasbout) *idest* VENDITVS *ab Adam* DVLCEDINE VOLVPTATIS TEMPORALIS TANQVAM PRETIO; non maiori pretio plerique hominum animam suam vendunt, dum modica voluptate capti, volentes animas suas satanico hosti hostes sui prodigunt.

Non enim, quod uolo bonum, hoc ago: sed, quod odi, malum illud facio.

HVnc sensum haec habent verba: Non enim perficio id quod mente volo, scilicet bonum, sed carne operor id quod mente odi, nimirum malum; vellem quippe non concupiscere ne quidem carne, hoc est non sentire motus concupiscentiae, id quod assequi non valeo; *facere ergo se dixit.* ID QVOD ODERAT, inquit Primasius, *non affectu consentiendi, & implendi, sed ipso motu concupiscendi.*

Non quod volo; Sanctus Augustinus serm. 5. de verbis Apostoli totum hunc locum exponit in hunc modum; *Non sic intelligamus quod dixit, non quòd volo, ago: sed quod odi, illud facio: tanquam vellet esse castus, & esset adulter: aut vellet esse misericors, & esset crudelis: aut vellet esse pius, & esset impius; non ad hoc accipiamus: non enim quod volo, hoc ago: sed quod odi illud facio. Sed ad quid?* VOLO NON CONCVPISCERE ET CONCVPISCO.

SECTIO II.

189 *Homo concupiscentiae motus licèt sentiat, consentire iis non debet.*

Timere semper debet, qui peccati fomitem in se habet.

190 *In membris nostris cur non habitare bonum S. Paulus dixerit, cùm templum ea vocauerit Spiritus Sancti.*

Perficere bonum cur in nobis non esse dixerit S. Paulus.

191. *Sine certamine nullus se futurum putet, cum non fuerit S. Paulus in Caelum raptus.*

Nemo

Nemo indignetur quòd à carnis pugna non ſit immunis.

192 *Peccatorum infelicitas quàm magna.*

Peccati lex magis timenda quàm mortis,

193 *Lucta mentis & carnis quàm diuturna.*

Felix infelicitas quæ ſine peccato.

Corporis moleſtia cuius peregrinationis cauſa.

194 *Liberari à corpore mortis huius cur cupierit S.Paulus.*

Nunc autem iam non ego operor illud ; ſed, quod habitat in me, peccatum.

189. NOn ego operor illud; ſcilicet malum ; hoc enim eſt à peccati fomite, qui prauos motus in nobis excitat etiam nobis repugnantibus. *Rectè verò*, inquit hîc Eſtius, *nunc dicit ſe non operari motus illos concupiſcentiæ*, QVIA NON OPERATVR VT HOMO, *ideſt ex imperio, vel conſenſu rationis ; vnde ipſe homo quatenus homo patitur eos non operatur.* Sentiamus illos ita tamen vt illis non conſentiamus ; ad gloriam , ad triumphum erit ſi reprimamus hos motus, quantum in nobis eſt, nec ſinamus noſtrum conſenſum à nobis extorquere.

Sed quod habitat in me peccatum; ſcilicet fixum in nobis domicilium peccati fomes poſuit, non hoſpes, aut peregrinus eſt, eſt perpetuus inquilinus, quouſque hîc erimus, erit ille nobiſcum: reprimere illum poſſumus, ac coërcere ; penitus extra noſtræ mentis parietes, vt ita loquar, eiicere non valemus. Quæ res VALDE SOLICITOS REDDERE NOS DEBET; fatuus eſt, qui hoſtem domi latentem ſemper habet, & ſe putat ſecurum.

Scio enim quia non habitat in me, hoc eſt in carne mea bonum: nam velle adiacet mihi: perficere autem bonum non inuenio.

190. AC ſi apertiùs diceret, expertus ſum, in me quatenus caro ſum, & iuxta carnis leges viuo, non habitare bonum, ſed malum. Hîc aliquis Paulum obiiciat Paulo, nam ad Corinthios ſcribens, corpora noſtra Spiritus Sancti templum vocauit; quî ergo non ſit bonum in membris in carne noſtra, cum bonorum omnium fons, & origo ſit ? Coëunt hæc duo inter ſe locа: nec vnum alteri aduerſatur ; nam in carne noſtra, ideſt in nobis ipſis SECVNDVM CORRVPTIONEM CARNALEM, NON HABITAT BONVM, imo nec hoſpitatur, inuenitur autem & habitat bonum in corpore, & membris noſtris, quatenus corporis membra mouentur ad bona agenda à mente renouata per inhabitantem Spiritum Sanctum.

Perficere autem bonum non inuenio. Cur *perficiendi* vſus ſit verbo Apoſtolus non *faciendi*, aut *agendi* ſic explicabat Sanctus Auguſtinus tract.41.in Ioan. *Velle adiacet mihi*, PERFICERE *autem bonum non inuenio, nunquid dixit, non mihi adiacet* FACERE *bonum? ſi ſic dixiſſet, ſpes nulla eſſet: non ait*, NON MIHI ADIACET FACERE: SED, NON MIHI ADIACET PERFICERE, *quæ eſt enim perfectio boni, niſi conſummatio & finis mali? quæ eſt autem conſummatio mali, niſi quod lex dicit; Non concupiſces: omnino non concupiſcere perfectio boni eſt, quia conſummatio mali eſt, hoc dicebat ille, perficere bonum non mihi adiacet, quia non poterat facere vt non concupiſceret: faciebat autem vt concupiſcentiam refrænaret, vt concupiſcentiæ non conſentiret, & concupiſcentiæ membra ad ſatellitium non præberet.*

Video autem alium legem in membris meis repugnantem legi mentis meæ, & captiuantem me in lege peccati, quæ eſt in membris meis.

NOn ſine pugna Paulus erat, qui euectus in cælum fuerat, & nos ſine certaminibus putamus nos futuros, quos vitia, & paſſiones corripiunt? Rem aptè viget B. Laurentius Iuſtinianus lib. de interiori conflictu cap. 3. dum poſt producta verba, quæ produximus adiicit. *Si conflictum hunc patiebatur in ſe Apoſtolus, qui* VSQVE AD TERTIVM COELVM RAPTVS, *arcana, quæ homini loqui minimè licebat, fuerat contemplatus, quid nos miſeri de nobis exiſtimare debemus, quos ira ſuperat, liuor occidit, inflat ſuperbia, captiuat ambitio, inflammat libido, vincit gula, cupiditas excæcat, & principandi deſideria premunt?* SI CERTABAT ELECTIONIS VAS CARNEM SVAM DIVERSIMODE AFFLIGENS, NE SPIRITVI NOCERET, QVID NOS ACTVRI SVMVS? 191.

In ſuis membris aliam legem ſentit Paulus, qui elatus vſque ad tertium cælum fuerat, quis igitur ſe à carnis pugnis immunem credet, aut indignabitur quod non ſit? *Paulus ille*, inquit, B.Thomas à Villanoua ſerm.2. in Dom.1. Quadrag. *Vas electionis, per quem Dominus vniuerſum mundum ad fidem & agnitionem ſuam conuertit, poſt gloriam Domini perluſtratam, poſt paradiſum circumgiratum, poſt penetratos & calcatos cælos, ſentit aliam legem in membris ſuis repugnantem legi mentis ſuæ: & duriſſimo illo tyranno preſſus, cogitur exclamare. Infelix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis huius. Et tu pulex terræ, & vilis ranunculus*, INDIGNARIS AT MOLESTE FERS, SI ALIQVA CARNIS TENTATIONE PVLSARIS? *Nunquid tu melior aut ſanctior Paule?*

Infelix ego homo quis me liberabit de corpore mortis huius?

192. MIſerum ſe, infelicemque non vocabat Paulus cum tribulationibus, cum periculis, cum anguſtiis premeretur, quin pro huiuſmodi gloriabatur: nunc cum de ſeruitute, legeque peccati in membris ſæuiente per concupiſcentiam infelicem ſe dicit; verè nulla alia infelicitas maior iſta eſt; INFELICITAS OMNIS HVIC COMPARATA EST FELIX; & tamen hîc non de actuali peccato agitur, ſed de peccati fomite & inclinatione; & tam fatui plerique inter mortales, vt magno peccatorum pondere

 grauati,

grauati, felices se putent infelitem se Paulus dicit solo peccati fomite affectus; & oon erunt, qui illis sceleribus sunt obruti, ad quæ fomes ipse inclinat? O istuc seriò expendaot, qui peccatis onusti terrenæ inuatant felicitati hoc est falsæ, & à tam maxima infelicitate adeo non quærunt liberari, vt eam non agnoscant.

Quis me liberabit de corpore mortis huius? Aliqui legunt, *de corpore mortis iste*, vt demonstratio sit corporis nou mortis. Quærat hîc aliquis, cur de corpote mortis dicat, cum hactenus non de morte, sed de peccato fuerit loquutus; *ea ratio est, quia durante hac mortalitate*, inquit Estius, *manet iu corpore lex, & seruitus peccati. Optat autem liberari & erigi de mortali hoc corpore, vt idem aliquando recipiat immortale, atque ab omni corruptione, &* SERVITVTE PECCATI LIBERVM. Nec quærit à motte liberari, sed à corpore mortis, quia morte ipsa magis horret peccati fomitem, legemque peccati; quam peccatum inuexit.

193. *Infelix ego homo.* Felix ab hac parte quod infelicem se dixit non imputum, noo scelestum. Festiuè rem expendit Cassianus collat. 23. c. 15. *Si enim se per hanc membrorum suorum legem quotidianis sentirent sceleribus illigari, non vtique de felicitatis amissione, sed de innocentia causarentur, nec diceret Apostolus Paulus,* INFELIX EGO HOMO; SEO IMPVRVS, AVT SCELESTVS, *ego homo: nec de corpore mortis huius, hoc est, de conditione mortali, sed à flagitiis & criminibus carnis huius vellet absolui. Sed quia se pro conditione fragilitatis humana senserat captiuatum, idest, adductum ad sollicitudines curasque carnales, quas lex peccati operatur & mortis, ingemiscens super hac quam inuitus incurrerat legem peccati, confestim recurrit ad Christum, & præsentissima gratia eius redemptione saluatur.*

De corpore mortis huius. Idest de corpore hoc morti, miseriisque subiecto, & prauis affectibus obooxio. Sed cur non quærit potius à miseriis corporis liberari, quàm à corpore ipso? *Insinuat Apostolus*, inquit hîc Tirinus, *luctam hanc mentis, & carnis non accepturam finem antequam mortali hac vita perfuncti fuerimus. Tunc enim, & non ante liberabit nos*; atque adeo tunc à corporis miseriis liberi erimus, cùm à corpore hoc mortali erimus soluti.

De corpore mortis huius. Præclarè hunc locum expendebat Sanctus Bernardus tract. de præcepto cap. 27. dum ait: *Hoc est quod in se mirabiliter ingemiscens plangit, & ait: infelix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis huius? Non conqueritur de corpore tantùm, sed de corpore mortis huius, hoc est eius qua adhuc durat corruptionis: monstrans non* CORPVS, SED CORPORIS MOLESTIAS ESSE CAVSAM PERECRINATIONIS.

194. *Quis me liberabit de corpore mortis huius?* Non corporis consortium fugit, sed corporis corruptioni obnoxij; luculenter totum hunc locum explicat, & versat Sanctus Augustinus serm. 16. de verbis Apostoli vbi ait: *Miser ego homo quis me liberabit de corpore mortis huius? quid est hoc fratres? quasi carere vult corpore. Quid festinas, si tantùm tibi est intentio tua, vt corpore careas? mors quandoque ventura est, & te ab isto corpore mortis dies adueniens vltimus proculdubio liberabit: Quid est hoc quod pro magno gemis? quid est hoc quod dicis, quis me liberabit? mortalis loqueris, moriturus loqueris. Separatio mentis à carne quandoque ventura est: propter breuitatem vita nunquam longè est, propter quotidianos casus quando sit nescis, ergo siue festines, siue tardes, omnis vita humana breuis est, quid pro magno gemis & dicis, Quis me liberabit de corpore mortis huius? & adiungit, Gratia Dei per Iesum Christum Dominum nostrum, pagani enim qui non habent gratiam Dei per Iesum Christum Dominum nostrum, non moriuntur? non quandoque die vltimo à carne soluentur? non illo die à corpore mortis huius liberabuntur? tu, quid est quòd pro magno gratia Dei per Iesum Christum Dominum nostrum vis tribuere, quia de corpore mortis huius liberaberis? Respondet tibi Apostolus: Paganos dicis liberari à corpore mortis huius, quia veniet dies vltimus vita huius, & soluentur ad tempus à corpore mortis huius: veniet & dies, quando omnes qui sunt in monumentis audient vocem eius, & procedent qui bona fecerunt in resurrectionem vita; ecce liberati à corpore mortis huius, qui mala fecerunt in resurrectionem iudicij, ecce redierunt ad corpora mortis huius.* CORPVS MORTIS HVIVS REOIT AD IMPIVM, NEC INDE ALIQVANOO SOLVETVR. *Tunc non erit vita aterna, sed mors aterna, quia pœna aterna.*

CAPVT VIII.

EPIST. AD ROMANOS
expenditur & illustratur.

SECTIO I.

195 *Continuus vita recta progressus in Christianis commendatur.*
In similitudinem carnis peccati cur venisse Christus sit dictus.
196 *Nihil peccato adyci grauius potest quàm peccatum.*
Stulta secularium prudentia in peccatorum lapsu.
197 *Carnis prudentia cur legi Dei non possit esse subiecta.*
Sapientia carnis cur inimicitia in Deum dicatur.
Non caro sed sapientia carnis inimica est Deo.
198 *Non est malum in carne esse, sed est malum secundùm carnem viuere.*
199 *Caro vt in spiritum quodammodò transeat, si anima Deo subdita sit subiecta.*
In carne esse non videntur, qui vitam spiritualem instituunt.
200 *Spiritus Dei fixam in nobis sedem habeat.*

Christi Diuinitas unde collecta.

201 *Non facilè duris verbis auditores lædendi.*

Christi esse non videtur, qui Christi spiritu non ditatur.

202 *Corpus mortale immortali corpori comparatum, mortuum corpus referre videtur.*

Resuscitati corporis gloria quàm insignis.

Perpetuò & ineuitabiliter ad mortem tendimus.

203 *Corporum immortalitas post resurrectionem.*

204 *Qui secundum carnem non viuit, viuit secundùm spiritum.*

Debitores carni cur nos non esse dixerit Apostolus.

Nihil ergo nunc damnationis est iis, qui sunt in Christo Iesu, qui non secundùm carnem ambulant.

195. NON *secundum carnem ambulant.* Non ambulat, sed ruit in præceps, qui ambulat secundùm carnē. *Et dicit ambulant*, inquit hîc Caietanus, *ut* CONTINVVM VITÆ RECTÆ *non statum*, SED PROGRESSVM, *exclusa negligentia significet.* Hæc veri Christiani vera nota: vt in Dei obsequio numquam sistat, semper vlteriùs pergat.

Deus Filium suum mittens in similitudinem carnis peccati, & de peccato damnauit peccatum in carne.

IN *similitudinem carnis peccati*; Non dixit in similitudinem peccati venisse, nam cum venerit vt peccatum aboleret, nec peccatum nec peccati similitudinem debebat habere: nec carnis similitudinem dixit, quia veram carnem gestauit, verus homo fuit. Sanctus Ambrosius lib. 1. de pœnitentia cap. 2. expendens hæc verba, hæc habet verba: *Non similitudinem neque in* SIMILITVDINE PECCATI, AIT, *quia peccatum non fecit, sed peccatum pro nobis factus est: sed venit in similitudine carnis peccati, hoc est, suscepit similitudinem carnis peccatricis.*

196. *De peccato damnauit peccatum.* Sensus est, vt fert, peccati condemnauit peccatum, ipsum sceleris reum peregit, vt eam ob caosam condemnandum fuerit, & è medio tollendum; hæc autem de peccato per prosopopeiā velut de quodam tyranno dicuntur. NIHIL GRAVIVS ADIICI PECCATO POTVIT, QVAM PECCATVM, leuia putari possunt damna quæ affert; si ipsi peccato conferantur: Scilicet quod leue existimari ab hominibus solet, hoc omni alio pondere grauius est, peccare.

Nam prudentia carnis, mors est: prudentia autem spiritus, vita & pax: quoniam sapientia carnis inimica est Deo.

PRudentia carnis, mors est, Maximè imprudens prudentia ista, & sola stultitia (vt ita loquar) consuta. Mundanorum more ac mente, quæ maximè stulta, prudentiam dicuntur redolere. *Prudentia carnis*, inquit hîc Sanctus Ambrosius, *peccatum est, quod generat mortem. Prudentia enim ideo dicitur,* CVM RES STVLTA SIT; *quia secularibus hominibus errores, ex visibilibus concepti siue in sensu siue in actu contra legem Dei prudentia videntur; maximè quia omnis industria est astutia illorum in eo, vt peccent; sapere enim sibi videntur, si illud diligentiùs curent cum* NIHIL STVLTIVS SIT QVAM PECCARE.

Imprudens carnis prudentia est, & quia talis Diuinæ legi non est subiecta: nam statim, ac subiicitur, desinit esse, quod est. *Ipsa carnis prudentia*, ait Sanctus Augustinus disp. 2. contra Fortunatum, *quandiu ita est, legi Dei subiici non potest, quandiu prudentia carnis est: sed, illuminata anima, desinit illa esse carnis prudentia. Sic enim dictum est,* PRVDENTIAM CARNIS NON POSSE LEGI DEI ESSE SVBIECTAM; *quemadmodum si diceretur glacialem niuem calidam esse non posse: sed, quemadmodum illa nix calore resoluitur, & desinit nix esse, vt possit calescere; sic illa carnis prudentia, (id est consuetudo facta cum carne) cùm fuerit mens nostra illuminata, & ad arbitrium Diuinæ legis totum hominem sibi Deus subiecerit, pro illa consuetudine anima malâ facit consuetudinem bonam.* 197.

Sapientia carnis. Sanctus Hieronymus legit, *Prudentia carnis* (& Græca vox hanc notionem fert) *inimicitia est in Deum.* Sed cur dicitur, *Inimicitia?* Quia Diuinæ legis scitis repugnat; & quia per eam homo Dei inimicus constituitur, & eius legibus fit contrarius.

Sapientia carnis inimica est Deo. Non caro inimica est, sed carnis sapientia, quæ merus est error. *Non* CARNEM *dixit*, inquit hîc Sanctus Ambros. *inimicam; sed* SAPIENTIAM CARNIS; *idest non substantiam; sed aut malos actus, aut cogitationem siue assecurationem, quæ nascitur de errore.*

Qui autem in carne sunt, Deo placere non possunt.

ET non in carne fuerunt Sancti qui Deo placuere: In carne esse apud Apostolum hîc non est simpliciter in hac vita esse, viuere in hoc corpore, sed viuere secundùm carnem. Scitè Beda hîc: *Qui autem in carne sūt*, inquit, *id est, qui in carne confidunt, qui concupiscentias suas sequuntur, qui in earum delectationibus beatam felicémque vitam constituunt: Ipsi enim in carne sunt: Deo placere non possunt. Non enim sic dictum est, Qui autem in carne sunt Deo placere non possunt, quasi dictum esset, in hac vita cum sunt homines Deo placere non possunt. Ergo non placuerunt sancti Patriarchæ? Ergo non placuerunt sancti Prophetæ? Ergo non placuerunt sancti Apostoli? Non placuerunt sancti Martyres, qui antequam corpus patiendo exponerent, Christum* 198.

confitendo

confitendo non solùm voluptatem contemnebant, sed dolores quoque patientissimè perferebant? PLACVERVNT, SED IN CARNE NON FVERVNT, PORTABANT CARNEM, NON PORTABANTVR A CARNE.

Vos autem in carne non estis, sed in spiritu, si tamen spiritus Dei habitat in vobis.

199. **V**Os *autem in carne non estis.* Et quî sine carne esse poterant, qui adhuc in hac mortali degebant vita? An, quia caro spiritum referebat, & in spiritum migrasse videbatur? Sanctus Paulinus epist. 4. ad Seuerum, *In carne* inquit, *positis Christianis Apostolus dicit: Vos autem iam non estis in carne, sed in spiritu subiecta anima.* SVBDITÆ DEO ANIMÆ CARO TRANSIT IN SPIRITVM, *non substantia commutatione, sed vita.*

In carne non estis. Et non in carne erant, dum adhuc hîc viuerent? An esse non videbantur, si vitam spiritualem, quam agebant, spectes? Pulchrè S. Chrysost. hîc *Quia? in carne illi non erant, sed incorporei obambulabant? Quid id, & quanam ratione? Vides, vt etiam carnalem significauerit? Et quamobrem non dixit? Vos autem non estis in peccato. Vt intelligas, Christum non solùm extinxisse peccati incendium, ac tyrannidem oppressisse: Sed* ET CARNEM LEVIOREM AC SPIRITVALIOREM REDDIDISSE, *natura non mutata, sed velociore atque agiliore effecta: num quemadmodum ferrum ab ignis assiduo vsu & ipsum quoque in ignem euadit, propria in natura remanet; sic fidelium spiritúmque habentium caro in illum demum efficientiam transmutatur, tota spiritualis, vndique cruci suffixa, atque vna cum anima & ipsa volatilis reddita; quale quidem erat eius corpus, qui hæc ipsa proferi.* Et Tertullian. de Resurrectione carnis cap. 46. *Dicens, eos qui in carne sunt, Deo placere non posse, Statim de prauo intellectu ad integrum reuocat, adiciens Vos autem non estis in carne, sed in spiritu. Eos enim quos in carne esse constabat, negando in carne esse,* IN OPERIBVS CARNIS NON ESSE MONSTRABAT. *atque ita illos demum Deo placere non posse: non qui in carne essent; sed qui Carnaliter viuerent: placere autem illos Deo, qui in carne positi, secundum spiritum incederent.*

200. *Si tamen spiritus Dei habitat in vobis.* Non satis est, vt sit; habitare in nobis spiritus debet, suam sedem in cordibus nostris locare. *Sensus est,* inquit hîc Sasbout: *Si modò* FIXIT SEDEM SVAM IN VOBIS: *si in vobis perpetuus est: si non estis temporary.*

Si quis autem spiritum Christi non habet, hic non est eius.

QVi superiùs dixerat, *Si tamen spiritus Dei habitat in vobis.* Cur hîc non *Spiritum Dei* dixit sed *Christi?* An, vt Christi Diuinitatem insinuaret? Eundem spiritum modò spiritum Dei nominat, modò Christi, quia eo ipso, quod Christi, & Dei est; quia Christus est Deus.

Si quis autem spiritum Christi non habet. Vides vt ipse Christi spiritum habeat, dum sermonem vitat, quo acrius percelli poterant, & eorum mens nonnihil exasperari. *Non dixit,* inquit hîc S. Chrysostomus *Si autem vos non habetis. Sed sub aliis personis, quod* MOLESTVM ERAT PROSEQVITVR.

201. *Hic non est eius.* Et non etiam ille est Christi, qui Christi Spiritu destituitur? Est. Sed non tanquam viuum eius membrum, nec tanquam palmes fructuosus in vite. Qui Christi spiritu caret, VT ESSE NON VIDETVR; sic Christi esse non dicitur, qui suos suis donis, suo spiritu ditat.

Si autem Christus in vobis est, corpus quidem mortuum est propter peccatum: Spiritus verò viuit propter iustificationem.

202. **C**Orpus *quidem mortuum est.* Itáne mortuum, licet sit anima adhuc informatum? Si mortale corpus hac vita viuens corpori comparetur, quod reformatũ meliore vita gaudebit & vera, mortuum censeri potest. Pulchrè S. Augustinus in Psalm. 85. *Non ait: Corpus moriturum est; sed Corpus mortuum est. Adhuc habet vitam vtique corpus nostrum, &* TAMEN COMPARATVM CORPORI ILLI, QVOD FVTVRVM EST, *qualia sunt Angelorum corpora,* INVENITVR CORPVS HOMINIS MORTVVM QVATENVS ADHVC HABENS ANIMAM.

Cur *mortuum* corpus vocat, quod infra *mortale* dicit? *Deo dicit mortuum,* inquit Estius, *quia non tantum mortale est vt mori possit, sed quòd corruptionem in se habeat qua* PERPETVO, ET INEVITABILITER TENDAT AD MORTEM.

203. Suum pondus habet quod mortalia dixit, & non mortua, quod expendebat Sedulius hisce verbis. *Non ait, inquit, qui suscitauit Iesum Christum ex mortuis, viuificauit mortua corpora vestra, cum supra dixisset corpus mortuum. Sed viuificabit, inquit, & mortalia corpora vestra, vt scilicet iam non solum* NON SINT MORTVA SED NEC MORTALIA: *cum animale resurget spiritale, & mortale hoc vnietur immortali & absorbebitur mortale à vita.* eodem spectabat Sanctus Thomas hîc; *Non dicit,* inquit, *Sed mortalia: quia in resurrectione non solum à corporibus vestris* AVFERETVR, QVOD SINT MORTVA, ID EST NECESSITATEM MORTIS HABENTIA, SED ETIAM QVOD SINT MORTALIA, ID EST POTENTIA MORI, *quale fuit corpus Adam ante peccatum. nam post resurrectionem corpora nostra erunt penitus immortalia.*

Ergo, fratres, debitores sumus non carni, vt secundùm carnem viuamus.

204. **N**On secùndùm carnem debemus viuere, sed secundum spiritum. At cur hanc partem prætermisit? An, quia satis subintelligebatur? nam quilibet seruire debet aut carni aut spiritui: eo ipso autem quòd carni quis non seruit, sed ei aduersatur, sequitur VT SECVNDVM SPIRITVM VIVAT; cùm mors carnis, vita sit spiritus; & vita carnis, mors spiritus sit.

Rectus verborum nexus, nec abrumpendus: Cùm dixisset, nos carni non esse debitores, addidit: *Vt secundum carnem viuamus.* Quod fit, quum carnis appetitui obtemperamus: nam alioquin carni debitores sumus, vt eius curam geramus necessaria ei administremus.

Et non

Et non quisque carni hoc debet vt eam nutriat? Rectè nodum soluit Sedulius, hæc Apostoli verba exponens, ait enim: *Carni autem, inquit, non sumus debitores, neque enim propterea fecit nos Deus ad imaginem suam, vt carnis seruitio essemus obnoxij sed vt potius creatori suo anima deseruiens, ipsa seruitie ac ministerio carnis vtatur. Sed fortasse dicat aliquis: quomodo non sumus debitores cum victum ei, & indumentum prouidere natura necessitate cogamur? Non ergo hoc negat nos esse debitores, sicut alibi dicit: Et carnis curam ne feceritis in concupiscentiis. Non vtique negat curam carnis habendam in necessariis, sed in concupiscentiis.*

SECTIO II.

205 *In mortificatione à Dei spiritu duci, non à suo, se quilibet sinat.*

Immoderata carnis afflictationes, quæ meliora impediunt, vitandæ.

206 *In hoc seculo vita spiritualis ita pura non inuenitur, vt caro consentiat in omnibus menti.*

Spiritu Dei agi cur fideles dicantur.

Dei Spiritus, vitæ nostræ dominus gubernator & auriga.

207 *Cooperatio liberi arbitrij & gratiæ.*

Quàm grande beneficium, quòd homo Deum, patrem nominet.

208 *Christo debemus, quòd orando Deum, patrem nostrum dicimus.*

Quanto affectu Paulus loqueretur.

209 *Quî scire dicamur, an simus filij Dei.*

210 *Magna Dei dignatio, quòd nos voluerit esse suos heredes.*

Cælestis hareditas non fit angusta, si multi possederint.

211 *Generis nobilitatem non iactet, qui se Dei haredem cogitat.*

Nobis vt moriatur pater, vt hareditatem adire possimus.

212 *Bona spiritualia simul à multis haberi possunt.*

Reputat sibi factum Christus, quod suis membris fit.

213 *Huius vitæ tribulationes quàm leues si aternæ gloria comparentur.*

Exiguum est, quod hîc patimur, si futuram gloriam spectemus.

214 *Passiones huius temporis nec cum minima gutta Diuinæ dulcedinis conferri possunt.*

Appendere debemus, quod patimur, contra id, quod speramus.

215 *Graue tribulationis pondus, leue redditur pramij consideratione.*

Remunerationis linteo sudores & labores tergendi.

Terrena gloria extra hominem: cælestis intra ipsum.

Si autem spiritu facta carnis mortificaueritis, viuetis.

SPiritu. Idest per Spiritū Sanctum, de quo statim ait: *Quicunque enim spiritu Dei aguntur.* Quod notauit etiam S. Augustinus serm. 47. de Verb. Domin. nam, si homo, HOMINIS SPIRITV IN *se*, in suum corpus sæuiat, errare facilè potest, & extra moderationis limites ferri. 205.

Facta carnis. Non omnia, sed ea, quibus carnis desideria perficiuntur. Signatè dictum, *Facta* potiùs carnis mortificanda, quàm carnem ipsam aut ipsum corpus; quia, quò ad substantiam corporis attinet, idem Apostolus Ephes. 5. 29. ait? *Nemo enim vnquam carnem suam odio habuit, sed nutrit & fouet eam.* VT ABEANT, QVI IMMODERATIS CORPORIS AFFLICTATIONIBVS corpus ad pietatis officia exercenda ineptum reddunt.

Si autem spiritu. Cur, cùm dixisset, *secundum carnem*; non addidit etiam, *secundum spiritum*? Nodum ita soluit Toletus hîc: *Attende Paulum, recto consilio non dixisse, si secundùm spiritum vixeritis; sed, si spiritu; nempè, per iustificationem viuentes, facta carnis mortificaueritis.* QVIA IN HOC SECVLO NON REPERITVR VITA SPIRITVALIS ITA PVRA, VT CARO CONSENTIAT IN OMNIBVS MENTI: *sed semper est pugna carnis concupiscentis aduersùs spiritum, & spiritus contra carnem; vtaque secundùm spiritum est pugna, & victoria contra rebellem carnem.* 206.

Quicunque enim spiritu Dei aguntur, ij sunt filij Dei.

VErbum *Aguntur* neque voluntatis coactionem importat neque necessitatem aliquam. Pulchrè: Sanctus Augustinus serm. 13. de Verb. Apost. *Dicit mihi aliquis: Ergo agimur, & non agimus. Respondeo:* IMMO ET AGIS ET AGERIS; ET TVNC BENE AGIS, SI A BONO AGARIS: *spiritus enim Dei, qui te agit, agentibus adiutor est. Ipsum nomen adiutoris præscribit tibi, quia & tu ipse aliquid agis.*

Quicunque enim spiritu Dei aguntur, ij sunt filij Dei. Peritè hoc verbum expendebat hîc Sanctus Chrysostomus. *Non simpliciter dixit: Quicunque enim spiritu* DEI VIVVNT, *sed Quicunque spiritu Dei ducuntur ostendens*, QVOD SIC VVLT ILLVM VITÆ NOSTRÆ DOMINVM ESSE, VT GVBERNATOREM NAVIGII, ET AVRIGAM *currus equorum: nec corpus solum, sed ipsam etiam animam habena huiusmodi subiicit; neque enim illam vult dominari, suoque quodam instituto viuere; sed & illius auctoritatem spiritus potestati supponit. Vt ne enim, lauacri dono confisi, vitam subsequentem negligerent ait: Quamuis baptisma acceperis, nisi spiritu posteà ducaris, dignitatem datam perdidisti, & adoptionis prarogatiuam. Propterea non dixit, Quicunque spiritum*

spiritum acceperunt; sed, Quicunque spiritu ducuntur. hoc est: Quicunque omnem vitam ita viuunt, hi sunt fily Dei.

Sed accepistis spiritum adoptionis filiorum, in quo clamamus Abba Pater.

207. IN *quo clamamus*. Clamor vrgentem affectum cordis significat; Mirum hîc Paulus ait nos in Spiritu Sancto clamare Abba pater; at Gal. 4. dicitur ipse Spiritus missus in corda nostra clamare *Abba Pater*. Vtrumque est verum; dum igitur, modò nos clamare dicimur, modò Spiritus Sanctus, ostenditur cooperatio gratiæ, & liberi arbitrij, nec agi hoc tantum sed & agere.

Dum Patrem vocamus Deum, Dei filios adoptiuos nos esse indicat; quod quam ingens sit donum habe à Sancto Leone Papa serm. 6. de Natiuitate; *Omnia*, inquit, *dona excedit hoc donum, vt Deus hominem vocet filium, &* HOMO DEVM HOMINES PATREM. Tantùm qui hoc donatus est titulo à tanta dignitate vitæ inquioatæ moribus non degeneret.

208. *Abba Pater* vocem Hebraicam coniunxit cum Græca propter Iudæos, & Gentiles, ad significandam scilicet vtriusque populi in vno Christo coniunctionem, & vtrosque vocatos ad filiorum Dei adoptionem.

Ante Christi aduentum non facilè repetias patrem oratione Dei cultores Deum dixisse, erant quidem iusti omnes filij Dei adoptiui, sed fiducia nondum illis erat data per Christum, qua DEVM ORANDO PATREM SVVM VOCARENT; vt hoc quoque Christo debeamus, ex quo colligas quam copiosiore adoptionis fructu per Christum humanum genus fruatur.

Abba Pater. Cur Hebræam vocem Græcæ copulans, Græcam Hebraicæ iunxit? Ex maximo id loquentis affectu ortum notabant aliqui. *Quod Apostolus* (inquit Guilliad.) *Hebræam vocem in Græca posuit,* SERVIVIT AFFECTVI; *cum enim vel singulari grauitate loqui instituimus, vel ardemus animo, in natinam linguam relabimur etiam apud eos, qui Latinam nostram linguam non intelligunt; Sic Ioannes plerasque voces Hebræas in historia sua posuit, Cephas, Messias.*

Ipse enim Spiritus testimonium reddit spiritui nostro, quòd sumus fily Dei.

209. CVm Spiritus Sancti testimonium certissimum sit, aliquis hinc colligat nos extra fallibiles coniecturas certò scire, quod sumus filij Dei; quod falsum est; Quid igitur dicendum? an testificari quidem spiritum sed obscurè, & obliquè, & per quædam indicia, quæ probabilem tantum faciant coniecturam, nec intra certitudinis limites nos ponant? An Paulum non dicere quod Spiritus sanctus reddat hoc testimonium spiritui meo, vel suo, sed nostro, aut certè vna cum spiritu nostro vt exponoor Græci, adeo, vt loquatur in persona iustorum idest eorum, qui vere sunt filij Dei, quibus Spiritus sanctus testimonium perhibet, non tamen cuilibet de se planè certum, sed probabile, quod sint filij Dei; sic fit vt nemo certò sciat an sit iustus, & quod est consequens an sit filius Dei.

Si autem fily, & hæredes: hæredes quidem Dei, cohæredes autem Christi.

MAgna hominum dignitas, maxima Dei dignatio, beneuolentia summa, vt nos voluerit esse sui hæredes, cohæredes Christi; rem egregiè versat Beatus Augustinus apud Bedam hîc, vt religio fuerit eius verba supprimere: *Magna beneuolentia, magna misericordia. Vnicus natus est, & noluit remanere vnus. Multi homines cum filios non habuerint, peracta ætate adoptant sibi, & voluntate faciunt quod natura non potuerunt. Hoc faciunt homines. Si autem aliquis habeat vnicum filium, gaudet ad illum magis quia solus omnia possessurus est, & non habebit qui cum eo diuidant hæreditatem, & pauperior remaneat.* NON SIC DEVS, VNICVM EVNDEM IPSVM QV... GENVERAT, *& per quem cuncta creauerat, misit in hunc mundum vt non esset vnus, sed fratres haberet adoptatos. Non enim nos nati sumus de Deo quomodo ille vnigenitus; sed adoptatò per gratiam ipsius. Ille enim venit vnigenitus, soluere peccata, quibus peccatis implicabamur ne adoptaret nos propter impedimentum eorum. Quos sibi fratres volebat ipse soluit & fecit cohæredes. Sic enim dicit Apostolus: Si autem filius, & hæres per Deum. Et iterum. Hæredes quidem Dei, sed cohæredes Christi. Non timuit illi habere cohæredes, quia* HÆREDITAS EIVS NON FIT ANGVSTA, SI MVLTI POSSEDERINT. *Illi ipsi certè illo possidente fiunt hæreditas ipsius. Dominus dixit ad me, filius meus es tu, ego hodie genui te. Postula à me & dabo tibi gentes hæreditatem tuam. Ille quomodo fit hæreditas eorum dicit in psalmo. Dominus pars hæreditatis meæ, & calicis mei. Et nos illum possideamus, & ipse nos possideat. Ille possideat sicut dominus, nos possideamus sicut salutem, nos possideamus sicut lucem.* Alioquin Deum verè non possidet, qui verè non possidetur à Deo. 210.

Frustra se ob generis nobilitatem iactet, qui se Dei hæredem cogitat, cohæredem Christi; scitè rem vrget Sanctus Petrus Damianus Opusc. 49. cap. 11. *Noli*, inquit, *phaleratam aliquando Proauorum lineam texere, vt de vana te velis alieni nominis generositate iactare.* PLANE QVI HÆRES DEI, ET COHÆRES EST CHRISTI, OMNEM TERRENI STEMMATIS PROSAPIAM SVPERAT. 211.

Hæredes Dei nos esse asserit Apostolus; & quando adibimos hæreditatem istam? cum testator nunquam moriatur, adiri hæreditas nunquam poterit, nam validum testamentum non est, nisi mors intercedat testatoris, vt ait ad Hebræos Paulus. Quid igitur dicemus; Deum mori, aut nunquam hæreditatem adeundam? Acutè nodum soluit Beda ex B. Augustino; *Nobis*, inquit, QVODAMMODO MORITVR PATER IN ÆNIGMATE, ET *idem ipse fit nobis hæreditas cum facie ad faciem possidetur, non quia in se moritur, sed imperfecta in eum nostra visio perfecta visione perimitur.* Igitur & qui Dei hæreditas esse vult, sibi & mundo mori debet.

Hæredes quidem Dei. Quæri potest, quî homines Dei hæredes esse possint, cùm Deus nunquã moriatur, vt ab illis adeatur hæreditas. Nodũ aliter soluit S. Thomas hîc: *Cùm filius hæreditatem non adipiscatur nisi patre defuncto, videtur, quòd homo non possit esse hæres Dei, qui nunquam decedit.* 212.

deceuit. Dicendum est autem, quòd illud habet locum in bonis temporalibus, quæ simul à multis possideri non possunt: & ideo necesse est, vnum decedere, vt alius succedat: sed BONA SPIRITVALIA SIMVL A MVLTIS HABERI POSSVNT; *& ideo non oportet patrem decedere, vt filij sint heredes. Potest tamen dici, quòd Deus decedit nobis, in quantum est in nobis per fidem: erit autem nostra hæreditas, in quantum videbimus eum per speciem.*

Si tamen compatimur, vt & conglorificemur.

S*I tamen compatimur.* Non satis est pati, compati debemus; *Christo compati*, inquit Vgo Victorinus hîc, *est ad similitudinem eius pati in carne, vel animo compungi ex memoria mortis eius;* INOPIAS MEMBRORVM EIVS SECVNDVM FACVLTATEM RELEVARE; reputat sibi factum Christus quod eius membris fit vt in eum resiliat, quod exercetur in pauperes.

Non sunt condignæ passiones huius temporis ad futuram gloriam, quæ reuelabitur in nobis.

213. N*On sunt condigna.* Adeò non sunt condignæ passiones huius vitæ, vt, si æternæ gloriæ comparentor, nec passiones sint, nec tanquam tales sentiri debeant. Pulchrè rem versat S. Isidor. Pelusiota lib. 3. epist. 207. *Cœlestis illa sedes, illa inquam bonis omnibus perfusa, molestiisque omnibus innia: illa mœroris expers, & lætitia omnis parens: illa linguam & aures ac mentem excedens, iis videlicet, qui præsens vita certamen legitimè confecerint, præparata, acerbitatem huiusce vitæ ne sensum quidem habere patitur: eaque de causa ipsarum amesiguanus clamabat: Non sunt condignæ passiones huius temporis ad futuram gloriam, quæ reuelabitur in nobis. Nam, cùm certaminis arbiter, præmiorum, quæ rependit, magnitudine labores longa interualla superet, tantamque voluptatem immittat, quantum eos, qui hæreditate Cœlesti fruuntur, habere par est; minimè mirum videri debet*, SI MVNDI MOLESTIAS IPSI NVLLO LOCO AC NVMERO PONANT.

Non sunt condignæ passiones huius temporis ad futuram gloriam. Exiguum & nihil quod hic patimur, si ei gloria conferatur quam speramus. Hoc si Paulus, qui tanta erat passus, dicebat, quid dicere quisque nostrum poterit qui adeo leuia patitur? Sistenda hîc sunt verba S. Ambrosij lib. 1. de interpellatione cap. 1. *Præponderant*, inquit, *consolationes perturbationibus: quia & præsentium sedationem afferunt, & spem futurorum. Vnde Apostolus Paulus, Indignæ sunt, inquit, passiones huius, temporis ad superuenturam gloriam. Indignæ vtique ad consolationis comparationem, non ad fructum redemptionis. Quæ est tam præclara cuiusquam vita in terra vt adæquare cœlestem gloriam possit? Quid sublimius Paulo, qui tantum periculorum subiit, tantum dolorum atque infirmitatum absorbuit. In iis quas Christi nomine subiit passionibus, quotidie vt ipse dicit moriebatur, & nihil* INDIGNVM PERPETI SE IN HOC TEMPORE PRO TANTÆ GLORIÆ SPE, ATQVE EXPECTATIONE CENSEBAT.

Quid præsentes labores, passionesque cum
Nenarin. in Epist. Paul.

futura gloria conferamus? nec cum gutta quidem diuinæ consolationis quam hîc iusti degustant conferri digne possunt. *Non sunt condignæ*, inquit B. Laurentius Iustinianus cap. 6. de interiori conflictu. *Passiones huius temporis* AD GVTTAM MINIMAM DIVINÆ DVLCEDINIS *quæ præstatur amantibus.*

Non sunt condignæ passiones huius temporis. 214.
Labor & pœna est breuis, merces æterna est. Quid tempus ad æternitatem? Præstat hîc sistere, quæ ad hæc verba habet S. Augustinus serm. 14. de Sanct. *Ipsum qui patiebatur, audite: Non sunt condignæ passiones huius temporis ad futuram gloriam, quæ reuelabitur in nobis; ac si dicat: Sæuiat Mundus, fremat Mundus, concrepet linguis, coruscet armis, quicquid potest faciat: quid faciet ad id, quod accepturi sumus?* APPENDO ID QVOD PATIOR CONTRA ID, QVOD SPERO. *Hoc sentio, illud credo: & tamen plus est, quod credo, quàm quod sentio. Quicquid est, quod fauit pro nomine Christi, si potest vinci, tolerabile est: si non potest vinci, migrare hinc facit. Non extinguit, sed accelerat ipsum præmium, ipsam dulcedinem; quæ, cùm venerit, sine fine erit. Opus cum fine, merces sine fine. Nam & operarius deficeret in via, nisi attenderet, quod accepturus esset. Cum enim attenderis quid sis accepturus, omnia tibi erunt vilia, quæ pateris; nec digna æstimabis, præ quibus illud accipias.*

Non sunt condignæ passiones huius temporis ad 215.
futuram gloriam. Adeo vt leue reddatur, quicquid putabatur graue, si pressuratum ponderi æternæ gloriæ pondus opponatur. Pulchrè hæc verba illustrabat S. Gregorius lib. 8. Moral. c. 5. *Paulus semper seipso robustior contra aduersa erigitur: quia nimirum finem sui operis sicut mercenarius præstolatur. Graue namque,* QVOD SVSTINET, ÆSTIMAT, SED LEVE HOC PER PRÆMII CONSIDERATIONEM PENSAT. *Ipse quippè quàm sit graue, quod patitur, indicat: qui in carceribus abundantiùs, in plagis supra modum, in mortibus se fuisse testatur: qui à Iudæis quinquies quadragenas vna minus accepit, qui ter virgis cæsus, semel lapidatus est, ter naufragium passus, nocte & die in profundo maris fuit: qui pericula fluminum, latronum ex genere, ex gentibus, in ciuitate, in solitudine, in mari, in falsis fratribus pertulit: qui in labore & ærumna, in ieiuniis multis, in fame & siti, in frigore & nuditate laborauit: qui foris pugnas, intus timores sustinuit: qui vltra vires grauatum se asserit, dicens: Supra modum grauati sumus supra virtutem, ita vt tæderet nos etiam viuere. Sed quomodo* REMVNERATIONIS LINTEO SVDORES TANTI LABORIS TERGAT, *ipse denunciat dicens: Non sunt condignæ passiones huius temporis ad futuram gloriam, quæ reuelabitur in nobis.*

Quæ reuelabitur in nobis. Per hoc supera & vera gloria ab humana & terrena differt, quòd illa in nobis reuelabitur, hæc extra nos est, & apparente quadam imagine nos decipit, & nos euertit. Pulchrè S. Thomas hîc. *Designat*, inquit, *eius veritatem, cùm dicit, in nobis, gloria enim huius mundi vana est: quia est in his* QVÆ SVNT EXTRA HOMINEM, *puta in apparatu diuitiarum, & in opinione hominum. Psalm. in multitudine diuitiarum suarum gloriantur. Sed illa gloria erit de eo quod* INTRA HOMINEM: *Secundum illud Luc. 17. Regnum Dei intra vos est.*

SECTIO III.

216 *Omnia propter electos fiunt, ad electos ordinantur.*

Homo, propriè Dei creatura Deo vacare semper debet.*

Quàm auidè Cælestis gloria expectanda.

217 *Creatura quî vanitati subiecta dicatur.*

Hominis mutabilitas & instabilitas in bono percellitur.

218 *Pleraque creaturæ cur benedicantur.*

Perstricti qui spontè rerum vanitati se subdunt.

Creatura à seruitute liberanda cur dicatur.

219 *Quænam creatura ingemiscere & parturire dicatur.*

220 *Inani risu diffluere nullus debet, nec præsentibus rebus acquiescere, sed potiùs ingemiscere.*

Ingemiscere cur creaturæ rationis expertes dicantur.

221 *Corporis salutem vt expectare debeamus.*

In nobis est, vnde gemamus.

222 *Corporis redemptionem cur expectare iubeamur, non animæ.*

Ad futura semper aspirandum, licet præsentia non sint damnanda.

Libertas & incorruptio corporis cur redemptio dicta.

223 *Spes nostra quàm certa.*

Spes in diuitiis istiusque seculi dignitatibus non est ponenda.

224 *Spes ex fide vt nascatur.*

Tolerantiæ & patientiæ vtilitates.

225 *Infirmitas & imbecillitas à nobis non tollitur, ne humilitatis materia desit.*

De alterius animo iudicare quàm sit discrimini expositum.

226 *Quàm Spiritus Sancti auxilio indigeamus.*

227 *Donum precum Spiritus Sanctus vt vocatum.*

Spiritus Sanctus gemitibus inenarrabilibus interpellare pro nobis vt dicatur.

228 *Inenarrabiles gemitus quinam sint.*

Bona omnia à Spiritu Sancto.

Gemitus potiùs Spiritui Sancto tributus, quàm risus.

Nam expectatio creaturæ reuelationem filiorum Dei expectat.

GRæce est vox Ἀποκαραδοκία, quæ solicitam, anxiamque expectationem significat; Sensus erit: Tota hæc creatura, quæ hominum vsibus seruit attentissima expectatione tempus illud obseruat & expectat, quo gloria filiorum Dei manifestabitur; *quare*, inquit Estius, *Simul innuit omnia* ESSE, ET FIERI PROPTER ELECTOS; ad electos ordinari, per creaturam totum hunc mundum intelligit, ac si veluti quædã persona futuræ gloriæ magnitudinem expectet tanquã & ipsa gloriæ particeps esset futura. Quod si tanto desiderio etiam inanimis expectat creatura quanto desiderio expectare æternam illam gloriam homo debet, qui ad illam est vocatus? 216.

Expectatio creaturæ. Appellatione *creaturæ* secundum aliquos hominem intelligit, *Et licet*, inquit, hîc Catharinus, *omnis creatura Dei creatura sit (quia à Deo creata & condita) tamen* MAGIS PROPRIE DEI CREATVRAM DICIMVS HOMINEM, QVI CREATVS EST AD DEVM, VT DEO VACARE POSSIT ET DEBEAT.

Expectatio creaturæ. Non dixit. *Creatura expectat.* Sed: *Expectatio creaturæ.* Ac si diceret; Ita auidè hanc gloriam expectant creaturæ, VT VIDEANTVR ESSE IPSA EXPECTATIO; nec aliud, quàm gloriam istam expectare.

Vanitati enim creatura subiecta est non volens sed propter eum, qui subiecit eam in spe.

V*Anitati enim creatura subiecta est non volens.* Quî subiecta? & quî non volens? & quænam? VANITATI (inquit B. Laurent. Iustinianus de Contemptu Mundi cap. 1. ad hæc verba) *creatura rationalis (videlicet spiritus)* NON VOLENS SVBIECTA ESSE PERHIBETVR; *quoniam naturali suo impulsu in Deum tendens, dedignatur volutari in imis, fœtentis corporis curam gerere, irrationabiliumque iumentorum opera sectari. Ista autem incommoda æquanimiter tolerat propter eum, qui illam subiecit in spe, ne Diuinæ legi, & ordinatissimæ dispositioni Conditoris contrariando damnetur. Qui ideo illam iustè vanitati subiecit, quoniam imposita obedientiæ in primis parentibus noluit esse subiecta; spe tamen sola erigitur, dum firmissimè credit, quod, consummato huius vitæ spatio, ipsa creatura vanitati tunc subiecta non volens, per mediatorem Dei & hominum liberabitur ab ipsa seruitute corruptionis; & promouebitur in libertatem gloriæ filiorum Dei, scilicet Angelorum.* 217.

Locum istum contra hominis mutabilitatem adducit S. Ambrosius lib. 4. exam. cap. 8. licet præcipuè in exemplum adducat Lunam. Sic ille scribit: *Luna propter te laborat, & propter voluntatem Dei subdita est. Vanitati enim creatura subiecta est non spontè, sed propter eum, qui subiecit in spe. Illa ergo non sponte mutatur:* TV SPONTE MVTARIS. *Illa congemiscit & comparturit in sua mutatione;* TV NON INTELLIGIS, ET GRATVLARIS FREQVENTER. *Illa suam redemptionem expectat, vt à communi totius creaturæ seruitio liberetur: tu & tua redemptioni, & illius libertati affers impedimentum. Tua ergo, non sua stultitia est,*

eſt,quod,dum in expectaris,& nec serò conuerteris, adhuc & illa mutatur.

218. Vanitati obnoxia quælibet creatura eſt, & quia inſtabilis mutabiliſque eſt,& quia in deterius ſemper abit; *ad quam vanitatem*, inquit Eſtius,*hoc quoque pertinet, quod creatura quæ in vſum hominum venit magna parte permiſſa eſt poteſtati Principis huius mundi. Propter quod &* MVLTÆ CREATVRÆ CONSVETVDINE FIDELIVM BENEDICVNTVR, *vt poteſtas diaboli per eas nocere parati cohibeatur.*

Non volens. Tertullianus legit *inuitè*; alij *non ſponte*,alij *non lubens*; quia nimirum vnaquæque res ſuam perfectionem appetit, corruptionem autem & defectum, quantum poteſt, fugit; vt in hoc quoque hominum plerumque arguatur amentia, QVI SPONTE RERVM VANITATI SE SVBDVNT, & eos defectus ſponte eligunt, quos vitare tenentur, præſertim nimium rerum terrenarum affectum.

Quia & ipſa creatura liberabitur à ſeruitute corruptionis in libertatem gloriæ.

Liberatur creatura, quia creaturarum princeps,homo liberatur. Pulchrè ad hæc verba Philippus Solitarius lib.3. Dioptræ c. 7. *Quia & ipſa creatura liberabitur,inquit,in libertatem gloriæ filiorum Dei.Puta propter* LIBERTATEM GLORIÆ, HOC EST PROPTER NOS, ERIT INCORRVPTA.*Sicut enim propter nos eſt corrupta; ſic viciſſim propter nos erit incorrupta;quoniam in libertatem à corruptione vindicabitur, vtpotè incorruptionem corruptione mutans.*

Scimus enim, quòd omnis creatura ingemiſcit & parturit vſque adhuc.

219. ITane omnis creatura ingemiſcit & parturit? Num ingemiſcunt Spiritus Cœleſtes ab omni dolore immunes, plena lætitia referti? Et verò non tam latè de creatura Paulus loquitur; Sed de illa, quæ vanitati ſubiecta eſt (hoc enim præmiſerat) à qua vanitate immunes Angeli ſunt. *Non incidimus in illas moleſtias*, inquit S.Auguſtinus lib.83.Quæſt.63.quæſt.*quibus plerique homines dicere coguntur, omnes Angelos ſublimeſque virtutes in dolore & gemitibus eſſe,antequam nos penitus liberemur, quoniam dictum eſt: Omnis creatura congemiſcit & dolet. Quamuis enim adiuuent nos per ſuas ſublimitates, dum obtemperant Deo,qui pro nobis etiam vnicum Filium ſuum dignatus eſt mittere;* TAMEN SINE GEMITV ET DOLORIBVS ID FACERE CREDENDI SVNT, *ne miſeri exiſtimentur; feliciorque ſit de numero noſtro Lazarus ille,qui iam in Abrahæ ſinu requieſcit: præſertim quia dixit eandem creaturam,quæ congemiſcit & dolet, vanitati eſſe ſubiectam: quod de ſummis & excellentibus virtutum poteſtatum creaturis nefas eſt credere. Deinde liberandam eam dixit à ſeruitute interitus, quò illos cecidiſſe,qui in Cœlis agunt vitam beatiſſimam,non poſſumus credere.*

220. *Omnis creatura ingemiſcit.* Cur igitur inani riſu homo diffluat, & terrenorum amore teneatur? *Vides*,inquit hîc Sanctus Chryſoſtomus, *vt auditorem pudefaciat; tantùm non hoc proferens, ne creatura efficiare deterior, neu* TV PRÆSENTIBVS REBVS ACQVIESCAS: NON ENIM ILLAS SOLVM NON AMPLECTI OPORTET, SED INGEMISCERE *ob retardationem noſtra ab hoc Orbe,profectionis; ſi enim creatura hoc facit,multo magis conuenit te, qui ratione præditus ornamentis, vſque eò hoc oſtendere.*

Omnis creatura ingemiſcit. Et quid ab illa gemitum exprimit? Et qui ingemiſcit, quæ ſenſu deſtituitur? Nodum propoſuit ſoluitque Primaſius hîc. *Quæ autem*,inquit,*ſenſum non habent*, QVOMODO GEMVNT? NISI FORTE PROPTER INIQVITATES NOSTRAS INGEMISCVNT; *ſicut in paſſione Domini Sol fugit, quia impietatem Iudæorum ferre non poterat.*

Et ipſi intra nos gemimus, adoptionem filiorum Dei expectantes, redemptionem corporis noſtri.

QVaſi perfecta redemptio non eſſet,nec ſan- 221.
guis effuſus. Erat, ſed corporis reſurrectio & ſalus adhuc ſperatur. Præclarè S. Auguſtinus in Pſal.37. *Audi ipſum gloriari in ſpe. In nobiſmetipſis, inquit, ingemiſcimus, adoptionem expectantes,redemptionem corporis noſtri. Quid enim? Nondum redemptus es, ô Paule? Nondum pro te pretium perſolutum eſt? Nonne ſanguis ille iam fuſus eſt? Nonne ipſum eſt pretium omnium noſtrum? Planè ipſum. Si autem, quæ videtur non eſt ſpes: quod enim videt quis,quid ſperat? Si autem, quod non videmus,ſperamus,per patientiam expectamus. Quid autem expectat per patientiam? Salutem. Cuius rei ſalutem?* IPSIVS CORPORIS;QVIA HOC DIXIT REDEMPTIONEM CORPORIS NOSTRI. SI SALVTEM CORPORIS EXPECTABAT,NON ERAT SALVS ILLA, QVAM HABEBAT. *Eſuries, ſitis interficit, ſi ſubuentum non fuerit:medicamentum enim famis eſt cibus,& medicamentum ſitis eſt potus,& medicamentum fatigationis eſt ſomnus. Detrahe illa medicamenta, vide ſi non interficiant illa,quæ exiſtunt. Si,repoſitis illis, non ſunt morbi, eſt ſanitas. Si autem habes aliquid, quod te poſſit interficere, niſi manducaueris, noli gloriari de ſanitate; ſed gemens expecta redemptionem corporis tui. Gaude te redemptum,ſed nondum re: ſpe ſecurus eſto;etenim,ſi non gemueris in ſpe non peruenies ad rem.*

Intra nos gemimus. Cur non potiùs extra? Ne fictus gemitus noſter videretur. *Intra mentis arcana reſonat*,inquit Sanctus Anſelmus. Addit: *Intra nos eſt,quia* IN NOBIS EST, VNDE GEMAMVS. Gemitus materiam in ſe reperit, qui interiora ſua ſubit,ſe ad ſe recepit; nec totus vagatur extra, oblitus ſui.

Redemptionem corporis noſtri. Cur corporis 222.
liberationem & redemptionem nominat, non animæ? *Solum nominat*,inquit Eſtius,CORPORIS REDEMPTIONEM *quia animæ electorum, quibus nihil reſtat purgandum, etiam ante corporum reſurrectionem ſua fruuntur, eaque perfecta beatitudine.*

Intra nos gemimus; non quod præſentia damnaret, ſed quòd aſpiraret ad futura. S. Chryſoſtomus ſerm.5.ad Populum ita loquitur. *Paulus propter præſentem gemebat vitam, & Romanis ſcribens dicebat: quod creatura congemiſcit, & nos ipſi Spiritus primitias habentes gemimus: & hæc dicebat non* CONDEMNANS PRÆSENTIA, SED

FVTVRA OESIDERANS. *Gustaui, inquit, gratiam, & non fero dilationem: Spiritus primitias habeo, & ad integrum festino.*

Redemptionem corporis nostri. Redemptionem vocat eam libertatem, qua ab omni corruptione mortalitatis, ac concupiscentiæ liberabimur, & gloria donabimur immortalitatis. Sed cur *redemptionem* eam vocat? *Quia,* inquit Estius, *libertas illa* PRETIO SANGVINIS CHRISTI NOBIS COMPARATVR; statimque ad Redemptorem animum flectamus.

Spe enim salui facti sumus.

SEnsus est; nondum reipsa sed spe tantùm facti sumus salui, & beati, & idcirco adhuc gemimus expectantes corporum nostrorum redemptionem, atque adeo perfectæ beatitudinis statum. Loquitur igitur de salute consummata, nam si salutem inchoatam spectemus, hîc quoque pronidentur reipsa, vnde Ephes. 2. ait: *Gratia estis saluati.* Porro adeò certa spes nostra est, vt quod futurum est, iam factum dicatur; sic enim præfixa verba expendebar S. Augustinus in Psalm. 121. vbi ait: *Spe salui facti sumus. Sed quia* SPES NOSTRA GRATA EST, *quamuis futurum sit: sic de nobis dicitur, quasi iam factum sit.*

Spes autem, quæ videtur, non est spes.

S*Pes autem, quæ videtur, non est spes.* Non ergo spes in diuitiis ponenda (extra quippe suum solum est) non in dignitatibus. *Pulchrè dicitur* (verba sunt S. Ambrosij ad verba producta epist. 22.) *Quæ videtur, non est spes,* OE POTESTATIBVS ISTIVS SECVLI, OE DIGNITATIBVS, OE OIVITIIS. *Vides nescio quem fascibus præminentem, & curribus; nihil habet spes in curribus, qui videntur. Nec in ipso cœli elemento spes est, sed in Domino cœli: nec Chaldæus in stellis spem habet, quas obseruat: nec diues in possessionibus, auarus in vsuris. Sed ille spem habet, qui in eum spem suam ponit, quem non videt in Domino Iesu, qui medius nostrum stat, & non videtur. Denique quæ oculus non vidit, nec auris audiuit, quæ præparauit Dominus diligentibus eum.*

Quod videt quis, quid sperat?

224. MIrum quòd est fidei, tribuit Apostolus spei: *Notandum,* inquit hîc Sanctus Thomas, *quòd* QVIA SPES EX FIDE QVOOAMMOOO ORITVR *attribuit spei opus illud, quod est fidei, scilicet esse de non visis.*

Per patientiam expectamus.

EX his verbis tolerantiæ, & patientiæ vtilitates colligebat S. Theodorus Studita ser. 19. *Cæterùm spes quæ videtur, vt fert Apostoli dictum, non est spes: nam quod videt quis, quid sperat? Si autem quod non videmus speramus, per tolerantiam expectamus. Itaque tolerantia virtutum summa perfectio est.* TOLERANTIA MARTYRES CÆLESTIBVS OEVINCTI DIAOEMATIS SVNT, *tolerantia Sancti iustitiæ præmium tulere. Quapropter vtamur nos quoque tolerantia ad morigerationem, humilitatem, lenitatem, exercitationem in ministeriis omniáque obedientiæ studia, ac parem iis mercedem capiemus.*

Similiter autem & Spiritus adiuuat infirmitatem nostram.

ADiuuat Spiritus infirmitatem nostram, etsi non TOTALITER EAM TOLLAT, inquit S. Thomas; sed cur non penitus tollit? ne tollat nos, nec enim essemus quod sumus, si infirmi non essemus; aut ne humilitatis materia nobis deesset, & seges meritorum; satis firma infirmitas nostra erit, si eam spiritus diuinus adiuuet, licet non prorsus eam auferat, ac submoueat. 225.

Nam, quid oremus sicut oportet, nescimus.

Q*Vid oremus, sicut oportet, nescimus.* Quàm sit discrimini expositum de alterius animo iudicare, & de iis, quæ in corde aliorum latent, ferre sententiam, ex hoc loco colligebat S. Hieronymus epist. 61. quæ est ad Pammachium. *Si iuxta Paulum Apostolum, quod gemimus, orare non possumus, ac propria mentis cogitationem sermo non explicat: quantò magis periculosum est de alterius animo iudicare, & singulorum dictorum atque verborum inuestigare atque proferre rationem?*

Postulat pro nobis. Nimirum sine Spiritus Sancti auxilio bene quis postulare bona nequit. 226. *Vides,* inquit ad hæc verba B. Laurentius Iustinianus serm. io fest. Sancti Iacobi, *quoniam* SPIRITVS SANCTI AOIVTORIO INDIGES, *vt postules, quod non noceat; sed quòd deceat, quodque expediat: ipse namque Spiritus orantibus nobis nostros erudit cogitatus, informat actus, inflammat affectus, vt non nisi quod liceat postulemus.*

Postulat, hoc est, facit postulare. Græcè oon est ἐντυγχάνει. Sed addita præpositione, quæ solet Græcis superexcellentiam significare, ὑπερεντυγχάνει. *Sensus est,* inquit hîc Sasbout: *Etiamsi spiritus noster aliquando petat nocitura, tamen* SPIRITVS SANCTVS, AFFLANS ANIMOS NOSTROS, CORRIGIT QVOD MALE PETEBATVR, VELVTI PRÆFECTVS OMNIBVS INTERPELLATIONIBVS: *corrigit, inquam, dum, quicquid petimus, eatenus tantùm nos petere facit, quatenus ad Dei gloriam, & nostram salutem conducit.* 227.

Sed ipse Spiritus postulat pro nobis gemitibus inenarrabilibus.

P*Ostulat pro nobis;* Quo sensu hæc accipienda sint, his verbis docet Isidorus Clarius; *intelligit,* inquit, *hîc donum spiritus, nam olim differentes gratias multi accipiebant, Prophetia, interpretationis linguarum, quæ dona appellabantur etiam ipsa Spiritus. Inter hæc dona, erat & donum precum, vt pro populo precarentur, qui tale munus accepissent. Hoc itaque* OONVM SPIRITVM VOCAT, *dum Spiritus Sanctus illo munere largiebatur, vt illi maximis gemitibus interpellarent.*

Gemitibus inenarrabilibus. Probè hunc locum illustrat & expendit Aëlredus serm. 5. in Isaiam: *Iste spiritus adeo in cordibus orantium gemitum salutarem infundit, vt ipse etiam* GEMITIBVS INENARRABILIBVS OICATVR INTERPELLARE

PRO

PRO NOBIS. *Inenarrabilibus, inquam; quis enim sufficiat enarrare, quot modis mens in oratione afficiatur? in qua nunc pudor gemitum excitat pro peccatis, nunc timor pro pœnis, nunc deuotio pro affectu, nunc amor pro desiderio.*

228. *Gemitibus inenarrabilibus.* Gaudij materia hi gemitus, quia Spiritui Sancto dicuntur esse; quia illos in nobis excitat Spiritus Sanctus. Sed cur dicuntur inenarrabiles siue ineffabiles? An, QVIA A DESIDERIO REI INEFFABILIS PROCEDVNT, scilicet Cœlestis gloriæ? vt ait S. Thomas. An tales dicuntur esse, quia à Spiritu Sancto sunt? Non tales gemitus, quos rerum temporalium iactura, aut cognatorum mors exprimit.

Quod à viris spiritualibus fit, Spiritui Sancto tribuitur, quia eius auxilio faciunt; Sanctus Chrysostomus in Psalm 41. *Hoc autem dicebat, non quòd Spiritus gemeret, sed quòd* VIRI SPIRITALES, QVI HABENT DONA SPIRITVS; *pro propinquis orantes, & Supplicationes offerentes, hoc facerent cùm compunctione & gemitibus, hoc nos quoque faciamus, & quotidie Deum interpellemus per Psalmos & orationes.*

Gemitibus inenarrabilibus pro nobis Spiritus Sanctus dicitur postulare, quia gemitus inenarrabiles in nobis excitat; GEMITVM TRIBVE SPIRITVI SANCTO AVDIS, NON FACILE REPERIAS RISVM TRIBVTVM, quin si nimis leuis, & inanis hic sit Spiritus Sancti influxum, operationemque potiùs impedit.

SECTIO IV.

229 *Electis etiam peccata in bonum cedunt, quia humiliores efficiuntur ac cautiores.*

Quæ altis mala, bonis bona fiunt.

Cupiditas in rebus spiritualibus laudanda.

230 *Tentationum vtilitas.*

Omnia vt nobis cooperantur in bonum.

231 *Cautior & humilior quisque à peccato resurgere debet.*

A peccato liberati æternum Deo gratias agent.

Aduersa bonis cooperantur in bonum.

232 *Malorum peccata vt bonis cooperentur in bonum.*

Dei amor, omnia in aurum conuertit.

Tentationes & infirmitates iustis quàm vtiles.

233 *Reprobis omnia cooperantur in malum.*

234 *Intentio & affectio sanctitatis nobis necessaria.*

Secundùm propositum quilibet sit Sanctus.

235 *Dilectio Dei cur scientiæ nomine significata.*

236 *Certitudo prædestinationis, & eorum, quæ illam sequuntur.*

Nouarin. in Epist. Pauli.

Diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum iis, qui secundùm propositum vocati sunt sancti.

ADeò diligentibus Deum omnia in bonum cooperantur, vt cooperentur etiam casus in malum. *Iustus* (inquit B. Bernardus serm. 2. in Psalm. *Qui habuat*) *super manum Domini cadit, & miro quodammodo etiam ipsi mei peccatum in iustitiam cooperatur; scimus enim, quoniam diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum. Nonne nobis ille casus in bonum,* VNDE ET HVMILIORES EFFICIMVR ET CAVTIORES? *Nonne Dominus cadentem illum suscipit, qui ab humilitate suscipitur?* Nec cautiores tantùm reddimur sed & firmiores. 229.

Cooperantur in bonum. Illa quoque quæ in malis sunt summè damnanda. Festiue S. Bernardus epist. 341. *Demque,* inquit, *quia omnia cooperantur in bonum his qui secundum propositum vocati sunt sancti, moueat nos ipsum quoque secularis cupiditatis exemplum. Quem enim ambitiosum vidimus aliquando contentum adeptis dignitatibus ad alias non anhelare? Sic & curiosi cuiusque non satiatur oculus visu, nec auris impletur auditu. Quid? eorum qui auaritiæ seruiunt, aut amatores sunt voluptatum, seu vanas sectantur hominum laudes, nonne & ipsorum insatiabilia desideria arguunt nos negligentiæ & tepiditatis? Pudeat certè* SPIRITVALIVM NOS BONORVM MINVS CVPIDOS INVENIRI. Sic malorum exempla mala prouocare nos ad bonum debent, & studium quo illi feruntur ad pœnitenda, ad salutaria maximè excitare.

Omnia cooperantur in bonum. Non dixit mala auferenda, submouendas tentationes; satis enim si in bonum omnia cooperentur. Pulchrè Sanctus Chrysostomus. *Vides prudentiam Apostolicam: Non dixit, Scio, sed Scimus; vt ipsos ad assensum præbendum orationi pelliceret, quod diligentibus Deum omnia cooperentur in bonum. Animaduerte, quàm accuratè loquatur Apostolus.* NON DIXIT, QVI DEVM DILIGVNT, EVITANT MALA, LIBERANTVR A TENTATIONIBVS, *sed, Scimus, inquit, hoc est, persuasum nobis est, certiores facti sumus, ipsa rerum experientia edocti demonstrationes accepimus: Scimus quoniam diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum.* Sic ille serm. 13. de diuersis noui testamenti locis. 230.

Cooperandi verbum in hac sententia egregiè vrget Sanctus Bernardus. *Et hæc quidem ita se habent, sed tamen non mentitur Apostolus, etiam alio loco manifestiùs asseuerans, scire se quoniam diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum, his, qui secundùm propositum vocati sunt sancti: Veruntamen soleriter* ATTENDE QVOD NON AD LIBITVM FAMVLARI, SED CODPERARI DICIT AD BONVM. NEQVE ENIM AD VOLVNTATEM SERVIVNT, SED AD VTILITATEM: NON AD VOLVPTATEM, SED AD SALVTEM: *non ad votum, sed ad commodum nostrum. Vsque adeo siquidem in hunc modum omnia nobis cooperãtur in bonum, vt inter hæc omnia, etiã ea, quæ nihil sunt, numerentur: molestia, morbus, & ipsa mors etiam, & peccatum: quæ quidem constat naturas non esse, sed naturæ corruptiones. An verò ei peccata ipsa*

non cooperantur in bonum, qui ex eis humilior, feruentior, sollicitior, timoratior & cautior inuenitur? sic ille serm. de nimia fallacia præsentis vitæ.

231. Omnia bonis in bonum cooperantur, etiam mala, quæ fecit, si ab ipsis cum Dei gratia resurgat, quoniam, vt ait S. Thomas, *tantò stabilius in gratia permanet*, QVANTÒ EST CAVTIOR, ET HVMILIOR. Paulus ipse plus omnibus laborans, minimum se vocat Apostolum, mente voluens se Dei Ecclesiam persequutum fuisse, adeo vt firmiùs hæreret Christo, quò acriùs in Christum, eiusque membra ante sæuierat. *Adde*, inquit Estius, *omnibus electis omnia quæcunque fecerint peccata cedere in bonum, quia de omnibus illis Dei beneficio* TANDEM LIBERATI ÆTERNVM DEO GRATIAS AGENT; sicque à maximo omnium malorum tam magnum bonum Deus à bonis exculpet, idque per totam æternitatem.

Omnia cooperantur in bonum. Adeo vt si rectè subducatur ratio, aduersa iam nō sint aduersa sed prospera. Benè Cassianus collat. 6. cap. 9. *hæc debet in nobis definitio immobiliter custodiri, quod nulli malum ab alio possit inferri, nisi qui illud ignauia sui cordis ac pusillanimitate contraxerit; hanc eandem sententiam beato Apostolo vno versiculo confirmante: scimus autem quoniam diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum; vniuersa non solùm* PROSPERA, VERVM ETIAM QVÆ PVTANTVR ADVERSA *pariter comprehendit.*

232. *Omnia cooperantur in bonum.* Etiam quæ non bona, scilicet peccata ipsa, quæ cooperantur in bonum (inquit Vgo Victorinus quæst. 210.) quia *humiliores & doctiores resurgunt.* Addit. *Sed quæritur; quomodo malorum peccata cooperentur bonis in bonum.* Respondet: *Nihil fit in Mundo*, QVOD ALIQVID VTILITATIS NON CONFERAT BONO VNIVERSITATIS; ET *sic omnia bona vel mala, propria vel aliena cooperantur bonis in bonum.*

Etiam, quæ putantur mala, bonis in bonum cooperantur. *Iustis autem*, inquit B. Laurentius Iustinianus cap. 25. de Triumphali Christ. agone, *teste Apostolo omnia cooperantur in bonum, siue tentationes seu* INFIRMITATES SEV PERSEQVVTIONES *sint: quoties enim pressuris flagellantur viris*, INDE VBERRIMAM COELITVS ADIPISCVNTVR PROPITIATIONIS GRATIAM.

Omnia vertuntur in bonum eis, qui diligunt auctorem omnis boni. Quod fabulæ Midæ tribuunt, vt quicquid tangeret in aurum mutaret, id absque vlla fictione locum in Dei amore habet. Sciti auctoris hæc sunt verba: *Quicquid Midas tangebat, in pretiosum aurum vertebat; quemadmodum narrat fabula. Hoc autem verissimum est, vt quicquid grauè amater Diuinus tangit, licet aliàs malum sit, totum vertatur in bonum. Diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum. Vt & morbi & infirmitates, quibus pulsantur, beneficiorum loco accipiantur. Diligebat Andreas Deum, & eius Amor crucem illam, cui fuerat adiudicatus, bonam reddebat. Vnde & ipse exclamauit. O bona Crux, Bona Crux est, cui diuini amoris ignis accedit.*

233. *Cooperantur in bonum.* Sicut è conuerso malis etiam bona cooperantur in malum; quod sic explicat Estius hic: *Similiter autem è diuerso dici potest, reprobis omnia cooperari in malum, non solùm aduersa & prospera verùm etiam bona opera, quæ fecerunt, dum videlicet de iis superbiunt; sicque eorum occasione peiores effecti, grauiùs etiam puniuntur. Deinde* OMNIA SVA BONA CEDVNT EIS IN MALVM; *quia de iis suæ culpa amissis æternùm dolebunt; & quidem eò magis, quò plura fuerint, & maiora bona, quibus exciderint.* Quod notabat etiam Sanctus Bernardinus Senensis serm. 9. de Cultu Sanctæ Trinit. art. 1. cap. 3. *Sicut secundum Apostolum, Diligentibus Deum, omnia cooperantur in bonum; ita* NON DILIGENTIBVS DEVM OMNIA COOPERANTVR IN MALVM.

Iis qui secundùm propositum vocati sunt sancti. Melior & communior sententia propositum ad Deum refert non ad homines, vt sit prædestinationis quædam periphrasis sed cur *propositum* dicitur prædestinatio, quia prædestinatio vt ex Sancto Augustino, ait Sanctus Thomas, EST PROPOSITVM MISERENDI: hinc Ephes. 1. *Prædestinati secundùm propositum eius, qui operatur omnia secundùm consilium voluntatis suæ:* sors reprobatio propositum non dicitur, quia punire Deus sibi non proposuit, nisi malorum id peccatis exigentibus.

Vocati sunt sancti: Opportunè, & ad no- 234.
strum solamen appositè hunc titulum expendebat Sanctus Bernardus de altit. cordis Serm. 3. *Propterea cum dixisset: Diligentibus Deum omnia cooperari in bonum, solerter addidit, his qui secundùm propositum vocati sunt Sancti. In quo verbo non te terreat sanctitatis nomen, quando non secundùm meritum, sed secundùm propositum, non secundùm* AFFECTIONEM, *sed secundùm* INTENTIONEM *sanctos vocat, iuxta illud Prophetæ: Custodi animam meam, quoniam sanctus sum.*

Qui secundùm propositum vocati sunt. Cur dictum? *Secundùm propositum. Vt sciamus* (inquit B. Laurentius Iustinianus lib. 2. de spirit. animæ resurrect.) *non semper perfectos viros debere vocari sanctos secundùm actum; sed* SECVNDVM PROPOSITVM *quandiu in charitatis perseuerant radice, quæ hominem efficit Sanctum.*

Nam quos præsciuit, & prædestinauit conformes fieri imaginis filij sui, vt sit ipse primogenitus in multis fratribus.

ITa ne omnes quos præsciuit etiam prædesti- 235.
nauit? Plerique præscientiæ terminos latiores esse quàm prædestinationis hîc putant: *Dicit autem*, inquit Sanctus Thomas, *quos præsciuit, & prædestinauit, non quia omnes præscitos prædestinet, sed quia eos prædestinare non poterat nisi præsciret.* Et verò melior ille sensus, qui præscientiam prædilectionem interpretatur; scire enim in diuinis literis, frequenter affectum, seu voluntatē, amoremque notat, & idem significat quod approbare, ac diligere, sicut nescire pro eo quod est improbare, negligere, ac prorsus reiicere. Potest ergo & compositum verbum præscire prædilectionem quandam importare, quo sensu dixit Apostolus c. 11. huius epistolæ; *Non repulit Deus plebem suam quam præsciuit*, hoc est ab æterno dilexit. Hanc notionem si amplectamur, soluetur omnis nodus, sicque omnes quos præsciuit Deus etiam

etiam prædestinauit. Rectè autem DEI DILECTIO SCIENTIÆ NOMINE SIGNIFICATA EST, & præsciendi verbum diuinæ dilectioni explicandæ est adhibitum, quia in hoc quoque ab hominibus maximè distat Deus; illi plerumque cæco quodam affectu in eos quos amant feruntur; non ita Deus in homines, vt proinde eius amor, & approbatio verbo sæpè circumscribatur, quod notitiam sonat, & scientiam.

Et quos vocauit, hos & iustificauit: quos autem iustificauit illos, & glorificauit.

NVnquid omnes quos Deus vocat etiam iustificat? Aliud videtur Christus voluisse, cum dixit: *Multi sunt vocati, pauci verò electi.* Numquid Paulus Christo contrarius est, & Christi verba Pauli verbis aduersantur? Minimè; vtrumque est verum, si diuersam esse vocationem notes. Paulus loquitur de vocatione secundùm propositum, seu prædestinationem, sicque omnis vocatus est etiam electus, ac prædestinatus. Christus verò de vocatione promiscua intelligendus est, qua multi etiam reprobi, ac nunquam responsuri, nunquam venturi vocantur, inuitantur.

236. *Quos autem iustificauit, illos & glorificauit.* Cur præteritis potiùs vsus, quàm futuris? An rerum certitudini significandæ? An, quia prædestinationem præmiserat, cui cetera respondent? *Vsus est autem Apostolus*, inquit hîc Estius, *in tota hac deductione verbis præteriti temporis* VEL OB CERTITVDINEM INFALLIBILEM EFFECTVVM A DIVINA PRÆDESTINATIONE MANANTIVM: *quæ certitudo demonstratur in sequentibus, tametsi iam glorificati, rectè etiam intelligi possunt in capite Christo, veluti membra ad eius conformitatem certissimè prouehenda; spe enim salui facti sumus. Suprà vers. 24. Vel certè secundum alios, quia verbum, Prædestinauit, ex quo cetera continuo orationis filo contexuit, præteriti temporis erat.*

SECTIO V.

237 *Pro nobis sunt, qui contra nos esse videntur, si pro nobis Deus sit.*
Totum pro nobis Filium dedit Pater, vt plena esset redemptio.
238 *Deus, qui Filio non pepercit, non parcet seruo nequam.*
Quam effusus Deus in eos qui cum perseuerantia petunt.
239 *Quam facilis ad peccatorum indulgentiam Deus sit.*
Cælestis gloriæ magnitudo. vndè collecta.
240 *Nostra auaritiæ vt Deus consuluerit, omnia nobis in Christo donans.*
A Prælatis corrigi & accusari, pro nobis est; non contra nos.
241 *Quanta nobis fiducia ex eo, quòd Christus interpellat pro nobis.*
Etiam fictis certaminibus vt pugnare possimus.
242 *Dæmones fugati illa formula: Quis me separabit à charitate Christi.*
Continentia quantas vires tribuat.
243 *Amoris vincula frangere nihil potest, nisi nos velimus.*
Plerique otiosis fabulis à Christo separantur.
Perstricti, qui facilè à charitate Christi se sinunt separari.
244 *A se timere grauiora quisque debet, quàm ab aliis.*
Mortificatio propter Deum subeunda.
Quid sit superquam superare.
245 *Quid superuincere apud Paulum.*
Non resistendo, sed patiendo vincere, singulare victoriæ genus.
Amoris Diuini erga nos cogitatio quantas in nobis vires habeat.
246 *Corporis castigatio quàm vtilis, S. Pauli exemplo.*
Omnia propter Christum vilia censeri debent.
247 *Plerumque, quòd mors non facit, efficit vita amor.*
Vix homo tutus à seipso.
248 *Quam malitiam & socordiam quisque timeat.*
Prosperitatis altitudo maximè timenda.
Præterita cur non timuerit Paulus, sed præsentia.
Totus in charitatem immigrauerat Paulus.

Si Deus pro nobis, quis contra nos?

VT multi sint contra nos, idem est, ac si non essent, si pro nobis Deus sit. Pulchrè 237.
S. Chrysostomus: *Dicit Paulus, si Deus pro nobis, quis contra nos?* ATQVI CONTRA EOS ERANT INNVMERABILES, SED EOS NIHIL OFFENDEBANT; vt non tam contra illos essent, quàm pro illis; cùm eorum merita augerent, eis coronas fabricarent.

Qui etiam proprio Filio suo non pepercit; sed pro nobis omnibus tradidit illum quomodo non etiam cum illo omnia nobis donauit?

FIlio non pepercit vt seruo parceret, vt Ecclesiæ, ac vnigeniti sanguine illam irrigaret; quę irrigatio quàm mira operetur præstat à B. Ioannis Chrysostomi ore audire, qui sermone de Pentecoste ita scribit hunc locum spectans: *Qui proprio filio non pepercit. Proprio filio non pepercit, vt Ecclesiæ parceret: sanguinem filij effudit propter Ecclesiam.* HIC SANGVIS IRRIGAT

ECCLESIAM ET IDEO PLANTARIA EIVS MARCESCERE NON POSSVNT, NEC AMITTVNT FOLIA ARBVSTA EIVS : *non subiacet necessitati temporis, nec est conditioni mensium obnoxia, vt per æstatem coma foliorum tegatur, hyeme amittatur. Non tenetur temporum qualitate, sed spiritus eam Sancti gubernat gratia, & ideo non senescit, nec contrahitur, & multis impugnantibus non opprimitur.*

Non pepercit Filio: totum illum pro nobis dedit, vt plena redemptio esset. Sanctus Ambrosius lib. 1. de Iacob. cap. 6. expendens hæc verba ait: *Pulchro verbo vsa est Scriptura, vt Dei Patris erga te pium propositum declararet, qui morti pro te totum*(Filium)*obtulit. Quod in Patre fuit,* NIHIL SIBI IPSE RELIQVIT: *totum pro te obtulit, quod in plenitudine Diuinitatis non amisit; & ipse te redemit. Considera affectum patrium Quod pietatis est, quasi morituri Filij suscepit periculum, quasi orbitatis hausit dolorem, ne tibi periret fructus redemptionis.*

238. Timoris hinc non leue sumas argumentum: *Deus Pater*, inquit B. Laurentius Iustinianus cap. 4. de timore, *potius voluit; vt vnigenitus suus pœnam, quam debebat humanum genus, solueret, quàm ipse eam dimitteret. Quod si non pepercerit proprio filio,* NVNQVID PARCET FIGMENTO? NVNQVID PARCET SERVO NEQVAM?

Ex his verbis colligas, quam effusus Deus in eos sit qui inuicta perseuerantia magna Dei dona postulant à Deo. Peritè Beatus Laurentius Iustinianus de perseuerantia cap. 2. *Quomodo* inquit, *quicquam negabit perseueranter petentibus, qui spontè obtulit non petentibus? Et qui proprio filio non pepercit, sed pro omnibus tradidit illum ad occidendum, quomodo nobis cuncta,* QVÆ PERSEVERANTER PETIMVS, *non donabit.*

239. Donabit omnia, omnia condonabit, adeo vt hinc quàm facilis ad peccatorum indulgentiam sit Deus futurus non coactè colligamus, collegit Beatus Thomas Conc. in fer. 6. Dom. 4. Quadrag. *Apostolum audiamus. Qui proprio* (inquit) *filio suo non pepercit, sed pro nobis tradidit illum, quomodo non cum illo nobis omnia donauit? sponte dedit filium, & magnum est si gratis remittat debitum? Donauit vnigeniti sui personam, &* NON DELICTI NOSTRI CONDONABIT INDVLGENTIAM!

Ex his verbis Cœlestis gloriæ magnitudo colligi potest. Peritè Sanctus Augustinus lib. 22. de Ciuit. Dei cap. 24. *Quid dabit eis, quos prædestinauit ad vitam, qui hæc ad mortem? Quæ bona in illa beata vita faciet eos sumere, pro quibus in hac misera vnigenitum Filium suum voluit vsque ad mortem mala tanta perferre? Vnde Apostolus de ipsis in illud regnum prædestinatis loquens: Qui proprio, inquit, Filio non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit eum; quomodo non etiam cum illo omnia nobis donauit? Quum hæc promissio complebitur, quid erimus? Quæ bona in illo regno accepturi sumus,* QVANDOQVIDEM, CHRISTO MORIENTE PRO NOBIS, TALE IAM PIGNVS ACCEPIMVS. *Qualis erit spiritus hominis, nullum omninò habens vitium, nec sub quo iaceat, nec cui cedat, nec contra quod saltem laudabiliter dimicet, pacatissima virtute perfectus?*

240. *Omnia nobis donauit.* Omnia dixit: vt nostræ auaritiæ consuleret. *Desiderabis omnia possidere*, inquit Sanctus Augustinus homil. 34. ex 50. *noli per auaritiam: per pietatem hoc quære, per humilitatem hoc quære: si enim ita quæsieris, possidebis; tenebis enim eum, per quem facta sunt omnia, & cum ipso omnia possidebis. Non hæc quasi ratiocinando dicimus: audi Apostolum ipsum dicentem: Qui Filio proprio non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit illum; quomodo non etiam cum illo omnia nobis donauit;* AVARE, ECCE HABES OMNIA. *Omnia, quæ amas, vt non impediaris à Christo, contemne; & ipsum tene, in quo possis omnia possidere.*

Quis accusabit aduersus electos Dei?

ITa vt in iudicio damnentur: nam alioquin possunt electi *fraternè accusari à proximis, & paternè corrigi à Prælatis*, inquit B. Dionys. Sed hæc ACCVSATIO NON EST ADVERSVS ELECTOS: EST in eorum fauorem, ad eorum salutē. Sicque quum contingit aliquem ab alio accusari, ea ratione, ac eo fine id præstari debet, vt accusati profectus spectetur & emendatio. Accusari meretur, qui, aliò spectans, accusat alios.

Qui etiam interpellat pro nobis.

Q*Vi etiam interpellat pro nobis.* Rectè hunc 241.
locum vrget Beatus Thomas à Villanoua Conc. 1. in aduentu: *Quanta hominibus*, inquit, *fiducia, quanta mortalibus spes in iudice isto. Quis non sperabit salutem etiam si peccator sit, & indignus quando à patre piissimo eius sententia ferenda est? Vnde Apostolus, Quis accusabit aduersus electos Dei? Deus qui iustificat. Quis est, qui condemnet? Christus Iesus, qui mortuus est, imò qui & resurrexit, qui est ad dexteram Dei qui etiam interpellat pro nobis.* QVOMODO CONDEMNABIT INTERPELLATOR QVI NE DAMNARET, IPSE MORTIS SVBIIT DAMNATIONEM.

Quis ergo nos separabit à charitate Christi? Tribulatio? an angustia, an fames, an nuditas, an periculum, an persequutio, an gladius?

CVr tot sibi obijcit discrimina, cum verè non adessent? An, tanquam optimus agonista, etiam in fictis se exercebat certaminibus; & ad veros conflictus subeundos etiam non veris se parabat, in iis prælndens, vt in illis victor verè esset; sicque mentis *vigor vbi de* MENTITA CONCERTRTIONIS IMAGINE) vt loquitur Ennodius aliò spectans *incandesceret.*

Hæc Apostoli verba tunc maximè vsurpanda, 242.
cum nos insidiis suis dæmon adoritur, cùm tentationibus nos impetit, telis suis petit. Fecit istuc S. Antonius quem sic loquentem facit Sanctus Ambrosius in eius vita: *Nec rarò plagas mihi inflixerunt; quibus ego:* NIHIL ME SEPARABIT A CHARITATE CHRISTI. *Vbi illi sese inuicem magis perdere*; vt grauiores ab his verbis plagas accipiant, quam inferre piis hominibus studeant & conentur.

Quis poterit nos separare. Qui ab omnibus separauerat se vt Christo adhæreret, à nullo separari à Christi charitate potest; vt iure creaturas omnes lacesseret. Tantum potest ordinatus amor, ordinata voluntas. Audiendus Ioannes Eusebius: *Maiorem*, inquit, *fiduciam pacis, &*

amoris

amoris ordinati, nobis præstet exemplum, & disciplina Pauli, SOLA AMORIS ORDINATIONE ARMATI, *& nedum prouocantis, sed iactantis, & certe, quod neque mors, neque vita, neque Angeli, neque principatus: neque virtutes, neque instantia, neque futura, neque altitudo, neque profundum, neque creatura alia possit illum sua dimouere à voluntate, suo separare ab amore, quem separauerat à separabilibus.*

Quis ergo nos separabit? Vnde tibi tanta firmitas & constantia tanta, ô beate? An ab eadem charitate, à qua se dicit, nunquam separandum: An etiam à continentia? Beatus Bernardus serm. 5. in Assumpt. Mariæ hùc spectans ait: *Qui protegente patientia* CONTINENTES VIVVNT, *ipsi bene cum Apostolo protestantur & dicunt: Quis nos separabit à charitate Christi? tribulatio an angustia an persequutio an fames an nuditas an periculum an gladius? Vides quàm solidus sit* CONTINENTIVM MVRVS, *quos neque mors neque vita neque Angeli neque Principatus, neque Potestates, neque Virtutes, neque instantia, neque futura, neque fortitudo, neque altitudo, neque profundum, neque creatura aliqua potest separare à charitate Dei, quæ est in Christo Iesu.*

243. *Quis ergo nos separabit?* Amoris & charitatis vincula & catenas soluere ac frangere nihil potest nisi nos ipsi illa soluamus, frangamus istas. Procopius in cap. 45. Isaiæ ad hunc locum spectans ait: *Manicarum nomine* DILECTIONIS VINCVLA DIVINIQVE AMORIS CATENAS *intelligit; indeque illud est, quod scribitur: Quis nos separabit à dilectione Christi?*

Virtute diuina armatus Angelicas virtutes nō timet, terrenorum hostium agmina parui pendens, Angelicas copias vnus prouocat, tantum Charitas potest ordinata. Benè rem vrget superius aduocatus Ioannes Eusebius: *Non exiguè,* inquit, FORTIS, NON EXIGVE TVTVS ERAT, *qui parum, & contemptibile duxit, certamina tribulationis, angustiæ, famis, nuditatis, periculi, persecutionis, gladij: aduersus maiora audebat. Valentiores æmulos contemnens, non vim modo terrenam, & hæc vulgaria fulmina fortunæ, inopiam, discrimina, dolores, calumnias; supercælestes copias, & Spirituum exercitus vnus solus fidentissimè præsumebat. Quo gladio? quo clypeo? nisi voluntatis charitate, & pace ordinata?* O QVANTA VIS PACIS! O QVANTA VIS INERMIVM POTVIT ESSE? *Resistit fortunæ, mundo, resistit Cælo.*

Quis ergo nos separabit à charitate Christi? Nihil separare à Christi charitate illum potest, qui omnia Christo posthabet, omnibus Christum præfert. Damnant hæc verba eos, qui tam leuiter à Christo se patiuntur abduci ac separari. Sanctus Augustinus sermone 168. de Temp. hisce Apostoli verbis integrè productis, sua adiicit in hunc modum: *Ecce sicut audistis Beatum Apostolum, & Apostolicos viros tanta ac tam terribilia* A CHARITATE DEI SEPARARE NON POTERANT; *Vnde nimis dolendum est, quòd, cùm illi à charitate Dei nec tormentis poterant separari.* NOS INTERDVM OTIOSIS FABVLIS SEPARAMVR; ET NONNVNQVAM OB PARVISSIMVM CONVICIVM, ET CVIVSCVNQVE MISERI HOMINIS DETRACTIONEM ITA DERELINQVIMVS CHARITATEM, VT *non solum cum eo multis diebus, sed etiam mensibus, fortassis & annis nec loqui nec ad conuiuium peruenire velimus.* Huc spectat & Cæsarius Arelatensis homil. 11. clauditque: *Et non attendimus; quia, dum nos inuicem odio habemus, ita muros ciuitatis Ierusalem* CONTRA NOS CLAVDIMVS, *vt nobis nullus aditus remaneat, per quem intrare possimus.*

Quis ergo nos separabit? Et cur alibi dicebas? *Ne magnitudo reuelationum extollat me.* Separari ergo poteras qui poteras extolli ac intumescere. Nodum soluit Vgo Victorinus hîc quæst. 229. dum ait: *Nullus alius ab eo poterat separare Apostolum:* IPSE TAMEN POTERAT SEIPSVM SEPARARE; *quia in hoc meruit, quòd potuit transgredi, & non est transgressus quùm enim Christum ante Neronem confessus est, tunc potuit eum negare, si vellet. Quod ergo nec vita, nec mors potuit, ipse potuit, licet se actu non separauerit.* 244.

Quoniam propter te mortificamur tota die.

VIx mortificationis meretur nomen, quæ propter Deum, inque Dei gloriam sustinetur; Deo ita loquitur, qui omnia nouit, homines audire de homine hoc possunt, non rem videre. Hinc illud sancti Augustini: *Quoniam propter te mortificamur tota die, deputati sumus velut oues occisionis. Potes enim videre mortificari hominem: quare mortificatur nescis. Deus hoc nouit, res in occulto est.* Sic ille in Psal. 43.

Sed in his omnibus superamus propter eum qui dilexit nos.

S*Vperamus.* aliqui vertunt, *Plusquam superamus.* cuius verbi vim sic expendebat hîc S. Chrysostom. *Quod mirabile est, hoc est, quod non superamus solum: sed quod per ea ipsa superamus, per quæ insidias patimur. Nec simpliciter superamus* SED PLVSQVAM SVPERAMVS; *hoc est omni cū facilitate, citra sudores ac labores: non enim molestias tolerantes, sed animum modo præparantes, sic vbique trophæa contra hostes statuimus, & id iusta de causa: Deus est enim, qui nobiscum decertat. Ne igitur diffidas, si qui flagellamur, flagellantes superamus: si qui exigimur, persequentes vincimus: si qui morimur, viuentes vertimus.*

Superamus. Græci verbi vim; quod hîc habetur; egregiè expendebat Theodulus, dum ait: *Auditorem erigit, vt ne succumbat, animúmque despondeat, audiens afflictionem & persequutionem, idque genus reliqua; Omnium, inquiens, dominamur per gratiam Christi. Nec dixit simpliciter, Vincimus; sed enim ὑπερνικῶμεν. hoc est* SVPERVINCIMVS, *excellenter vincimus; hoc est, per eos, qui nobis insidiantur, coronamur. Insidiatores enim & aduersarij nostri sunt nobis coronarum suppeditatores, si modo patienter iniuriam propter Christum feramus.* 245.

Superamus, Græcè ὑπερνικῶμεν *Superuincimus,* quo pacto legunt Tertullianus, & Sanctus Cyprianus hocque verbo composito plus aliquid quàm nudam, simplicémque victoriam significari annotant interpretes. *Est autem,* inquit Estius, SINGVLARE GENVS VICTORIÆ ELECTIS PROPRIVM NON RESISTENDO, SED PATIENDO, ET MORIENDO VINCERE PERSEQVVTOREM. Ad hanc victoriam adspirare fideles debent, qua non inimicos tantùm vincuunt,

cuunt,

cunt, sed quod est maius, se ipsos.

Propter eum, qui dilexit nos. Sola amoris illius cogitatio nos contra hostes armat, efficitque vt vincamus. *Superiores & iustiores efficimur,* ait Sanctus Anselmus, *non propter nostras vires; sed propter eum, qui dilexit nos: quia, dum* IN ILLIVS AMORE PENDEMVS, SENSVM DOLORIS NON RECIPIMVS; *illius enim charitas, qua nos dilexit, & nostrum ad se affectum rapuit, cruciatum corporis & dolorem sentire non finit.*

Certus sum enim, quia neque mors, neque vita, neque Angeli, neque Principatus, neque Virtutes, neque instantia, neque futura, neque fortitudo, neque altitudo, neque profundum, neque creatura alia poterit nos separare à charitate Dei, quæ est in Christo Iesu Domino nostro,

246. ALia extra se Apostolus recenset, sed non se; vt nihil ea quæ foris erant timeret, se timebat sibi. *Apostolus*, inquit Vgo Victorinus, *quem nil poterat separare à Christo, seipsum poterat*, QVOD NE FIARET, CORPVS CASTIGABAT, sub eius blanditiis, illecebrisque vim latentem pertimescens Nemo ergo se credat sibi, quilibet cautius sui fraudes vitet, quam aliorum, leuis omnis alia hostilitas præ illa est, quæ à propria carne, à propria voluntate est.

Omnia propter Christum Paulus contemnit, & ideo nihil à Christo eum potest auellere ac separare Nos tam fatui, tam deliri, vt Christum contemnamus, propter quem essent cetera omnia contemnenda Hine illud Sancti Chrysostomi homil. 15. in Epistola ad Romanos. *Ille(Paulus)ne* E OELORVM QVIDEM REGNVM QVICQVAM ASSA CENSET PROPTER CHRISTVM, *Nos contra, ipsum Christum despicimus.*

247. *Neque mors, neque vita*; licet de æterna morte deque æterna vita aliqui id intelligant, alij tamen censent de temporali morte, & vita exponendum hunc locum; vt sit sensus: neque mors à persequutore intenta: neque vita promissa separare nos à Christo queat; PLERVMQVE ENIM QVOD MORS NON FACIT, AFFICIT VITA, DVM NIMIS AMATVR; & noo sæpè vt inanem hanc vitam aliquandiu homines producant, se à vera vita, quæ in Christo est, separant?

Neque Angeli, neque Principatus. Malos Spiritus, dæmonésque intelligit, quibus omne studium est Christi fideles abstrahere à salute; colligitur ex hoc loco nullam dæmonum vim, ac potentiam præualere Dei seruis posse, nisi ipsi velint; hine Paulus cùm alia omnia recenseat, quibus se à Christo minimè separandum asserit, se aliis non annumerat, suámque voluntatem; quia hæc sola potest, quod cætera non possunt; VT TVTVS HOMO A CÆTERIS CREATVRIS SIT, NON ERIT A SE IPSO, atque adeo se solum plus timere debet, quàm cætera omnia, etiamsi omnes dæmones in illum sæuiant.

148. *Per instantia* intelligit quæ præsentia, vnde & Sanctus Augustinus pro *instantia* legit *præsentia*; intelligit autem tam bona, quibus homines capi solent, quàm mala quibus terrentur: sed cur non meminit præteritorum?

Quod illa, inquit hîc Estius, NON IMPELLANT ANIMVM, *nisi quatenus adhuc similia vel sperantur, vel timentur.*

Neque instantia, neque futura; siue bona illa sint, siue mala. Nihil quod extra se sit timet Paulus, à se tamen timere, & à sua voluntate, & multò magis à sua socordia quilibet potest, ac etiā debet; nam vt bonus ille auctor ex S. August. dicebat: *Ita hic astruitur potentia, & efficacia diuini erga nos affectus, vt tamen metus relinquatur propriæ malitiæ, socordiæ, & negligentiæ*; adeo vt sæpè negligētia hue nos ducat, quò ducere externi hostes, nec dæmones ipsi potuere.

Neque altitudo, neque profundum. Et quænam altitudo ista est, à qua se tutum asserit Paulus, quodnam est profundum, quod non timet? *Altitudo prosperitatis, & profundum miseriæ*, vt Toletus ex Oecumenio dixit. sæpè enim prosperitas deiicit, quos aduersitas non deiecerat.

Neque creatura alia. Et non sufficerat tibi Paule, tot creaturas numerasse, quas non timeres? Alias præter productas producis in medium, tanquam mundo isto maior, nouum formari mundum velles, nouas creaturas condi, vt haberes cum quibus virtutem tuam exerceres. Luculenter hæc Pauli verba versat & expendit Ioannes Eusebius; sic ille scribit: *Neque creaturam aliam dixit posse separare. Fortasse meminerat infirmarum, ignobiliumve creaturarum? Angelos, Principatus, Virtutes, Cœli robur, ac decus memorauit. Cur aliam creaturam lacessit, nouam prouocat, creandam valentiorem desiderat?* ADEO SVPRA OMNIA EST ANIMVS RITE, AT APTE AMANTIS, *vt id, quod non est, lacessat; cum id, quod fit, iam vicerit. Macedonis ardor solum votis minor: victoriis enim & illo mundo maior, nouis expetiuit. Ita Paulus non aliis ordinibus, & phalangibus, quàm sua ordinatione voluntatis, & fruitione amoris, parem æmulum non agnoscens mundum vltra mundanum meditabatur: tam sufficere sibi valet, valens commilitone Deo animus, vt solus superfluat cunctis, quæ sunt, & quæ essent; iis, quæ sunt, & quæ non sunt; iis, quæ sunt, & quæ possent esse; isto, & alio mundo, id est, duplici maior.*

Poterit nos separare à charitate Dei. Et vnde hoc illi? *Totus* (inquit Sanctus Paschasius lib. 2. in Matthæum) *charitatis erat effectus per gratiam: idcirco aliud esse non poterat, quàm quod factus erat*; totùsque in charitatem transmigrauerat.

Quæ est in Christo Iesu. Istue adiunxit, ne charitatem, quæ in Deo, ab ea, quæ in Christo, abiungeremus. *Videmus ergo*, inquit Sanctus Ambrosius ad hæc verba lib. 5. de Fide cap. 7. *eandem charitatem Dei esse, quæ Christi est. Denique non otiosè posuit charitatem Dei, quæ est in Christo Iesu; ne separatam Dei, & Christi intelligeres charitatem. Nihil autem est, quod charitas diuidat: nihil, quod Diuinitas sempiterna non possit: nihil, quod lateat Veritatem, fallat iustitiam; prætereat sapientiam.*

CAP. IX

CAPVT IX.

EPIST. AD ROMANOS expenditur & illuſtratur.

SECTIO I.

249 *Amoris quanta ſit vis.*

250 *Quid voluerit Paulus cùm dixit: Cupio anathema eſſe à Chriſto.*

Eorum preces, quas alij pro nobis fundunt, vires habent, ſi nos quoque eis auxilium præbeamus.

Moyſi collatus & prælatus Paulus in ſuorum amore.

251 *Puritas in loquendo commendata.*

Quicquid circa reprobos agitur, electorum felicitati ſeruit.

252 *Perſecutores patientiæ materiam & meriti exhibent.*

Mali bonis ſeruiunt, quàm ſæuiunt in eos.

Gratuitus ſit benefactor.

253 *Dei ſui iudicia diſcutere non debet creatura.*

254 *Quæcunque Deus iuſſerit abſque vlla contradictione præſtanda.*

Deus in electos bonitatem ſuam oſtendit, in reprobos potentiam.

255 *Reprobi Dei benignitate ad pœnitentiam prouocantur.*

Impij ſibi ipſis cauſa damnationis.

Quòd aliquis peccet non à Deo, ſed à ſe habet.

256 *Diuina bonitas in electis quàm eximiè ſe prodat.*

Boni, quod ſunt, Deo tribuere debent, non ſibi.

Optabam enim ego ipſe anathema eſſe à Chriſto pro fratribus meis, qui ſunt cognati mei ſecundùm carnem.

249. LOCI iſtius difficultas multos peperit explicatus, inter quos ille maximè cenſetur probabilis, qui hunc efficit ſenſum: Optarem ego ipſe ſi liceret, & fieri poſſet eſſe anathema à Chriſto, id eſt ſeparatus, & alienos à Chriſto pro fratribus meis Iudæis; & quamuis tanta cum Chriſto, & in Chriſto bona expectemus, tamen optarem, ſi per legem liceret omnibus illis bonis priuari, vt ſalutem Iudæi conſequerentur; quæ immenſi amoris verba ſunt erga fratres, & quod eſt magis mirum inimicos. Pende quanta AMORIS SIT VIS; qui alibi dicebat nihil eum poſſe ſeparare à charitate Chriſti, nunc tanquam rebus omnium valentior amor in proximos ſit, ab hoc vno hanc ſeparationem futuram, ſi eſſet licita, indicat; licet hoc ipſo in Chriſtum magis immigrarit, & à Chriſtu ſe per amorem minus ſeparabilem fecerit, quo ardentius hæc ſeparationis effudit verba.

Ego lubens hæc verba huc ſenſu donarem, vt velit Paulus ob ſuorum amorem gehennalibus flammis adiici, vt Iudæi ſalutem conſequerentur, abſque eo tamen quòd a Chriſti gratia excideret, quò non ſemel charitatis æſtus Dei cultores rapuit; & ſcio pleroſque huc euaſiſſe, vt ob aliorum ſalutem Deo vouerint, ſi id eſſet neceſſarium, æternas in inferno pœnas ſubituros; Huc igitur vocari Pauli verba poſſunt, & commodiſſimus, ſuauiſque hic explicatus eſt, & ad mentem verè Deum ſuum amantium. Quid quod Beatus Chryſoſt. huc ſpectauit lib. 4. de ſacerdotio, dum ait: *Poſt tam multa egregia facinora, poſt innumeras coronas*, IN GEHENNAM DETRVDI, *& æterno tradi ſupplicio optauit, vt Iudæi qui ipſum crebrò tum lapidarant, tum etiam quantum in ipſis erat interfecerant, ſeruaret & Chriſto lucriſaceret: quis mortalium ſic Chriſtum adamauit, ſi modo amor ille appellandus eſt, & non potiùs aliud quiddam amore maius.*

Eundem ſenſum iiſdem verbis affricat quoque lib. 3. de Prouidentia, cap. 12. vbi expendens quanto mœrore ob ſuorum perditionem Apoſtolus afficeretur hæc habet: *Quid ille ait? optabam Anathema eſſe à Chriſto pro fratribus meis ſecundum carnem, qui ſunt Iſraelitæ, quod autem dicit, huiuſmodi eſt: optabilius mihi erat in gehennam incidere, quàm Iſraelitas infideles & incredulos videre, hoc enim eſt, optabam anathema eſſe à Chriſto:* IS AVTEM QVI ELIGEBAT GEHENNÆ CRVCIATVM, *vt Iudæos omnes, ad fidem poſſet inducere, liquet profectò quod non potius voti ſui, grauius afficiebatur, quàm hi qui in gehenna cruciantur: quandoquidem hoc potiùs quam illud cupiebat.* Hunc eundem ſenſum firmant, quæ habet Ioannes Caſſianus collat. 23. cap. 6. *Optarem ego ipſe anathema eſſe pro fratribus meis, qui ſunt cognati mei ſecundum carnem, qui ſunt Iſraelitæ; hoc eſt vellem ego non ſolùm temporalibus,* VERVM ETIAM PERPETVIS ADDICI POENIS, *dummodo omnes, ſi fieri poſſet, homines Chriſti conſortio fruerentur.*

Quò amor in ſuos rapuit Pauli animum, ſed quid profecit anathema optans eſſe pro Iudæis? 250.
Parum, niſi Iudæi ipſi Pauli preces abiurata mentis duritie iuuerint. Pulchrè Sanctus Chryſoſtomus in Pſalm. 48. ad hunc locum ſpectãs. *Quantum pro Iudæis lamentatus eſt Paulus dicens; fratres bona quidem voluntas mei cordis, & obſecratio ad Deum eſt, pro ipſis ad ſalutem? quid ergo valuit eius obſecratio? nihil, & quid dico obſecratio? cùm pro eis eſſe etiam anathema optauerit: Quid ergo ſunt ne ſuperuacanea ſanctorum preces? nequaquam, ſed magnas* ETIAM VIRES HABENT, QVANDO TV QVOQVE EIS AVXILIVM TVLERIS.

Anathema à Chriſto pro ſuis fratribus eſſe cupiebat Paulus; in qua re Moyſi illum conferebat, & præferebat Sanctus Iſidorus Peluſiota libr. 2. epiſt. 58. hunc locum reſpiciens, ait enim: MAIVS EST, *quod Apoſtolus fecit, nam ille ſimul perire cupiebat: hic autem perire, vt alij ſalutem conſequerentur.*

sequerentur. S. Chrysost. serm. 39. de diuersis noui Testamenti locis; *Moysen*, inquit, *Paulus satis eminenti virtute transcendit, cuius quidem multa sunt alia praeclara: sed caput sanctae illius animae atque fastigium est, quoniam pro Iudaeorum salute deleri eligit ex libro vitae: sed Moses cum caeteris optauit perire, Paulus pro caeteris: Non enim cum pereuntibus perire voluit, sed vt saluarentur alij, ipse de gloria aeternitate decidere. Et ille quidem Pharaoni, hic autem diabolo quotidie repugnabat.*

Pœnas nullas timet, qui amat. Ioannes Cassianus collat. 9. cap. 17. hæc eadem verba versabat in hunc modum: *Vas electionis hoc repletus affectu, etiam anathema fieri optat à Christo, dummodo ei familia multiplex acquiritur, & ad gloriam sui patris salus totius Israeliticae plebis accrescat.* SECVRVS ENIM OPTAT INTERIRE PRO CHRISTO, *qui nouit neminem meri posse pro vita.*

Et Rebecca ex vno concubitu habens.

251. E*X vno concubitu.* Aliqui ex Græco legunt: *Ex vno cubili*, quam lectionem expendens Caietanus hîc ait: *Honesto autem vocabulo à loco (hoc est cubili) actum matrimonij significauit; vt discamus de venereis* PVDICE LOQVI.

Quia maior seruiet minori.

252. QVod quidem completum in populis, qui ex illis orti; impletur etiam in electis; *quia*, vt Estius ait, *quicquid à reprobi, vel* CIRCA REPROBOS AGITVR, ID TOTVM SERVIT, AC PROFICIT SALVTI, ET FELICITATI ELECTORVM; adeo vt mali bonis seruiant etiam cum in bonos sæuiunt, sic enim humiliores fiunt, ac tolerantiores.

Maior seruiet minori. Nimirum tunc mali bonis seruiunt, cum patientiæ exercendæ materiam illis exhibent. Peritè B. Bruno hîc: *Dictum est, quia maior seruiet minori; non ideo dicitur seruire, quod Esau aliquando seruierit Iacob, sed plerumque dominatus sit ei, vt qui fortior erat in terra. Et ideo sic intelligendum est: Maior seruiet idest vtilis erit minori. Quantò enim Esau magis persequebatur Iacob, tantò magis meritum patientiae accrescebat patienti*; sicque mali bonis seruiunt, dum acriter in illos sæuiunt.

Maior seruiet minori. Mali tunc seruiunt bonis, quùm in illos sæuiunt, illos persequuntur. *Si ad corpoream seruitutem*, inquit S. Anselmus, *respiciamus, magis videbitur Iacob, illi* (idest Esau) *seruisse quàm ipso, Iacob: Iacob quippe, de Mesopotamia rediens, obtulit ei multa munera, & dominum eum vocauit, & humiliter adorauit. Quomodo igitur seruiuit ei Esau, nisi affligendo eum & premendo ac persequendo? Vnde Salomon ait: Qui stultus est, seruiet sapienti, quia contra sapientum vitam dum stultus praeeminens terrorem potestatis exercet, dum hunc laboribus fatigat, contumeliis lacerat, profectò hunc ab omni vitiorum rubigine vrendo purgat.* STVLTVS ERGO SAPIENTI ET DOMINANDO SERVIT, *quem ad meliorem statum premendo prouehit. Et iuxta hunc modum Esau fratri suo seruiuit.*

Miserebor, cuius misereor; & misericordiam praestabo cuius miserebor.

ALij legunt: *Miserebor cui voluero, & clemens ero, in quem mihi placuerit*; vt ex solo beneplacito voluntatis eligat homines Deus ad salutem; *Notandum est autem*, inquit hic Estius, *Deum hac verba dicentem ad Moysem exprimere voluisse suam quandam insignem proprietatem, quod nimirum gratuitus sit benefactor, quò nulla lege ad praestanda* BENEFICIA SIT ADSTRICTVS, *sed ea pro arbitrio tribuat quibus voluerit.*

In hoc ipsum excitaui te, vt ostendam in te virtutem meam.

I*N hoc ipsum excitaui te.* S. Ambrosius legit: 253.
Seruaui te. Aitque quosdam codices habere: *Ad hoc te suscitaui.* Et ad explicatum addit: *Suscitasse dictus est; quia, cùm apud Deum mortuus esset, medium tempus accepit, vt viuere videretur; vt esset in cuius pœna, & vario tormentorum genere vsque ad mortem omnes, qui sine Deo erant, metu territi, hunc solum Deum esse cum admiratione maxima faterentur, à quo hæ vindictæ fiunt.*

O homo, tu qui es, qui respondeas Deo?

Q*Vi respondeas*; Græcè ἀνταποκρινόμενος, *contra*, seu, *ex aduerso respondeas*; nihil absurdius, QVAM CREATVRAM DEI SVI IVDICIA DISCVTERE, eiusque facta redarguere: Hominem se esse homo cogitet, Deum verò Deum esse, sicque iudicia eius adorabit, & non discutiet; venerabitur eius facta, nec in disputationem contra illum veniet.

Numquid dicit figmentum ei, qui se finxit: Quid me fecisti sic?

HInc colligas, quæcunque Deus iusserit abs- 254.
que vlla contradictione præstanda, nam luti similitudo id euincit. S. Chrysostomus lib. 1. de prouid. cap. 7. ita rem deducit. *Aduersus huiusmodi sanè B. Paulus indignans dicebat: alioquin ô homo, tu quis es: qui respondeas Deo? numquid dicet figmentum factori suo, cur me ita fecisti? equidem filiorum exemplar proposueram, ipse verò multò aliquid maius posuit, figuli scilicet, atque ab eo formati luti. Sicut enim lutum quocunque manus se formantis duxerit, sequitur:* ITA HOMINEM QVÆCVMQVE DEVS IVSSERIT, ET SEQVI, *& quæ ille intulerit, grato animo perferre conuenit, nihil omnino* RELVCTANDO, VEL CVRIOSE ADDISCERE QVÆRENDO.

Quid si Deus volens ostendere iram, & notam facere potentiam suam, sustinuit in multa patientia vasa iræ apta in interitum, vt ostenderet diuitias gloriæ suæ in vasa misericordiæ, quæ praeparauit in gloriam.

E*T notam facere potentiam suam*; in puniendis scilicet impiis, licet magni illi sint, &

& potentes. Et non etiam circa electos oſtendit Deus potentiam ſuam? In electos præcipuè bonitatem ſuam oſtendit, in reprobos præcipuè potentiam; EO QVOD POTENTIA, inquit Eſtius, *magis declaretur in ſubactione, & punitione malorum, quorum permanet repugnans voluntas, quam in exaltatione bonorum, quorum tandem omnino perfectus erit cum Dei voluntate conſenſus*; vt iure dixeris repugnantem Deo voluntatem eſſe malorum veluti characterem, conſentientem verò bonorum.

255. *In multa patientia.* Græcè eſt vox μακροθυμία, quæ *lenitatem*, & *longanimitatem* ſignificat; *vt oſtendas*, inquit hîc Eſtius, *etiam reprobos* BENIGNITATE, *ac potentia Dei plerumque* INVITARI AD POENITENTIAM.

Vaſa iræ apta in interitum. Sed à quo hæc vaſa in interitum apta, aptata in perditionem? A ſe ipſis, cùm quilibet ſuæ ſit cauſa damnationis. *Implendo peccata*, inquit Primaſius hîc, *vaſa iræ digna fuerant effecta* APTATA A SEMETIPSIS IN INTERITVM, *non ſolum per originale peccatum, ſed & per actuale; ira quippe non redditur niſi debita ne ſit iniquitas apud Deum.* Iſtuc idem vrget Caietanus hîc, dum ait: *Non dicit, Quæ Deus aptauit in interitum. Sed dicit: Aptata in interitum, vt intelligamus, quòd ab eodem ſunt vaſa iræ à quo ſunt aptata in interitum, proculdubiò æterna mortis. Conſtat autem, quòd propriis peccatis, propriis meritis (quæ Deus non vult, ſed ſuſtinet patienter) reprobi ſunt vaſa vindictæ. Non enim Deus priùs eſt vltor, quàm homo ſit peccator; & conſequenter* A SEIPSIS REPROBI SVNT VASA APTATA SVIS MERITIS IN INTERITVM ÆTERNVM.

Vaſa iræ. Iræ dixit, nō culpænā quòd aliquis peccet, hoc habet à ſe non à Deo aut Dei prædeſtinatione, quod expendens S. Fulgentius ad Monimum cap. 26. ait: SI DEVS TALES IN PECCATVM PRÆDESTINARET, NON EOS APOSTOLVS VASA IRÆ MALLET NOMINARE, SED CVLPÆ. *Nec in interitum talia vaſa iræ dicuntur, vt oſtendatur in talibus ex Dei prædeſtinatione non hoc eſſe, quod eſt malè ab eis admiſſum; ſed quod eſt talibus benè redditum.*

256. Adeò vt alia hîc ratio appareat reprobationis in genere, nempè vt magis manifeſtetur diuina bonitas in vaſa miſericordiæ; *non enim*, vt ait Eſtius, *ſatis appareret hæc Dei miſericordia, neque ſatis ab hominibus æſtimaretur, ſi eſſet omnibus communis*; item ſtatim vrget diuinæ miſericordiæ in electos efferendæ; ſi, inquit, *bonitas Dei*, QVAM ELECTIS EXHIBET MANIFESTATVR *ex derelictione, & punitione reproborum, quantò magis innoteſcit ex proprio opere, quod eſt electis gratiam, & gloriam conferre.* Ex hoc interim loco diſces, beneficij ingentis loco à bonis habenda ea mala, quibus malos punit Deus.

In vaſa miſericordiæ. Cur non dixit, *Iuſtitiæ?* An, ne iuſtitiam ſibi aliquis tribueret? *Poſſet Apoſtolus*, inquit Sanctus Fulgentius ad Monimum cap. 26. *quos dixit vaſa miſericordiæ, potiùs vaſa iuſtitiæ nuncupare: ſed ſi vaſa* IVSTITIÆ VOCARENTVR, FORSITAN EX SE IPSIS HABERE IVSTITIAM PVTARENTVR. *Nūc autem, quòm vaſa miſericordiæ dicit, proculdubiò, quod ipſi fuerint, non tacuit, ſed quòd, eis à Deo collatum ſit, euidenter oſtendit.*

Iſaias autem clamat pro Iſraël.

ISaias autem clamat. Suum ineſt *clamandi* verbo pondus. Non *dicendi*, *loquendive* vſus eſt verbo, ſed *clamandi*; *vt ſcilicet* (inquit hîc Guilliad.) *maiorem attentionem excitet, & vt magis animos ladæorum deterreat.*

CAPVT X.

EPIST. AD ROMANOS expenditur & illuſtratur.

SECTIO I.

Doctorum Euangelicorum concordia.
Aliorum offensio cautè vitanda.
269 *Deus beneficiis ad sui cultum nos prouocat.*
Christi in suos clementia & largitas.

Fratres, voluntas quidem cordis mei, & obsecratio ad Deum fit pro illis in salutem.

257. SVAM in Hebræos propensam voluntatem beneuolentiamque testatam hîc quoque Apostolus facit; sed cui rei? An quia de illorum reprobatione aliqua dicturus erat? ne quis igitur crederet animo malè affecto in gentem suam dicere quæ dicebat, omnem amouet suspicionem. ALIENA A SACRO DOCTORE ALIENATIO ANIMI ESSE DEBET, quin & illius vmbra, ex charitate omnia debet promere, non ex liuore, aut passione alia.

Et obsecratio ad Deum. Pro gente sua orabat Paulus; sed cur id fecit cum sciret à Deo reprobatos esse? *Orabat*, inquit Estius, *non vt omnes salui fierent, sed vt aliqui ex illis, scilicet ij, quos Deus præordinauerat per* ORATIONES SANCTORVM ESSE SALVANDOS, *neque enim omnes Iudæi reprobi erant.*

Ignorantes enim iustitiam Dei.

258. DEi iustitiam vocat, non qua Deus iustus est, *sed quam dat homini Deus*, inquit S. Augustinus, vt IVSTVS SIT HOMO PER DEVM; nam ille maximè est iniustus, qui iustitiam suam sibi tribuit.

Finis enim legis, Christus ad iustitiam omni credenti.

QVi finis legis esse dicatur Christus, sic exposuit S. Leo serm. 14. de Sacramento Dominicæ Passionis, dum ait: *Et ipse est finis legis, non* EVACVANDO *significationes ipsius, sed* IMPLENDO. S. Augustinus in Psal. 30. Paulo aliter rem explicat; dum ait: *Dicit Apostolus: finis enim legis Christus ad iustitiam omni credenti; finis* NON CONSVMENS SED PERFICIENS *Duobus enim modis dicimus finem, vel quod fit, vt non sit quod erat, vel quod fit, vt perfectum sit quod inchoatum erat.* Luculentius istuc idem habet in Psalmo 55. *Finis est Christus, quare dictus est finis? non qui consumat, sed qui consummet; consumere enim perdere est: consummare, perficere, finitum enim quicquid dicimus, à fine dicimus: aliter dicimus, finitus est panis qui manducabatur, finita est tunica quæ texebatur. Panis ergo finitus est, vt consumeretur: Tunica finita est vt perficeretur: finis ergo propositi nostri Christus est; quia quantumlibet conemur, in illo perficimur, & ab illo perficimur; & hæc est perfectio nostra ad illum peruenire? Sed cum ad illum perueneris, vltra non quæris: finis tuus est. Quomodo enim finis viæ tuæ locus est quò tendis, quò cum perueneris iam manebis: sic finis studij tui, propositi tui, conatus tui, intentionis tuæ ille est ad quem pertendis, ad quem cùm perueneris vltra nihil desiderabis quia melius nihil habebis.*

Propè est verbum in ore tuo, & in corde tuo: hoc est verbum fidei, quod prædicamus.

INter os, & cor, nullum intercedit medium, nulla ambiguitas; quod corde creditur, ore confitendum est, vt nulla dubietatis nebula hîc se immisceat; Pulchrè B. Hilar. lib. 10. de Trinit. *Apostolus totum Scripturæ mysterium exequens ait: Iuxta est verbum tuum in ore tuo & in corde tuo. Non tardo opus est petitóque longè verbo confessionis.* NEC INTERVALLO ALIQVO INTER COR ATQVE OS RELICTO, *vt quod ad protestationem religionis loquendum sit per infidelem ambiguitatem cogitetur: sed & iuxta nos esse oportet, & in nobis, ne aliqua inter religionem cordis atque oris mora, fides fortè nostra non ita in sensu sit, vt in verbis: sed connexa ori atque cordi, incunctantem habeat & sentiendi & loquendi religionem.* 259.

Propè est verbum in ore tuo. Vgo Victorinus hom. 10. in Ecclesiasten, hunc locum ita versat, eos arguens qui longè à verbo veritatis sunt; *Facilius maria transeat, & longinquas peragat regiones: quàm pertingat ad veritatem: & ipsa prope est. Prope est (inquit Scriptura) verbum in ore tuo: & veritas verbi in corde, & ipsum verbum est veritas, quia veritas verbum est. Et cum iam prope sit ipsa veritas:* NIHIL TAMEN LONGIVS AB IIS, QVI STVLTITIAM AMANT *Quid autem stultius, quàm semper ima respicere: & vultus habere pronos in terram.*

Hoc est verbum fidei quod prædicamus. Vides, vt in facili nostram salutem constituerit; non per difficilimarum quæstionum tractationem ad vitam itur, sed per fidem. Aptè hunc locum vrget S. Hilarius lib. 10 de Trin. vbi cum hæc Apostoli verba produxisset ait: *Non per difficiles nos Deus ad beatam vitam quæstiones vocat, nec multiplici eloquentiæ facundiæ genere solicitat.* IN ABSOLVTO NOBIS AC FACILI EST ÆTERNITAS: *Iesum suscitatum à mortuis per Deum credere, & ipsum esse Dominum confiteri.* 260.

Corde enim creditur ad iustitiam, ore autem confessio fit ad salutem.

VIdes in te, post Deum, animæ tuæ remedia. Præclarè B. Laurent. Iustin. in Ligno vitæ de Fide cap. 3. *Non per multas distraheris ambages, nec duris difficultatibus occupandus inuolueris. Quod à te & pro te reposcitur, intra te est: id est oris famulatus, & cordis affectus secundum illud: Corde creditur ad iustitiam, ore autem confessio fit ad salutem.* IN ANIMA ERGO TVA POSVIT OMNIA PRÆSIDIA. *anima tua Dominus Deus tuus.*

Corde enim creditur ad iustitiam, ore autem confessio fit ad salutem, scilicet ibi remedia, & præsidia Deus posuit, vnde exire peccatum solet; scitè idem B. Laurentius Iustinianus de Fide cap. 4. *Vt vnde inquit* PECCATVM *egreditur, inde & peccati* MEDICINA PETATVR. 261.

Cur fidei iustitiam tribuit, salutem confessioni adscribit? Nodum vidit, nodũ sic soluit Estius hîc. *Quod* FIDES, inquit, AD IVSTITIAM CONSEQVENDAM *prorsus est necessaria, sed tamen homo per fidem iustificatus ad salutem vitæ æternæ non-*

non perueniet, imo nec ipsam salutem inchoatam, qua in iustitia consistit tueri poterit ac retinere, nisi quum res postulauerit, fidem quam animo tenet, ore confiteatur.

262. *Corde enim creditur ad iustitiam.* Qui corde credit ad iustitiam Christum concipit, qui ore confitetur Christum parit. Festiuè S. Augustinos: *Postremò omnes alloquor, omnibus dico: vniuersam virginem castam quam desponsauit Apostolus Christo, ista voce compello, quod miramini in carne Maria, agite in penetralibus animæ, qui* CORDE CREOIT AD IVSTITIAM, CONCIPIT CHRISTVM: QVI ORE CONFITETVR AO SALVTEM, PARIT CHRISTVM. *Sic in mentibus vestris & fœcunditas exuberet, & virginitas perseueret.* Sic ille serm. 60. de diuersis.

Verborum ordinem nota. Priùs dixit: *Corde creditur ad iustitiam*, deinde adiecit: *Ore autem fit confessio ad salutem.* Rectius ordo, nec inuertendus. Non est gratum, quod à labiis nudis oritur, nisi cordis affectus præierit. Hùc nos vocat B. Laurent. Iustinianus serm. de Circuncis. Dom. *Apostolus ait: Corde creditur ad iustitiam, ore autem confessio fit ad salutem.* COROIS IGITVR TVI PRIVS DOMINO IASV AFFECTVM PRÆBE, VT RECTE AIDEM LABIORVM TVORVM CONFESSIONAM AXHIBAAS. *Iesum, Saluatorem tuum, Deum & Dominum tuum, interpellatorem & fratrem tuum, amicum & sponsum tuum esse cognosce, venerare & lauda.*

263. *Ore autem confessio fit ad salutem.* Non est satis corde credere, nisi, quod credis & ore, quũ opus est, confiteatis. Malè aliqui à lapsu Petrum reuocant, & Christum minimè negauisse malè affirmant. Audiendus hîc S. August. lib. contra mendac. c. 2. *Non incassum additum: Ore confessio fit ad salutem. Nonne penè omnes, qui Christum corã persequentibus negauerunt, quod de illo credebãt, corde tenuerunt; & tamen ore ad salutẽ non confitendo perierunt, nisi qui per pœnitentiã reuixerunt? Quis ita euanescat, vt existimet Apostolum Petrum hoc habuisse in corde, quod in ore, quando Christũ negauit?* NEMPE IN ILLA NECATIONE INTVS VERITATEM TENEBAT, AT FORIS MENDACIVM PROFEREBAT. *Cur ergo lachrymis doluit, quod ore negauerat, si saluti sufficiebat, quod corde credebat? Cur, loquens in corde suo veritatem, tam amaro fletu puniuit mendacium, quod ore deprompsit? nisi quia magnam vidit esse perniciem, quòd corde quidem credidit ad iustitiam; sed ore non est confessus ad salutem.*

Dicit enim Scriptura: Omnis, qui credit in illum, non confundetur.

NOn nodè credentem hîc intelligit, sed patere paratum, nec nudam fidem, sed fidem obedientiæ copulatam; CRAOENTEM, inquit Estius, *intelligit* OBEOIENTER, *idest cum voluntate faciendi ea, quæ fides Christi præscribit.*

Idem Dominus omnium, diues in omnes, qui inuocant illum.

264. SEmper est diues; sed præcipuè quùm dona sua petentibus largitur, quùm peccata pœnitentibus remittit, diuerso ab hominibus more. Isti diuitias augent, quùm debita sibi solui student: Deus, quùm condonat. Pulchrè S. Ioannes Damascenos lib. 3. Paral. cap. 100. *Nonarum in Epist. Paul.* APVO HOMINES DEBITA EXPOSCERE, OPVLENTIA EST: APVD DEVM AVTEM EAOEM CONOONARE DIVITIÆ SVNT. *Ac nos, quùm debitam pecuniam accipimus, facultatibus augemur: Deus autem, quum scelerum gratiam facit, tunc denique maximè ditescit: Diuinæ siquidem bonitatis opes in hominum salute posita sunt, quemadmodum Paulus: Qui diues est in omnibus, qui inuocant illum.* Eodem spectabat & Sanctus Chrysostomus serm. 1. de diuersis noui testamenti locis: *In nobis debitorum exactio diuitias facit: quia nos dum recipimus debita, locupletiores efficimur:* OEVS IN REMITTENDIS PECCATIS MAXIME DITESCIT: *nam opulentia Dei hominum incolumitas est: quemadmodum Paulus dicit, opulescens in omnibus, & per omnes qui inuocant eum.*

Diues in omnes qui inuocant illum. Diuerso ab hominibus more, qui pauperes fiunt in eos qui eos inuocant, & ad eorum auxilium confugiunt, alioquin maximè liberales. Rem egregiè versat nobilis ille autor: *Num Deus*, inquit, *diues non est in eos, qui illum non inuocant? absit tam indignamentis & pietatis persuasio. Vnde planè notat Paulus homines immisericordes. Videas quempiam si humanus fastus exigit, valdè munificum; nimirum aduentantis honorator, & amicus hospes: opiparè & sumptuosè illum excipit. De honore agitur? non parcitur sumptibus. Res libidinis voluptatem titillat? prodigus est. Quod si mendicus eleemosynam petit, si calamitosus misericordiam roget: ecce repentè pauper ipse est: & in memoriam cateruatim occurrunt debita, quibus obstrictus est, impensa domus & familiæ, quibus satisfaciendo non est, creditorum sollicitudo, proprij census tenuitas. Vides hominem ad honoris & voluptatis sumptus diuitem derepente pauperem in omnes qui inuocant illum? Non sic Deus, ait Paulus; hominis vitium hoc est; qui quoties eleemosyna danda est, plures rerum suarum dominos agnoscit, ne quid quod dare possit, habere videatur.*

Nùm Deus diues non est in omnes? Nun- 265.
quid diues tantùm in illos, qui illum inuocant? Quid, si nullus inuocaret? An desineret esse diues? Sanctus Ambrosios, DIVES, inquit, DEVS NON EST NISI IN IIS, QVI INVOCANT *illum: quia ipsi accipient remunerationem:* PERFIOIS VERO NON EST OIVES; *quia participes non sunt bonorum eius.* Nimirum, diuitias Deus habere non videtur, si non adsint, quibus eas largiatur. Diues in illos est Deus, quos donis cumolat; ac si pauper esse videretur, si non esset, quibus donaret.

Diues in omnes cum Deus sit, nemo adeò rouidus, & auarus esse debet, vt intra cordis sui angustias Dei beneficentiam claodat: *Auaram vis esse gratiam spiritus*, inqoit abbas Gilleberrus, *cuius circa te solum optas beneficia restringi? Sine vt exerescat & exuberet, & effundat desuper omnem carnem spiritus Domini, & repleat orbem terrarum. Noli communem omnibus beneficentiam intra cordis tui angustias incarcerare. Diues est enim in omnes, & tu minuere tentas affluentiam gratiæ, & immensitatem redigere ad minutias?* ÆMVLE

CORDIS AVARAS DEDIGNATVR CHRISTVS ANGVSTIAS.

266. Diues in omnes qui innocant illum; Diues Deus est cum diuitias suas distribuit; & homines tam fatui sunt vt augeri diuitias putent eum repositas eas tenent, & minui cum eas dispensant? Opportunè S. Chrysostomus: *Multi qui multis donant, hoc precipiunt ne id dicant aliis; ne in vnum facta gratia, ei qui dedit multos petitores excitet, vtpote quòd non possit subterfugium inuenire qui dedit, quominus det aliis, & hoc quidem meritò iubent homines, vt qui dando fiant pauperiores: Deus autem contrà predicat & proclamat ea que dat aliis, vt aliis etiam prebeat occasionem rursus ab eo petendi, dando enim maiores eius ostenduntur diuitie, & ideo dicit Paulus: qui diues est in omnes, & super omnes inuocantes eum, vidisti nouam quandam naturam diuitiarum: eam tu quoque imitare magnificentiam, quando enim* OPES REPOSITAS CONSVMPSERIS, TVNC IPSAS MAGIS AVGEBIS. *Si autem infoderis, ipsas tunc magis diminues*: Sic ille in Psalm. 43.

Diues in omnes, qui inuocant illum. Cur potiùs dixit Deum diuitem esse in eos, qui eum inuocant, quam qui in Deum credunt? *Non dixit* (inquit hîc S. Ambrosius) *Deum diuitem credentibus, sed inuocantibus illum; vt, postquàm crediderit,* NON DESINAT ANIMVS ID POSTVLARE, *quod à Deo semper doctus est postulandum.*

267. *Diues in omnes.* Quid hîc *Diuitis* nomen significat nisi liberalem, affluentem, munificum, copiosè sua dona largientem. NIMIRVM IN DEI RATIONARIO DIVES NON EST, QVI NON EST LIBERALIS; & qui sua aliis non distribuit, nec suus est nec verè diues. In Diuinis literis munificus & liberalis, diuitis nomine, circumscribitur; ne putaremus verè esse diuitem, qui diuitiis onustus est, sed est auarus.

Quicunque inuocauerit nomen Domini, saluus erit.

QVicunque inuocauerit. Et non multi Dei nomen inuocant, qui salui non fiunt? Et non Dominus ait Matth. 7. 21. *Non omnis, qui dicit mihi, Domine, Domine, intrabit in regnum Cælorum. Nonne hoc dicere* (inquit Vgo Victorinus) *est nomen Domini inuocare?* Dubium soluit in hunc modum: *Inuocare est intus vocare, idest,* AD HONOREM DEI ET PROPTER DEVM, VEL DESIDERARE NOTITIAM: *quod non fit sine fide, spe, & charitate.*

Quomodò verò predicabunt, nisi mittantur.

268. QVomodò verò predicabunt, nisi mittantur? Itane ad dignè exercendum prædicationis Euangelicæ munus sufficit mitti? At non mittit Deus, nisi iuuet, quos mittit. INANIS EST HOMINVM CONATVS, inquit Sanctus Anselmus, *nisi Deus missos* IVVERIT.

Quàm speciosi pedes euangelizantium pacem, euangelizantium bona!

EVangelizantium pacem. Ad locum Isaiæ respicit, licèt paulò aliter habeat Euangelicus Propheta; nam cap. 52. 7. ait: *Annuntiantis & predicantis pacem.* Quod Paulus numero plurium extulit, extulerat Propheta numero singulari. Non pugnant hæc inter se, sed mysterio fauent. Euangelici concionatores multi sunt, si personas spectemus: sed sunt vnus, si doctrinam, & EORVM INTER SE CONCORDIAM.

Isaias autem audet & dicit: Inuentus sum à non querentibus me: palam apparui iis, qui me non interrogabant. Ad Israël autem dicit: Tota die expandi manus meas ad populum non credentem & contradicentem.

MOysis auctoritate populi Iudaici reprobationem, gentilis electionem Paulus ostenderat, nunc eidem rei firmandæ Isaiam in testimonium citat. Sed cur non ipse suis hoc verbis fecit Apostolus? vt auribus suæ gentis parceret, & quam minimè posset Iudæos offenderet, altiusque hæc verba eorum cordibus inscriberentur; tanquam ab iis dicta quos bono in se animo fuisse non ignorabant, tanta nimirum CAVTIONE ALIORVM EST OFFENSIO VITANDA.

Expandi manus meas. Nutricis in morem vt id fecerit, sic exponit Primasius hîc: *Toto tempore mirabilia ostendens, & nec sic credidistis, quanta sit pietas Dei; vt in modum nutricis, que vult paruulum proficere vt ambulet, qui necdum ambulat, expandit manus, vt ad illam veniat; &, dum ad illam cupit peruenire, discat ambulare: sic* DEVS BENEFICIIS SVIS SEMPER AD SE COLENDVM IVDÆOS PROVOCAVIT; *sed illi in sua claudicatione remanserunt.* 269.

Expandi manus meas. Habitu scilicet excipere omnes volentis *Significant*, inquit hîc S. Anselmus, *expansa manus & parentis* CLEMENTIAM *suos filios in sinum recipere gestientis. Passam &* LARGITATEM DONANTIS EXPRIMERE, *quod nihil eis petentibus denegauerit; sed roganti leproso mox sanitatem reddiderit, & oculos cæcorum rogantium protinus aperuerit, sicque cetera petentibus dederit.*

CAPVT XI.

EPIST. AD ROMANOS expenditur & illustratur.

SECTIO I.

270 *Aliorum lapsum ad aliorum erectionem Deus ordinat.*

Duris verbis non sunt pungendi, quos mitioribus sanare possumus.

Nimium exacerbandi auditores non sunt.

271 *Nemo facilè à bonorum censu alios excludat.*

272 *Bonorum doctorum institutio & magisterium quanti sit momenti.*

Bonorum cohortatio ad bonum quàm valida.

Humana

Humana imbecillitas quàm magna.
273 *A mentis cæcitate est, vt quis terrenis inhiet.*
Perstricti, qui in terrena feruntur.
274 *Honorificare ministerium nostrum debemus, non nos.*
Ministerium suum quisnam dicatur honorificare.
275 *A bonis prodire quàm magnum bonum sit.*
Sanctos progenitores habere quàm ingens beneficium.
Radicē vt referant sanctorū lipsana.
Beati Meletij laus.
276 *Superbia in carnalibus quàm noxia.*
Intus in corde humilitas esse debet.
Qui in alto residene, caueant ne altum sapiant.

Dico ergo: Nunquid Deus repulit populum suum?

270. AC si diceret; populus offendit tantùm, sed nō cecidit, nec permissi sunt aliqui impingere, vt gēs tota à iustitia excideret & periret; & sensus est, Iudęos non sic offendisse, vt penitus caderēt, idest vt casus vniuersalis, & irreparabilis inde esset sequutus; neque enim Deus populum iudaicum omnino abiecit, sed reliquias sibi inde seruauit. S. August. *Non ita deliquerunt*, inquit, *vt caderent, idest vt tantummodo caderent, quasi ad pœnam suam solùm, sed vt hoc ipsum*, QVOD CECIDERVNT PRODESSET GENTIBVS AD SALVTEM. Tanta Dei est erga homines bonitas, vt eorum qui labuntur lapsu ad aliorum salutem, profectumque vtatur.

Et non verè Iudaicum populum Deus repulit? *Etsi maior Iudaeorum pars repulsa sit*, inquit hîc Estius, *noluit tamen Apostolus absolutè fateri, Deum repulisse populum suum, tum vt* INVIDIAM DVRI SERMONIS DECLINARET; *tum quia scriptura absoluto sermone id negat: Psalm. 93. Quia non repellet Dominus plebem suam.* Quo exemplo docuit duris non esse verbis pungendos, cum vti mitioribus possumus, vt vtilior sermo sit.

Dico ergo; erigit quos depresserat. Benè Sedulius: *Quia*, inquit, *satis illos humiliauerat, modò quasi bonus doctor consolatur eos*, NE ILLOS NIMIVM EXACERBARE *videretur: non omnes, ait, repulit, nisi illos qui non crediderunt.*

Domine prophetas tuos occiderunt, altaria tua suffoderunt; & ego relictus sum solus, & quærunt animam meam.

271. EX responso, quod Eliæ datum est colligitur neminem debere ita de se sentire, vt alios à bonitate exclusos putet, se solum in bonorum censu locet. Notabat hoc Sanctus Augustinus in Psal. 25. *Prophetas tuos occiderunt, altaria tua suffoderunt & ego remansi solus, & quærunt animam meam. Sed quid dicit illi responsum diuinum? reliqui mihi septem millia virorum qui non curuauerunt genua ante Baal: non dixit ei, habes duos alios, duos aut tres similes tibi; noli, inquit, putare te solum; alia, inquit, septem millia sunt, & solum te putas? itaque hoc breuiter præcipimus vt dicere cœperam, intendat mecum fraterna sanctitas vestra, & adsit misericordia Dei in cordibus nostris, vt sic à vobis intelligatur, vt fructificet & in vobis operetur, audite breuiter: quisquis adhuc malus est, non putet neminem bonum esse:* QVISQVIS BONVS EST, NON PVTET SE SOLVM BONVM ESSE.

Et ego relictus sum solus. Hæc Elias dixit; Ignarus scilicet quantæ laterent in illo populo cultorum Dei reliquiæ; sed vnde coniecit Elias Dei cultores defecisse; quia Dei prophetæ fuerant interfecti; ac si in hunc modū ratiocinaretur, vt ait Estius; *Prophetæ tui interfecti sunt, quibus sublatis cæteri tui cultores, horum* MAGISTERIO, ET COHORTATIONE DESTITVTI *regia auctoritate ad cultum Baal abstracti sunt, vt proinde ego relictus sim solus.* Tanta ex Eliæ mente doctorum bonorum bona institutio potest, vt illis deficientibus, Dei cultores plerumque deficiant, licet quod prophetæ non fecerunt, fecerit Deus, qui prophetas ipsos facit. 272.

Et ego relictus sum solus. Non solùm Prophetarum, sed etiam cultorum Dei, sic enim exigunt illa verba, quæ Deus habet: *Reliqui mihi septem millia virorum, qui non curuauerunt genua ante Baal.* Putauit Elias, cum Prophetę Dei essent occisi, altaria suffossa, consequens esse, Dei cultores, Prophetarum magisterio institutos, ILLORVM COHORTATIONE NON AMPLIVS ANIMATOS facilè adducendos, vt genua flecterent ante Baal: & ita fuisset, nisi multos Dei prouidentia sibi seruasset: tantum ad bonum boni doctores possunt.

Reliqui mihi septem millia virorum, qui non curuauerunt genua ante Baal.

REliqui mihi. Non nudè dictum relicta esse; sed *Reliqui mihi*; vt totum Diuinæ bonitati tribuatur, si aliqui, multis cadentibus, non decidant. Humana IMBECILLITAS SOLA NON SVFFICIT NEC INDVSTRIA.

Et dorsum eorum semper incurua.

ORdinem nota, prius dixerat: *Obscurentur oculi eorum ne videant*, idest mens eorum supero lumine viduata obtenebretur, addit statim, *dorsum eorum semper incurua*, nihil cæleste sapiant, terram solum, & terrena spectent, peritura desiderent quod est veluti illius primi consectarium, A MENTIS CÆCITATE EST, VT QVIS TERRENIS INHIET, & terrenorum desiderio corripiatur. 273.

Dorsum eorum semper incurua; cum potiùs spectare cælestia, cælestia cupere deberent; mirum quod hîc insignis pœnæ loco dicitur; homines sponte eligunt, dorsum semper incuruant, etiam nullo premente, nisi ea CVPIDITATE, QVA IN TERRENA TOTA MENTE FERVNTVR.

Ministerium meum honorificabo.

MInisterium dixit, non *seipsum*. Verò honore est indignus, qui honorem suum quærit in ministerio, quod exercet. Sanctus Bernardus epist. 42. huc respiciens ait: *In omnibus, exemplo Apostoli, honorificabitis ministerium vestrum: ministerium inquam, non dominium.* IPSVM ITA- 274.

Nuuatin. in Epist. Paul.

QVE HONORIFICABITIS, NON VOS: *nam, qui quæris, quæ sua sunt, se cupit honorari, non ministerium.* Addit statim: *Honorificabitu autem non cultu vestium, non equorum fastu, non amplis ædificiis; sed ornatis moribus, studiis spiritualibus, operibus bonis.*

Ministerium meum honorificabo; Plerique à ministerio honorificari quærunt: & ministerium vilipendunt. Quid sit officium honorificare sic exponit Vgo Victorinus quæst. 269. ILLE MINISTERIVM SVVM HONORIFICAT, *qui supra quàm ex officio suo debeat impendit aliquid, vt Paulus, qui ex officio tantùm gentibus prædicare debebat, plus fecit etiam Iudæis prædicando.* Ab hoc more abeunt, qui ministerij sui terminos, limitésque adeo non extendunt, vt maximè coarctent, ac coërceant.

Et, si radix sancta, & rami.

275. SEnsus est; si Patriarchæ ex quibus velut è radice processit velut arbor Iudaicus populus sancti sunt, ipsa etiam arbor cum ramis suis id est populus Iudäicus sanctus erit; cùm filij & nepotes sanctitatem ebibere à sanctis parentibus & maioribus debeant; sed cur Sanctus Paulus *sanctum* populum suum vocat? An vocat sanctum non, quòd talis esset, sed quia facile esse poterat. *Non sanctum vocat*, inquit Estius, *Iudaicum populum Paulus, quod sanctitatem in se habeat, sed* QVIA HABET VNDE SANCTIFICETVR TANQVAM MASSA EX PRIMITIIS, ET RAMI EX RADICE, *vt proinde sanctus dici possit in spe, & in causa probabili, & in quadam præparatione, quam scriptura non raro sanctificationẽ vocat; quæ præparatio* & CAVSA EST HABERE SANCTOS PROGENITORES; tantum bonum est à bonis esse, prodire à bonis.

Radicem quandam referre sanctorum lipsana, indicat S. Chrysostomus sanctum Meletium efferens hom. in eius laudem, dum ait: EGREGIA EST RADIX, *& admirabilis, sed* FRVCTVS QVOQVE NON SVNT INDIGNI HAC RADICE. *Etenim quomodo* RADIX *quæpiam admirabilis, quæ latet in sinu terræ, ipsa quidem non apparet, per fructus autem ostendit vires suæ virtutis: ita etiam Beatus* MELETIVS, *in hac capsa conditus, ipse quidem non cernitur à nobis oculis corporis; per vos verò, qui estis fructus suæ gratiæ vires ostendit.*

Noli altum sapere, sed time.

276. N*Oli altum sapere*; ac si diceret, caueto ne superbias, animóque efferaris, quod fide stas in oliua, sed time ne per infidelitatem ab ea succidaris; quod si superbia tàm noxia in spiritualibus est, quantò magis erit in iis, quæ ad carnem spectant, aut etiam quæ adnexum peccatum habent? Audiendus hìc S. Chrysost. hom. 2. ad populum, vbi ait: *Ne igitur in diuitiis altum sapiamus, sed nec in vlla alia re. Si enim* IN SPIRITVALIBVS *altum sapiens labitur & perit, multò* MAGIS IN CARNALIBVS.

Noli altũ sapere. Non dixit: *Noli altum dicere.* Ne de extima quis sibi humilitate blandiretur: intus in corde esse humilitas debet. *Quid tibi prodest*, inquit S. August. in Psalm. 118. conc. 2. *videri hominibus humile esse, quod dicis; si Deus videt altum esse, quod sapis? Certè si auribus Diuinum informares oraculum.* NOLI ALTVM DICERE. *Nec sic immeritò damnareris, si humile in ore corã hominibus, & altum in corde coram Deo loquereris. Cùm verò audias: Noli altum sapere, sed time, non enim ait, dicere; sed, sapere.* CVR NON ETIAM INTVS ES HVMILIS, VBI SAPIS? *An ideo mens altitudine inflatur, vt humilitatem lingua mentiatur? Legis vel audis: Noli autem altum sapere, sed time. & tu in tantum sapis altum, vt te peccatum existimes non habere? Ac per hoc, quia non vis timere, nihil tibi aliud remanet quàm timere.*

Noli altum sapere. Hoc maximè sibi putent dictum qui in alto residẽt; opportunè S. Bernard. epi. 42. *Noli altum sapere; sed time.* IN ALTO POSITO NON ALTVM SAPERE DIFFICILE EST, *& omnino inusitatum: sed quanto inusitatius, tanto gloriosius. Timor de adepta iam altitudine, cadere magis quàm placere faciet altiora.*

SECTIO II.

277 *Iudæorum pœna, eruditio nostra est.*
Abusus gratiæ Dei tremere facit.
Nemo in bono torpeat.
Diuinæ gratiæ omnia adscribenda.
278 *De nuda fide nemo sibi blandiatur.*
Acrius Deus in Christianos sæuiet, si peccauerint, quàm in Iudæos.
Bonorũ fructus ferre Christianorũ est.
279 *Sacerdotij magnitudo & excellentia.*
Inscrutabilia cur Dei iudicia dicantur.
280 *Quàm incomprehensibilis Deus sit.*
Diuina non sunt temerè discutienda.
281 *Iudicium de supremo iudice ferre, quàm sit impium.*
282 *Diuinorum iudiciorum profunditatem circa hominum salutem venerari debemus, non discutere.*
283 *Naturam propriæ mentis cognoscere, difficile.*
Solius Dei est, nullo opus habere consiliario: omnes homines habent.
284 *Omnia nihil sunt nisi in Deum dirigantur.*
Trinitatem vt rectè insinuauerit Apostolus.

Si enim Deus naturalibus ramis non pepercit, ne fortè nec tibi parcat.

IPSA Iudæorum pœna eruditio nostra esse debet, & cautio: Christi in terra lo- 277.
quentis verba contempserũt, & tam grauiter puniti: quid timere nos debemus, si in cælo loquentem contemnemus? Rem egregiè vrget B. Laur. Iust. in Fascic. amoris c. 12. dum ait: *Exemplum nobis incredulitatis facti sunt ij, quibus loquebatur in carne. Si enim illi non effugerunt recusantes eum, qui super terram loquebatur,* NOS QVID ACTVRI SVMVS, SI DE COELO NOBIS LOQVENTEM NON ADVERTIMVS? *Vide*

Vide ergo bonitatem & seueritatem Dei: in eos quidem qui ceciderunt, seueritatem: in te autem bonitatem Dei, si permanseris in bonitate: alioquin & tu excideris.

VIde ergo bonitatem. Sed cuius? Non tuam, sed Dei. *Non dicit*, inquit S. Chrysostomus hîc: *Vide igitur virtutem tuam, aut labores tuos; sed, Dei bonitatem. ostendens, quod vniuersum ex superna sit gratia factum, instituensque credentem, vt tremat:* ABVSVS QVIPPE GRATIÆ DEI TREMERE FACIT. *Nam ob ipsum, inquit, quod bonus factus est erga te Dominus, timendum tibi fuerit. Non enim immota tibi bona manebunt, si* TORPESCERE VOLVERIS: *quemadmodum nec illis mala si quidem mutati fuerint.*

Vide ergo bonitatem Dei. Diuinæ bonitatis meminit, non nostri operis; ne nimium quis sibi tribueret, suisque lacertis; sed superæ Dei gratiæ, quicquid in nobis boni est, tribueretue. *Non dixit*, inquit Theophylactus hîc: *Vide igitur praclarum opus tuum. sed, Bonitatem Dei.* TOTVM ENIM ILLIVS EST GRATIÆ.

278. *Si permanseris in bonitate.* Bonitatis meminit, ne tibi de nuda fide blandiaris. *Non dicit*, inquit hîc Sanctus Chrysostomus: *Si permanseris in* FIDE, *sed; Si permanseris in* BONITATE. *hoc est, si feceris, que Diuina bonitati dignè correspondeant: non enim sola fide opus est.* Licet aliqui de Dei bonitate hæc verba intelligant, quod placuit Estio hîc.

Et tu excideris. Cur *excidendi* vsus est verbo non *frangendi*, quod fecit, cum de iis loqueretur, qui ex propria oliua tanquam rami deciderunt? Nodum soluit S. Anselmus hîc, dum ait: *Notandum, quod hi, qui ex propria oliua deciderunt, fracti dicuntur: hi verò, qui ex oleastro inseruntur, si iterum peccauerint, non frangendi (quod vtique esset leuius) sed excidendi asseruntur. In quo acrior profectò Dei* SEVERITAS DEMONSTRATVR, *si, cùm esset oleaster, ex peccatorum sylua collectus est, & ad radicem fidei atque sanctitatis adductus, postea rursum* AMAROS MALITIÆ SVCCOS PROFERAT. *Si*, inquit, *bonus esse desieris, tu quoque excideris à bona radice.*

Potens est enim Deus iterum inserere illos.

INserere illos; Inserendi verbum tacitè inclamat fructus ab illis expectari, qui inseruntur. Sanctus Ambrosius huc spectans. *Docet*, inquit, *de illis, qui ceciderunt, Apostolus: quia si non permanserint in incredulitate, inserentur, potens enim est Deus iterum inserere illos, vt quemadmodum inserta virgulta, ita & homines velut caudicibus quibusdam virtutis inserti,* BONORVM FRVCTVS POSSINT FERRE *meritorum*, sic ille in Psalm. 118. oct. 10.

O altitudo diuitiarum sapientia & scientia Dei! quàm incomprehensibilia sunt iudicia eius, & inuestigabiles via eius!

279. O Altitudo! Quid admiraris, Paule? quid stupes: vidisti in Cœlum raptus, quæ non licet homini loqui: terræ redditus, quid inuenire potuisti, quod in admirationem te raperet? De hominum prædestinatione ac reprobatione solent hæc verba explicari: non defuit, qui ad sacerdotij magnitudinem & excellentiam explicandam ea flexerit. Sanctus Ephræmus lib. de Sacerdot. *Excedit*, inquit, *intellectum & orationem*, OMNEMQVE COGITATIONEM DONVM ALTITVDINIS DIGNITATIS SACERDOTALIS: *& (sicut arbitror) hoc est, quod Paulus, quasi in stuporem mentis actus, innuit exclamans: O altitudo diuitiarum sapientia & scientia Dei incomprehensibilis! quàm incomprehensibilia sunt iudicia eius, & inuestigabiles Diuina via eius!*

Paulus Dauidi contrarius videtur, Paulo Dauid. Hic Psalm. 118. 13. ait: *in labiis meis pronunciaui omnia iudicia oris tui.* Ille inscrutabilia & incomprehensibilia Dei iudicia dixit. Si verba rectè pendas, non aduersantur sibi, qui vno sunt spiritu loquuti. *David*, inquit Guilliadus, *non dicit: Pronunciaui omnia iudicia tua: Sed, omnia iudicia oris tui, id est nihil iudiciorum tuorum tacui, qua mihi per eloquia tua innotescere voluisti.* OMNIA IVDICIA ORIS TVI. ID EST, *quamihi dixisti & reuelasti. Tropo Scriptura per os Domini intelligimus eloquium Domini, siue Scriptura siue reuelatione interna reuelatum fuerit.*

Incomprehensibiles sunt Dei viæ: quantò magis est ipse incomprehensibilis? Rectè rem vrgebat S. Cyrillus Ierosolymit. catech. 6. vbi ait: *O altitudo diuitiarum & sapientia Dei! quàm inscrutabilia iudicia eius & inperuestigabiles via eius! Si iudicia & via inuestigari & comprehendi non possunt,* IPSENE COMPREHENDETVR? *Ergo tantus cum sit Deus & etiam maior; neque enim si vel totam meam naturam in linguam commutauero pro dignitate potero nunciare; immò, nec si omnes quidem Angeli conueniant, quod dignum & aquum est, eloquentur.* 280

Ex his verbis eorum dementiam arguit Cæsarius dial. 3. qui temerè de Diuinis rebus mouent quæstiones. *Magniloquus & eximius ille Apostolus disertè clamat: O profunditatem diuitiarum & sapientia & cognitionis Dei! quam inscrutabilia iudicia sunt eius, & inperuestigabiles eius via! Quis enim cognouit mentem Domini? aut quis fuit ei consiliarius? O dementiam!* SANCTI HÆSITANT, VVLGARES MOVENT QVÆSTIONES. *Proinde conticescat omnis contentio, & motus cogitationum, gaudet enim Diuinum illud numen se simplici fide honorari.*

Quàm incomprehensibilia sunt iudicia eius. Quis ergo tàm audax vt iudicare iudicis supremi iudicia audeat, & inuestigabiles eius vias inuestigare? *Nec Paulus*, inquit Sanctus Ambrosius in Psalm. 36. *Prasumpsit dicere, qui raptus est in paradisum, audiuit secreta calestia. Sed volēs* NON IN IIS ERRARE QVÆ DICERET, *ait, quàm inscrutabilia sunt iudicia Dei, & inuestigabiles via eius?* Et Sanctus Augustinus tract. 53. in Ioannem: *Ideò cum quastiones huiusmodi in medium venerint, quare alius sic, alius autem sic, quare ille Deo deserente excacetur: ille Deo adiuuante illuminetur: non nobis* IVDICIVM DE IVDICIO TANTI IVDICIS VSVRPEMVS, *sed contremiscentes exclamemus cū Apostolo, O altitudo diuitiarum sapientia & scientia Dei, quàm inscrutabilia sunt iudicia eius & inuestigabiles via eius.* S. Antonius Abb. serm. de vanit. mundi ad hunc loc spectans. *O altitudo diuitiarum, benignitatis & patientia Dei* 281 282

quia super his quæ geruntur malis, LONGANIMITER DIFFERT, *& nequaquam vlciscitur: non quasi eo quod nequeat statim inferre vindictam suam indignationem temperat: Sed quasi pius pater clementer nobis condolens suam misericordiam prætendit: vt vel sero compuncti ad pœnitentiam conuertamur; & immensæ bonitatis eius misericordiam consequamur.* Ioannes Cassianus, collat. 13. cap. 17. hæc eadem Pauli verba in hunc modum versat: *Hanc*, inquit, *dispensationis Dei multiplicem largitatem Beatus Apostolus mente pertractans, & in quoddam immensum atque interminabile pietatis Dei pelagus se incidisse conspiciens, exclamauit. ô altitudo diuitiarum sapientiæ & scientiæ Dei, quàm inscrutabilia sunt iudicia eius, & inuestigabiles viæ eius? quis enim cognouit sensum Domini? huius ergo scientiæ* ADMIRATIONEM QVAM TALIS *ac tantus* GENTIVM MAGISTER EXPAVIT, *euacuare conabitur quisquis crediderit illius inæstimabilis abyssi profunditatem humana se posse ratione metiri: nam qui ad plenum dispensationes Dei, quibus salutem in hominibus operatur, vel mente concipere, vel disserere se posse confidit, proculdubio impugnans Apostolicæ sententiæ veritatem, scrutabilia esse Dei iudicia & vestigabiles vias eius, profana pronunciabit audacia.*

Quis enim cognouit sensum Domini? aut quis consiliarius eius fuit?

283. SEnsus est, neminem cognoscere cogitationes, & consilia mentis diuinæ, nullum posse Deo consilium dare, nec audere participem esse eius consiliorum. *sensum* ex Græco verti poterat *mentem*. Hoc ad propriam cuiusque mentem flexit Sanctus Gregorius Nyssenus de opificio hominis cap. 11. vbi ait: *Præclarè Apostolus exclamat: quis mentem Domini cognouit? Mihi verò libet hoc etiam adiicere: quis mentem propriam perspectam habet? Respondeant nobis qui Dei naturam, animi cogitationibus comprehendi posse existimant, seipsosne planè contemplati sunt?* MENTISVE PROPRIÆ NATVRAM EXPLORATAM ET COGNITAM HABENT.

Quis consiliarius eius fuit? Nullo indiget consiliario Deus, quia Deus est; indiget homo, quia homo, vt nimis effetat se, & extra imbecillitatis suæ limites se temerè, ac periculosè rapiat, qui consiliarius non addit; Benè ille: SOLIVS DEI EST NVLLO OPVS HABERE CONSILIARIO; sicque in hoc Deo se pariat, qui aliorum consilia respuit tanquam ipse sibi sufficiat, & frustra ab aliis quærat, quod à se habet, habet in se, grauissimi multorum in omni æuo lapsus hanc damnant temeritatem, quæ nocentior est, cum in spiritualibus rebus est, in quibus grauiùs erratur.

Quoniam ex ipso, & per ipsum, & in ipso sunt omnia. Ipsi gloria in secula.

284. LIcet hæc tribus personis aptentur, vni tamen Deo benè tribuuntur; vt *ex ipso* dicantur esse tanquam effectrice causa, *per ipsum* quatenus omnia per eundem gubernantur & conseruantur; *in ipso*, seu vt ex Græco legitur *in ipsum*, quia sic Deus omnia gubernat, & regit, vt dirigat in seipsum, in se tanquam in finem ordinet; adeo vt OMNIA NIHIL SINT SI IN DEVM NON DIRIGANTVR.

Ipsi gloria. Ipsi, non ipsis, vt vnitatem in Trinitate colligeremus & coleremus. Peritè S. Augustinus in Psalm. 4. *Hæc Trinitas non nisi vnus Deus: quia, cùm dixisset Apostolus: ex quo omnia, per quem omnia, in quo omnia.* TRINITATEM IPSAM INSINVASSE CREDITVR; *nec tamen subiecit: Ipsis gloria. Sed: Ipsi gloria.*

CAPVT XII.

EPIST. AD ROMANOS expenditur & illustratur.

SECTIO I.

285 *Misericordiæ cur præcipuè meminit Paulus.*
Plus amari vult Deus, quàm timeri.
286 *Medici personam superior induat amore potiùs quàm potestate disciplinam suadeat.*
Dei misericordia qui vna & multiplex dicatur.
287 *Corpus nisi mortificatione cohibeatur, hostis animæ fit.*
288 *Omnia membra mortificanda, ne diminuta oblatio sit.*
Sacrificium à spiritu inchoatur, determinatur in corpore.
289 *Animæ sacrificium potius quàm corporis.*
Anima se in sacrificium offerre Deo nequit, nisi sibi corpus corporisque membra subiugauerit.
290 *Sibi quilibet hostia & sacerdos est.*
Corpus suum qui tanquam hostiam Deo offert, multis animam suam ditat bonis.
291 *Sancti viri quotidie se Deo offerunt & mactant.*
292 *Iugis & repetita corporis nostri oblatio.*
293 *Castitas & pudicitia vt sacerdotes creet.*
294 *Viuentem hostiam se quilibet offerat, virtutibus viuens, vitiis moriens.*
295 *Quanta perfectionis sit corpus velut hostium macture.*
296 *Se quisque, non tantùm sua, offerre Deo debet.*
Cur olim hostiæ occiderentur, nunc offerantur viuæ.
297 *Iugiter affligi corpus debet & conteri.*

298 Corporis

Obſecro itaque vos, fratres, per miſericordiam Dei.

285. CVR non potiùs obſecrat per iuſtitiam aut gloriam Dei? An, quia miſericordiæ præcipuè ſe debere cogitabat, quòd de perſequutore Apoſtolus euaſerit? Pulchrè Petrus Rauen. in Allegor. Tiim. *Quarè non per virtutem Dei* AVT GLORIAM PRECATVR APOSTOLVS; SED TANTVM PER MISERICORDIAM DEI? *Quare? Quia per ipſam ſelam & crimen perſequutoris euaſit, & Apoſtolatus santi adeptus eſt dignitatem, ſicut ipſe fatetur dicens: Qui prius fui blaſphemator & perſequutor, ſed miſericordiam conſequutus ſum.*

Obſecro vos. Rogat & non iubet, vt amoris potiùs obſequium ſit, quàm timoris. Peritè Sanctus Petrus Chryſologus ſerm. 108. *Obſecro vos per miſericordiam Dei, rogat Paulus, imò per Paulum rogat Deus:* QVIA PLVS AMARI VVLT QVAM TIMERI. *Rogat Deus quia non tam Dominus eſſe vult quam Pater. Rogat Deus per miſericordiam, ac vindicet per rigorem.*

286. *Obſecro.* Poteſtatis, auctoritatiſque titulum exuit, rogat, vt amore ea perſuadeat quæ amara, quæ dura putantur. Præſtat hîc eundem Sanctum Patrem ſiſtere, qui eodem ſermone ait: *Mira pietas, qua vt precetur, largiatur, exorat; hodie namque Beatus Apoſtolus, non humana potens, ſed diuina conferens ſic precatur, Obſecro, inquit, vos per miſericordiam Dei, medicus auſtera remedia recipere perſuadet ægrotos, agit precibus, nõ cõpellit imperio: ſciens infirmitatis, non voluntatis eſſe: quod ſalutaria reſpuit, quoties profutura repellit infirmus. Et filium pater non* POTESTATE, SED AMORE, AD RIGOREM PERTRAHIT DISCIPLINÆ, *nõ ignorans quàm ſit aſpera immaturis ſenſibus diſciplina. Et ſi corporalis infirmitas ad curam precibus ſic mouetur, ſi puerilis animus vix ad prudentiam ducitur blandimentis; quid mirum ſi Apoſtolus qui ſemper eſt medicus, & pater, humanas mentes morbis carnalibus ſauciatas, vt ad remedia diuina ſurrigant, ſic precatur*, Niſi medici perſonam ſuperior induat & Patris vix eſt quod dicitur.

Per miſericordiam Dei. Græcè eſt: *Per miſerationes Dei.* Cur igitur ſingulari numero interpres vſus eſt? Vna in ſeipſa miſericordia eſt: multiplex, ſi effectus eius ſpectes. Potuit igitur vtroque numero legi, cum in idem res recidat, nec numeri diuerſitas ſenſum variet.

Vt exhibeatis corpora veſtra hoſtiam viuentem, ſanctam, Deo placentem, rationabile obſequium veſtrum.

CORpus, niſi hoſtia ſit, hoſtis eſt non animæ duntaxat, ſed (quod mireris) etiam ſui. Ruinam animæ creat & ſibi, niſi cohibeatur. Pulchrè B. Laurentius Iuſtinianus ſerm. in Domin. de Dom. palm. *Admonentem Apoſtolum audi: Obſecro, inquit, vos, fratres, per miſericordiam Dei, vt exhibeatis corpora veſtra hoſtiam viuentem, ſanctam, Deo placentem, rationabile obſequium veſtrum. Obſecrat, corpus exhiberi in laboribus, in ieiuniis, in vigiliis, in fame & ſiti, in frigore & nuditate, vt eſſe valeat hoſtia viua, ſancta, Deo placens atque perfecta. Nouerat excellentiſſimus Doctor,* QVAM PETVLANTER ADVERSVS SPIRITVM LASCIVIAT CORPVS, *quantumque virtutis renitatur bono, ſi abſque pœnitentia eruditione permaneat; propterea hortatur, vt ſub temperantia coërceatur iugo, ipſiuſque immoderata refrenetur voluptas, ne ſibimet ruina efficiatur & animæ.* 287.

Vt exhibeatis corpora veſtra, Boues, capras, aliaque animalia Iudæi obtulerunt, nobiliores, electioreſque hoſtias offerre nos Deo debemus, ipſa ſcilicet corpora noſtra, mortificata non mortua.

Corpora veſtra; Non oculos tantùm, non tantùm aures, ſed corpus integrum, ſenſus omnes, membra omnia. DIMINVTAM OBLATIONEM DEO OFFERVNT, qui membrum aliquod mortificant, non omnia; gulæ appetitum aliqui per abſtinentiam coërcent, fræna membris cæteris, cæteris ſenſibus liberè laxant. 288.

Vt exhibeatis corpora veſtra. Seruire caro debet, non ſæuire. Sæuit, niſi ſeruiat. Sed cur corpora, non animas, præcipit Apoſtolus offerri velut in ſacrificium? Richardus Victorinus hîc, SACRIFICIVM, inquit, *à ſpiritu inchoatur, & in corpore determinatur.*

Corpora veſtra; tanquam hoſtia viuens exhibenda corpora ſunt; cur non potius de potiori parte id fiat, animaque Deo exhibeatur in ſacrificium? Benè Primaſius: *vt exhibeatis corpora veſtra, quantò magis animas veſtras?* nam corpus ſine anima inanime ſacrificium eſt, & hoſtia, vt ita loquar, cadauerosa. Animet animæ ſacrificium ſacrificium corporis vt viuens ſit, & Deo gratum. Huc faciunt verba verè aurea quæ in hanc rem ad hunc locum ſpectans exhibet S. Petrus Chryſologus ſerm. 109. ſic enim ille ſcribit: *Obſecro vos per miſericordiam Dei, vt exhibeatis corpora veſtra hoſtiam viuam. Nunquid Apoſtolus ſic dicendo, ſola corpora digna diuinis hoſtiis probat? &* ANIMAS VELVT REPROBAS AVT TACET, AVT PRÆTERIT AVT RELINQVIT? *nonne anima de cælo eſt, corpus è terra? hoc regitur, regit illa? illa manet, hoc deficit, illa dominatur, hoc ſeruit? hoc viuit, illa viuificat? hoc ætates patitur illa neſcit, & ad extremum mors quæ tantum dominatur in corpus, nec*

anima

anima presente contingit? Et quid est quod tacetur anima, & solum corpus ad Dei hostiam sic vocatur? fratres hic Apostolus honorat corpus, non minorat animam. Nam corpus quod capiunt peccata, quod delicta vinciunt, quod deprimunt crimina, quod vitia corrumpunt, quod deiiciunt passiones: HOC APOSTOLVS CVPIT DISSOLVERE, LIBERARE STVDET, *Laborat attollere, expiare contendit, vt corpus ad originem animæ conscendat, non anima descendat corporis ad naturam; & corpus animam comitetur ad cœlum, non anima Corpus sequatur ad terram.* Nimirum anima se in sacrificium offerre Deo nequit, nisi sibi corpus, corporisque membra subiugauerit.

290\. *Corpora vestra.* Noli extra te quærere quod offeras, quod mactes; tecum hostiam habes, quam Deo sacres, sicque homo & sacerdos simul, & hostia est, & cum se obtulerit adhuc habet quod offerat, ita enim mactatur hostia, vt viuat, quin veriùs viuit, quò sanctiùs mactatur. Nolo hîc desiderari verba Doctoris non semel producti. Idem Sanctus Petrus Chrysologus serm. 108. ita philosophatur. *Obsecro vos vt exhibeatis corpora vestra. Apostolus rogando sic omnes homines ad sacerdotale fastigium prouexit, vt exhibeatis corpora vestra hostiam viuam. O Inauditum Christiani pontificatus officium,* QVANDO HOMO SIBI IPSE EST, ET HOSTIA, ET SACERDOS, *quando homo non extrinsecus, quòd Deo est immolaturus inquirit: quando homo secum, & in se, & quod pro se est, Deo sacrificaturus apportat: quando & eadem manet hostia, idem permanet & sacerdos, quando hostia mactatur, & viuit, Sacerdos nescit, occidere qui litabit, mirum Sacrificium, vbi corpus sine corpore, sine sanguine sanguis offertur.*

291\. Qui corpus suum tanquam hostiam viuentem Deo offert, multis animam suam ditat bonis; Pulchrè B. Laurentius Iustinianus de Iustitia cap. 6. *Aliud*, inquit, *est Corporis propter Deum mortificati, de quo Apostolus. Obsecro vos per misericordiam Dei, vt exhibeatis corpora vestra hostiam viuentem, sanctam Deo placentem.* PER HOC ENIM MVLTA ACQVIRVNTVR BONA, ET GRATIÆ PROPTER HOC OPVS IVSTITIÆ. *Amaritudinem namque radicis, dulcedo pomi compensat: pericula maris, spes lucri delectat: dolorem medicinæ, spes salutis mitigat. Qui enim desiderat nucleum frangat nucem, & pœnitentiam agat, corpus mortificet, qui vult æterno adhærere bono, & perfectam obtinere iustitiam.*

Olim victimæ statim mactabantur, hîc aliter fit, semper viuens hostia est, vt quotidie possit Deo sacrificari. Hinc S. Dorotheus doct. 22. *Quomodo debemus exhibere corpora nostra hostiam viuam, Sanctam, beneplacitam Domino? ne scilicet amplius faciamus voluntatem carnis, & cogitationes nostras, sed, vt Spiritu ambulemus, & desideria carnis non perficiamus, & membra nostra mortificemus, quæ sunt super terram; hæc est enim hostia viuens: Nam victima ad Sacrificium ducta illico mactatur & moritur. Sancti autem viri dum* PRIMITIAS VIVENTES SEIPSOS OFFERVNT QVOTIDIE DOMINO SACRIFICANT. *Vnde ait Dauid: quia propter te mortificamur tota die, æstimati sumus sicut oues occisionis.*

292\. Viueotem dixit ad differentiam legalium hostiarum, quæ occidebantur, *& ne quis putet*, inquit Sanctus Chrysostomus, *quod præcipiat mactari corpora*, hoc est interfici, quod nefas est. Hostia quæ occidebatur semel offerebatur, mactabatur semel, iubemur igitur viuentem hostiam offerre, VT IVGIS ET REPETITA OBLATIO ISTA SIT; adeo vt quousque vita porrigitur, ait Estius, hostiæ oblatio sit. Sedulius hunc locum ita edisserit: *Viuentem dicit hostiam quæ vitam hoc est Christum in se gerit, sanctam dicit in qua Spiritus sanctus habitat; placentem Deo, vt potè à peccatis, & vitiis separatam.*

Hostiam viuentem. Nimitùm, grata Deo vi- 293.
ctima & hostia caro est, est corpus, si viua sit. Erit apud Deum viua, si vitiis & concupiscentiis sit mortua. Quæ de hac hostia habet S. Isidorus Pelusiota lib. 3. epi. 75. religio esset, si hîc præterirem, *Pulcherrima*, inquit, *victima est, piam mentem & carnem castam habere, eoque etiam illud dixit, quod tu ex me intelligere cupisti: Exhibete corpora vestra hostiam viuentem, Deo placentem, rationabile obsequium vestrum. Non enim ad Sacerdotes solos scribens (vt ipse existimas) hæc ipsis mandabat, sed vniuersæ ecclesiæ: vnumquemque enim ipsorum hac in parte Sacerdotem esse iussit.* QVOD SI OASTITAS ET PVDICITIA SVBDITOS SACERDOTES CREAT; *libido proculdubio ac lascimia sacerdotibus dignitatem abrogat.* Scilicet, vt libido sacerdotis decorem aufert à sacerdotibus: ita castitas sacerdotem perficit & exornat.

Hostiam viuentem. Hostia vitiis occisa, virtu- 294.
tibus viuens; Sanctus Eligius homil. 8. de Filio prodigo hunc locum ita exponit. *Magister gentium iubet vt exhibeamus corpora nostra hostiam viuentem, Sanctam, Deo placentem. Hostia quippe occiditur, vt offeratur: Sed hostia viuens est corpus pro Domino afflictum: quod viuens dicitur,* QVIA VIVIT IN VIRTVTIBVS, ET EST OCCISVM VITIIS. *hostia verò quia iam hinc mundo est à prauis actibus mortua, viuens quoque dicitur, quia cuncta quæ praualent, bona operatur.* Non plenè hæc hostia viueret, nisi ita esset occisa.

Hostiam viuentem. Papè quantæ perfectionis 295.
est corpus velut hostiam mactare, & membrorum lasciuiam, ac petulantiam mortificationis vsu coërcere, fit enim hostia viuens, ac si hoc sacrificium illud referret quodammodo, ac ab illo descenderet, quo Christus pro sæculi vita se obtulit. Adest qui hanc mentem fulcit Sanctus Petrus Chrysologus serm. 108. sic loquens: *Obsecro per misericordiam Dei, vt exhibeatis corpora vestra hostiam viuam, Sanctam,* FRATRES HOC SACRIFICIVM CHRISTI DESCENDIT EX FORMA, *qui corpus suum pro vita sæculi vitaliter immolauit: & verè corpus suum fecit hostiam viuam, quia viuit occisus: In tali ergo victima mors expenditur, hostia permanet: viuit hostia, mors punitur, hinc martyres morte nascuntur, sine inchoant, occisione viuunt, & in cœlis lucent, qui in terris putantur extincti.*

Hostiam viuentem; ex quo fit vt offerre te de- 296.
beas, non tua duntaxat. Benè S. Hieronymus epist. 34. quæ est ad Iulianum. *Ego vos mergam ne ipse mergar à vobis. Philosophus gloriæ animal, & popularis auræ vile mancipium, totam simul sarcinam deposuit: & tu te putas in virtutum culmine constitutum, si partem ex toto offeras? teipsum vult Dominus, hostiam viuam, placentem Deo,* TE INQVAM NON TVA.

Hostiam viuentem. Cur, cum olim mortuæ offerrentur

offerrentur hostiæ, nunc *viuentem* offerendam Apostolus monet? *Apud veteres* (inquit hîc Sanctus Ambrosius) *ideo oblata* OCCIDEBATVR HOSTIA, VT HOMINES PECCATI CAVSA MORTI SVBIECTOS SIGNIFICARET: *nunc autem, quia per donum Dei purificati sunt homines, & a morte secunda liberati,* VIVAM HOSTIAM DEBENT OFFERRE, *vt signum sit vitæ æternæ; non enim sunt corpora pro corporibus immolanda, sed vitia corporis perimenda sunt.*

Hostiam viuentem; semper viuens est hostia, quæ offerenda est, vt nunquam oblationis materia desit. Olim victimæ quæ Deo offerebantur iterum offerri non poterant, iam mortuæ; at qui corpus affligit ita illud atterit, vt viuat, atque adeo iugiter affligi debet, & conteri. *Viuens victima*, inquit Sanctus Petrus Chrysologus serm. 43. QVÆ TIBI MANEAT, *& grata sit Deo*; Quid times offerre, quod maximè possides, cùm offers, & quod maximè habes, cum exhibes? viuens hostia est; auaritiæ consulitur; ne timeas amittere hostiam; non amittis, cùm non moriatur, sed viua sit.

298. *Hostiam viuentem.* Mortuam offerri antiqua lex iusserit: noua viuentem quærit. Peritè Elias Cretensis in Orat. 1. S. Gregor. Nazianz. *Apostoli est, quod sequitur: Obsecro enim vos fratres (inquit ad Romanos scribens) vt exhibeatis corpora vestra hostiam viuentem, sanctam, Deo placentem, rationabile obsequium vestrum. His autem verbis spirituale sacrificium legali opponit: legale quippe corporeum erat, non autem sanctum, atque id, quod immolabatur, mortuum reddebat. Hoc autem nihil eiusmodi habet: neque enim nos ipsos mactare iubemur; sed carnis affectum, & membra quæ sunt super terram, atque aduersus spiritus legem pugnant, cum ratione mortificare.* HOC ENIM VITAM, NON MORTEM AFFERT. *Hoc rationale obsequium est; nihil crassum, nec sensibile habens. Tales sunt, qui seipsos hostiam viuentem Deo exhibent, ac rationabile obsequium ipsi offerunt.*

299. Sed cur tanquam hostiam mactari Deo offerique corpus nostrum debet? Sasbout: vt velut SEMEL DICATOS DEO NON AD ALIOS VSVS VOS ACCOMMODETIS. Sicut nec hostia, quæ Deo offerebatur, in alios vsus adhiberi licebat.

Vt exhibeatis corpora vestra hostiam. Horum verborum vim egregiè hîc expendebat S. Chrysostomus. *Obserua*, inquit, *quomodo singulis dictionibus multa vtatur diligentia; non enim dicit: Facite corpora vestra hostiam. Sed, Præbete, ac si diceret:* NIHIL DEINCEPS COMMVNE VOBIS SIT CVM IPSIS; ALIIS SIQVIDEM ELOCASTIS: *nam & illi, qui equos bellicosos aliis elocant, nihil deinceps commune in illis habent. Et tu igitur membra tua ad bellum, quod contra diabolum est, prælium que illud terribile exhibuisti: non erit, vt ad proprias operas illa tibi retrahas. Et aliud quoque ex hoc nobis ostendit: nimirum, quòd oporteat illa probata facere; siquidem ea exhibituri fuerimus: non enim illi cuipiam terrestrium hominum, sed ipsi omnium Deo exhibituri sumus: non vt in illis prælietur tantummodo, sed vt & ipsum regem sessorem habeant.*

300. *Hostiam viuentem.* Cum membra tanquam hostia Deo offerenda sint, omnis ab eis est macula abstergenda; vt, quod olim in victimis fiebat, nunc vtilius in membris nostris fiat. Peritè S. Chrysostomus hîc: *Quoniam membra tua Deo sunt sistenda (quoniam hostia sunt)* OMNEM AB ILLIS MACVLAM AVFERTO: *nam, si maculam habuerint, hostia iam vtique non erunt. Neque enim offerri poterit oculus scortationi seruiens, neque manus rapiens ac defraudans; nec pedes claudicantes, theatraque visitantes; nec venter deliciis seruiens, voluptatumque desideria inflammans; nec cor iram aut amorem fornicarium fouens; neque lingua turpia loquens. Opus fuerit propterea corpus nostrum diligenter à mendis eiusmodi curandum considerare: nam, si qui veteres hostias offerebant, iubebantur omnia prius considerare: nec, quod auribus esset incisis, aut cauda mutilata, aut scabiosum, aut impetiginem habens; permittebatur offerre: multò magis nos, qui non irrationales oues, sed nos ipsos offerimus, maiorem oportebit impendere diligentiam, atque ex omni parte mundos esse, vt & nos cum Paulo dicere queamus; Ego enim iam delibor, & tempus resolutionis meæ imminet: erat enim quauis hostia purior, vnde & libamen seipsum vocauit. Erit autem hoc, si veterem hominem sustulerimus; si membra nostra, quæ sunt super terram mortificauerimus; si Mundum nobis ipsis crucifixerimus.*

Hostiam viuentem. Adeò gratus corporis est 301.
vsus, vt eo sacrificium Deo offerre possimus. Quàm aptius id anima ipsa præstabitur? Vt anima corpori antistat, sic illius litatio litationi istius, illius oblatio huius oblationi. Præclarè rem vrget S. Augustin. lib. 10. de Ciuit. Dei c. 6. *Apostolus ait: Obsecro itaque vos, fratres, per misericordiam Dei, vt exhibeatis corpora vestra hostiam viuam, sanctam, Deo placentem: rationabile obsequium vestrum. Si ergo corpus, quo inferiore tanquam famulo, vel tanquam instrumento, vtitur anima, quam eius bonus & rectus vsus ad Deum refertur, sacrificium est:* QVANTO MAGIS ANIMA IPSA, QVVM SE REFERT AD DEVM, *vt igne amoris eius accensa, formam concupiscentiæ secularis amittat, eique tanquam incommutabili formæ subdita reformetur; tunc ei placens, quod ex eius pulchritudine acceperit, fit sacrificium?*

Hostiam viuentem. Hæc verba sic expendebat 302.
Caietanus hîc: *Prima conditio huius hostiæ describitur viua ad differentiam martyrum, qui corpora sua exhibent* HOSTIAM OCCIDENDAM; *ac si apertius diceret: Non loquor modò de vsu corporum vestrorum ad sacrificium* PER MARTYRIVM; *sed vt vtamini corporibus vestris in sacrificium viuens: hoc est, dum hanc degitis vitam exhibete corpora vestra hostiam.*

Viuentem. Scilicet ita affligi contineri que carnis lasciuia debet, vt non mactetur, & mortificatione, quæ modum excedat, conficiatur. Corpus suum tanquam viuentem hostiam quisq; offerat, nec potest præcipi mactari. Sed quid Martyres? etiam ipsi viuentem hostiam obtulerunt: licet enim occiderentur, nō se tamen occidebāt.

Tempus locumque huius oblationis ac sacri- 303.
ficij non determinat. Nimirum, semper vbiq; & in omnibus se quisque sacrificare debet. Hunc locum eleganter versat Nicetas, & ita Martyribus aptat, vt ad cæteros etiam, qui mortificationi vacant, possit extendi. Sic ille scribit in Orat. 42. S. Greg. Naz. *Præstabilius est, vt sibi quisque ad perfectionem sufficiat, atque aliorum ope & auxilio ad virtutem non indigeat: quin potius (quod Apostolus ait) seipsum exhibeat Deo hostiam*

non

non inanimem, qualis est illa, quæ per bruta fit, quæ postquam cæsa esset, Deo tunc offerebatur; verum hostiam viuentem vt Martyres, qui seipsos viuos Deo offerebant, ac deinde pro eo mortem oppetebāt. Talem hostiā vnumquéq; seipsum Deo offerre oportet, ET SEMPER ET PER RES OMNES SACRIFICARI. *Id autem fiet, si membra nostra ad peccati perpetrationem opprimamus ac mortificemus.*

304. *Rationabile obsequium.* Non est obsequium, nisi rationabile sit. Beatus Laurentius Iustinianus de Discipl. monast. conuers. cap. 32. ad hæc verba respiciens ait: *Donec miserendi adest tempus, non cessent, Domino seruientes, exhibere corpora sua hostiam viuentem, sanctam, Deo placentem. Ita tamen agant, vt* RATIONABILE SIT IPSORVM OBSEQVIVM; *Quatenus non præripiant corpori ex immoderato feruore indultum à Deo pœnitendi tempus.*

Rationabile obsequium, Licet corpus sua natura ratione careat, in eius tamen afflictione ratio adeo regnare debet, vt rationabile tale obsequium sit; vel rationabile dicitur tanquam corporale esse desinat: MIRVM SACRIFICIVM, inquit Sanctus Petrus Chrysologus serm. 108. VBI CORPVS SINE CORPORE, sine sanguine sanguis offertur.

SECTIO II.

Et nolite conformari huic seculo, sed reformamini in nouitate sensus vestri.

PRO *conformari* aliqui legunt *configurari*; & est sensus; Cauete ne vita, & conuersatione similes iis efficiamini, qui mundi huius bona sectantur, seculi huius cupiditatibus seruiunt, terrenas voluptates amant; conformitas porrò ista deformitatem maximam secum affert. 305.

Nolite conformari huic seculo. Huius verbi vim hisce verbis expendebat hîc S. Chrysostomus. *Sed tu vide, ne illi configureris, quin magis transformeris, inquit, per renouationem mentis. Non dicit, Transfigureris; sed, Transformeris. ostendens,* QVÆ MVNDI SIT, FIGVRAM: QVÆ VERO VIRTVTIS, NON FIGVRAM; SED VERAM QVANDAM ESSE FORMAM, *naturalem pulchritudinem habentem, quæ non habeat opus externis illis cultibus ac figuris, quæ simul atque comparuerint, intereunt: omnia enim illa, antequam appareant, etiam dissoluuntur. Figuram itaque si pròieceris, confestim ad formam venies, nihil enim malitia infirmius est, nihil adeò facilè inueterascit.*

Nolite conformari huic seculo. Deformis conformatio illa, qua quis se seculo aptat & cōformat. Pulchrè hunc locum versat S. Petr. Chrysologus serm. 120. *Hodie dicit B. Apostolus: Nolite configurari huic seculo. Putasnè Beatus Paulus Apostolus, dicendo sic; elementorum figuris ne configuremur, obsistit néve simus,* PERSARVM REGES, *qui subiecta nunc pedibus suis sphæra, polorum se calcare vices mentiuntur? Nunc radiato capite ne sint homines; solis resident in figura: nunc impositis sibi cornibus, quasi viros se esse doleant, effeminantur in Lunam: nunc varias velut siderum sumunt formas, vt hominis perdant figuram, & nihil supernæ claritatis acquirant. Sed ista licet de seculi vanitate descendant & à sapientibus tam fugienda sint quàm videnda, tamen Apostolus quum dicit. Nolite configurari huic seculo. Seculi vitam corrigit, arguit mores, indicat institutum, castigat voluntates, luxuriam condemnat, & totam vanitatum secularium pompam propellit, effugat, excludit à mentibus Christianis.* 306.

Nolite conformari huic seculo. Et quam formam seculum habet, vt quis se illi possit conformare? ipsa deformitas forma seculi est, vitiorum, & abusuum monstra formant, vt ita loquar, formam hanc; Idem Sanctus Petrus Chrysologus cum seculi nobis formam exhibuisset serm. 120. claudit. *Fratres, audistis formam seculi, didicistis speciem, vidistis figuram, si tamen* FORMAM, ET NON INFORME MONSTRVM, *vbi confessione criminum tota rerum facies est deleta, vbi peccatorum connubio tota mundi figura est dissoluta.*

Sed reformamini in nouitate sensus vestri. Ex

Græco

Græco sic verti potest: *Sed transformamini renouatione mentis vestræ.* Sanctus Cyprianus. *Sed transformamini in renouatione sensus.* vt, exuta vetustate, noui semper fiant. Sed, vbi semel quis nouus euaserit, quid illi superest faciendum? *Semper nobis in hac vita*, inquit Estius, *quantumcunque* ETIAM PROFECERIMVS, HAC TRANSFORMATIONE AC REFORMATIONE OPVS EST. adeò vt semper innouationi mentis vacandum sit.

Sed reformamini. Adeo vt quotidie in bono proficiendum sit. *Reformamini*, inquit B. Bruno, *id est quotidie innouamini, qui nouam formam iustificati accepistis. Reformamini dicit in nouitate sensus vestri, id est semper magis ac magis benè operando innouamini.*

Vt probetis, quæ sit voluntas Dei bona & beneplacens & perfecta.

NOn curiosè scrutandum quid Deus velit, sed eo fine exquirenda Dei voluntas, vt eam cognitam amplectamur, & impleamus, *Bona,& beneplacens*; illud *beneplacens* plerique ad homines referunt *quibus Dei voluntas*, inquit Caietanus, *quantum est ex se grata, & suauis est*; *sed* cohærentius ad Deum referatur, iuxta illud Ephes. 5. *probantes quod sit beneplacitum Deo*; PLERVMQVE QVOD HOMINIBVS PLACET, DEO DISPLICET, hominibus verò displicere nunquam debet quod placitum Deo est, vt fiat.

Quæ sit voluntas Dei bona. Periiè ad hunc locum Vgo Victorinus: *Voluntas bona est in fide, beneplacens in spe, perfecta in charitate. Vel bona voluntas in subiectione maiorum, beneplacens in subiectione æqualium, perfecta in subiectione minorum. Vel bona in coniugatis, beneplacens in viduis, perfecta in virginibus.*

Dico enim per gratiam, quæ data est mihi, omnibus, qui sunt inter vos.

308. D*Ico enim per gratiam.* Gratiæ meminit, non sapientiam iactat, vt exemplo suo non iactandam doceat. *Vide*, inquit hîc S. Chrysostomus, DOCTORIS HVMILITATEM, VIDE ANIMVM DEPRESSVM. *Nusquam seipsum dignum dicit, cui ad eiusmodi adhortationem ac consilium credatur: sed nunc quidem miserationes Dei, nunc autem gratiam Dei secum assumit. Non enim meum, inquit, sermonem vobis adfero, sed Dei. Et non dicit: Dico enim vobis per sapientiam Dei: dico enim vobis per legis Diuinæ positionem, sed, Per gratiam, continuò illos beneficiorum Dei admonens, vt illos eo reddat faciliores, ostendatque vel ob ea ipsa dictorum obedientiæ, & admonitionis obnoxios esse.*

Dico enim; cur *dicendi* potius vsus est verbo, quàm præcipiendi? VT MINVS MOLESTE AVDIRETVR; quo exemplo superiores illi arguuntur qui præcepta ingeminant, cum suauius dicere possent, imperandi, & præcipiendi verbis, nisi id necessitas exigat, & subditorum durities, sequestratis mollioribus loquendi formulis vti debet, ne e verborum scabritie subditorum mentem exasperare.

Dico enim. Aliqua Romanis præcepturus *Nouaria. in Epist.Paul.*

Paulus auctoritatem suam producit, ne sibi nimium arrogare videretur, PER GRATIAM PORRO APOSTOLICVM MVNVS intelligit, vt aliqui notauere, vt modestiæ litaret, apostolatum munus esse gratuitum significans.

Non plus sapere, quàm oportet sapere; sed sapere ad sobrietatem.

N*On plus sapere, quàm oportet sapere.* In 309.
sapientia mensuram, & modum ponit: non ponit in bonitate; in hac quippe sistere non debemus, sed semper vlterius progredi. *Lego*, inquit Sanctus Bernardus epist.91. *Non plus sapere, quàm oportet sapere.* NVNQVID AVTEM, AVT NE SIS NIMIVM BONVS, AVT NON PLVS BONVS, QVAM OPORTET? *Nemo esse bonus, plusquam oportet, potest. Bonus erat iam Paulus; & tamen nequaquàm contentus, libenter se ad ea, quæ ante se sunt extendebat, posteriora obliuiscens, & seipso semper melior effici studens. Solus Deus melior seipso esse idcirco non valet, quia non valet. Recedant à me & à nobis, qui dicant: Nolumus esse meliores, quàm patres nostri, tepidorum & dissolutorum se filios protestantes.*

Non plus sapere, quàm oportet sapere, Modus sapientiæ statuitur, non amori. *Perscrutari*, inquit S. Bernardus opusc.de Charit.cap.4. *Prohibemur, &* PLVS SAPERE QVAM OPORTET. SED AMARE, ETIAM PLVSQVAM POSSVMVS, PRÆCIPIMVR; modus nimirum Deum diligendi est sine modo diligere.

Sapere ad sobrietatem. Sed in quonam sita 310.
ista sapientiæ sobrietas? Sanctus Bernardus serm. de eo, quod script. est: *Beatus homo, qui inuen. sapient.* productis verbis Apostoli ait: SOBRIA SAPIENTIA *est in pœnitudine peccatorum præteritorum, in contemptu præsentium commodorum, in desiderio futurorum præmiorum.*

Et vnicuique sicut Deus diuisit mensuram fidei.

CVr fidem potiùs nominat, quàm aliud donum? *Nominat fidem*, inquit Estius, *quod illa* CÆTERORVM DONORVM DIRECTRIX SIT, AC MODERATRIX, & sine ista omnia cadant, pereant omnia.

Sicut enim in vno corpore multa membra habemus; omnia autem membra non eundem actum habent: ità multi vnum corpus sumus in Christo; singuli autem alter alterius membra.

QVod Apostolus dixerat sumpta à corpore 311.
corporisque membris similitudine confirmat; quod non semel facit; quo exemplo tacitè INDICAT CORPVS NOSTRVM, MEMBRAQVE IPSA POSSE NOBIS MAGISTRI LOCO ESSE, pleraque monita à nobis ipsis corporisque formatione exculpere debere, quæ ad animæ profectum faciant.

Non eundem actum membra habent, non idem officium, & tamen nullum alteri inuidet, quod expendens B. Laurentius Iustinianus cap. 15. de claritate ait: *In quo hoc, quod vnum membrum non* INVIDET *alij membro: licet non habeat*

habeat idem officium. Non omnia namqae eundem actum habent membra: nec tamen sibi inuicem inuident: SIC NEC DEBET ALIQVIS INVIDERE PROXIMO SVO HABENTI GRATIAM, QVAM IPSE NON HABET.

312. Denique vt se mutuò Corporis membra iuuant, ita iuuare alios quilibet debet, nec aliena opera damnare; sistenda hîc sunt, quæ in hanc rem habet S. Macearius hom. 3. *Quemadmodum corporis membra cum multa sint, vnum sunt corpus,* ET SE MVTVO IVVANT, *vt vnumquodque proprio fungatar officio: verbi gratia, oculus pro vniuerso corpore videt, manus pro omnibus membris operatar, pes quocamque pergens ambulat circumferens vniuersa membra, & nihilominus aliud membrum compatitur: Sic & fratres,* SIBI INVICEM CEDANT: NEQVE IS QVI PRECATVR OPERANTEM DAMNET, *qaod non precetur, neqae qui operatur, orantem condemnet, inquiens, ille quiescit & ego operor. Neque qui ministrat alterum iudicet, sed quisque cum agit quippiam, ad gloriam Dei faciat. Qui legit, orantem amore & gaudio complecti debet secum hoc reputans, quia pro me precatur. Et qui orat, ita de operante cogitet, nempe quod facit ille, in communem, vtilitatem peragit.*

313. *Ita multi vnum corpus samus in Christo; singuli autem alter alterius membra.* Ex quo fit vt alter alteri compati debeat, & alterius ægritudines sentire, ac si ipse illis eorriperetur, sic enim in membris fit. Rem ita conficit Nicetas in orat. 16. S. Gregorij Nazianz. *Nobis faciendam est, fratres, vt cognatum nostrum corpus curemus,* NEC MINVS ALIORVM CORPORIBVS QVAM NOSTRIS CONSVLAMVS, *omnes enim vnum in Domino sumus, vt ait Apostolus, atque omnium capat est Christus; nos autem alter alterius membra. Ita fit vt qui morbo laborantem curat, sibi ipsi medeatur, Quamobrem, nec eo contenti simus quòd nos ipsi bene valeamus, verum hoc nomine discruciemur, quòd fratres nostri misero corporis statu sint: vnamqae hanc carnium nostrarum & animarum salutem esse iudicemus, leprosos non fugere atque exhorrescere, sed benignitatis officia ipsis præstare.*

314. *Singuli aatem alter alterius membra.* Alterius quidem non tanquam eorpotis, sed tanquam partis. Nimirum *per hoc significare vult Apostolus* (inquit Estius.) *vnumquodque membrum Ecclesiæ* NON SIBI SOLI, SED ETIAM ALIIS OPERARI DEBERE; *quemadmodum fit in corpore naturali.*

Singuli autem alter alterius membra. Hunc locum aptissimè iis aptat Sanctus Dorotheus, qui in sactis familiis degunt. Sic ille rem versat doctr. 6. *Membra inuicem sumus, vt ait Apostolus. Si enim vnum corpus sumus, singuli autem singulorum membra; & si quodpiam membrorum patitur, compatiuntur & cetera:* QVID ENIM NOS COENOBIA EXISTIMAMVS? AN NON VIDENTVR VNVM CORPVS ESSE, SINGVLI AVTEM MEMBRA? *Qui enim administrant, caput: qui verò speculantur & corrigunt, oculi: qui sermone prosunt, os: qui obediunt, aures: qui exercentur, manus: pedes, qui reddunt responsa & administratores sunt. Caput igitur es? administra. Oculus es? aduerte animum & cogita. Os es? loquere, adiuua. Auris es? pareas. Manus es? operare. Pedes? guberna. Vnumquodque membrum subministret corpori pro viribus suis. Nitimini opem mutuam præstare.*

SECTIO III.

Habentes autem donationes secundum gratiam, quæ data est nobis.

DONATIONES, Græcè χαρίσματα, id est dona gratuita, cum alioquin donatio actum significet donandi; ac si innueretur, SVPERA DONA ITA DARI VT DONENTVR SEMPER, continuè conferantur, dum à Deo in illis conseruantur, quibus semel fuere exhibita. 315.

Habentes autem donationes secundùm gratiam. Omnia hæc arrogantiæ deprimendæ deseruiunt. Pulchrè Theophylactus hîc: *Non virtutes dixit vel honestas actiones, sed charismata vel dona;* VT SVPERBOS COMPRIMAT,

EORVM

EORVMQVE ARROGANTIAM DEMITTAT. *Deo enim, inquit, donum eſt; non enim vel opus, vel rectè factum, quod accepiſti; & gratia eſt, qua iſtud impertit. Vt igitur elatum animum deijciat, à Deo dona dari affirmat, chariſmata ea nominans.*

Siue prophetiam ſecundum rationem fidei, ſiue miniſterium in miniſtrando, ſiue qui docet in doctrina, qui exhortatur in exhortando, qui tribuit in ſimplicitate, qui praeſt in ſolicitudine, qui miſeretur in hilaritate.

316. GRæcè *ſecundum analogiam*, ſeu *proportionem fidei*, vt ne quid prænuntiet quis; quod à fidei ſcitis diſcrepet, licet ſibi videatur prophetico ſpiritu præditus. Docet autem quomodo ſit prophetia vtendum, non quomodo ipſa acquirenda ſit, quia ſimilia DONA AD ALIORVM VTILITATEM CONCESSA ſunt, nec ad noſtram ſunt gloriam expetenda.

Siue miniſterium in miniſtrando. Miniſterij nomine gradus eccleſiaſticos intelligit vt hoc nomine inſinuet STATIM AD OPVS, NON AD HONOREM VOCARI, QVI VOCANTVR; quod culmen homines putant miniſterium eſt, ad aliorum vtilitatem ordinatum, non ad propriam gloriam.

317. *Qui exhortatur in exhortando.* Aliqui ex Græco vertunt: *Qui conſolatur in conſolatione*, vt harum lectionum nexu ab eodem verbo pullulantium hæc inter ſe connecti colligeremus; adeò VT EXHORTATIO ea ratione fiat, quà CONSOLATIONEM afferat illis, qui eam excipiunt.

Qui tribuit in ſimplicitate. Vt vbique duplicitas vitanda, vitanda maximè, dum quis alteri tribuit. Benè ad hunc locum Vgo Victorinus: TRIBVIT IN DVPLICITATE, *qui ei largitur, à quo maiora ſperat. Tribuunt in duplicitate hypocritæ ſcilicèt cauſa gloriæ. Tribuunt in duplicitate, qui tribuunt in ſpe præſentis retributionis & futuræ.* SIMPLICEM ET PVRAM HABET INTENTIONEM, *qui ob hoc ſolum tribuit: quia id Deo placere credit.*

318. *Qui præſt in ſolicitudine.* Non explicat in qua re ſolicitus eſſe debeat; quia eſſe debet in omnibus, ſed præcipuè in illo, quod eſt præcipuum, in ſubditorum quærenda ſalute. *Prælatus*, inquit hîc Vgo Victorinus, *non* TVMEAT *de dignitate; ſed* TIMEAT *de reddenda ratione.*

In hilaritate. Vt nimirum lucrum putemus, quæ aliis damus. *Qui miſeretur in hilaritate, non*, inquit Theodulus, *veluti* DAMNO *affectus, verùm ceu* LVCRO *auctus ſit; hinc enim contingit exhilaratio.*

Dilectio ſine ſimulatione.

D*ilectio ſine ſimulatione.* Quanti piaculi res ſit, dilectioni fictionem admiſcere, ſic explicat Primaſius hîc: *Qui fictus eſt in charitate, iniuriam Deo facit, qui charitas eſt. Magna enim fraus eſt, ſi plumbum auro* ADMISCEAS; *quantò grauius, ſi malo ſimulationis* (*quantum in te eſt*) BONVM COELESTE CORRVMPAS?

Odientes malum, adhærentes bono.

CVr iſtuc ſubiecit poſt proximi dilectionem? NE PROXIMVS DILIGATVR IN MALO, inquit Eſtius, *quæ eſt mundana, & pernicioſa dilectio*, & omni alia nocentior hoſtilitate. Per *malum* peccatum vitiumque intelligit, reſpectu cuius omnia alia mala quædam bona ſunt. 319.

Odientes malum. Vitium ſcilicet ac peccatum: nam hoc adeò PLENE MALI NOTIONEM SVSTINET, vt præter illud nihil vix malum dici ſimpliciter queat. Græcè non eſt, μισοῦντες, quod eſt undè *Odientes*; ſed, ἀποστυγοῦντες, *Auerſantes*, odio habentes cum quodam horrore.

Adhærentes bono. Adhærendi verbo adhæret ſua vis. Etiam vir vxori ſuæ dicitur adhærere. Bono igitur, tanquam vir vxori, debemus iungi; vt nunquam abſoluamur ab illo, benè ſemper operemur, dum viuimus. *Non dixit*, inquit hîc S. Chryſoſt. *Facientes ſolum; ſed & Animæ erga bonum appoſiti: hoc enim declarat, quòd* ADHÆRERE BONO IVBET. *Ita & Deus mulieri virum coniungens dicit: Adhærebit enim vxori ſuæ.* 320.

Adhærentes bono, Græcè, κολλώμενοι, id eſt. *Agglutinati* bono. Nec enim ſufficit, quomodocumque bonum amplecti, niſi firmiter ei adhæreamus, & quodam firmitatis glutino.

Adhærentes bono, Sua adhærendi verbo vis adhæret ac pondus. *Adhærentia*, inquit hîc Lyranus, FIRMITATEM *importat.* Igitur, qui verè bonus audire vult, bono adhæreat, non contentus inchoauiſſe.

Honore inuicem præuenientes.

SEd quî fieri id poteſt, cùm eo ipſo, quòd quis alium præuenit, præuentus iſte ſit, nec præuenire illum poſſit? *Intellige* (inquit Eſtius) QVANTVM IN TE EST: *non enim vterque alterum præuenire poteſt, niſi voluntate & ſtudio:* 321.

Honore inuicem præuenientes. Iure hoc ſubiecit cùm amorem fraternitatis commendaſſet; MVTVA QVIPPE HAC HONORIS PRÆVENTIONE DILECTIO PROVOCATVR, ET FOVETVR, ſicut honoris neglectu maximum amor præiudicium patitur. Fidelium eſt honoris loco habere, alium honorare, & honore potius alios excipere, quàm quærere excipi ab aliis.

Honore inuicem præuenientes, etiam ſi te alius læſerit, honore eum præuenire debes; ſic enim tu fies honoratior, glorioſiorem victoriam conſequêris. Audiendus hîc Sanctus Maximus in ſolemni Sancti Michaëlis, vbi hæc habet: *Quicumque vult fratrem præuenire regnando, prius illum præueniat obſequendo, ſicut ait Apoſtolus: honore inuicem præuenientes: vincat eum officiis; vt poſſit vincere Sanctitate. Si enim te non læſit frater, obſequium meretur vt diligas, quod ſi forſitan læſit, magis obſequium meretur vt vincas: hæc enim noſtra* CHRISTIANITATIS SVMMA EST, VT AMANTIBVS VICISSITVDINEM. LÆDENTIBVS PATIENTIAM REPENDAMVS. 322.

Spiritu feruentes, Domino ſeruientes.

S*Piritu feruentes:* vt torpor omnis excutiatur, omnis deſidia; SPIRITV FERVENS EST, inquit Sanctus Baſilius, *qui ardenti ſtudio, &*

inexplebili cupiditate, & assidua diligentia voluntatem Dei facit in charitate Christi.

323. *Spiritu feruentes.* Quantum nobis seruor vtilis, atque adeò necessarius, præsertim dùm Dei verba excipimus, scita nobis similitudine explicat S. Augustinus serm. 218. de Temp. tangens hæc verba. *Estete, sicut dicit Apostolus, spiritu feruentes. Quomodo enim columba vel turtures, postquam genuerint oua, si illa permiserint* REFRIGERARI, *perdent fructum illorum: ita & vos, si conceptum verbum Dei per obliuionem* REFRIGERARI PERMITTITIS, *desiderabilem fructum habere non potestis. Præstate in vobis nidum sermonibus sanctis, secundum quod scriptum est: Turtur inuenit sibi nidum, vbi reponat pullos suos.*

Domino seruientes. Aliqui codices legunt, *Tempori seruientes.* Cohærent hæ lectiones: nam qui Domino seruiunt, debent & tempori seruire, vt nihil agant immature, nihil intempestiue, spiritus feruore acti. Scitè Sanctus Ambrosius hìc: *Quoniam dixerat, Spiritu feruentes; ne hoc sic acciperent, vt passim &* IMPORTVNE VERBA RELIGIONIS INGERERENT TEMPORE INIMICO, *per quod forsan scandalum excitarent, statim subiecit, Tempori seruientes, vt modestè & cum honestate aptis & locis & personis & apto tempore religionis fidem loquerentur.*

324. *Domino seruientes.* Beatus Ambrosius legit: *Tempori seruientes.* Domino seruit, qui seruit tempori, & tempori, & occasioni se se accommodat. Bene Catharinus ad hunc locum. *Notandum: etsi communiter Latini codices habeant, Domino seruientes (quam lectionem sequitur B. Hieronymus) in Græcis tamen legitur, Tempori seruientes, & hanc lectionem amplectitur B. Ambrosius.* NEQVE VERO PARVÆ EST VIRTVTIS POSSE TEMPORI SESE ACCOMMODARE, *inde occasiones capere ad ea facienda vel intermittenda, quæ expediunt. Sic enim didicimus facto & verbo fuisse à Domino obseruatum, & discipulis in exemplum relictum: nam secessit aliquando, seque abdidit: interdum verò contra, apparuit eorum, & vltro se obtulit.*

SECTIO IV.

325 *Quænam tristitia lætitiam pariat.*
Quænam spes vero gaudio perfundat.
Tùm maximè sperandi & gaudendi tempus, quùm tribulationes patimur.
In prosperis & in aduersis Deus benedicendus.

326 *Cur potius iustis & sanctis subueniendum quàm aliis.*
Qui preces suas exaudiri vult, Sanctorum virtutes æmuletur, sua indigentibus tribuat.

327 *Qui sua pauperibus tribuunt, plus accipiunt, quàm tribuant.*
Commercium quoddam inter dantem eleemosynam & accipientem.

328 *Vt sectanda hospitalitas sit.*
Hospitalitatem persequi quid sit.

329 *Inimicis benefaciendum non extimè tantùm, sed ex intimo affectu.*
Præmia nobis procurant, qui nos insectantur.

330 *Maledictionis reatum Sancti non incurrunt etiam cùm maledicunt.*
Benè precandum etiam his, qui acta nos persequuntur.

331 *Quàm vtile nobis gaudere cum gaudentibus, flere cum flentibus.*
In proximi solamen quid nobis præstandum.

332 *Non terrena sed cælestia gaudium à nobis exculpere debent.*
Affectus & compassio erga proximum.
Sympathia fidelium.
Lachryma pro aliorum peccatis fusæ, mentis gaudium fouent.

333 *In rerum terrenarum amissione minimè plorandum.*
Quàm grande opus, & insignis virtus gaudere cum gaudentibus & flere cum flentibus.
Totius religionis insigne se proximi affectibus aptare.

Spe gaudentes.

SPE *gaudentes.* Vix dixerat tempori seruiendum, quum addidit spe nobis gaudendum. Horum verborum nexum sic expendebat hîc S. Ambrosius: *Postquam dixit, Tempori seruientes; adiecit, Spe gaudentes. vt, si fortè propter iniquitatem temporis non liceat de fide publicè loqui, sed esse in metu; spe gaudeant,* QVIA HÆC TRISTITIA PARIT LÆTITIAM. 325.

Nec de cuiuslibet rei spe loquitur, sed de spe futuræ retributionis, quæ Christianum animum animat, alacritatem excitat, ET GAVDIO SINGVLARI PERFVNDIT, vt in omnem pietatis actum se summo studio quisque exerceat, alioquin qui terrenorum spe lactatur, solicitus semper est, & nunquam gaudet, spes ista animum affligit, non recreat.

In tribulatione patientes, orationi instantes.

HOrum verborum cohærentiam in hunc modum expendebat S. August. in Psalm. 38. *Apostolus cum dixisset, spe gaudentes, quasi his loqueretur, qui iam in tribulatione sunt, addidit statim: in tribulatione patientes.* IN TRIBVLATIONE, *inquit,* PATIENTES, *quid inde? in oratione tolerantes: quid est tolerantes? quia differemur. Toleretur, quod differtur, quia cum venerit non auferetur.* Nimirum tunc maximè sperandi, & gaudendi tempus cum tribulationes patimur.

Orationi instantes. Addit Primasius: *Omni tempore benedicentes.* Quid est omni tempore? IN PROSPERIS ET IN ADVERSIS, inquit idem auctor. Tunc aduersa verè incipiunt esse prospera, si benedictionem à nobis exculpant.

Necessita

Necessitatibus Sanctorum communicantes.

326. NEcessitatibus Sanctorum. Quid si occurrant qui necessitatem habeant, & non sint Sancti? TAM EST SVBVENIENDVM IVSTIS, ET SANCTIS *quam aliis*, ait S. Thomas, ita tamen vt non negligantur qui iusti non sunt; vnde addit: *quod non est sic intelligendum, quin etiam in necessitatibus sit peccatoribus subueniendum, sed quia cum est eis subueniendum ad fomentum peccati*, VTILIVS TAMEN EST SVBVENIRE IVSTIS *quia talis eleemosyna fructuosa est ex opere orantis, sed etiam ex suffragio accipientis.*

Necessitatibus sanctorum communicantes. Postquam dixerat: *Orationi instantes.* istuc statim adiecit; vt nexu innueret, illius orationes facilius exaudiendas, qui hoc posterius perfecerit. Sedulius hic: *Manifestum est, quia*, QVI PRECES SVAS EXAVDIRI VVLT, ÆMVLVS DEBET ESSE VITÆ SANCTORVM; *vt hoc sit memorem esse, & communicatorem, imitari actus illorum. Aliter memores Sanctorum communicantes*, HOC EST MINISTRANTES EIS, *qui, propter Christum omnia contemnentes, alienis ad tempus indigent ministeriis.*

Necessitatibus Sanctorum communicantes. Parum erat, si dixisset, *Subuenientes.* Communicandi verbo est vsus, vt innueret communicationem hic quandam intercedere; & plus plerumque accipere, quàm præstiterint aliis, qui aliis opem ferunt. Præclare S. Chrysostom. ad hunc locum: *Non dicit, Necessitatibus illorum subuenire; sed necessitatibus illorum communicantes. Ostendens*, QVOD PLVS ACCIPIANT, QVAM PRÆSTENT; *& quod res illa negotiatio sit, communicatio siquidem est: Tu pecuniam adfers? Illi fiduciam tibi erga Deum adferunt.* Huc facit & illud, quod Guilliadus habet; *Communicantes, dixit, non Subuenientes quod* COMMERCIVM SIT INTER DANTEM ET ACCIPIENTEM: *& plus lucri facit, qui dat beneficium, quàm qui accipit.*

Hospitalitatem sectantes.

328. HOspitalitatem sectantes. Non satis est hospitalitatem sequi: sectari eam debemus HOSPITALITATEM SECTATVR, inquit hic Vgo Victorinus, *qui rogantes suscipit, & non rogantes cogit; &, ne foris remaneant, diligenter inquirit.* Huc spectat & illud Sancti Ioannis Chrysostomi. *Non dicit*, FACIENTES; sed SECTANTES. *instruens nos, vt non expectemus egenos, donec ad nos veniant; sed ad ipsos curramus, & sectemur. Sic Loth fecit, sic Abraham* S. Hieronym. epist. 4. quæ est ad Rusticum legit *persequentes*, additque ad explicatum: HOSPITALITATEM PERSEQVENTES, *vt non leui vsitatoque sermone, &, vt ita loquar, summis labiis hospites inuitemus, sed toto mentis ardore teneamus, quasi offerentes secum lucro nostro atque compendio.*

Benedicite persequentibus vos.

329. GRæcè est εὐλογεῖτε, quod verbum apud sacros scriptores significat bene precari, bene velle, & optare Dicebat Christus. *Benefacite his, qui oderunt vos*, Matth. 5. Paulus *benedicendi* vtitur verbo, quia inimicis bene precari, & optare bona benefaciendi quoddam genus est, ET ETIAM MAIVS QVAM EXTIME TANTVM BENEFACERE; ideo Christus loco producto adiecit: *Orate pro persequentibus, & calumniantibus vos;* & præmiserat: *diligite inimicos vestros;* vt innueret cum dixit *benefacite*, se benè facta maximè requirere quæ à dilectione, ab intimo corde prodeant.

Benedicite persequentibus vos. Peritè hic vt solet S. Chrysostomus: *Non dicit: Iniuriarum ne reminiscamini, neque vlciscamini: sed, quod his multò plus est, exigit: illa siquidem philosophi est viri, illud verò Angeli est. Et cum dixisset: Benè loquamini, subiunxit: Et ne malè precemini, vt hoc & illud, non illud solum faciamus:* PRÆMIORVM QVIPPE PROCVRATORES NOBIS SVNT, QVI NOS INSECTANTVR.

Benedicite persequentibus vos Quid ais, Paule? Videris tibi ipsi contrarius: aliud dicis, indicis aliud. Legimus de te cuidam te maledixisse, dixisti enim: *Percutiet te Deus, paries dealbate.* Act. 23. 3. Maledictionem sonent hæc verba: verè maledictio non fuit; nam (vt ait Vgo Victorinus ad productum Pauli locum) *Sancti zelo iustitiæ compulsi talia faciunt; ideo maledictionis actionem, non voluntatem habent: ideoque vt nobis videtur*, MALEDICTIONIS REATVM NON INCVRRVNT. 330.

Benedicite persequentibus vos. Non iis tantùm benè precandum est qui NOS PERSEQVVTI SVNT, SED ETIAM QVI ACTV PERSEQVVNTVR, actu in nos sæuiunt; vt sit sensus: Benè precamini, & bona iis optate, qui mala vobis moliuntur inferre, aut etiam inferunt.

Gaudere cum gaudentibus, flere cum flentibus.

GAudere cum gaudentibus, flere cum flentibus. 331.
Non illorum tantùm causa, sed nostri quoque, quod ita colligebat S. Chrysost. hic: *Communica plorantibus, vt tristitiam illorum alleues: communica gaudentibus, vt & lætitiam illorum radices, & dilectionem consolides*, ET ANTE ILLOS TEIPSVM IVVES: *lachrymando siquidem misericordem te facis; congratulando verò, liuore & inuidia teipsum liberas.*

Gaudere cum gaudentibus, flere cum flentibus. Non iubet aliorum calamitates à nobis tolli, gaudiique causam augeri, cùm hoc sæpè à nobis fieri nequeat, aut etiam non debeat. Veræ intimæque dilectionis ostẽdenda signa, cũ flentibus flendum, cum dolentibus dolendum, cũ gaudentibus est gaudendum. Aptè rem versat idem Sanctus Chrysost. hic: *Vide verò, quàm non sit molestũ & odiosum, quod tradit Paulus, non enim dicit: solue proximi calamitatem, ne sæpenumerò dicas; Impossibile est; sed, quod* FACILIVS EST, PRÆCIPIT; ET, QVOD FACERE POTES: *nam, si, quod proximum vrit, tollere non potes, produc lachrymas, & maiorem partem sustulisti. Et, si prosperitatem illius augere non vales, congaude, & multum augmenti attulisti. Propterea non solùm hortatur, vt non inuideas; sed, quod multò plus est, congaudeas etiam: longè enim maius est illud, quàm si non inuideas.*

Gaudere cum gaudentibus. Quid, si quis ob terrenas opes gaudeat, Mundano gaudio efferatur? 332.
Non quibuscunque gaudia nostra sunt miscenda (ait S. Anselmus) *neque enim præceptum habemus,*

vt cum illis, qui de acquisitione pecuniæ vel huiusmodi rebus gaudent, gaudeamus; SED POTIVS CVM ILLIS, QVI SPE SVPERNORVM BONORVM GAVDENT, VEL DE ACCEPTA REMISSIONE PECCATORVM, ET GRATIA SPIRITVS SANCTI LÆTANTVR. Nisi dicamus de vero gaudio loquutum Apostolum; non de ficto, quod nudum gaudij nomen habet, nihil prætereà est, quale gaudium mundanorum.

Ferunt cithara vna tacta aliam sonare, aut certè eius chordas submoueri, si ad eundem concentum sint ambæ aptatæ. Tales nos volebat Apostolus cum hæc diceret. Hinc illud Tirini hîc. *Tantam opto inter vos Christianos esse simpathyam, vt singulorum bona, vel mala prospera, vel aduersa æquè vos, atque illos tangant*, atque adeo eodem cum illis affectu tangamini.

Flere cum flentibus. Flere nos hîc cum flentibus Apostolus iubet: & tamen (quod mirere) alibi dicebat, vt semper gauderemus. *Gaudete*, inquit, *in Domino semper.* Et quî vtrunque præstari à nobis potest? QVIA LACHRYMÆ PRO ALIORVM PECCATIS FVSÆ, pro alienis calamitatibus emissæ, MENTIS GAVDIVM adeò non impediunt, VT FOVEANT, nutriantque.

333. Probandus est fletus; sed, si non pro rerum terrenarum iactura funditur. *Nunquid Apostolus*, inquit Sanctus Bernardus serm. in fest. Beatæ Mariæ Magdal. *præcipit flere* RERVM AMISSIONEM, *intermissionem voluptatum, filiorum mortes, morborum instantiam, grauitatem inopiæ, potentiam fortiorum?* Addit. PLORANDI ENIM SVNT, QVI TALITER PLORANT: *religiosa enim tristitia aut alienum luget peccatum aut proprium.*

Gaudere cum gaudentibus, flere cum flentibus. Quàm insignis ista virtus sit, & quàm grande opus efficiat, qui se ita proximis aptat sic explicat Sanctus Chrysostomus in Psalm. 141. *Tales sunt Sanctarum animæ: & eorum cum quibus malè agitur, miserentur: nec iis inuident quibus res secundæ euenerint, sed gaudent & lætantur, & iis qui beneficio affecti sunt, gratulantur quod etiam iussit Paulus, gaudete inquiens cum gaudentibus: & flete cum flentibus.* NON EST AVTEM HÆC PARVA VIRTVS. *Multi enim iacentibus lætabundi insultant, & se erigentibus inuident, & crudelitate & summa inhumanitate vtrasque has perturbationes animi patientes.* Sanctus Bernardus totius religionis insigne hoc versiculo claudi notabat in festo B. Mariæ Magdalenæ: *Quænam, ais, sunt ista? Procedat in medium Paulus Apostolus, & vbera felici lacte manantia nobis assignet. Gaudete, inquit, cum gaudentibus, flete cum flentibus. O quàm breui sermunculo.* TOTIVS RELIGIONIS DEPINXIT INSIGNE: *quàm eleganti clausula proposuit pietatem, æquitatem statuit, submouit inuidiam? His vberibus mater Ecclesia lactat proficientes, nutrit perfectos. Gaudete, inquit, cum gaudentibus. Facessat hinc secularis plausus insania, & lætitia mundialis abscedat, quia non est gaudere impiis, dicit Dominus.*

SECTIO V.

334 *Non alta sapere cur iubemur.*

Animi magnitudo probanda, non arrogantia.

Vera humilitas non in ore sita, sed in corde.

335 *Sæuiendum in vitia, non in homines.*

Nec malis malum reddendum.

A suis membris fidelis discat se non vindicare, nec in proximum sæuire.

336 *Priùs quæramus Deo placere quàm hominibus.*

Perstricti, qui, quod aliorum conscientiam lædant, non curant.

337 *Pacem habere cum omnibus quàm difficile.*

Defendere quid in sacris litteris importet.

Facilè à defensione ad vltionem itur.

338 *Mundus eos contemnit, qui iniurias patiuntur ne se vindicant: at Deus magni facit.*

Dare locum iræ quis dicatur.

Ira fumus statim euanescat.

339 *Damnati, qui vindictam sumunt de iniuria propria, quod est proprium Dei.*

Non alta sapientes, sed humilibus consentientes.

NVNQVID nos à rerum cælestium cogitatione auocat? iactantiam, ac superbiam reprimit, non ea quæ veram animi magnitudinem inhalant, inhibet. Opportunè Sanctus Isidor. Pelusiota lib. 3. epist. 188. *Rursum, vt eos qui aduersus fratres insolenter se efferunt, reprimeret, ad hunc modum loquebatur. Nõn alta sapiẽtes; sed humilibus consentientes. Non quod eos res supra mundũ positas animo agitare prohiberet: sed vt superbiam ac iactantiam excideret. Aliud enim* μεγαλοφροσύνη *hoc est* ANIMI MAGNITVDO, ALIVD SVPERBIA, HOC EST ARROGANTIA DESIGNAT. *Siquidem illa omnia quæ accidunt, infra suam fortitudinem posita esse ducit: hæc autem omnes homines vtilitate sua inferiores esse censet.* 334.

Consentientes, Græcè συναπαγόμενοι, *obsecundantes*, accommodantes vos, adeo vt non dedignemini cum abiectæ sortis hominibus conuersari, *consentiendi* autem verbo vtitur, non *colloquendi* tantùm, vt innueret veram humilitatem non in lingua esse sitam, sed in corde: *Tunc erit humilitas vera, si non solùm ostendetur in lingua, vt simus secundùm Apostolum, non alta sapientes, sed humilibus consentientes; non, ait,* COLLOQVENTES, SED CONSENTIENTES: QVOD NON FIT ORE, SED CORDE, ait Sanctus Augustinus in Psalm. 118.

Nulli malum pro malo reddentes.

NImirum vindictam prohibet, cuius est malum reddere pro malo, sæuiendum quidem in vitia est, sed parcendum hominibus. Huc nos 335.
ducebat

ducebat Sanctus Leo ſerm. 10. in qoadrag. dum ait: *Serui Dei, & diſcipuli veritatis etiam diſſimiles ſui diligunt*, & BELLVM VITIIS POTIVS QVAM HOMINIBVS INDICVNT: *nulli malum pro malo reddentes, ſed correctionem peccantium ſemper optantes. Pulchrum enim valde eſt, & diuina beneuolentia comparandum, ſui quemque in altero meminiſſe, & amare propriam etiam in hoſte naturam. Siquidem plurimos nouimus, in optimos mores tranſiſſe de peſſimis, ex ebrioſis ſobrios, ex crudelibus miſericordes, ex rapacibus largos, ex incontinentibus caſtos, ex ferocibus factos eſſe tranquillos.*

Nulli malum pro malo reddentes. Nulli, nec etiam malo malum pro malo reddendum eſt. *Vide*, inquit hîc Sanctus Chryſoſtomus, *quomodo hic nihil diſcreuerit, ſed communem legem poſuerit; non enim dicit: Fideli malum non reddas. ſed Nemini. etiamſi Græcus*, SI SCELESTVS, AVT QVISQVIS ALIVS FVERIT.

Nulli malum pro malo reddentes; quod à membris ipſis diſcas; ſcitè Beatus Laurentius Iuſtinianus cap. 17. de charit. CVM VNVM, inquit, MEMBRVM AB ALIO LÆDITVR, *non ſe* VINDICAT, *ſic debet eſſe inter fideles, ſicut ſcriptum eſt, nulli malum pro malo reddentes.*

Prouidentes bona non tantùm coram Deo, ſed etiam coram omnibus hominibus.

336. NEc verborum ordo myſterio viduus, vtilitatis expers eſt: docet quippe quærendum priùs nobis, vt Deo placeamus, & coram illo nos ſiſtamus irreprehenſibiles; & deinde, ſi fieri poteſt, hominibus. Præiuit S. Bernardus ſerm. de Tripl. iudic. inquiens: *Debet quiſque quantum poteſt ſe irreprehenſibilem exhibere* PRIMVM QVIDEM CORAM DEO, SED DEINDE ETIAM CORAM HOMINIBVS. *Hoc nempè eſt, quod loquitur Apoſtolus dicens: Prouidentes bona, non tantùm coram Deo, ſed etiam coram hominibus. Tribus ſiquidem modis prouidemus bona coram hominibus; id eſt habitu, actione, ſermone. Habitu, ne ſit notabilis, actione, ne ſit reprehenſibilis, ſermone, ne ſit contemptibilis. Tribus etiam modis coram Deo: cogitatione, affectione, & intentione: nam & cogitatio debet eſſe ſancta (vnde ſcriptum eſt: cogitatio ſancta ſeruabit te) & affectio pura, intentio recta.*

Sed etiam coram omnibus hominibus; vt errent, qui ſibi de bona ſua conſcientia blandiuntur & alienam lædere non curant. Rectè S. Hieronym. epiſt. 11. quæ eſt ad Ageruchiam: *Fuge perſonas, in quibus poteſt malæ conuerſationis eſſe ſuſpicio: nec paratum habeas illud è triuio:* SVFFICIT MIHI CONSCIENTIA MEA: NON CVRO, QVID DE ME LOQVANTVR HOMINES. *Et certè Apoſtolus prouidebat bona, non tantùm coram Deo, ſed etiam coram hominibus; ne per illum nomen Dei blaſphemaretur in gentibus.*

Si fieri poteſt (quod ex vobis eſt) cum omnibus hominibus pacem habentes.

337. PAcem habere cum omnibus valde vt difficile, ſæpè & impoſſibile eſt, adeo vt nec Paulus cum omnibus pacem habere potuerit, quî enim cum illis pacem habeas, qui bellum cum virtutibus habent, hoſtes pietatis ſunt? Rectè hunc locum verſat Sanctus Iſidorus Peluſiota lib. 4. epiſt. 209. vbi ait: *Quoniam ex me per Epiſtolam quæſiuiſti, cur Paulus non ſimpliciter dixerit: Cum omnibus hominibus pacem colite: ſed addiderit: ſi fieri poteſt: reſcribo tibi: quia eſt vbi fieri non poſſit, nempè, quando pietatis negotium agitur, quando de iuſtitia alicuius res, quando de temperantia, & breuiter quoties de omnibus virtutibus.* NAM QVO PACTO PIVS CVM IMPIO PACEM COLET? *iuſtus cum iniuſto? aut temperans cum libidinoſo? qui ſæpenumero non ſolùm aliorum, ſed etiam ſuam ipſius formam corrumpere velit, quod ſi hæc tibi mea tantùm ratiocinationes eſſe videntur, ipſum mihi Paulum vide.*

Non voſmetipſos defendentes, chariſſimi: ſed date locum iræ.

ET cur defenſionem hîc prohibet Apoſtolus, cum & ſe ipſum defendiſſe legatur 2. Timoth. 4. *In prima mea defenſione nemo mihi adfuit.* Et verò non nudam defenſionem prohibuit, quæ fit verbis, ſed vindictam, vltionem, qua quis priuata auctoritate iniurias ſuas vlciſcitur. Nam defendere ſe, pro ſe vindicare frequens in ſacris litteris eſt. Iudith 1. *Iurauit Nabuchodonoſor, quod* DEFENDERET *ſe*; Pſalm. 8. *Vt deſtruas inimicum, & vltorem*, vel vt alij codices habent, *inimicum &* DEFENSOREM; facilè nimirum A DEFENSIONE AD VLTIONEM ITVR, & plerumque ſub defenſione vltio latet.

Non voſmetipſos defendentes, chariſſimi. Cur 338.
hîc ſignatè *Chariſſimos* vocat, quod, alia exhibens monita, non fecerat? Non vna huius rei ratio reddi poteſt. *Conſultò*, inquit Toletus hîc, *Paulus in hoc tertio præcepto vſus eſt dulci verbo, Chariſſimi. Primò quidem, quia, cum hoc difficillimum ſit perſuaſu, beneuolentiam captat, quaſi diceret: Rem amico animo erga vos doceo. Secundò, quia iram prouocat iniuria illata: dulce autem verbum mitigat. Quaſi iratis ergo Paulus loquens, &, vt vindictam deponant, ſuadens, dulciſſimo vtitur ſermone. Tertiò, quoniam* MVNDVS EOS CONTEMNIT, QVI INIVRIAS PATIVNTVR, NEC RETALIANT; AT DEVS MAGNIFACIT: *idcirco Apoſtolus, qui, quos diligit Deus, ipſe maximè diligit, chariſſimos appellat.*

Date locum iræ. Sed qua ratione? *Ille* (loquit hîc Vgo Victorinus) DAT LOCVM IRÆ, QVI INIVRIAS ILLATAS *patienter audit; qui prouocatus, non reſpondet, ſed tacet.* Dandus locus iræ, vt ſcilicet ſtatim euaneſcat. Eleganter totum hunc locum verſat Ioannes Caſſianus collat. 16. capit. 27. *Tale eſt & illud quod ab Apoſtolo dicitur. Non voſmetipſos vindicantes chariſſimi, ſed date locum iræ, hoc eſt: Non ſint corda veſtra ſic impatientiæ & puſillanimitatis anguſtiis coarctata, vt violentam commotionis procellam, cum irruerit, ſuſtinere non poſſint: ſed dilatamini in cordibus veſtris, ſuſcipientes aduerſos iracundiæ fluctus in illis extentis ſinibus charitatis, quæ omnia ſuffert, omnia ſuſtinet; & ita mens veſtra, amplitudine longanimitatis & patientiæ dilatata, habeat in ſe conſilium ſalutaris receſſus, in quibus receptus quodammodo atque diffuſus teterrimus iracundiæ* FVMVS, PROTINVS EVANESCAT. *Vel certè ita intelligendum eſt:* DAMVS LOCVM IRÆ, *quoties commotioni alterius humili atque*

tranquilla mente succumbimus, & quodammodò dignos nos qualibet iniuria profitentes, & impatientiæ sanienti obsequimur.

Mihi vindicta: ego retribuam, dicit Dominus.

339. MIhi vindicta. Et non etiam iustitiæ ministri de malefactoribus iustè vindictam sumunt? sumunt, sed id tanquam Dei ministri faciunt. Pulchrè Toletus hîc: *Non tollitur hoc testimonio, quin iudices sumant vindictam de malefactoribus quibusdam; quia id tanquam ministri sui faciunt. Nec etiam de omnibus malefactis eam sumere possunt; non enim omnia delicta punire ad eos pertinet. Deus est cui propria est generalis omnium delictorum vindicta: particularis autem vindicta de propria iniuria non homini, sed Deo relinquenda est.* QVI ERGO VINDICTAM SVMIT DE INIVRIA PROPRIA, ET NON POTIVS LOCVM IRÆ DAT; QVOD DEI EST VSVRPAT, ET GRAVITER PECCAT.

SECTIO VI.

340 *Cibandum inimicum cur dixerit Sanctus Paulus, non diuiti conuiuio excipiendum.*
Quàm magnum inimico subuenire.
341 *Præcepta Dei quàm rationabilia.*
Cur cibandos amicos non dixerit Paulus
Quàm insignis beneuolentia in inimicos exercenda.
342 *Pœnitentiæ ignis quàm vtilis.*
Nulla maior ad amorem inuitatio, quàm præuenire amando.
343 *In inimicum benè sæuit, qui eius malitiam impugnat.*
344 *Qui se vlciscitur, se inferiorem probat.*
Vera inimici victoria in quo sita.
Non vincit, sed vincitur qui vincit in malo.
345 *De bonitate cum inimico certandum.*
Vincere in bono malum vt quis possit.

Sed, si esurierit inimicus tuus, ciba illum.

340. COnsvltò dixit, *Ciba illum*; non, *Diuiti eum conuiuio excipe*, aut ne quis expensarum causa à charitatis munere auocaretur, aut ne quis crederetur se extra necessitatem teneri ad hoc obsequium. *Attende*, inquit Toletus hîc, *non esse dictum, Inuita illum; aut* CONVIVIA OPIPARA PRÆPARA ILLIS. *Sed, Ciba eos, & da potum illis; nam, quando verè grauem necessitatem patiuntur vtique tenemur ea præstare. Idcirco vsus est cibo simplici & potu, quibus grauem necessitatem inimicorum significauit.*

Si esurierit inimicus tuus, ciba illum. De inimico hoc dixit, nō de amico; ne amicitiæ id tribueretur, sed charitati. Non est magnum officiis respondere officiis: est magnum bona respondere pro malis. *Perfectioni adscribendum non est*, inquit Sanctus Valerianus homil. 12. *vbi muneribus munera, præmissis officiis redduntur officia. Si esurierit inimicus tuus, ciba illum. Nunquid dixit? Si esurierit amicus tuus, ciba illum. Quid autem ibi operatur tua eleemosyna, vbi amicum pascit amicitia? Videamus tamen, quid intersit inter eum, qui indigentem amicum pascit; & eum, qui esurientem inimicum reficit. Ille gratiæ reddit debitum, hic exhibet miserationis & virtutis exemplum. Gloriosum est quidem indigentem fratrem pascere,* SED FORTIVS EST INIMICO IN NECESSITATE POSITO SVBVENIRE.

Si esurierit inimicus tuus. Scilicet amico animo in inimicum quoque ferri quisque debet. 341.
Hæc porrò verba sic expendebat hîc Caietanus: *Aduerte, quod non absolutè sed in articulo necessitatis hoc mandatur dicendo: Si esurierit, si sitit, vt intelligamus, quod inimico in particulari benefacere non præcipitur nisi in articulo necessitatis. Et tunc præcipitur, quod necessarium est tribui, dicendo: Ciba illum, potum da illi; non enim dixit: Dita illum, exalta illum.* PRÆCEPTA SIQVIDEM DEI RATIONABILIA SVNT, *vt subueniatur naturæ & indigentiæ.*

Ciba illum. Cibo fouendum inimicum monet. Cur non & de cibandis amicis leges tradit? An, quia id amicitia ipsa suadet; vt redundantis sit operæ, id iubere? An quia, qui amicus est, vix indiget, quo nutriatur? *Tu inimicum tuum pasce; nam* AMICVS IPSE SIBI PRÆSTAT, VT NON ESVRIAT, inquit Sanctus Valerianus homil. 12. de Pace.

Ciba illum. Maior Græco verbo, quod hîc habetur, subest vis: expressior beneuolentia significatur. *Attende*, inquit Toletus, *verbum, Ciba, Græcè significationem habere efficaciorem. ψώμιζε non est simpliciter cibo aut nutrio; sed, indulgentem pasco, veluti minutatim dissipato pane, & frustullatim conciso cibo: id quod fit apud nonnulles erga eos, quibus fauent in conuiuiis. Quo significat* PAVLVS BENEVOLENTIAM, QVA TRACTARE DEBEMVS INIMICOS; *nempè, vt contrario modo nos erga eos geramus, nempè tanquam amicos & beneuolos.*

Hoc enim faciens, carbones ignis congeres super caput ipsius.

CArbones ignis congeres super caput ipsius. Vt 342.
caput humiliter deponat, superbiam excutiat; & pœnitentiæ igne absumat, quidquid in inimico displicet Deo. *Intelligens*, inquit Sanctus Augustinus in Psalm. 78. ILLVM IGNEM ESSE POENITENTIÆ *vrentem dolore, quo usque caput erectum superbia, beneficiis inimici ad humilitatem salubrem deponitur.* Deponatur caput, ponatur superbia: humilis fiat, qui superbus caput erexerat.

Carbones ignis congeres super caput ipsius. Aliqui sic exponunt: Id si feceris reddes eum maiori vindictæ obnoxium, adeo vt ardentes carbones super caput illius conferues; nisi scilicet resipiscat. Alij in bonum accipiunt; in hunc sensum, accumulatis beneficiis eum succendes

ad

ad te redamandum, vt iam pro inimico amicum ſis habiturus; hinc & illud Sancti Auguſtini: NVLLA EST MAIOR AD AMOREM INVITATIO QVAM PRÆVENIRE AMANDO; *& nimis durus eſt animus qui dilectionem ſi nolebat impendere, nolit rependere.*

343. *Carbones ignis congeres ſuper caput ipſius.* Sicque eius malitia abſumatur, deſinatque inimicus eſſe, incipiat eſſe amicus; & hoc ſenſu ſæuire in inimicum licet, inimicum perſequi, ſi nimirum malitiam impugnemus, quæ in proximo eſt; Pulchrè philoſophatur Beatus Thomas à Villanoua ſermone 12. feria ſexta Cinerum. *Quid fratrem, inquit, & proximum tuum odis atque perſequeris? O ſtulte, non eſt ille inimicus, ſed proximus: non te perſequitur homo quem fecit Deus,* SED MALITIA QVAM FECIT HOMO: ILLA EST INIMICVS TVVS, ILLAM ODERIS, ILLAM PERSEQVITOR, ILLAM DESTRVITO. *Tolle malitiam à fratre, non te perſequetur, non tibi malè fecit. Fac ergo vt deſtruas illam: ſed quomodo? ſi videris (inquit Apoſtolus) inimicum tuum ciba illum, &c. hoc enim agens, carbones ignis congeres ſuper caput eius, & accendetur charitas: & deſtruetur malitia, & ceſſabit inimicitia, & erit frater quem inimicum putabas. Noli vinci à malo, ſed vince in bono malum, vt ait Apoſtolus. Certamen enim magnum eſt inter fratris malitiam, & tuam bonitatem: certa viriliter vt beneficiis vincas illum, qui te aggreditur incommodis: grandis enim tibi gloria eſt, ſi in hoc certamine victor euaſeris: & grandis eſt confuſio, ſi ſuperatus fueris.*

Noli vinci à malo: ſed vince in bono malum.

344. NOli vinci à malo. Vincitur à malo, qui vltionem & vindictam cogitat, malo affectus. Putet hunc Mundus victorem, victus eſt. Victor erit, ſi bonum pro malo reddat, quod tetigit etiam Theodoretus hîc: *Noli vinci à malo, ſed vince in bono malum.* VLCISCI ENIM, EVM INFERIOREM FVISSE SIGNIFICAT. *Eſt autem euidens victoria, pro malis bona reddere*

Noli vinci à malo. Vincitur qui pro malo malum reponit; vincit qui benè facit, mala inferenti; *Vinci à malo*, inquit hîc Iſidorus Clarius, *victoriam amittere eſt*; VINCE ERGO PER BENEFICENTIAM MALVM. *Hoc autem caput Chriſtianam omnem perfectionem amplectitur.*

Sed vince in bonum malum. Nam alioquin malè vincit qui vincit in malo, imo non vincit, ſed vincitur, quod Arabicum etiam prouerbium habet: *Non vincit ſed vincitur qui malum malo vincit.*

Noli vinci à malo. Succinit Paulus omnium menti, nullus eſt qui vincere hoſtem non cupiat, ad hoc nos Paulus vocat, vincendus hoſtis, & inimicus, ſed alia ratione ac ſoleat; vince, inquit, *in bono malum*, quod fiet, ſi per te bonus fiat qui erat malus. *Naturale eſt homini*, inquit Sanctus Thomas hîc, VT VELIT ADVERSARIVM VINCERE, *& non vinci ab eo, illud autem ab aliquo vincitur, quo ad illud trahitur, ſicut aqua vincitur ab igne, quando trahitur ad calorem ignis. Si ergo bonus aliquis homo, propter malum quod ſibi ab aliquo infertur trahatur, ad id quod ei malefaciat, bonus à malo vincitur. Si autem è contrario propter beneficium quod bonus perſecutori exhibet* EVM AD SVVM AMOREM TRAHAT, BONVS MALVM VINCIT. *Dicit ergo, noli vinci à malo, ſcilicet eius qui te perſequitur, vt tu eum perſequaris, ſed in bono tuo vince malum illius, vt ſcilicet ei benefaciendo, eum à malo trahas.*

Noli vinci à malo; quin potiùs vince in bono malum; vt vbique vitanda contentio ſit tanquam noxia, hîc tanquam maximè vtilis exercenda: CONTENDE *cum malo*, inquit ad hæc verba Beda, *ſed de bonitate.* IPSA ENIM EST VERA CONTENTIO, VEL CERTAMEN SALVBRE, *vt ſit bonus contra malum, non vt ſint duo mali Si tu iam non es malus, opta malo vt ſit bonus. Quid ſæuis in malos? Quia mali ſunt, inquis. Addis te illis, ſæuiendo in illos. Conſilium do, diſplicet tibi malus, non ſint duo. Reprehendis, ſed adiungeris, auges eius numerum quem condemnas. Malo vis vincere malum, de malitia vincere malitiam: erunt duæ malitiæ, ambæ vincendæ Non audis conſilium Domini tui per Apoſtolum Noli vinci à malo, ſed vince in bono malum. Fortè ille peior eſt quàm tu ſis, duo tamen mali: Ego vellem vt vel vnus eſſet bonus.*

Vince in bono malum: Vt ſit ſenſus; vince eius malitiam tua beneficentia, *quod non tantum fit*, inquit Eſtius, *dum inimicus à malitia conuertitur, ſed quotieſcunque* BENEFICIVM ILLI PRÆSTATVR; ſicque occaſione malitiæ alienæ, beneficentia illuſtrior fiat. S. Auguſtinus in Pſalm. 78. hæc habet ad hunc locum: *Apoſtolus vigilanter adiunxit; noli vinci à malo, ſed vince in bono malum: quomodo autem poteſt vincere in bono malum.* IN SVPERFICIE BONVS, ET IN ABDITO MALVS, *qui opere parcit, & in corde ſunt manu mitis, voluntate crudelis.*

CAPVT XIII.

EPIST. AD ROMANOS expenditur & illuſtratur.

SECTIO I.

Principatus

Principatus abusus ab hominibus.
350 *Regni & principatus necessitas.*
351 *Potestati homo parere non debet contra Deum.*
Hominibus, sicut Deo, parendum.
352 *Superior quo timore non timendus.*
Malorum punitio laus est bonorum.
353 *Dum mala opera puniuntur, laudantur bona.*
Ex potestate etiam mala vt laudem boni consequantur.
354 *Potestas etiam mala laudis occasionem prabet etiamsi non laudet.*

Omnis anima potestatibus sublimioribus subdita sit.

346. NIMIRVM Christi lex politias non euertit, sed firmat Opportunè rem versat Sanctus Chrysostomus hîc. *Huius rei plurimum & in aliis epistolis meminit; quemadmodum famulos heris suis, ita & subditos principalibus subiiciens. Facit autem ideo, vt ostendat*, CHRISTVM LEGES SVAS NON AD HOC INDVXISSE, VT POLITIAS EVERTAT; *sed vt ad melius instituat, & vt pariter doceat superflua & inutilia bella non esse suscipienda: sufficiunt enim insidia, qua veritatis gratia nobis intenduntur, vt non sit opus vana & inutiles tentationes superaddere.*

Omnis anima. Cur, *Omnis anima*, dixerit; non *Omnis homo*, aliquis quærat. Caietanus ita respondet: *Significantius dixit, Omnis anima, cùm debuisset dici, Omnis homo; vt intelligeremus non solùm res nostras*, NON SOLVM CORPORA NOSTRA, SED ETIAM ANIMAS DEBERE SVBIICI PRINCIPIBVS SECVLARIBVS IN IIS, QVÆ POSSVNT LEGITIME IMPERARE.

Omnis anima. Cur potiùs dixit? *Omnis anima* quam, *Omnis homo.* An, vt, qui superioribus se subiicit, superbiam deprimat? *Dicit*, inquit hîc Catharinus, *omnem animam potiùs, quàm omnem hominem; fortè* QVIA IN ANIMA SPIRITVS EST SVPERBIÆ, QVI ELEVATVR *aduersùs potestates.*

347. *Omnis anima.* Partem pro toto posuit, anima pro homine; licet hîc loquendi modus aliud innuat, scilicet ex animo parendum superioribus esse, non extimè, & ad oculum, quod notabat his verbis S. Thomas: *vtitur autem hoc modo loquendi*, QVIA SVBIECTIONEM SVPERIORIBVS DEBEMVS EX ANIMO, ID EST, EX PVRA VOLVNTATE, *secundum illud Eph. 6. non ad oculum seruientes, quasi hominibus placentes, sed ex animo cum bona voluntate.* Eodem spectabat & Toletus hîc dum ait: *Artificiosè, vt* HANC SVBIECTIONEM DEBERE ESSE EX ANIMO; NON EXTERIOREM SOLAM, *fictam aut simulatam indicaret.*

Per potestates sublimiores homines authoritate publica præditos intelligit, siue reges illi sint, siue præsides Prouinciarum, siue Vrbium ac Locorum magistratus; de potestate enim sæculari tantùm hîc agit Paulus, sed cur non de Ecclesiastica etiam? An quia dubium tunc erat an illi parendum, non verò isti?

Omnis anima, tanquam ab omni corporis passione debeat esse immunis qui possit. Benè scitus ille author: *maluit, inquit, dicere omnis anima quam omnis homo, vt doceret quod qui humanam politiam colit, sub principibusque vitam agit à carnalibus affectibus debet esse purgatus, solus qui carnalibus vitiis non immergitur, suaue & leue putat iugum potestatum alioquin quomodo feret homo carnalis alterius legibus & dictis stare.*

Non est enim potestas nisi à Deo.

INstituta à Deo potestas omnis est, & omnis superioritas, humanæ scilicet paci conseruandæ, signatè dixit *potestatem omnem à Deo esse*, nam modus adipiscendi potestatem, aut ipsius potestatis vsus à Dei hoste est ab ambitione; nisi quod hic quoque à Deo permittente est. 348.

A DEO magistratus, & potestates sunt tanquam vrbium & regnorum scita: id explicat similitudine Sanctus Chrysostomus homil. 6. ad populum; *Non est potestas nisi à Deo: & quæ sunt potestates, à Deo ordinata sunt*, QVOD ENIM IN DOMIBVS FACIVNT LIGNORVM CONTIGNATIONES, HOC MAGISTRATVS IN CIVITATIBVS: *& sicut si illas sustuleris, dissoluti parietes per se se corruunt; & si ex mundo magistratus tollas, & horum metum, & domus, & ciuitates, & gentes cum multa inter se licentia corruent, nemine existente qui contineat, & repellat, & pœnæ timore eos quiescere persuadeat.*

Signatè dictum, *Non est potestas* Nec dixit; *Non est potens*, aut, *Non est præfectus*; ne, qui malè imperium gerit, in eo, quod malè imperat institutus à Deo crederetur. Sanctus Isidorus Pelusiota lib. 2. epist. 216. *Quoniam ex me per litteras sciscitatus es, quidnam illud sibi velit? Non enim est potestas nisi à Deo. ac dixisti: Quid igitur? Omnisne, qui imperium gerit à Deo institutus est? Hoc dixerim, te mihi videri (ac velim ne mihi succenseas; nihil enim futile dicam) aut Apostolicas voces minimè legisse, aut certè non animaduertisse atque intellexisse. Neque enim dixit Paulus:* NON EST PRÆFECTVS NISI A DEO. VERVM DE RE IPSA DISSERIT *his verbis vtens: Non enim est potestas nisi à Deo; nam, quod inter homines imperia & magistratus sint, atque alij imperent, alij pareant*, AC NON TEMERARIO ET CÆCO IMPETV OMNIA FERANTVR *populis videlicet fluctuum instar huc atque illuc se se agitantibus; hoc à Diuina sapientia proficisci ait.* Sicque principatus à Deo est, principatus abusus ab hominibus, 349.

Dignitatis & principatus necessitatem etiam ex rebus, quæ infra homines, sic idem Sanctus Pater ostendit: *Quin in brutis etiam animantibus idem prospicere liceat: atque hoc* APES *comprobant, quæ Regis imperio subsunt: &* GRVES *& syluestrium pecudum greges. Quod si mare quoque consideres, ne id quidem huiusce disciplinæ expers esse comperietur: multa enim illic* PISCIVM *genera sub vnius piscis principatu, ac velut imperio militare censentur, vnde etiam longas peregrinationes suscipiunt. Si quidem vbique molestissima res est sublatio principatus, confusionisque ac perturbationis causa, Quo etiam fit, vt ne in corpore quidem, quod vnum est, pari dignitate omnia sint: verùm ex membris alia* 350.

præsint

præſint, alia ſubſint. QVOCIRCA REM IPSAM, POTESTATEM INQVAM, HOC EST IMPERIVM ET REGNVM A DEO FORMATVM ATQVE INSTITVTVM ESSE, PROFITENDVM EST, *ne ornatus in ſtatum inornatum degeneret.* Claudit aſſeritque, impios, ex leges, tyrannoſque à Deo permitti: *Quod ſi quis impius ac ſacrilegus in illud irruperit, haudquaquam ſcilicet hunc à Deo creatam ac deſignatum eſſe dicimus; verum permiſſum eſſe: quo nimirum, aut Pharaonis in modum improbitatem omnem ſuam enomat, atque ita extremo ſupplicio excrucietur: aut eos, qui crudelitate opus habent, ad meliorem mentem reuocet; quemadmodum Rex Babylonis Iudæos.*

351. *Non eſt poteſtas niſi à Deo.* Non ergo poteſtati obedire homo debet in iis, quæ contra Deum. Si aliud Princeps iubeat, aliud Deus; huic parendum eſt, non illi. *Si omnis poteſtas eſt à Deo*, inquit Toletus, NON DEBET HOMO OBEDIRE POTESTATI CONTRA DEVM IPSVM.

Itaque, qui reſiſtit poteſtati, Dei ordinationi reſiſtit.

D*Ei ordinationi reſiſtit.* Hinc etiam, qui homini obedit, obedit Deo: atque adeò præcipientis imperitia aut indiſcretio veræ obedientiæ non eſt quod officiat. Pulchrè Beatus Laurentius Iuſtinianus tract. de obedient. cap. 6. *Non debet ſimpliciter obtemperantem magiſtri imperitia ſeu indiſcreta poteſtas mouere: ſed meminerit ſcriptum, quia non eſt poteſtas niſi à Deo, & qui poteſtati reſiſtit, Dei ordinationi reſiſtit. Ideo, quodcunque fecerit obediens*, OPERETVR SIMPLICITER ET EX ANIMO, SICVT DEO ET NON HOMINIBVS.

Vis autem non timere poteſtatem?

352. ET non timendus ſuperior omnis eſt? Timendus ſed TIMORE REVERENTIÆ, NON SVPPLICII, de quo hîc loquitur Apoſtolus. Boni igitur timendi occaſionem non habent, cum laudem mereantur, non pœnam.

Bonum fac & habebis laudem ex illa.

EX poteſtate laudem boni referunt non pœnam. Ad ſuperiores quippe pertinet non ſolum ſuppliciis afficere malos, ſed & præmiis bonos honorare; nam vt ait Caietanus, IPSA PVNITIO MALORVM LAVS EST BONORVM.

353. Et non plerique boni ſunt, & inſignes bonitatis ſunt cultores, qui tamen à poteſtate laudem non referunt; An laudem habent boni malorum comparatione; ſiquidem vt ait idem Caietanus, *dum mala opera puniuntur*, LAVDANTVR BONA.

Habebis laudem ex illa. Cur non dixit, *Ab illa?* Non ſemper poteſtas laudat: quandoque etiam arguit & opprimit iniuſtè. Si iuſtè viuas, ex illa habebis laudem, licet illa non te laudet. Siſtenda hîc verba Sancti Auguſtini ſerm. 94. de tempore. *Vis non timere poteſtatem? bonum fac, & habebis laudem ex illa.* ET, SI NON AB ILLA, TAMEN EX ILLA. *Aut enim iuſtè agis, & iuſta poteſtas laudabit te: aut iuſtè agentem, etiamſi poteſtas iniuſta damnet te, Deus iuſtus coronabit te. Ac per hoc tu iuſtitiam tene, tu benè viue:* ET SIVE DAMNET SIVE ABSOLVAT; HABEBIS LAVDEM EX ILLA. *Beatus ille, cuius hîc ſanguis fuſus eſt. Nonne ex ipſa poteſtate, antequam & à qua viſus eſt iudicari, laudem inuenit?*

Et habebis laudem ex illa; etiam ſi poteſtas iniuſtè in te ſæuierit; ſignatè, non dixit: *Laudabit te poteſtas*, ſed, *habebis laudem ex illa*; nam laude donaberis etiam ſi poteſtas contumeliis te affecerit, pœnis iniuſte cruciauerit; Præclatè Sanctus Auguſtinus apud Bedam: *Quid*, inquit, *ait Apoſtolus. Bonum fac, & laudabit te poteſtas ipſa? Bonum enim fecerunt omnes Apoſtoli & Martyres, & non eos laudauerunt; ſed interfecerunt poteſtates. Ergo ſi diceret, bonum fac & laudabit te, deceperat te. Modo autem temperauit verba, circumſpexit, appendit, moderatus eſt, circumcidit. Dicite quid audiſtis. Bonum fac, & habebis laudem ex illa. Si enim iuſta eſt poteſtas, habebis laudem ex illa, etiam ipſa laudante. Si autem iniqua eſt, mortuus pro fide, pro iuſtitia, pro veritate habebis laudem ex illa, etiam illa ſæuiente.* Ex ILLA ENIM HABEBIS NON IPSA LAVDANTE SED IPSA TIBI LAVDIS OCCASIONEM PRÆBENTE. Ex nobis igitur eſt vt laudemur, cum maiorum ſæuitia laudis materiam exhibeat. 354

SECTIO II.

Mutuâ

Mutuæ dilectionis officium semper debetur.

362 *Cur homini non sit iniunctum, vt seipsum amet.*

Qui Deum diligit, diligit seipsum.

Nullus à proximi charactere eximendus.

363 *Inhortatio ad mutuum amorem.*

Dilectio proximi in moribus magis apparet, quàm dilectio Dei.

Dilectio Dei in dilectione proximi continetur.

Non enim sine causa gladium portat.

355. SI Dei minister est, qui malos castigat & punit: dæmonis minister erit, qui malefacientes palpat, & adulatotiis verbis blanditur. Rem probè versat Sanctus Petrus Damianus lib.7. epist.11. dum ait: *Si Dei minister est, qui mala facientes in iram vindicat;* DIABOLI PROCVLDVBIO MINISTER EST, QVI CRIMINOSOS AC REPROBOS SVAVITER PALPAT: *& sicut Deo præbet obsequium, qui peruersos vlciscitur: sic minister est aduersarij, qui perpetrantibus iniqua blanditur.*

Gladium magistratus, & princeps portat, vt terreat malefactores; gladij porro nomine etiam cætera publicæ potestatis instrumenta, quibus principes ad puniendos legum violatores vtuntur, intellige; quod iustius transferas ad Deum; *quod si in magistratibus*, inquit Sanctus Chrysostomus in Psalm.7. *gladius hoc facit, &* TERRET *multò magis* IN DEO.

Ideo enim & tributa præstatis; ministri enim Dei sunt in hoc ipsum seruientes.

356. CVr tributorum hîc meminit? An, vt sciant principes sibi subiectorum vtilitatem maximè curandam, cum ad hoc ipsum tributis TAMQVAM MERCEDE QVADAM OPERIS (vt ille ait) ALANTVR? Præterea tributorum mentionem facit Paulus; quia hoc quoque Christianis obiiciebatur, quòd scilicet religionis suæ causa se vellent à tributorum solutione eximere, vt colligitur ex Iustin.2. Apolog. ad Anton. Imperat.

In hoc ipsum seruientes; Græcè προσκαρτεροῦντες *instantes* incumbentes, summo studio, ac assiduitate, in hoc ipsum ministerium, & curam toti incumbentes, ET VESTRIS COMMODIS SERVIENTES, non suis. Vera hæc Principum verorum nota est: qui se tantùm, & sua quærunt hoc sunt nomine indigni, licet titulum istum efferant; *seruire* audis principes, vt à monere suo abeant, si dominari tantùm ambiant, seruire suis subditis negligant.

* * *

Reddite ergo omnibus debita, cui tributum tributum: cui vectigal, vectigal: cui timorem, timorem: cui honorem, honorem.

REddite ergo omnibus debita. Itane omnibus? 357.
Quid si quis potens & superior sit? Etiam hi minoribus debitores sunt. *Reddi vult ab omnibus debita*, inquit hîc S. Ambrosius; *quia &* POTENTES SVNT DEBITORES MINORIBVS, *vt respondeant meritis illorum.*

Cui tributum tributum. Addit B. Thom. à Villanoua Conc. in Domin. 4. post Pascha; *Pariformiter cui* OBEDIENTIAM, OBEDIENTIAM: CVI REVERENTIAM, REVERENTIAM: *cui obsequium, obsequium; cui fidem, fidem.* Pergit: *debitum hoc iustitiæ non solùm inferiorum est ad superiores; id est subditorum ad prælatos: filiorum ad parentes, seruorum ad Dominos; sed è contrario.* DEBET ENIM PRÆLATVS SVBDITIS CVSTODIAM, ET DOCTRINAM: *debet pater filiis disciplinam & alimoniam: debet Dominus seruis stipendium & curam. Neque minùs iustitiam deserit prælatus, si subtrahat curam, quàm subditus si deneget obedientiam aut reuerentiam.*

Cui tributum, tributum: cui vectigal, vectigal. 358.
Aliquis fors crederet, Regibus, principibusque viris tantùm soluendum esse tributum, dandum esse vectigal: soluendum quoque pauperibus est tanquam Reges aliorum, aliorum Principes essent. Pulchrè S. Paulinus epist.29. quæst. 3. ad Aprum de huius vxore loquens: *Facta est tibi tanquam nauis, quæ mercatur à longinquo, necessaria diuisione reddens per se Cæsari, quæ sunt Cæsaris; vt, quæ Dei sunt, per te ministret Deo. Nam, cum tributum (sicut scriptum est) dederit, cui debet tributum; tunc & manus aperiens pauperi, è fructu opera sua porrigens*, INOPI SPIRITALE VECTIGAL PENSITAT; *& reditum possessionis in tua militia stipendium suggerit, iam salutaris damni auarior, quàm lethalis lucri.*

Cui tributum, tributum: cui vectigal, vectigal. Cur non priùs dixit? *Cui timorem, timorem; & cui honorem, honorem.* Præmisit, quod ad regiam potestatem præcipuè spectat; quia hoc præcipuum & magis necessarium. Pulchrè S. Ambrosius hîc: *Cui tributum, tributum: cui vectigal, vectigal. Primum ea, quæ sunt potestati regiæ debita exolui iubet;* QVIA MAIOR IN HIS CAVSA AVT NECESSITAS EST.

Cui honorem, honorem. Obiicit hîc sibi S. Thomas, quod habetur Leuit.19. *Non honores vultum potentis.* & statim nodum soluens ait: *Sed hoc est intelligendum, quantum ad hoc*, PRO EO A IVSTITIA NON DECLINES. *Vnde subditur: Iustè iudica proximo tuo.* Alioquin inhonotus ille honor, quo obsequio hominis Deus læditur.

Nemini quidquam debeatis, nisi vt inuicem diligatis: qui enim diligit proximum, legem impleuit.

MIrum, quod sanctitatis notam, dilectionem 359.
proximi potiùs statuit, quàm Dei. cur ita? An, quia in dilectione Dei facilius falli fallereque quilibet potest; non ita in proximi amore? Scitè Sanctus Anselmus: *Cur Apostolus solam proximi dilectionē commemorare maluit, quæ legem*

dixit

dixit impleri; NISI QUIA IN DILECTIONE DEI POSSVNT HOMINES MENTIRI (*quia rariores tentationes eam probant*) IN DILECTIONE AUTEM PROXIMI FACILIVS CONVINCVNTVR EAM NON HABERE, *dum scilicet iniquè omnibus vel aliquibus agunt? Cùm ergo alterum dilectionis præceptum sine altero teneri non possit: etiam vnum eorum commemorare plerumque sufficit, quum agitur de operibus iustitia: sed opportunius illud, de quo quisque facilius conuincitur.*

Et quid agendum cum semel solutum debitũ istuc fuerit? Amor debetur semper, licet semper soluatur tanquam debitum; *Amoris debito*, inquit B. Thomas de Villanoua serm. de S. Ægidio tangēs hęc verba ETSI MVLTVM DILEXERITIS. SEMPER VOS AMPLIVS EXISTIMATE DEBITORES. Istuc idem S. Chrysostomus. cuius hæc sunt verba serm. 13. de diuersis noui testamenti locis. *Cum inquit, ante dixisset, Nemini quicquam debeatis, tum adiunxit, nisi vt inuicem diligatis, quasi hoc velit, vt omne hoc debitum dissungamus* ET HOC ÆS ALIENVM PERPETVVM, *ac nunquam dissolubile perseueret. Hoc enim est præcipuè quod vitam nostram continet, & constringit.* & idem
360. luculentius exhibet, dum ait. serm. 15. *Age igitur quandoquidem Dei beneficio nos inuicem recuperauimus, charitatis vobis debitum persoluamus, si quidem vllo tempore possit illud persolui.* HOC ENIM SOLVM DEBITVM FINEM NESCIT: *Sed quantò magis dissoluitur, tantò magis debitum augetur: & quemadmodum in re pecuniaria laudamus eos qui nihil debent, ita hic eos qui multa debent, beatos prædicamus. Idcirco magister orbis terrarum Paulus scribens dicebat: Nemini quicquam debeatis, nisi vt inuicem diligatis, quod nimirum velit nos hoc debitum & semper soluere, & semper debere, nec vnquam hoc æs alienum dissoluere, donec vitam præsentem absoluerimus. Vt igitur pecunias debere, graue ac molestum est, ita debitum hoc non semper debere, criminis est obnoxium.* & serm. 1. idem dixerat in hunc modum. DILECTIONIS ENIM NATVRA SATIETATEM NON HABET: *& ex vsu amicitia maiores flammas accipit: quod ipse alumnus dilectionis Paulus testatum reliquit, qui ita dixit: Nulli quicquam debeatis nisi mutuam inter vos Charitatem: illud enim debitum semper quidem adnumeratur, numquam autem soluitur. Hic perpetuò debere pulchrum est, & in laude positum, in re pecuniaria contra: eos qui non debent laudandos putamus: in dilectione verò perpetuos debitores probamus & admiramur, & quod ibi malignitatis, hoc istic benignitatis signum est, vt scilicet nunquam soluatur Charitatis debitum.*

361. Ex his quoque verbis colligas charitatis debitum maius omnibus aliis esse; quod sic deducebat S. Petrus Venerabilis lib. 5. epist. 43. *Adiuncta est rationi Apostolica vox: & qualiter debitoribus reddere debita debeamus ostendit, quæ licet cui tributum, tributum, cui vectigal, vectigal, cui honorem, honorem, reddi præcipiat: cum tamen dicit: Nemini quicquam debeatis, nisi vt inuicem diligatis:* DOCET OMNIBVS DEBITIS PRÆPONDERARE DEBITVM CHARITATIS, *quia si præponderat, primo soluendum esse declarat.*

Etiam quum soluitur hoc debitum dilectionis adhuc ab illo non est aliquis solutus: debetur semper, *Cetera debita*, inquit hîc Estius, *tributum, vectigal, commodatum, mutuum, depositum ita redduntur, vt, cum dederis, iam liber sis à debito: quod propriè est soluere debitum. Ac* MVTVÆ DILECTIONIS OFFICIVM, QVANTVMCVNQVE FVERIT IMPENSVM, SEMPER ADHVC DEBETVR; AC PROINDE REDDITVR QVIDEM HOC DEBITVM, SED NVNQVAM SOLVITVR: *quippe manente semper obligatione qua nos eius perpetuos facit debitores, vt loquitur Augustinus epist. 135. illud adiiciens, quod eam tanto magis debemus, quantò amplius impenderimus.*

Qui enim diligit proximum. Sæpè in Diuinis 362.
litteris homini commendatur Dei sui dilectio & sui proximi: cur non etiam ei præcipitur, vt diligat seipsum? An, quia satis quilibet amat, si Deum amet? *Quando homo docetur* inquit hîc Vgo Victorinus quæstione 307. *Qualiter Deus sit diligendus, in hoc ipso docetur,* QVALITER HOMO SEIPSVM DEBEAT DILIGERE: *quid est enim se diligere, nisi bonum suum amare? Sed, quod est bonum hominis, nisi Deus? Qui ergo diligit Deum, in hoc ipso diligit seipsum; &, in* QVANTVM DILIGIT DEVM, IN TANTVM DILIGIT SEIPSVM.

Proximum Græ è, τὸν ἕτερον, *Alterum*, quo pacto etiam legit S. August. Numerum, qui alter est, noster proximus est, adeò vt NVLLVS A PROXIMI CHARACTERE EXIMATVR. Quicunque ille sit, siue propinquus, siue extraneus proximus noster est; atque adeò à nobis diligendus.

Ad mutuum amorem sic nos inhortabatur 363.
B. Laurentius Iustinianus cap. 15. de Charit. *Si amādi sunt naturaliter fratres, qui diuidendo hereditatem, portionem vniuscuiusque minorē faciunt,* QVANTVM AMANDI SVNT, QVI PORTIONEM AVGENT? *Quantò enim plures erunt electi, tantò amplius gaudebunt. Plus etenim gaudebit vnus electorum de gloria animæ alterius, quàm de gloria proprij corporis.*

Qui diligit proximum. Mirum cur dilectionis potiùs proximi meminerit quàm Dei: cur istuc fecit? *Quia dilectio proximi*, inquit Vgo Victorinus quæst. 303. IN VITA QVOTIDIANA ET MORIBVS MAGIS APPARET, quilibet facilè se legem impleuisse putaret si legis impletio ex proximi dilectione non esset probanda. Denique nihil non agit Deus vt ad proximi amorem quemlibet vrgeat, vt se non præseruandum prætereat hominis in hominem dilectionem commendans; sed hoc ipso magis est diligendus quò magis ad proximi amorem nos exstimulat.

Legem implere est totam obseruare, sed quî totam obseruat qui proximum diligit, cum in lege Dei, Dei dilectio præcipuè præcipiatur? An quia Dei DILECTIO IN PROXIMI DILECTIONE CONTINETVR velut causa in effectu? verum illud est S. Augustini. *Nisi diligat Deum nemo diligit se ipsum*, atque adeo nec proximum sicut se ipsum poterit diligere.

SECTIO III.

364 *Quid sit amare proximum sicut seipsum.*

Quàm grande malum, odium, rixæ & simultates.

365 *Dilectionis Dei & proximi cohærentia explicata.*

366 *Scientia omnis in charitate.*

H *In te*

In re salutis vitanda cunctatio.

367 *Quò ad finem magis accedimus, ferventiores esse debemus.*

Dilationis occasio amputanda.

368 *Vera salus post vita istius discrimen.*

Post vitiorum noctem, ad ea minimè redeundum.

369 *Opera tenebrarum, somnolentia & ebrietas, aliaque vitia.*

Filij lucis, opera tenebrarum abiicere debent.

370 *Ex Christi armamentario lucis arma sumenda.*

371 *Bona opera, lucis arma vocata quia & tegunt & defendunt, tutúmque hominem reddunt.*

Bona opera, arma cur dicuntur.

372 *Qui ad bona alios inhortatur, seipsum exemplum præbeat.*

Impudicitia, ebrietatis & comessationis fructus.

373 *Christum quinam dicatur induere.*

374 *Semper in virtutibus debemus proficere, semper induere Christum.*

Vndique nos sanctitas ambire debet.

375 *Nimia carnis cura quàm noxia.*

Temperantia & in resecandis superfluis & in admittendis necessariis sita.

In carnis cura necessitati subueniendum.

376 *Non omnis carnis prouidentia culpanda.*

Voluptuosa carnis diligentia abscanda.

377 *In carnis cura concupiscentiæ non seruiendum, sed necessitati.*

Diliges proximum tuum sicut te ipsum.

364. SIcut te ipsum *dixit, non* quantum te ipsum, vt sciremus non dilectionis æqualitatem exigi, sed similitudinem; *vt diligas proximum*, inquit Caietanus, EO MODO, QVO DILIGIS TE IPSVM HOC EST AMORE AMICITIÆ, *quod est velle illi bonum honestum, vtile, delectabile, propter illud, non propter te, sicut vis tibi ipsi hæc bona propter te; alioquin dilectio proximi negotiatio quadam potius erit, quàm verè dilectio.*

Dilectio proximi malum non operatur.

SEd quodnam istud malum est, à quo dilectio suos auocat? Cur genus mali non explicauit? An per malum illud intellexit, quod est præcipuum, odium scilicet proximi, lites, simultates? S. Valerianus homil. 12. *Audite*, inquit, *Apostolum dicentem: Dilectio proximi malum non operatur. Vultis scire, quod sit illud malum, quod gratiam fraternæ dilectionis excludit?* ODIA, RIXÆ, SIMVLTATES, *lites, æmulationes, quæ omnem cursum vitæ præsentis infamant.*

Dilectionis Dei, & proximi cohærentia scito explicat exemplo S. Dorotheus doctrina 6. 365.
CIRCVLVM *fingite mundum esse,* CENTRVM *autem circuli Deum,* LINEAS *autem à circulo in medium deductas, vias credite varias, negotiationesque mortalium. Quò magis penetrant Sancti viri ad interiora, vt Deo appropient, per rationem ingressus, eò magis appropiant Deo, & sibiipsis, quantóque sibiipsis, tantò & Deo, & quantò viciniores fiunt Deo, tantò & sibiipsis, quantóque sibiipsis tantò & Deo. Considerate item recessum & ablongationem, cum scilicet recedunt à Deo & ad exteriora se se effundunt. Quantò enim magis à Deo recedunt, tantò & à seipsis, & quantò à seipsis, tantò à Deo. Hæc est enim charitatis vis & natura. Quò enim magis à Dei dilectione recedimus, & eò à proximi amore distamus, quantò Dei charitati adhæremus, tantò & proximi, quantumque proximo tantò & Deo.*

Plenitudo ergo legis est dilectio.

P*Lenitudo ergo legis est dilectio.* Sanctus Augustinus serm. 39. de Temp. legit: *Plenitudo legis est charitas.* additque: *Si ergo non vacat omnes paginas Scripturarum euoluere,* TENE CHARITATEM, ET IN EA INVENIES OMNEM SCIENTIAM. 366.

Ex hoc scientes tempus; quia hora est iam nos de somno surgere.

CVm *tempus* dixerit, cur *horam addidit?* An vt tempus breue esse innueret, *vt proinde*, inquit Estius, *quod agendum est* IAM NON VLTRA DIFFERRI DEBEAT. In re salutis periculosa cunctatio omnis est, & maximo discrimini obnoxia dilatio est.

Quia hora est iam nos de somno surgere. Ac si 367.
diceret: Tanto maiori nunc opus vigilantia, quanto vicinius tempus illud est, quo æternam salutem appropinquare nouimus; QVO IGITVR AD FINEM MAGIS ACCEDIMVS, FERVENTIORES ESSE DEBEMVS, & ad bona opera alacriores, contra ac sæpè fiat.

Cur horam potius posuit, quàm tempus? An, ne moras surrecturi necterent? Scitè Galfridus in Allegor. Tilm. *Horam dicens, innuit, breuem moram;* & SIC OMNEM DILATIONIS AMPVTAT OCCASIONEM.

Nunc enim propior est nostra salus, quàm cùm credidimus.

ET cur propè salutem esse ait, quæ iam aduenerat, alioquin non diceret, *quàm cùm credidimus.* Per salutem hîc illam intelligit, quæ erit in futura gloria, à qua scilicet excidere nullus poterit, cui nullum periculum imminebit. PRÆSENS SALVS VIX SALVS DICI POTEST, TOT DISCRIMINIBVS OBNOXIA. 368.

Nox præcessit, dies autem appropinquauit.

CVm nox præcesserit, post diei, lucisque præsentiam rursus nox sequi non debet, nec se nouis

nouis tenebris damnare erutus à tenebris. *Nox præceſſit dies, autem appropinquauit.* PRÆCESSIT, inquit Eucherius, *nox*, NON ERQVITVR: *vt intelligas superueniente Chriſti lumine, & diaboli tenebras effugari*, ET PECCATORVM OBSCVRA NON EVBSEQVI: *& iugi ſplendore præteritas caligines depelli, ſubrepentiaque delicta prohiberi.* Sic ille homil. 4. de Paſcha; eadem prorſus habet S. Ambroſius in Pſalm. 117. Nimirum ſatis eſt tenebras, noctemque præceſſiſſe; cum iam Chriſti aduentu, ac gratia fugatæ illæ fuerint, hæc in diem conuerſa, non debent noſtra ſocordia, noſtro torpore, noſtraque malitia in noſtri perniciem, ruinamque redire.

Abiiciamus ergo opera tenebrarum, & induamur arma lucis.

369\. *OPera tenebrarum.* Vitia omnia donanda hoc titulo; quia tenebris agnata, & ſecum vehunt tenebras; ſed præcipuè ebrietas & ſomnolentia. Pulchrè S. Bernardus ſerm. 3. in Vigil. natiuit. Domin. vbi ait: *Abiiciamus opera tenebrarum*, SOMNOLENTIAM SCILICET ET EBRIETATEM *(quoniam, vt ſuprà meminimus, qui dormiunt, nocte dormiunt; &, qui ebrij ſunt, nocte ebrij ſunt) vt tanquam in die non dormitemus, ſed ambulemus, atque hoc quidem honeſtè, non temulentè.*

Filios lucis opera tenebrarum par eſt abiicere, alioquin à tam ſpecioſo excident titulo. S. Leo ſerm. 2. de Epiph. *Cohortamur*, inquit, *dilectionem veſtram, vt abſtineatis vos ab omni opere malo, quæ ſunt caſta & iuſta ſectemini*, FILII ENIM LVCIS ABIICERE DEBENT OPERA TENEBRARVM. *Itaque odia declinate, mendacia abijcite, ſuperbiam humilitate deſtruite, auaritiam largitate delete.*

370\. *Et induamur arma lucis.* Ex cuius armamentario ſumenda ſunt arma? *Nec ſi*, inquit S. Paulinus ep. 2. ad Seuerum, *propria armis opis egeo, diffidam.* HABEO ARMAMENTARIVM CHRISTI DE QVO ARMA LVCIS VSVRPEM, *quibus principes tenebrarum & agmina noctis expugnem, in cæleſtibus mihi aduerſantia: videlicet in conuerſatione ſpiritali quam terrenis debellare aſtuntur illecebris. Sed aduerſum hos mihi ille armiger, ille Signifer erit, qui vas electionis Deo, ille lumbos meos cingulo caſtitatis adſtringet: capiti meo galeam ſalutis aptabit: Lorica iuſtitiæ meum pectus includet. Ille me totum proteget; Scuto fidei, & dexteram meam (immò me totum) in dexteram Chriſti factum, gladio Spiritus, & verbo veritatis armabit: vt cadant à latere meo mille, decem millia à dextris meis. Ille pedes meos in Euangelij præparationem calceabit, vt preſſo impunè veſtigio, ſuper ſpinas & tribulos iſtius terræ ambulem & per aſpera itineris anguſti munito pede tutus ingrediar.*

371\. *Et induamur arma lucis.* Arma lucis ſunt bona opera: ſed cur arma potius vocat, quàm veſtes? *Ea vocat arma* (inquit Eſtius) QVIA NON SOLVM TEGVNT *vt veſtimenta; verumetiam* TANQVAM ARMA DEFENDVNT AC TVTVM REDDVNT HOMINEM ADVERSVS IMPVGNATIONES DIABOLI.

Arma lucis. Litteræ conſequentia videbatur exigere, vt diceret, *Opera lucis*; ſicut ſuperius dixerat, *Opera tenebrarum.* Cur ergo *Armorum* vſus eſt nomine? Vt innueret, bona opera quædam eſſe arma, quæ nos contra hoſtes noſtros muniunt, & fortes contra eos reddunt. Succinit hîc Caietanus, dum ait: *Opera luci conſona, appellauit, Arma lucis; quia non ſolùm ſunt opera, ſed ſunt arma. Et dixit hoc ad differentiam operum tenebrarum, nam peccata, quæ ſunt tenebrarum opera (quia omnis, qui malè agit, odit lucem) ſunt tantùm opera noſtra: æterna autem ſalutis meritoria opera (quæ appellantur Arma lucis) non ſolum ſunt opera luci conſona*, SED SVNT ARMA TVM DEFENSIVA TVM OFFENSIVA HOSTIVM, *virtute Diuinæ gratiæ.*

Sicut in die honeſtè ambulemus: non in comeſſationibus & ebrietatibus, non in cubilibus & impudicitiis, non in contentione & æmulatione.

SIcut in die honeſtè ambulemus. Etiam ſe aliis annumerat, vt alios vehementiùs vrgeat, & leuiora mandata reddantur. *Et non dicit*; inquit hîc S. Chryſoſt. *Ambulate; ſed, Ambulemus, vt* ET EXHORTATIONEM INVIDIA *liberet, & increpationem tolerabiliorem reddat.* 372.

Non in cubilibus & impudicitiis. Poſt comeſſationes & ebrietatem, impudicitiæ meminit; quia hi fructus ſolent ab illo ſolo germinare. Sciitè S. Ambroſius hîc: *Poſt luxurioſum conuiuium & ebrietatem, hoc ſubiecit, quod ſequitur, id eſt concubitus impudicus*; HIC ENIM HVIVS LASCIVIÆ EST FRVCTVS. Idem prorſus habet S. Chryſoſt. in hæc verba. *Paſſionum occaſiones extinguit, concupiſcentiam videlicet & iram: propterea non illas ſolum, ſed & illarum fontes aufert. Nihil enim adeò & concupiſcentiam & iram inflammat* ATQVE EBRIETAS ET VINOLENTIA: *atq; ideo, cum primum dixiſſet, Non comeſſationibus & ebrietatibus tunc ſubiunxit, Non cubilibus ac laſciuiis, non contentione & æmulatione.* Eodem ſpectauit Primaſius: *Sequitur ebrietatem impudicitia: ebrietas enim materia eſt luxuriæ.* Et Elias Cretenſis in Orat. 4. S. Greg. Naz. *Ea de cauſa in his verbis cubilia & impudicitias cum comeſſationibus & ebrietatibus copulauit: quod* REIPSA HÆC CVM ILLIS CONNEXÆ SINT: NAM, *qui comeſſatur & vino ſe ingurgitat, idem quoque proculdubio voluptatis titillatus in libidinem ruit.*

Non in cubilibus; & quæ ſequuntur; omnia vitiorum genera hiſce verbis inhiberi notabat & in hunc modum explicabat Vgo Victorinus ſerm. 34. *Omnia autem vitia & peccata carnalia, vel ſpiritualia ſunt. Quæ cuncta nobis prohibet Apoſtolus aut re, aut ſignificatione, vbi dicit: Non in comeſſationibus, & ebrietatibus, non in cubilibus & impudicitiis, non in contentione & æmulatione. Vniuerſa namque carnalia peccata, vel ad gulam pertinent, & prohibentur ibi, vbi dicitur, non in comeſſationibus & ebrietatibus: aut pertinent ad luxuriam, & prohibentur, vbi additur, in cubilibus & impudicitiis. Spiritualia verò, aut exteriùs fiunt, & prohibentur, vbi dicitur: Non in contentione. Aut interiùs committuntur, & prohibentur, vbi ſubiungitur: non in æmulatione. Contentio nempè foris eſt in ore; æmulatio intùs in corde. Bona denique ſiue ſpiritalia, ſiue corporalia præcipiuntur, vbi ſubinfertur: Induimini Dominum Ieſum Chriſtum. Chriſtum quippe induere eſt in Chriſto ſanctè & honeſtè viuere.*

Sed induimini Dominum Iesum Christum, & carnis curam ne feceritis in desideriis.

INduimini Dominum Iesum Christum. Quî possit quis induere, in hunc modum explicat S. Thomas hîc: *Dicitur* INDVERE CHRISTVM, *qui Christum imitatur: quia, sicut homo continetur vestimento, & sub eius colore videtur; ita in eo, qui Christum imitatur, opera Christi apparent.* Victorinus hîc: *Illi induunt Christum, qui nec amore nec timore, vbi periculum imminet iustitiæ, abscondunt veritatem.*

374. Induendus cuilibet Christus est; quid si quis, iam Paule induerit Christum? adhuc eo indui potest, semper aliquid in eo quod motibus exprimamus; semper donec viuimus induendus nobis est Christus, non secus ac si quis nunquam induisset, adeo vt virtutum eius imitatione semper proficiamus. Indui quotidie Christo debemus, ita tamen vt nunquam Christum deponamus tanquam vestem.

Christus induendus est: quod fiet, si plenè perfecteque eius mores motibus exprimamus, virtutibusque nos ab omni parte muniamus. Aptè Guilliadus hîc: *Qui Christum Dominum induerit, is habet vniuersam virtutem.* INDVERE CHRISTVM, *hic significat, virtute spiritus eius vndique nos munire*, QVA IDONEI AD OMNES SANCTITATIS PARTES REDDAMVR.

Induimini. Ex hac phrasi aliqui colligunt difficilia ac grauia licet virtutis initia sint, suauia tamen, ac iucunda extrema esse: *Si nouum*, inquit bonus ille auctor; *induis thoracem, prima die adeo te premit, vt fermè incedere non valeas, postquam autem ei assuefactus es, gratus tibi iam est, extenditur namque, & corpori accommodatur, sic inquit Paulus, induimini Dominum nostrum Iesum Christum, quia si eius via in principio difficilis visa fuerit, iucundior in fine apparebit.*

Christus nobis induendus; non Christi vestis: vt frustra sit qui de extimo Christi habitu blanditur sibi. Scitè Oleaster in capite 30. Exodi. *Quare non dixit induimini Christi vestem, sed Christum? quoniam solent etiam hypocritæ Christi vestibus tegi; veniunt enim in vestibus ouium, sed non induunt ouem ipsam, vt etiam ostenderet, non tuum esse Christum induere, non dixit: induite, sed induimini: quoniam Dei, non nostrum est Christum induere.*

375. *Carnis curam ne feceritis in desideriis.* Sanctus Chrysostomus, seu eius interpres homil. 29. in Epist. ad Hebr. legit hunc locum: *Carnis curam ne gesseretis ad concupiscentias.* Addit: *Rectè dixit*; ALIMENTVM ENIM EST MATERIA OBSCOENIS CVPIDITATIBVS. *Etiamsi is, qui indulget deliciis sit omnium maximè philosophus, necesse est, vt ipse afficiatur à vino & à cibis: necesse est, vt diffundatur: necesse est, vt maiorem inferat flammam.*

In desideriis. Hac additione Apostolus indicat, necessaria admittenda esse, superflua resecanda. Præclarè B. Bernardus lib. 1. de Considerat. cap. 8. NON EST TEMPERANTIA IN SOLIS RESECANDIS SVPERFLVIS, EST ET IN ADMITTENDIS NECESEARIIS. *Huius sententiæ Apostolus non fautor tantùm, sed author esse videtur, qui curam carnis nostræ docet non perfici in desiderio. Dicens siquidem curam carnis non perfici, superflua cohibet: addens, in desiderio, necessaria non excludit. Vnde mihi videtur non omninò absurdè definire temperantiam, qui hanc nec præcedere necessitatem, nec excedere dicat iuxta illud Philosophi: Ne quid nimis.* Huc etiam spectat, quod habet Sanctus Gregorius Papa homil. 7. in Ezechiel. *Mens nostra à carnali delectatione incidenda est; sed à carnis cura necessaria incidenda non est, hinc enim scriptum est: Carnis curam ne feceritis in desideriis. Quæ ergo in desideriis fieri prohibetur*, PROCVLDVBIO IN NECESSITATE CONCEDITVR.

Carnis curam ne feceritis in desideriis. S. Augustinus legit: *Carnis prouidentiam ne feceritis in concupiscentiis*, & rectè postrema verba adiecta expendens, sic scribit lib. propr. in hanc Epist. 376.
Quod autem ait: Carnis prouidentiam ne feceritis in concupiscentiis. OSTENDIT NON ESSE CVLPANDAM CARNIS PROVIDENTIAM *quando ea prouidentur, quæ ad necessitatem salutis corporalis valent. Si autem ad superfluas delectationes atque luxurias (vt quisque in his gaudeat, quæ carne cupit) rectè reprehenditur; quia prouidentiam carnis in concupiscentiis facit: quoniam, qui seminat in carne sua, de carne metet corruptionem, id est, qui delectationibus carnalibus gaudet.*

In desideriis. Carnis curam non abstulit, sed ordinauit. *Apostolus ait*, inquit Ioannes Cassianus lib. 5. de Institut. Renunt. cap. 8. *Et carnis curam ne feceritis in desideriis. Non ergo curam eius omnimodis interdixit: sed, vt in desideriis fieret, denegauit.* VOLVPTVOSAM ADEMIT DILIGENTIAM CARNIS: *gubernationem vitæ necessariam non exclusit. Illud, ne indulgentia carnis ad desideriorum occupationes noxias deuoluamur: hoc verò, ne corruptum nostro vitio corpus spiritales ac necessarias functiones implere non possit.*

Et carnis curam ne feceritis in desideriis. Benè 377.
hîc Caietanus: *Non prohibet carnis curam haberi; sed ad talem finem, scilicet ad concupiscentias. Sufficere debet Christiano prouideri carni ad necessitates, ad commoditates, secundum rectam rationem: & non extendat prouidentiam carnis*, VT CONCVPISCENTIÆ POSCVNT. Huc etiam spectant quæ habet S. Basilius homil. de Legend. lib. Gentil. *Paulus*, inquit, *monet, nullam corporis habendam diligentiam* RATIONEMVE AD CONCVPISCENTIÆ MATERIAM *hi namque qui eius nimiam gerunt curam, animam verò negligunt, nihil ab his differunt, qui sensibus tantopere student; at per ipsos agentem spiritum contemnunt: aut iis, qui instrumentorum multam, vt verò, per instrumenta operentur, nullum habent rationem. Quapropter in contrarium planè corpus castigandum est, ac feræ cuiusdam instar cohibendum; & ab ipso aduersus animam tumultus orientes ratione veluti flagello compescendi, ne frænum voluptati omninò laxando, mens velut auriga ab equis contumacibus & minimè obtemperantibus miserè feratur ac rapiatur.*

CAP. XIV.

CAPVT XIV.

EPIST. AD ROMANOS Expenditur, & illuſtratur.

SECTIO I.

378 *Infirmi importunis diſceptationibus non inquietandi.*
Fratrem vt nullificare dicatur, qui exemplo perdit.
De alieno corde nemo iudicare audeat.
379 *Omnia ad Deum dirigantur Deique honorem.*
Domino non manducat, qui gratias pro cibo non agit.
380 *Vitam noſtram pro diuitiis Deus ducit, & mortem pro damno.*
In omnibus lucra ſpiritualia veri Dei cultores quærunt.
Bonorum eſt benè de aliis ſentire.
381 *Dum morimur qua ratione Domini dicamur eſſe.*
Vnuſquiſque Diuinæ voluntati aptare ſe debet.
382 *Mortuorum cur dicatur Chriſtus dominari?*
Mortuos cur ante viuos recenſuerit S. Paulus.
Verior poſt mortem vita.
383 *Superiores temerè iudicare quàm ſit graue.*
Præſules ac doctores lingua pungere quàm ſit grande ſcelus.
In extremo iudicio quinam iudicandi.
384 *Cur ſtare ſimul & ſedere in extremo iudicio dicantur aliqui.*
Superiores tanquàm aliquid ſui ſubditos reputent.
Ex morte Chriſti quanti proximus valeat pendi poteſt.
385 *In abſtinentia, iuſtitia, pax & gaudium vt lateant.*
Per ieiunium regnum Dei acquiritur.
386 *In cibos regnum & dominium vt obtinere debeamus.*
Ad regnum ſpectat diaboli, qui deliciis inhiat.
387 *Regnum Dei intra nos eſt, & verè eſt noſtrum.*
Ad gaudium per iuſtitiam, & pacem itur.
388 *Verum gaudium in ſpiritu ſancto & de Spiritu ſancto.*
389 *Quàm ſit graue otioſè & inutiliter comedere corpus Chriſti.*
Cibis vtendum non abutendum.

Non in diſceptationibus cogitationum.

GRÆCE eſt, μὴ εἰς διακρίσεις διαλογισμῶν, id eſt, *nõ ad certamina diſputationum;* Infirmus aſſumendus eſt, non ad diſputationis certamen prouocandus; addit Eſtius; *Quamuis enim ignoret, & erret, opinione tamen adhuc tolerandus eſt,* NEC IMPORTVNIS DISCEPTATIONIBVS INQVIETANDVS, *ne fortè offenſus reſiliat ab incepto.* 378.

Is, qui non manducat, manducantem non ſpernat.

NOn ſpernat. Tertullianus legit: *Nullificet,* Eſtius *pro nihilo reputet;* addit: *Verè enim* FRATREM NVLLIFICAT, QVI EXEMPLO PERDIT; vilem eius ſalutem habet, dum ſcandalum ei ponit, & exemplo ſuo facit eum comedere contra conſcientiam.

Tu quis es, qui iudicas alienum ſeruum?

VTile illud eſt monitum, quod hinc colligit Sanctus Auguſtinus in expoſit. huius propoſitionis; *Vt in his rebus quæ poſſunt & bono animo fieri, & malo, iudicium Deo dimittamus,* NEC AVDEAMVS DE ALTERIVS CORDE, QVOD NON VIDEMVS, FERRE SENTENTIAM.

Et qui manducat, Domino manducat.

ET non manducat quiſque ſibi qui manducat? quid eſt Domino manducare? ad Dei 379.
gloriam honoremque comedere, qua re vt ait Eſtius, *tacitè ſignificat, quicquid agimus agere nos debere* NON NOBIS, SED DOMINO; vt omnia in Dei gloriam dirigantur.

Gratias enim agit Deo.

SCilicet pro largitate, & beneficentia eius, quod cibos creauerit, & in hominum dederit vſum; quo loquendi modo indicat ſibi, NON DOMINO MANDVCARE, QVI GRATIAS CHRISTO PRO CIBO NON AGIT.

Nemo enim noſtrum ſibi viuit, & nemo ſibi moritur.

IVre hîc aliquis quærat, quî homo non ſibi viuat, & non ſibi moriatur, cùm & Tertullianos dixerit: *Nemo alius naſcitur, moriturus, ſibi.* Et non viuit ſibi, qui viuit; & moritur ſibi, qui moritur? Nodus iſte facilè ſolui poteſt. Deo viuere dicitur, qui viuit, cùm Deus vitam noſtram ſuas diuitias exiſtimet: Deo verò mori, qui moritur, tanquàm mortem noſtram damni cuiuſdam loco Deus ducat. Pulchrè Theophylactus hîc: *Dominum habemus, cui nos ſumus curæ; quippe* PRO LVCRO ET DIVITIIS NOSTRAM VITAM DVCIT, ET MORTEM PRO

DAMNO: *neque enim nobis ipsis viuimus aut morimur solùm, sed Domino. Vitam autem hoc loco dicit, qua fide constat, & mortem, lapsum à fide.*

Quia nimirum in omnibus Deum spectare homo debet ad Deique gloriam omnia dirigere. Eleganter totum hunc locum edisserit Sanctus Gregorius lib. 2. homil. 22. in Ezechielem; sic enim ille scribit: *Nemo nostrum sibi viuit: & nemo sibi moritur. Siue enim viuimus Domino viuimus. Siue morimur Domini sumus. Sibi enim Sancti nec viuunt nec moriuntur. Sibi non viuunt* QVIA PER OMNE QVOD AGVNT, AD LVCRA SPIRITALIA ANHELANT: *atque orando, prædicando, sanctis operibus insistendo, cælestis patriæ ciues, multiplicare desiderant. Sibi minimè moriuntur, quia in conspectu hominum Deum sua morte glorificant, ad quem peruenire etiam moriendo festinant.*

Nemo sibi viuit; Loquitur ex persona cuiusq; fidelis; QVALEM QVISQVE ALIVM, inquit Estius, EXISTIMARE DEBET *nisi diuersum constet*. Scilicet bonorum est benè sentire de aliis, nisi aliter manifestis argumentis cogantur.

Siue ergo viuimus siue morimur, Domini sumus.

381. ETiam quum morimur, Domini sumus; quia mortem ipsam ad illius gloriam referre debemus: præsertim quia & ipse, ad vtilitatem ac salutem nostram, vitam & mortem suam direxit. Præterea, dum morimur, Domini sumus, id est non in hac solùm vita mortali, aut in ipsa morte; *sed maximè* (vt ait Estius) POST MORTEM IN SECVLO FVTVRO; *quemadmodum patet ex subiecta confirmatione, qua non morientes, sed mortuos nominat.*

Domini sumus. Ex his verbis colligas vnumquemque debere se diuinæ prouidentiæ, voluntatique committere, cùm suus non sit. Præclarè S. Anselmus lib. 1. ep. 5. *Quoniam*, inquit, *siue viuimus, siue morimur, non nostri, sed Domini sumus: Plus est attendendum nobis* QVOD FACIT DE NOBIS DOMINVS CVIVS SVMVS QVAM QVOD NOS VOLVMVS QVI NOSTRI NON SVMVS. *Sic ergo seruemus desiderium fraternæ charitatis, vt seruiamus imperio supernæ voluntatis.*

In hoc enim Christus mortuus est & resurrexit, vt mortuorum & viuorum dominetur.

382. QVærat hîc aliquis cur Apostolus dicat mortuorum Christum dominaturum, cum Christus ipse Matth. 22. dicat. *Non est Deus mortuorum, sed viuentium?* Nodum ita soluit Estius; *Mortui in verbis Christi intelliguntur omnino mortui & non resurrecturi, quomodo* DE MORTVIS HOMINIBVS *sentiebant Sadducæi, Paulus verò* DE MORTVIS LOQVITVR SPE CERTISSIMA VICTVRIS; qui viuis & morituris iure præferuntur, cum verius viuant, quàm hîc viuentes.

Vt & mortuorum, & viuorum dominetur. Naturæ ordo & rei exigere videbatur vt viuos ante mortuos nominaret, cur igitur mortuos ante viuos recensuit? PONIT VIVOS POST MORTVOS, inquit hîc Estius; *vt ostendat sententiam suam maximè veritatem habere de iis, qui viuunt post mortem.* Hic quippe apud Deum veriùs viuere censendi sunt, quàm illi, quos viuere vulgus putat.

Tu autem quid iudicas fratrem tuum? aut tu quare spernis fratrem tuum?

INuehitur Paulus in eos qui fratres iudicant, illisque detrahunt; quàm grauiori reprehensione digni, qui superioribus, prælatisque oblatrant eosque proscindunt: *si fratrem non oportet iudicare*, ait S. Chrysost. MVLTO MAGIS DOCTOREM NON OPORTET, nec eos, qui præsunt, & Dei vices gerunt. Pungit non semel Apostolus eos, qui fratres iudicant, & illos linguæ gladio feriunt; vix tamen eum in eos animaduertere reperias, qui maledicis linguis præsules petunt; ac si putaret neminem futurum, qui id auderet, aut etiam quia ex acri reprehensione eorum, qui fratribus detrahunt obuium erat diiudicare, quàm graue sit crimen, Prælatos iudicare, detrahere præsulibus. 383.

Omnes enim stabimus ante tribunal Christi.

STabimus; Græcè παραστησόμεθα, *statuemur*, sistemur omnes ad Christi tribunal ab eo iudicandi; etiam illi qui sessuri dicuntur tamquam iudices; iudicabuntur *omnes* IVDICIO RETRIBVTIONIS, inquit Estius, *sed non omnes* IVDICIO DISCVSSIONIS.

Ante Dei tribunal stabimus omnes à summo iudice iudicandi, quod si aliquis hîc obiiciat illud Ioan. 3. *Qui non credit iam iudicatus est*; respondet Estius vt nodum soluat; *in extremo iudicio quidam dicuntur non iudicandi, quod manifestam adferant causam suæ condemnationis, vt infideles, testante Domino Ioannis 3. Qui non credit iam iudicatus est, id est* PORTAT SECVM IVDICIVM SVVM, *quia non credidit.*

Omnes enim stabimus. Et quî istuc cohærent cum illa sententia, qua suos secum sessuros dixit? *Stare dicuntur*, inquit hîc Vgo Victorinus quæst. 317. PRO REVERENTIA SVMMI IVDICIS: *sedere quasi & ipsi iudicaturi*; vt potestas & dignitas reuerentiæ non præiudicet. 384.

Itaque vnusquisque nostrum pro se rationem reddet Deo.

ET non etiam de alienis factis reddenda nobis erit ratio, illorum scilicet, qui nostræ curæ commissi sunt? Erit, si nostrâ negligentiâ lapsi fuerint, qui ad nostram curam pertinent; cur igitur Paulus vnumquemque pro seipso redditurum rationem dixit tamquam pro se solo? An quia alios TANQVAM ALIQVID NOSTRI SINT PVTARE DEBEMVS, si nostræ sint curæ subiecti illorum res tamquam nostras agere, & illarum & illorum habere curam.

Noli cibo tuo illum perdere, pro quo Christus mortuus est.

PRo quo Christus mortuus est. A Christi morte quid frater valeat, pende; & à pretio disce, fratris non negligere salutem. *Quantum* VALEAT SALVS FRATRIS, inquit hîc S. Ambrosius,

EX MORTE CHRISTI COGNOSCITVR. *Itaque, qui scit, quantum constet, confirmare illum debet, non scandalizare.*

Non est enim regnum Dei, esca & potus; sed iustitia & pax & gaudium in Spiritu Sancto.

385. TOrquent hæc verba Ecclesiæ hostes in Ecclesiam præcipientem ciborum abstinentiam. Falluntur: Non dixit Apostolus regnum Dei non esse abstinentiam cibi, & potus sed cibum, & potum, adeo vt sermo ad edentem dirigatur, non ad abstinentem. Præterea aliquorum ciborum abstinentia etsi per se non conducat ad veram pietatem, conducit tamen vt præcipitur ab Ecclesia. Addit Estius in abstinentia reperiri quæ subiungit Apostolus iustitiam, pacem & gaudium in Spiritu Sancto. IVSTITIAM, *quia per eiusmodi abstinentiam, Deo pro peccatis in eum commissis satisfacimus quod est opus iustitiæ;* PACEM, *quia per eam subiugamus carnem spiritui, quod pertinet ad veram pacem interiorem;* GAVDIVM SPIRITVS SANCTI, *quia per abstinentiam cibi & potus mens redditur alacrior ad contemplanda diuina, quæ contemplatio verum, & solidum præstat gaudium rationali creaturæ.*

Non est enim regnum Dei esca & potus. Escæ & potus meminit, non sobrietatis & ieiunij; nam hæc in Dei regnum facilè cultores euehunt suos. *Non dixit,* inquit hîc Primasius, *Ieiunium & sobrietas; sed, Esca & potus; nam* PER IEIVNIVM FACILIVS ACQVIRITVR, Ieiunij neglectu amittitur facilè.

386. Non est Dei regnum esca & potus, regnum tamen in cibum & in potum debemus habere, erit, si non seruiamus illis, sed illæ nobis seruiant, nos illis imperemus, non illa nobis. Pulchrè Clemens Alexandrinus lib. 2. pædag. cap. 1. *Non oportet abuti donis patris, sed eis vti, vt qui ipsis constanter imperemus,* VT IN CIBOS ENIM REGNVM, ET DOMINIVM OBTINEAMVS, *non vt eis seruiamus ordinati sumus.* Misera, & infelix seruitus cibis seruire, qui conditi sunt vt nobis seruiant.

Ad regnum spectat diaboli, qui deliciis inhiat, tanquam in iis Dei regnum situm esset. *O delicate,* inquit S. Bernardus serm. 19. de diuers. *quo* DELICIIS, *& diuitiis circumfusus* ATQVE CONFVSVS CONFVSIONEM EXPECTAS *& mortem: non est Regnum Dei, esca & potus: non purpura & & byssus: quia diues ille vtreque circumfluus in puncto ad Inferna descendit.*

387. Non est regnum Dei ex Pauli mente esca & potus: quantò minus erit crapula, luxus, ebrietas? Regnum Dei hæc euertere possunt, non stabilire. Non esset verè nostrum hoc regnum si in esca, & potu esset situm. Bene Guarricus Abb. serm. in solemnit. omnium Sanctorum, vbi ait: *Non est regnum Dei esca & potus, sed iustitia & pax & gaudium in Spiritu Sancto. Si hæc ergo sentimus in nobis, cur non confidenter pronunciemus intra nos esse regnum Dei? quod autem* INTRA NOS EST, ILLVD VERE NOSTRVM EST: *quia nobis inuitis eripi non potest.*

Sed iustitia, & pax, & gaudium. Verborum ordinem nota: gaudium postremo loco ponitur, quia ad ipsum iustitia ac pace itur. *Attendis & intendis,* inquit Beatus Bernardus serm. 2. de his verbis Apost. *Quia gaudium in fine est? Sic fatui filij Adam, & præcipiti saltu iustitiam transilientes & pacem, rem finalem in principium conuertere & præuertere vultis? Nemo enim est, qui gaudere non velit: non stabit, & non erit istud; quia, sicut non est pax impiis, sic nec gaudere impiis, dicit Dominus: Non sic impiis, non sic.* PRIVS EST IVSTITIAM FACERE, INQVIRERE PACEM, ET PERSEQVI EAM, ET SIC DEMVM APPREHENDERE GAVDIVM, IMMO A GAVDIO COMPREHENDI. Qui inuertit ordinem euertit se.

Et gaudium in Spiritu Sancto Non potest esse carnale, quod & in spiritu est, & de spiritu. Pulchrè Beatus Bernardus serm. 1. de hisce verbis: EST GAVDIVM *de regno Dei; sed non gaudium carnale, non gaudium seculare, non gaudium, cuius extrema luctus occupat; sed in quod magis tristitia vertitur: non denique gaudium eorum, qui lætantur cum malefecerint; & exultatio, quæ in rebus pessimis est: sed gaudium in Spiritu Sancto.* VNDE AVTEM HOC GAVDIVM INTERIM, NISI DE IVSTITIA ET PACE PROCEDIT? *Ipsa ergo procedant tanquàm cellula mellis, vt facilè adhuc labilem liquorem suauitatis solidior possit materia continere. Et id, quando iam ipso simplici melle fruemur, & gaudium nostrum plenum & purum erit;* VT NON MODO IN SPIRITV, SED DE IPSO QVOQVE SPIRITV GAVDEAMVS. 388.

Bonum est non manducare carnem, & non bibere vinum; neque in quo frater tuus offenditur aut scandalizatur aut infirmatur.

IVrè hæc in eos torqueas, qui indignè ad Eucharisticam accedunt mensam: in qua, dum corpus Christi edunt, & sanguinem bibunt Christi, non fratrem; sed Deum offendunt & contristant. Rem grauiter vrget S. Basilius lib. 1. de Baptis. vbi ait. *Si quis fratrem per cibum contristat, à charitate excidit, sine qua magna quoque charismata, & iustificationes quoque operantia nihil prosunt: quid de eo dicendum est,* QVI OTIOSE ET INVTILITER EDERE AVDET CORPVS, ET BIBERE SANGVINEM DOMINI NOSTRI IESV CHRISTI; *& hac ratione plus aliquando contristat & infestat Spiritum Sanctum, dum sine charitate nescitur, quæ vrget, vt æstimet se sibi ipsi non viuere; sed ei, qui pro nobis mortuus est & resurrexit.* 389.

Bonum est non manducare carnem. Hæc verba ad ciborum abstinentiam suadendam aptabat S. Gaudentius tract. 15. ad Neophit. *Bonum est, inquit, non manducare carnem, neque bibere vinum, neque in quo frater tuus offenditur aut scandalizatur aut infirmatur. Quis ille coniunctior frater, quàm homo noster exterior? cui ne nostra licentia vel offendiculum vel infirmitatem vel scandalum pariat,* VTENDVM EST CIBORVM LICENTIA, NON ABVTENDVM; *vt sciamus, nos non edendi causa esse natos, sed viuendi.*

* * *

CAPVT XV.

EPIST. AD ROMANOS *expenditur & illustratur.*

SECTIO I.

390 *Qui sibi nimium placent, agrè aliis compatiuntur.*
Qui aliorum lapsus curiosè notat facilè inani gloria corripitur.
391 *Christus quo sensu sibi non placuerit.*
Diuina Scriptura ad nostrã vtilitatem non ad curiositatem fouendã.
392 *Quò magis tribulationibus quis obsessus, eò magis sacra Scriptura studio se debet recreare.*
Cur sola Dei laus confessionis nomen sibi vendicet in Diuinis litteris.
In Dei laude modũ veritatis excedere nullus potest: potest in hominibus laudandis.
393 *Radix Iesse cur dictus Christus, non Dauidis.*
Laus prouocare ad laudabiliora nos debet.
Non est cuiuslibet, alios admonere.
394 *Sua commoda Doctor non quarat nec suam laudem.*
Replere, quid in Diuinis litteris.
395 *Laboris fuga vitanda.*
Boni exempli vis maior quàm sermonis.
396 *Vt carnalium subministratio, spiritualis fiat.*
Obsignatam pecuniam cur perferre Paulus voluerit.
Suspicionis occasio pracidenda.
397 *Proximorum auxilio quàm quisque indigeat.*
Certamen, vt feruens oratio vocata.
Tunc maximè pace indigemus, quum bellum nobis infertur.

Debemus autem nos firmiores, imbecilliiates infirmorum sustinere, & non nobis placere.

390. ET *non nobis placere.* Et non potest quis sibi placere, & etiam infirmorum imbecillitates sustinere? VIX, AVT NE VIX QVIDEM QVI SIBI NIMIVM PLACENT, ALIIS COMPATIVNTVR, aliorum imbecillitati condescendunt, scilicet quò molliores sibi, eò duriores in alios sunt.

Et non nobis placere. Quænam verborum cohærentia, quis nexus iste est? Vix dixerat, infirmiorum imbecillitates à firmioribus sustinendas, ac veluti sustentandas; quum statim nos à noxia nostri complacentia auocat. Bonus ordo & opportuna cautio: nam sæpè accidit, vt, qui aliorum defectus videt, statim ab inani gloria corripiatur. Scitè rem vrget Beatus Dionysius dum ait: *Quia ex hoc*, QVOD ALIQVIS SVSTINET IMPERFECTIONEM ALTERIVS TANQVAM INFIRMIORIS, PROTINVS INSVRGERE SOLET INANIS GLORIA, QVA QVIS DE SVA PERFECTIONE STVLTISSIME GLORIATVR, *& alteri se preponit; ideo optimè iunxit Apostolus: Et non nobis placere: id est non habere complacentiam in nobis ad nosmetipsos reflexam, nec gloriari in nobis, nec proprium placitum sequi; sed potius displicere nobis in nobis, cum nihil ex nobisipsis habeamus, nisi quod meritò inducere debet nobis displicentiam nostri.*

Vnusquisque vestrum proximo suo placeat, in bonum ad ædificationem.

ALteri placere quisque studeat, sed in bonum; adeò vt Deo non displiceat. Plerique enim aliorum malis cupiditatibus obsequuntur, vt aliis placeant: sed hoc non ad ædificationem est: est ad destructionem & ruinam.

Etenim Christus non sibi placuit.

QVomodo non sibi placuit Christus, in quo non erat aliquid, quod illi, quod Patri displiceret? *Apostolo* (inquit hîc Estius vt nodum soluat) *dicuntur sibi placere, qui acquiescunt bono suo, non soliciti, vt & aliis benè sit.* HOC MODO CHRISTVS NON SIBI PLACVIT: *non enim sibisipsi indulsit: non ita bono suo contentus fuit, quamuis ipse esset optimus & beatissimus, vt non etiam curaret aliorum salutem:* atque adeò ab hoc capite magis Cœlesti Patri placuit, quia sibi in hoc sensu non placuit. 391.

Quæcunque enim scripta sunt, ad nostram doctrinam scripta sunt, vt per patientiam & consolationem scripturarum spem habeamus.

VEteris testamenti scripturam significat; signatè dixit ad *nostram doctrinam* scripta quæcunque diuina inspiratione scripta, NON AD FOVENDAM NOSTRAM CVRIOSITATEM, ad morum informationem omnia respiciunt, etiam ea quæ prima facie respicere non videntur. *Ad nostram doctrinam.* Per doctrinam intelligit, vt bonæ notæ authores notauêre, qua instruimur ad pietatem, & ad æternam salutem; ac si doctrinarum nomen non mereantur doctrinæ, quæ huc non spectant.

Et consolationem scripturarum. Cum nobis erigendis, & consolatione recreandis, datæ sacræ Litteræ sint: tunc maximè versandæ, quùm tribulationibus premimur. Quod expendebat etiam S. Greg. lib. 2. Regist. epist. 37. *Illud frater dulcissime* 392.

dulcissime, quod tribulationibus pressum te legere posse abnegas, minùs ad excusationem idoneum puto, cum Paulus dicat: Quæcunque scripta sunt, ad nostram doctrinam scripta sunt, vt per patientiam, & consolationem scripturarum, spem habeamus. Si igitur ad consolationem nostram sacra Scriptura præparata est, TANTO MAGIS DEBEMVS LEGERE, QVANTO MAGIS NOS CONSPICIMVS SVB TRIBVLATIONVM FASCE LASSARI.

Propterea confitebor tibi in Gentibus, Domine.

COnfitebor tibi; ideſt laudabo te lande diuina. *Confeſſio vt laudem ſonat non legitur in ſcripturis facta hominū*, inquit Eſtius, *ſed ſoli Deo*; ſed cur? *Cuius*, ait idem auctor, *eam arbitror rationem, quia confeſſio ſiue laudis, ſiue fidei, confeſſio veritatis eſt, id ſignificante ipſo nomine confeſſionis. At qui in prædicandis Dei virtutibus vt bonitate, ſapientia, potentia, non poteſt laudator* MODVM VERITATIS EXCEDERE, *quoniam immenſa ſunt & omnem laudem ſuperant. In aliorum virtutibus poteſt, ac nimium ſæpè contingit vt excedant*; QVARE MERITO SOLA LAVS DEI NOMEN CONFESSIONIS VT PROPRIVM IN SCRIPTVRIS SIBI VENDICAT. Tam facile eſt in hominibus efferendis, laudandiſque aberrare, & extra veritatis limites ferri.

Et rurſus Iſaias ait: Erit radix Ieſſe.

393. ERit radix Ieſſe. Cur Ieſſe potiùs radix dicitur Chriſtus, quàm Dauidis? *Attende*, inquit hîc Toletus, *Prophetam dixiſſe* RADICEM IESSE, *non autem* RADICEM DAVID; *quia, quando venit Chriſtus, Dauid regnum ceſſauerat, & præciſum erat: familia tamen & ſemen perdurabat.*

Certus ſum autem, fratres mei, & ego ipſe de vobis: quoniam & ipſi pleni eſtis dilectione, repleti omni ſcientia, ita vt poſſitis alterutrum monere.

LAudat vt excitet ad meliora, ſtimulus ad magna bonorum laus eſt: *Bonus doctor*, inquit Sedulius hîc, LAVDANDO PROVOCAT AD PROFECTVM, *vt erubeſcant tales non eſſe quales ab Apoſtolo putabantur.* Plerique facilius laudibus prouocantur, quàm contumeliis.

Repleti omni ſcientia. Sed cui rei? *Vt poſſitis alterutrum monere*, ac ſi non aliter aliquis ſit aptus cæteros MONERE ET CASTIGARE, quàm ſi omni ſcientia repleatur, perfecta ſit rerum notitia inſtructus.

Propter gratiam, quæ data eſt mihi à Deo.

394. GRatiam apoſtolicum munus vocat, vt ſit ſenſus, non temerè feci, ſed vt ſatisfacerem officio mihi iniuncto; Sedulius: NON PROPTER COMMODA TERRENA, *vel laudem, ſed vt impleam officium, quod accepi*; ſibi officio, vt ita loquar officit, qui in illo ſe ſuaque commoda quærit, contemnit Dei gloriam.

Ita vt ab Ieruſalem per circuitum vſque ad Ilyricum repleuerim Euangelium Chriſti.

CVr potiùs dixit ſe euangelium repleuiſſe, & nō potiùs ea loca euangelio ipſo? An *replere* poſuit pro extēdere, propagare? ita cenſuit Eſtius; & probauit ex aliis locis ſacræ Scripturæ quæ enim implentur etiam dilatantur, & extēduntur.

Prædicaui Euangelium hoc, non vbi nominatus eſt Chriſtus, ne ſuper alienum fundamentum ædificarem.

NImitum ibi operam ſuam locat, vbi labor erat maior; nec credeteur laborem defugere, & ea, quæ magis ardua, vitare. *Vide*, inquit hîc S. Chryſoſtomus, *illuc accurrentem, vbi plus erat* LABORIS, *plus* SVDORIS. Amor nimirum, quo in Deum ferebatur, illuc illum vrgebat, vbi magis erat laborandum. 395.

Probauerunt enim Macedonia & Achaia collationem aliquam facere in pauperes ſanctorum, qui ſunt in Ieruſalem.

NOluit ſua laude fraudare eos, qui benefici fuerant in egenos, quod fecit vt Romanos horum exemplo ad paria prouocaret, boni exempli vires oſtendens; *ſubtiliter ac verecundè*, inquit Sedulius, *dum hos laudat, hortatur Romanos, facilius enim deuota mentes* AD BENEFACIENDVM EXEMPLIS, QVAM SERMONIBVS INVITANTVR.

Debent & in carnalibus miniſtrare illis.

PRo miniſtrate verbum Græcum eſt, quod de ſacris miniſteriis dicitur: eſt enim λειτουργῆσαι, *per quod innuit* (inquit Eſtius hîc) *hanc* CARNALIVM SVBMINISTRATIONEM, *quæ redditur ſubminiſtrantibus* SPIRITVALIA, *ſacram quandam eſſe oblationem, vt quæ à Deo fiat in ſuis miniſtris.* 396.

Hoc igitur cum conſummauero, & aſſignauero eis fructum hunc.

ET aſſignauero. Græcè, σφραγισάμενος. *Cum obſignauero.* Eſtius hîc, *Quanquam*, inquit, *rectè ſe habent, Aſſignauero, ſi aſſignare interpreteris ſignatum adferre & tradere, quemodo ſolet reddi pecunia. Sic loquitur Paulus ſignificans ſe collectam à Gentibus* PECVNIAM PERFERRE NOLLE NISI OBSIGNATAM; *ne quis ſuſpicaretur, eum in rem ſuam aliquid indè vſurpaſſe: ſtudioſè enim ſemper cauit, ne quam ſiniſtri rumoris occaſionem cuiquam vel Iudæo, vel Gentili præberet.*

Obſecro ergo vos, fratres, per Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum & per charitatem Sancti Spiritus, vt adiuuetis me in orationibus veſtris pro me ad Deum.

QVis non aliorum orationes poſtulet, cum poſtulauerit Paulus? Quis alienis precibus 397.
ſe

ſe putet non indigere, cùm id non putauerit Gentium Apoſtolus? Græca lectio magnam vim habet; ſic enim ex Græco legitur: *Vt mecum certetis in veſtris orationibus pro me ad Deum*, quam lectionem, totumque hunc locum egregiè expendit hîc Toletus. *Nota*, inquit, *humilitatem Pauli, qui aliorum precibus apud Deum iuuari vehementer exoptat: & conſidera etiam*, QVANTVM PROXIMORVM AVXILIO INDIGEAMVS, *cum Paulus ſibi opem ſpiritualem ab aliis ferri deprecetur. Græcè maior eſt in verbis energia; ſic enim habetur: vt mecum certetis in veſtris orationibus pro me ad Deum.* CERTAMEN VOCAT FERVENTEM ORATIONEM *Deo factam, quaſi velint à Deo extorquere (vt ita dicam) quod petunt. Dicit, mecum; quia ſic debemus aliorum orationes petere, vt non deſiſtamus etiam nos orare.*

Deus autem pacis ſit cum omnibus vobis.

DEus autem pacis. Non nudè dixit, *Deus*; ſed addidit, *Pacis*. Nimirum, tunc maximè pace indigemus, quàm rem habemus cum hoſtibus pacis, qui bellum nobis inferunt. *Non appellauit*, inquit hîc Theodoretus, DEVM SIMPLICITER; SED DEVM PACIS, TANQVAM IPSE EA INDIGENS PROPTER EOS, QVI APERTE BELLVM GEREBANT, *& qui aliqua in eum ſuſpicione laborabant: illis quoque eam precans propter eam, quam inter ſe habebant controuerſiam de legalibus obſeruationibus.*

CAPVT XVI.

EPIST. AD ROMANOS expenditur & illuſtratur.

SECTIO I.

398 *Nullius negligenda cura.*
Humanitatis officia vtiliter mutuò præſtari poſſunt.
Pauli magnanimitas, & feruida charitas.
399 *Coniugium, virtutis impedimentum nemo eſſe credat.*
Orbis totius benefactores quinam dicti.
400 *Domus, in qua timor & virtus, pro Eccleſia duci poteſt.*
Vera dignitas & præeminentia qualis ſit.
401 *Sermoni opus inſerendum.*
Verus mulieris ornatus.
402 *Virgo Dei mater cultu & veneratione proſequenda.*
Ab omni inanis gloriæ deſiderio immunis quàm fuerit S. Paulus.
403 *Rufum cur matri prapoſuerit Sanctus Paulus.*
Ad Romanos non ſcripſiſſet Paulus, ſi præſentem habuiſſent Petrum.
Apud Deum vera nobilitas ex probis moribus deſumenda.
404 *Vnanimitas & ſanctitas eorum, quos Paulus ſalutat.*
Prudentia ſimplicitati ſubſternenda.

Commendo autem vobis Phœben.

COmmendo vobis Phœben. Vide quòd nullius negligenda ſit cura! *Audi quemadmodum* PRO VNA ETIAM MVLIERE AD VNIVERSVM SCRIBAT POPVLVM, inquit S. Chryſoſtomus ſerm. 41. de diuerſis noui teſtamenti locis.

Salutate Priſcam, & Aquilam.

INcipit hîc plures recenſere Paulus, quos ſalutatos vult; quærat aliquis cur tam multus & accuratus in ſalutationibus fuerit, cùm ad grandiora ſpectans negligere hæc potuerit. At in his apparet inſignis humanitas Pauli, qui tam officioſus fuerit in ſalutando, vt hinc colligas hæc humanitatis officia vtiliter mutuò præſtari cùm amori fouendo ſeruiant. Quæ de hac horum ſalutatione habet S. Chryſoſtomus religio mihi ſit hîc per me deſiderari, ſic autem habet Sanctus iſte Pater ſerm. 17. de diuerſis noui teſtamenti locis: *Salutate Priſcillam & Aquilam. Primum quidem eſt, Pauli virtutem admiremur, quòd cum illi totius orbis terrarum eſſet cura commiſſa, & terram, mare, cunctaque ciuitates quæ ſub cælo ſunt & barbaros & Græcos, & tot populos ſecum circumferret, adeò de viro vno déque vna muliere ſollicitus eſſet. Secundum eſt vt hoc miremur, quàm vigilanti ac ſollicito eſſet animo præditus, qui non omnium ſimul tantum, ſed & priuatim ſingulorum ex probis & eximiis recordaretur. Iam enim præſules Eccleſiarum id agere nihil ſanè mirum, cum & tumultus illi ſedati ſint, & vnius ciuitatis tantùm curam ſuſceperint: tum verò non periculorum tantùm magnitudo, ſed & itineris intercapedo, & multitudo curarum, & continui fluctus, quodque non ſemper apud omnes aſſiduè moraretur, atque alia plura poterant otiara valdè caros è memoria excutere, veruntamen hos non excuſſerunt. Quo tandem pacto non excuſſi ſunt?* OB PAVLI MAGNANIMITATEM *ac feruidam ſinceramque ipſius charitatem.* 398.

Aliud quoque monitum ex hac horum ſalu- 399.
tatione exſculpit, nimirum falli eos qui coniugium virtutis eſſe impedimentum putant: Audi: *Aliud quoque lucrum poſſumus hoc nihilo minus hinc decerpere, quod ſi ritè peractum à nobis fuerit, vitam maximè noſtram tuetur. Quodnam illud tandem eſt?* VT NE CONIVGIVM VITVPEREMVS, NEQVE NOBIS OBSTACVLVM ET IMPEDIMENTVM ESSE ARBITREMVR IN VIA, QVÆ AD VIRTVTEM DEDVCIT, *vxorem habere, filios educare, domui præeſſe, artem facilitare. Ecce hîc quoque vir erat & mulier, & officinis præerant, & artem factitabant & perfectiorem multo probitatem morum exhibebant, quam qui in monaſterio degunt.*

Qui

Qui pro anima mea suas ceruices supposuerunt.

ADeo vt istis totus orbis Paulum debeat. Benè idem S.Doctor eodem loco: *Qui pro mea, ait, anima ceruicem suam supposuere. Igitur, dicet fortasse aliquis, hac de causa eos diliges & amas? Maximè. Quia etsi id vnum egissent, ingenti laude digni erant. Qui enim ducem exercitus saluum fecit, & milites fecit saluos: qui medicum liberauit periculis, & laborantes morbis ad sanitatem reduxit: qui gubernatorem fluctibus eripuit, nauem totam ex vndis liberauit: sic vtique qui magistrum orbis saluarum, & pro eo illiusque salute sanguinem suum effuderunt,* ORBIS QVOQVE TOTIVS FVERVNT BENEFACTORES *vijote sua erga præceptorem beneuolentia discipulos omnes seruantes.*

Et domesticam Ecclesiam eorum.

400. ET *domesticam Ecclesiam eorum.* Nimirum probi domesticorum mores vel in Ecclesiam vertere domum potuere: &, licet matrimonio essent copulati, huc tamen euaserant; vt colligas, nuptias virtuti posse nubere, nec diuortium hæc inter se habere. Pulchrè Athanasius hîc: *Eorum domus duci* PRO ECCLESIA *debet, in quibus* DEI TIMOR *insit &* VIRTVS. *Audiant hæc, qui nuptiis copulantur; & intelligant, nihil has esse ad virtutem impedimento.*

Salutate Ephænetum dilectum mihi qui est primitiuus Asiæ in Christo.

QVi *est primitiuus Asiæ in Christo.* Aliqui legunt: *Primitiæ Achaiæ in Christo.* Quæ verba sic expendebat S.Chrysost. hîc: *Deinde & aliud encomium adiungens, Qui est, inquit, primitiæ Achaiæ. Aut enim hoc ideo dicit, quod is reliquos omnes credendo præuenerit, ac velut præsilierit: id quod non modicæ laudis fuerit: Aut, quod plus pietatis ostenderit, quam reliqui omnes. Propterea cum dixisset: Qui est primitiæ Achaiæ: non quieuit: sed, ne mundanam susceipiens gloriam, adiecit, In Christo. Si enim in ciuilibus negotiis priores obtinens magnus esse videtur & illustris, multò magis in istis. Itaque quoniam verisimile erat ipsum humili esse genere,* VERAM PONIT NOBILITATEM ET PRÆEMINENTIAM, *hinc istum ornans. Et non solum Corinthiorum, sed & vniuersæ gentis eum primitias esse dicit; tanquam qui porta sit & introitus aliorum factus. Talium autem merces non est modica: nam & ex aliorum benefactis multam retributionem capiet, qui eiusmodi est, vtpotè qui & ipsis suo principio multum contulerit.*

Qui est primitiuus Asiæ. Cur Ephænetum extulerit, eiusque dignitatem expresserit Paulus, explicat his verbis S.Ambrosius hîc: *Huius Ephæneti etiam præsentem dignitatem non tacet, vt ostendat & dignitosos credere, & inuitet primos Romanorum ad fidem; aut certè, vt humiles crescerent.*

Salutate Mariam quæ multùm laborauit in vobis.

401. QVæ *multùm laborauit.* In muliere plus labor, quàm doctrina commendatur, nisi quod boni operis exemplum, quædam doctrinæ forma est; & benè docet, quæ benè operatur. S.Chrysost. hîc adducta verba sic expendebat: *Non dicit: Quæ multa docuit Sed: Quæ multum laborauit.* OSTENDENS, QVOD CVM SERMONE ET ALIA, QVÆ EXIGVNTVR, ADMINISTRAVERIT; *nimirum, quæ attinent ad pericula, pecunias, peregrinationes: erant enim mulieres illæ leonibus feruentiores, participantes & cum Apostolis in laboribus prædicationis gratia subeundis: vnde & simul peregrinabantur cum illis, & reliqua administrabant.*

Quæ multùm laborauit. Hic verus mulieris ornatus, hæc vera laus, quæ non a gemmis & vestibus, criniumque paratura, & faciei fuco est; sed ab operibus, sed à laboribus. De his hæc habet Sanctus Chrysostomus hic: *Vnde ornantur? Audiant & viri & mulieres: non ab armillis nec à monilibus, neque ab eunuchis & ancillis, nec à vestibus auro intextis;* SED A PERPESSIS PRO VERITATE SVDORIBVS, *nam dicit: Quæ multum laborauit erga vos, non erga seipsam solum, neque erga propriam virtutem (id quod multæ mulieres nunc quoque faciunt & ieiunantes, & humi iacentes) sed & erga alios, Apostolorum & Euangelistarum suscepto cursu.*

402. *Quæ multùm laborauit in vobis.* Iustius hæc de Maria dicantur, quæ pro omnibus plus laborauit plus omnibus suo labore profuit. Bene Salmeron tom.3.tract.5. Apost. Paulus ad Romanos scripsit: *Salutate, inquit, Mariam, quæ multum laborauit in vobis. Quòd si mulierem illam propter priuata nonnulla Ecclesiæ Dei beneficia impensa salutari & honorari voluit; quantò iustius admoneri nos intelligimus,* VT MATREM MESSIÆ *in Cælo regnantem, quæ olim tot pro nobis labores, ac tantos simul cum Christo sustinuit, omni* CVLTV VENERATIONE ATQVE HONORIFICENTIA PROSEQVAMVR.

Salutate Andronicum & Iuniam, cognatos & concaptiuos meos, qui sunt nobiles in Apostolis, qui & ante me fuerunt in Christo.

QVi *& ante me fuerunt in Christo.* Præclarè hæc verba librat S. Chrysostomus, inque magnam Apostoli laudem, gloriam omnem humiliter fugiens exponit: *Contemplare mihi sanctam hanc animam,* QVAM PVRA SIT AB OMNI VANÆ GLORIÆ DESIDERIO: *post tantam enim ac talem gloriam, alios sibi præponit; non dissimulans, quod post illos venerit, neque erubescens hoc apertè confiteri.*

Qui & ante me fuerunt in Christo. Vt tamen ante illos sanctitate ac humilitate Apostolus esset. *Laudat autem eos*, inquit Theodoretus, *&, à tempore fidei: Ante me enim, inquit, fuerunt in Christo: post eos enim vocatus sum ego. Ego verò vndequaque diuini capitis* MODESTIAM ADMIROR.

Salutate Rufum electum in Domino & matrem eius & meam.

403. CVr Rufum matri præponat, quam matrem suam vocat Apostolus, explicat his verbis Sanctus Ambrosius hîc: *Ideo Rufum* PRÆPOSVIT MATRI PROPTER ELECTIONEM ADMINISTRATIONIS GRATIÆ DEI, *in qua mulier*

locum

locum non habet: electus enim erat, id est promotus à Domino ad res eius agendas. Matrem tamen tam sanctam habuit vt Apostolus suam quoque matrem hanc vocaret.

Mirum cùm tot salutet Paulus cur Petrum omittit, qui tanquam primus præcipuè salutandus erat? non salutauit, quia sciebat tunc Romæ Petrum non esse; *quin*, vt ait Estius *non sibi sumpsisset* PAVLVS OPERAM SCRIBENDI AD ROMANOS, QVI PRÆSENTEM HABERENT SVVM APOSTOLVM, *& doctorem, præsertim tanti nominis virum.*

Plerique ex his quos salutari iubet Apostolus ignobiles, si seculi sensum spectes, erant, sed apud Deum vera nobilitas ex probis moribus desumenda, inquit Sanctus Chrysostomus serm. 17. de diuersis noui testamenti locis. *Verisimile est multos in Ecclesia fuisse Romanorum illustres, quos cogebat pauperes illos salutare. Nouerat quippe, nouerat probè non opum splendorem, neque pecuniarum affluentiam,* SED MORVM MODESTIAM PARERE NOBILITATEM SOLERE. *Itaque illi qui hac priuati sunt, sed maiorum claritate superbiunt, nomine potius nobilitatis nudo non reipsa gloriantur: immo ipsum nomen plerunque subtrahitur, si quis ad antiquiores nobilium istorum maiores ascenderit.*

Et omnes, qui cum eis sunt, sanctos.

E*T omnes, qui cum eis sunt sanctos.* Vt ex eorum consortio ac familiaritate, aliorum, 404.
quorum nomina recenset, perfectio dignosceretur; constaretque, salutationis obsequium in indignos minimè contulisse. Omnes simul recenset, vt eorum vnanimitas colligeretur. Pulchrè rem expendit S. Ambrosius hîc: *Hi omnes* VNANIMES *intelliguntur fuisse, quos hac causa simul salutat, quorum meritum ex iis, qui simul cum eis erant, dignoscatur:* SANCTOS *enim nuncupat eos, vt meritò illos salutare videatur.*

Volo vos sapientes esse in bono, & simplices in malo.

V*Olo vos sapientes esse in bono, & simplices in malo.* Verborum ordo mysterio non est viduus, non sua vacuus vtilitate. Prudentes prius nos voluit esse, deinde simplices, vt prudentia simplicitati substernatur. Etiam istuc habet Christus Matth. 10. 16. *Estote ergo prudentes sicut serpentes, & simplices sicut columbæ.* Vbi S. Paschasius lib. 6. post adducta hæc Pauli verba ait: PRÆMISIT PRVDENTIAM, VT TVTA POSSIT ESSE SIMPLICITAS, quæ fatua sine prudentia est.

Finis Epistolæ ad Romanos, expensæ, & illustratæ.

CAPVT PRIMVM EPISTOLÆ AD CORINTHIOS EXPENDITVR ET ILLVSTRATVR.

SECTIO I.

405 *Apostoli titulum cur ferè semper Epistolis suis præfixerit Paulus.*

Specioso dignitatis titulo non intumescant, qui dignitatis laborem fugiunt.

406 *Superior se suis subditis aptet: vt omnes lucretur.*

A voluntate humana omne malum timendum, omne bonum à Diuina sperandum.

407 *Dei voluntas & beneplacitum labores omnes & tribulationes condit.*

408 *Ex fraterna charitate accusatio prodire debet.*

Pauli humilitas & charitas.

409 *Christi seruis etiam in minimis seruire quàm eximia sit dignitas.*

Omnium profectus & vtilitas quærenda.

410 *Charitas locorum discrimina nescit.*

Ecclesiæ vnitas.

Reprehensio etiam aliqua laude condiri potest, vt sit leuior & fructuosior.

411 *Gratias quî agere semper Deo debeamus.*

412 *Veræ diuitiæ quænam sint.*

Spirituales diuitias vt dicantur habere etiam, qui non habent.

Temporales diuitiæ, veræ diuitiæ non sunt.

413 *Scientia, quæ de rebus Diuinis non est, vix scientiæ nomen meretur.*

Inuidia si tollatur, nostrum est, quod est alterius.

Paulus vocatus Apostolus IESV CHRISTI *per voluntatem Dei, & Sosthenes frater, Ecclesiæ Dei, quæ est Corinthi.*

APOSTOLVM se statim vocat, vt nominis auctoritate lectores terreret. Benè Claudius Altissiodorensis in Epist. ad Galatas. *Quod nomen suum Apostolus Paulus in omnibus penè epistolis præponit in titulo, auctoritas est. Vt enim iudices seculi huius quò nobiliores esse videantur, ex regibus quibus seruiunt, & ex dignitate, qua intumescunt, vocabula sortiuntur, ita & Apostolus grandem inter Christianos sibi vindicans dignitatem,* APOSTOLVM SE CHRISTI TITVLO PRÆNOTAVIT, VT EX IPSA LECTVROS NOMINIS AVCTORITATE TERRERET, *indicans omnes, qui in Christo crederent, debere sibi esse subiectos.* 405.

Apostolum se dicit Paulus ad Corinthios scribens; & iure hunc titulum efferre potuit, quod apostolatus functus officio fidei Christianæ fundamenta apud eos collocasset, adeo vt propriè Corinthiorum Apostolus possit dici. Plerique specioso DIGNITATIS INTVMESCVNT TITVLO OFFICIVM VERO NEGLIGVNT, cui titulus annexus esse debebat. Non expendit honorem, qui honorem labori, vt ita loquar, non appendit.

Apostolus Iesu Christi. Cur tam eximium titulum statim offert, qui, cùm ad Romanos scriberet, *seruum* se statim dixit? An humilitatis magister oblitus est humilitatis? Minimè, vbique sibi par Paulus, licet in aliorum vtilitatem sese omnibus aptet. Rectè rem versat B. Dionysius hîc: *Quæri potest cur Paulus humillimus, in ista Epistola, cum nomen suum commemorasset, statim adiecerit nomina eximiæ dignitatis, non solita humilitatis, dicens, Apostolus; non seruus Iesu Christi, & hoc per voluntatem Dei, quasi impium sit aliter opinari. Et respondendum,* QVOD VIRTVS DISCRETIONIS ID EXIGIT IN PRÆLATO, 406.

PRÆLATO, VT ITA SE HABEAT VERBIS ET FACTIS CIRCA SVBIECTOS, SICVTI EORVM SALVTI EXPEDIENS EST. *Oportet autem prælatum à subditis timeri, amari ac honorari. Quum ergo subiecti ita se habent circa prælatum, non est prælato necesse, ut verbis seu factis autoritatem suam ostendat. Quum verò contemnitur, ostendere debet collatæ potestatis auctoritatem, quatenus subditis timorem reuerentiamque nominis sui incutiat. Apostolus autem Corinthiis voluit; quia (vt asserit Glossa) contempto Paulo Apostolo, de sapientibus his se iactitabant, quorum vana eloquentia, sapientiaque terrena delectabantur. Idcirco Apostolus, vt eorum præsumptionem argueret, eosque ad suæ personæ reuerentiam inclinaret, cum dixisset, Paulus; mox addidit, Apostolus, quod totum factum est non ad propriam laudem, sed propter illorum salutem.*

Iesu Christi. Apostolatus officium, Christi Iesu dicitur; tum quia primum illud Christus exercuit, tum quia ab eo Paulus missus: aut quia Apostolorum prædicatio nonnisi Christus est, nec esse debet.

407. *Per voluntatem Dei.* Nihil non magnum expectari ab hac debet voluntate, sicut omne malum timendum à nostra est. Sanctus Augustinus serm. 94. de Diuersis sic Apostolum alloquitur: *Occisus est Stephanus* PER VOLVNTATEM TVAM: PER VOLVNTATEM DEI VIDIMVS FRVCTVS TVOS. *Vbique legeris, vbique recitaris, vbique ad Christum aduersantia corda conuertis; vbique pastor bonus magnos greges colligis.*

Per voluntatem Dei. Hunc honorem non suis meritis tribuit, sed Diuinæ voluntati. Vera hæc viri iusti consignatio: totum quicquid est, in Deum reiicit, ne reiiciatur, tanquam superbus & arrogans à Deo.

Per voluntatem Dei. Scilicet iussu, ac beneplacito Dei; sunt graues labores qui dignitatem tam sublimem comitantur, CONDIT OMNES ATQVE ETIAM MINVIT HÆC COGITATIO, quod nimirum per Dei voluntatem collatum nobis munus illud sit: multis fuerit periculis expositus Paulus, Apostoli exercens officium, multas tribulationes sustinuerit maior illis, maior istis, superiorque fuit, cogitans non sua, non hominum, sed Dei voluntate ad apostolatum fuisse vocatum.

408. *Et Sosthenes frater.* Cur Sosthenis hoc in loco Paulus meminit? Quia hic ad Paulum accesserat, Corinthiorumque scelera ei patefecerat non odij liuore, sed zelo charitatis. Ne igitur Corinthij in eum commouerentur, putantes quòd ex odio essent accusati, illum, fratrem, nominat, & ad salutem dicendam Corinthiis sibi associat. Huc spectauit B. Dionysius hîc inquiens: *Hic Sosthenes Corinthios (vt dicitur) apud Paulum accusauit. Vnde nunc dicitur Sosthenes frater, ad insinuandum*, QVOD ACCVSATIO ILLA PRODIIT EX FRATERNA CHARITATE, NON ALIVNDE; à qua nota abeunt, qui nouercali odio aliorum lapsus traducunt, non fratris amore.

Et Sosthenes frater. Quàm à superbia alienus Apostolus! Aliis tribuit, quod erat suum. *Sosthenem*, inquit hîc Catharinus, *adiungit quasi conscribentem epistolam hanc, & consultantem; cum tamen minimè sit dubium, eam B. Pauli spiritu dictatam fuisse: sed* HVMILIS APOSTOLVS, ET TOTVS CHARITATE PLENVS (*quæ nihil reputat ab aliis seiunctum, sed facilè communicat omnia*) *etiam Sostheni tribuit, quod à se erat. Quia tamen probabatur atque confirmabatur à Sosthene, etiam adiunxit illum, quò firmiora essent & acceptiora, quæ docebat.*

Et Sosthenes frater. Hic princeps synagogæ 409.
apud Corinthios fuerat, & Pauli prædicatione ad Christum cõuersus, sub Christi vexillo militauit Christo & passus pro Christo est. A Sosthene Paulo dictante hanc epistolam exaratam plerique putant, quod non improbabile Estius censet. Verè magnus, & verè humilis, qui vt Paulo seruiret dignitatem, qua apud Hebræos pollebat, neglexit; vt non mirum si Deus eius nomen cum Pauli nomine, in Pauli epistolis ad nos transmiserit. Scilicet CHRISTI SERVIS ETIAM IN MINIMIS SERVIRE EXIMIA EST DIGNITAS, & omnibus aliis maior.

Cum omnibus, qui inuocant nomen Domini Iesu Christi.

PEnde Pauli charitatem, quæ coërceri angustis limitibus non potest; ad Corinthios scribit, sed *manifestè apparet*, notat etiam Estius, *Apostolum velle hanc epistolam ad omnes perferri Christianos, vt potè valituram ad* INSTITVTIONEM TOTIVS ECCLESIÆ. Verus amor in omnes fertur, omnium vtilitatem quærit, omnium profectum; verè Deum amans inter iacturas computat, illis omnibus hominibus non opem ferre, qui sunt à Deo. In Deo qui homines spectat omnes spectat.

In omni loco ipsorum, & nostro.

OMnium fidelium locum *suum* Apostolus 410.
dicit; CHARITAS ENIM LOCORVM DISCRIMINA nescit; locum dum omnibus exhibet charitas, omnium quoque loca sua facit. Hæc præterea Ecclesiæ verè nota est, VT VBIQVE SIT VNA, & loca licet multa fideles incolant, vna tamen Ecclesia est, in quo ab hæreticorum prostibulis differt; in vno quippè loco variæ sectæ stabulantur, quin, quod mireris, in vnius domus angustiis, in vnius etiam mentis.

Gratias ago Deo meo semper pro vobis.

GRatias ago Deo meo semper pro vobis. De bonis à Corinthiis acceptis gratias agebat Paulus. A laude nimirùm illorum inchoat, vt ad correptionem suscipiendam disponeret ac pararet. Corinthij plerique aderant à simultatibus alieni, superis donis cumulati, pro quibus dùm gratias agit, Corinthiorum Ecclesiam commendat; vt gratum sese illis redderet, dum redderet pro illis Deo gratias, sicque salubrior reprehensio esset. *Accusaturus*, inquit hîc Theodoretus, *aures priùs medicatur, vt* MEDICINA LIBENTER AB EIS SVSCIPIATVR, *veritatem verò etiam continens, quæ dicta sunt; propter data enim eis dona egit gratias.* Idem vrget hîc Caietanus in hæc verba: *Quia non omnes* (Corinthij) *erant in crimine dissensionis, & multi inter eos erant viri Diuinis gratiis præditi; nec intendit descendere ad particulares, sed in communi reprehendere: ideo inchoat à laudibus ratione eorum, qui præstabant*

bant ſapientia & aliis Diuinis donis, vt laudata virtus collegij Corinthiorum praparet animos ad ſuſcipiendum reprehenſionem. Laudat itaque Eccleſiam Corinthiorum per modum gratias agentis Deo de illorum bonis, vt hinc etiam perpenderent Corinthij, quàm magnifaciat Paulus eorum virtutes.

411. *Deo meo.* Cur non *noſtro*? cùm Deus, omnium Deus ſit. Ex ſummo affectu Paulus loquens, communem Deum, ſuum facit. Qui aliena bona, ſua fecerat, gratias pro illis agens vt de ſuis; quid mirum, ſi & benefactorem omnium, præcipuè ſuum faciat?

Semper pro vobis. Et quî ſemper pro Corinthiis agere gratias poterat? *Agebat gratias non ſolùm habitu gratitudinis* (inquit hîc Caietanus) *ſed etiam actu. Ex eo namque quòd Paulus vniuerſas ſuas tam actiones, quàm paſſiones, etiam ipſum dormire offerebat Deo pro vniuerſis beneficiis ſibi ſuiſque omnibus (inter quos erant Corinthij) collatis, ſufficienter habetur, quòd ſemper actu gratias agebat Deo pro Corinthiis*; NON QVOD ACTV SEMPER COGITARET DE CORINTHIIS; SED VIRTVALITER (*virtute ſcilicet primæ intentionis*) *vniuerſa eius opera erant gratiarum actiones.*

412. *Semper pro vobis.* Itane ſemper gratiarũ actioni vacare Paulus potuit? An gratias agebat cùm prædicationi operã daret, cùm mãducaret, cùm biberet, cùm dormiret? Agebat: quia nimirũ pro ſuis aliorúmque beneficiis actiones omnes Deo offerebat; atque adeò NON VIRTVALITER TANTVM, SED ATIAM ACTV ſemper pro Corinthiis gratias agebat.

Quod in omnibus diuites facti eſtis in illo.

Diuites facti eſtis. Et non etiam anteà diuites erant? erant, ſi de diuitiis temporalibus ſit ſermo: ſed, quia hæ, ſi ad ſpirituales compatẽtur, diuitiarum nomine ſunt indignæ? idcirco abſolutè dixit, eos diuites factos eſſe; quia diuitiis ſpiritualibus ditati ſunt.

Sed quî in omnibus diuites facti dicuntur, cùm adhuc de multis informentur, adhuc in aliquibus digni reprehẽſione eſſent? An dicuntur in omnibus ditari, *non quòd omnes* (inquit Eſtius) *omnia haberent; ſed quia, iuxta quendam modum huius vitæ, in ipſo corpore omnia erant?* & licet ſpirituales diuitiæ apud pauciores eſſent, quia in plures diſtribui poterant ac debebant, plures dicuntur, atque etiam omnes habere, quod in aliis habent, AB ALIIS PVTANT ACCIPERE; cum nullus ſibi ſoli habere ſuperas diuitias debeat.

Itane in omnibus facti diuites erant Corinthij? Erant; ſed nunquid Paulo curæ fuit Corinthiorum diuitias efferre, & pro iis gratias agere? Fuit, ſed pro veris. Senſus igitur eſt; gratias ago Deo quod diuites facti eſtis in omni te *ſcilicet ad ſalutem ſpectante*, ait Eſtius, nam DIVITIÆ TEMPORALES VARÆ DIVITIÆ NON ſVNT, nec ad illas ſpectauit Paulus, ne ad illarum amorem accenderet Corinthios; idcirco ſignatè addidit *in illo*, quod ad Chriſtum refertur, qui ita Spirituales diuitias nobis contulit, vt temporalium contemptum ſuis & verbo, & exemplo ſuaderet.

In omni verbo, in omni ſcientia.

His verbis ſignificat Paulus Corinthios ditatos eſſe vtroque dono & cognoſcendi diuina, & de iiſdem aptè, opportunéque loquendi, quòd nomine *verbi* ſignificauit; verbum autem ſcientiæ præponit, quia maius donum eſt, de diuinis aptè loqui ad aliorum vtilitatem, quàm ſcire diuina dumtaxat: *In omni verbo, & in omni ſcientia* dixit iuxta modum, & & conditionem præſentis vitæ & ſtatus; verba quæ de diuinis non ſunt, vix verba dici merentur, ſcientia quæ de diuinis non eſt, vix in ſcientiarum numero locetur. 413.

In omni ſcientia; Quod ad eos refertas qui in Eccleſia perfectiores erant, licet charitas, & vnio, quod vni conceditur alteri reddat commune: hinc illud Sancti Thomæ hîc ex S. Auguſtino: *Si amas vnitatem habes quicquid in illa alter habet*, TOLLE INVIDIAM, ET TVVM EST QVOD ALIVS HABET. *quos cupiditas, & inuidia ſeparat charitas iungit*, nectẽ, cuius interuentu commune fit, quod erat proprium.

SECTIO II.

414 *Aliorum laus ceteris ſtimuli loco eſſe debet.*
Fidelis titulus quanti faciendus fidelibus ſit.
Fidelis quiſnam verè dicatur.
415 *Sermo à mente diſcrepare non debet.*
Mutua concordia praecipua perfectionis pars.
Contentionis vitium auferendum, vt ceteris medica manus admoneatur.
Cùm de alterius fama agitur, leuibus coniecturis duci nemo debet.
Correctio in ſpiritus lenitate fiat, vt ſit vtilior.
416 *Contemni ſe quiſque ſinat, vt Chriſtus glorificetur.*
417 *Medici peritiam imitetur, qui alios corrigit.*
Quinam Chriſtum diuidant.
418 *Chriſtianorum diuiſio, Chriſti diuiſio cur dicatur.*
Diuidere Chriſtum dicitur, qui eius membra diuidit.
Ipſi ſe ſcindunt, qui Chriſtum à Patre diuidunt.
419 *Ab inuidia vt abſuerit Pauli mens.*
Ad Chriſtum omnes Paulus vocat.
420 *Beneficia hominibus non imputanda, quæ à Deo ſunt.*
Cur nullus pro alio crucifixus dicatur, nullus pro alio mori.
Occaſio mali vt vitanda.
421 *Verbi miniſterio addicti in eo præcipuè verſentur.*

422 *Cur Paulus gratias Deo egerit, quia nullum baptizauerit.*

Notati, qui faciliora ipsi præstant, difficiliora aliorum humeris imponunt.

423 *Dissensiones & earum occasio amputandæ.*

Mendacij nota vt vitanda.

Ita vt nihil vobis desit in vlla gratia.

414. OMNIA gratiarum genera habebant Corinthij: licet non omnia singulis adessent, totum illis corpus gaudebat. Nulla eis deerat gratia; debebant tamen in omnibus crescere ac proficere. Sed cur adeò effert Corinthios Paulus? Toti tribuit, quod parti conueniebat. *Scripturæ mos est*, inquit S. Augustinus epist. 59. ad Paulinum, *ita loqui de parte tanquam de toto; sicut Corinthios in primis epistola sua partibus ita laudat, tanquam omnes tales sint, cùm essent laudabiles quidam eorum*; sicque LAVS CETERIS STIMVLI LOCO ESSET, & laudabiles fierent, laudis participes futuri.

Fidelis Deus, per quem vocati estis in societatem Filij eius, Iesu Christi Domini nostri.

FIdelem Deum vocat; vt quo euectus homo sit, quùm *fidelis* titulo insignitur, vel hinc agnoscat. Scite S. Cyrillus Hierosolymit. catech. 5. *Quantam nobis dignitatem contulerit Dominus ab ordine catechumenorum ad fideles translatis, Paulus Apostolus assistens ait: Fidelis Deus, per quem vocati estis in participationem filij eius.* DEO FIDELIS NOMINE VOCATO, ET TV HANC EANDEM ACCIPIS APPELLATIONEM, MAGNAMQVE ACCIPIS DIGNITATEM. *Quemadmodum enim Deus bonus & iustus vocatur, & omnipotens, & opifex vniuersorum; sic & Fidelis. Cogita ergo in quantam proueheris dignitatem, quùm Diuinæ eris futurus particeps appellationis.* Hactenus ille. Addit statim hunc titulum plus requirere, quàm quis prima facie opinetur. *Hic igitur deinceps quæritur, vt fidelis inter vos aliquis secundùm conscientiam reperiatur: virum enim fidelem inuenire, hoc opus, hic labor est. Non vt demonstres mihi conscientiam; neque enim ab humano die iudicandus es: sed vt Deo sinceritatem fidei ostendas, qui scrutatur corda & renes, & cognoscit hominum cogitationes.* MAGNVM QVIDDAM EST VIR FIDELIS, OMNIQVE DIVITE DITIOR: *fidelis enim viri est vniuersus mundus diuitiarum, qui possit contemnere ipsas & conculcare.*

Vt idipsum dicatis omnes.

415. SEnsus est vt sitis inter vos concordes, & idem sentiatis. Sed cur *Dicendi* vtitur verbo? *A posteriori* (inquit hîc Estius) *prius vult intelligi*; NAM ANIMORVM CONSENSVM SEQVITVR CONCORDIA SERMONIS: quia nimirum sermo à mente discrepare non debet, vt aliud dicatur, aliud sentiatur. Abeunt, qui aliter loquuntur, ac sentiant.

Sitis autem perfecti in eodem sensu.

S*Itis autem perfecti*; Græcè est, κατηρτισμένοι id est, vt exponit Theophylactus, *coagmentati*; ac si diceret, aptè, & concinnè compacti inter vos mutuò, in quæ præcipua perfectionis pars est sita, adeo vt frustra sibi de perfectione blandiatur, qui cum aliis aptari se non sinit, mutuam concordiam, ac pacem non fouet.

Significatum est enim mihi de vobis, fratres mei, ab his, qui sunt Chloes, quia contentiones sunt inter vos.

CVm multa in Corinthiis vitia sit reprehensurus à contentionibus & schismatis incipit, quæ illos inter se scindebant, quia nimirum hoc vitium, primam postulabat curam, adeo vt ægrè aut ferè frustra medica cæteris manus admoueatur, nisi hoc admoueatur.

Ab his, qui sunt Chloes, cur nomen exprimit? An, vt declaret, se non incerto rumore ferri; sed à fide dignis id accepisse, quod dicit? Nimirum, quùm de eo agitur, QVOD ALTERIVS FAMAM TANGIT, NON LEVIBVS CONIECTVRIS DVCI DEBEMVS; sed certis testimoniis. Chloen fœminæ nomen esse, non loci, melior authorum sententia fert.

De vobis fratres. Blandè alloquitur, quos erat correcturus, vt, vtilior correctio esset. *Fratres vocat*, inquit hîc Catharinus, *vt dulciter, &* IN SPIRITVS BONITATE ADMONITI, *faciliùs correctionis medelam sumant.*

Ego quidem sum Pauli, ego autem Apollo: ego verò Cephæ, ego autem Christi.

E*Go quidem sum Pauli.* Suum nomen primum posuit, ne videretur cæteros deiicere, vt efferret se. SVAM PERSONAM, inquit S. Anselmus hîc, POTIVS ASSVMPSIT, QVAM CALCARET ET CONTEMNERET, VT CHRISTVM GLORIFICARET. 416

Repulit a se, sed vt mittat ad Christum. Non vult a sponsa amari, pro sponso. Idcirco enim seipsum maluit contemnere ad commendandum Christum, ne fortè alios nominatim contemneret; & ideo putaretur eorum refutare personas, vt suam commendaret.

Cur se primum Paulus nominat, Cepham tertio loco? seipsum in re odiosa primum nominat, deinde gradatim ascendit, vnde sicut Christi dignitatem non minuit postremo eum loco recensens, sic nec Petri primatui derogauit tertio loco ipsum ponens.

Ego quidem sum Pauli. Quos priùs extulerat, nunc corripit; Medici peritiam hîc notabat sanctus Greg. lib. 1. super Ezech. homil. 11. vbi ait: *Ego quidem sum Pauli, ego autem Apollo, ego verò Cepha, Ego autem Christi. ecce quos in omni verbo & in omni scientia laudauerat, quibus nihil deesse in vlla gratia dixerat, paulisper loquens, ad increpandum leniter veniens, diuisos erga seipsum reprehendit. Et quorum prius salutem narrauerat, postmodum vulnera patefecit.* PERITVS ENIM MEDICVS, *vulnus secandum videns, sed ægrum timidum esse conspiciens, diu palpauit, & subito percussit.* PRIVS BLANDA MANV LAVDES POSVIT, VT POSTMODVM FERRVM INCREPATIONIS FIXIT. 417.

Diuisus est Christus.

418. D*Iuisus est Christus?* Sed quinam adeò impij, vt Christum diuidant? DIVISVM DICIT CHRISTVM, inquit S. Ambrosius hîc; *quia gloriam eius homines sibi partiti sunt.*

Diuisus est Christus? Christianorum diuisionem vocat; quia, Christi spiritu viuere Christiani cùm debeant, in Christum resilit, velut in caput, scissio membrorum. *Non dicit,* inquit hîc Caietanus, *Diuisi sunt Christiani; sed, Diuisus est Christus. Tum quia corpus Christi mysticum scinditur; tum quia spiritus Christi vniens Ecclesiam, per huiusmodi sectas significatur scissus. Christus, quamuis multa habeat membra, nullam tamen compatitur scissionem membrorum;* ET PERINDE EST DIVIDERE EIVS MEMBRA AC DIVIDERE CHRISTVM *(quod est impossibile) quia ipsa diuisio separat à Christo.*

Diuisus est Christus? Non est, *sed qui eum à Patre diuidunt,* inquit Sanctus Ambrosius lib. 1. de fide cap. 4. IPSI SE SCINDVNT: diuiduut se ab ipso, qui ipsum diuidunt.

Nunquid Paulus crucifixus est pro vobis?

419. CVr seipsum tantum nominat, qui priùs Apollo & Cephæ meminerat? *Vt ne videatur* (inquit Theophylactus) EX INVIDIA, *aliorum nominum memionem fecisse.* Licet in eo, quod de se dixit, par sit ratio de ceteris.

Nunquid Paulus crucifixus est pro vobis? Ad Christum omnes Paulus vocat tanquam ad authorem salutis. Perit, qui ad alterius nomen ambulat. *Non ad hominis nomen ambulabo,* inquit S. Augustinus in Psalm. 30. *Christi nomen teneo. Ipsum Paulum audi dicẽtem: Nunquid Paulus pro vobis crucifixus est? aut in nomine Pauli baptizati estis? Perirem, si essem de parte Pauli: quomodo non pereo, si fuero de parte Donati?* PRORSVS RECEDANT HVMANA NOMINA, HVMANA CRIMINA *humana figmenta.*

420. *Nunquid Paulus crucifixus est pro vobis?* Cur potiùs à se cœpit, quàm ab alio? *Ideo à se cœpit* (inquit hîc S. Ambrosius) *ne fortè putaretur aliorum ideo refutare personas, vt suã commendaret. Si enim Christus pro vobis, inquit, mortuus est; quomodò gratiam eius &* BENEFICIVM HOMINIBVS IMPVTAMVS *ad eius iniuriam?*

Opponat tibi aliquis Paule, tu pro aliis minimè Crucifixus es, quia nec Crucifixus; sed ne auferas hanc gloriam Petro, qui in aliorum exemplum, quin & vtilitatem pro nobis Crucifixus est. Nodum soluit quod ait S. Augustinus tract. 84. in Ioann. *Et si fratres pro fratribus moriantur, tamen in fraternorum peccatorum* REMISSIONEM NVLLIVS SANGVIS MARTYRIS FVNDITVR, *quod fecit Christus pro nobis.* Solus igitur Christus Crucifixus pro nobis est, quia solus nos redemit, solus nos à peccato liberauit.

Gratias ago Deo, quòd neminem vestrum baptizaui.

421. ITáne gratias agit, quòd non baptizauerit? Et quid mali est, alios in salutem tingere? *Gratias de hoc agit* (inquit Estius hîc) *non quia malum erat baptizasse; sed quoniam esse poterat, ac* VERISIMILITER FVTVRVM ERAT OCCASIO MALI. *Et quidem Deo gratias agit, cuius prouidentia factum sit, vt hoc, quod est Paulum non baptizasse Corinthios, cesserit ad eorum bonum, id est ad euitationem peccati, quo iactarent se in Pauli nomen baptizatos esse; aut tanquàm per baptismum in eius nomen ascripti dicerent: Ego sum Pauli.*

Christus per se docuit, per alios baptizauit, id quoque fecit & Paulus; hoc exemplo docemur, eos qui ad verbi ministerium apti sunt IN EO MVNERE PRÆCIPVE VERSARI DEBERE, alia, quæ sunt minoris momenti, aliis committenda, vt ad illa ipsi sint magis expediti.

422. Mirum, cur gratias Deo egerit Paulus, quòd nullum eorum baptizauerit. Nunquid malum est baptismalibus aquis aliquem tingere, cùm potiùs hoc summæ sit opus charitatis? Nodum soluit S. Ambrosius hîc, dum ait: *Gratias agit Deo, quia non multos ex illis baptizauit; ne,* QVIA ERROR AB HAC RE COEPERAT, EX NOMINE EIVS ERROR ESSET IN PLVRIMIS: *per hoc arguens & baptizantes, & baptizatos, qui ad iniuriam saluatoris, baptismatis eius gratiam hominibus deputabant, illis dissimulantibus gloriæ causa.*

Per se prædicauit euangelium, per alios baptizauit. Nimirum quod difficilius, maiorisque laboris retinuit sibi, quod erat facilius commisit aliis; id quod notare illi debent, qui laboriosiora aliorum humeris imponunt, præstant ipsi, si tamen præstant quæ faciliora sunt. Hinc illud S. Augustini lib. 3. contra litteras Petiliani capite 56. *Perfectè baptizare etiam minus docti possunt; perfectè autem euangelizare* MVLTO DIFFICILIORIS, ET RARIORIS EST OPERIS. Ex hoc quoque discant Episcopi aliis minora committere, ne ipsi à potiore officij sui parte impediantur, & quæ sunt maiora, prætermittant.

423. *Quod neminem vestrum baptizaui.* Scilicet, vt pacis & concordiæ limites extenderet Apostolus, sui ministerij coarctat terminos: aitque se ad tingendum minimè missum. Hinc illud Tertulliani huc spectantis libro de Baptismo capite. 13. *Hæc pro conditione temporis ad Corinthios scripta sunt quoniam schismata &* DISSENSIONES INTER ILLOS MOVEBANTVR, *dum alius Paulo deputat, alius Apollo.* PROPTER QVOD PACIFICVS APOSTOLVS, *ne sibi omnia defendere videretur, non ad tingendum ait se missum; sed ad prædicandum.*

Baptizaui autem & Stephanæ domum cæterum nescio, si quem alium baptizauerim.

CVr istuc adiecit: *Ne in eius verbis,* inquit hîc Sanctus Thomas, *aliquid veritatis minus appareret;* addit; *& quia circa particularia facta memoria hominum labilis est,* subdit: *cæterum nescio, id est in memoria non habeo si quem alium baptizauerim, in propria persona,* nam per alios baptizasse Apostolum multos non est dubium. Hîc interim vides quàm cautè sancti viri loquantur, ne ab eis aliquid excidat, quo mendacij redargui possint.

SECTIO III.

424 *Ad baptizandum cur se Apostolus non missum dixerit.*

Quàm graue & operosum prædicationis munus.

Crux Christi cur dicatur euacuari.

425 *Simplicibus verbis crux prædicanda, ne eius virtus euacuetur.*

Quanam sapientia Christo aduersetur.

426 *Iudæis cur peculiariter Christus scandalum fuisse dicatur.*

Stultum & infirmum Dei etiam fortitudini & sapientiæ Angelorum præferendum.

427 *Vocationem suam illi præcipuè videant, qui in sacram familiam nomen dedere.*

De loci sanctitate nemo sibi blandiatur.

428 *Cur ignobiles Deus elegerit non nobiles Euangelio prædicando.*

Ignobiles seculo plerumque nobiles sunt Christo.

Non enim misit me Christus baptizare, sed euangelizare.

424. NOn enim misit me Christus baptizare. Et non omnibus dixit Matth. 28. 19. vt irent, & omnes gentes baptizarent? Nodum ita soluit S.Thomas hîc: *Dicendum est, quòd* CHRISTVS APOSTOLOS MISIT AD VTRVMQVE; *ita tamen, quòd ipsi per seipsos prædicarent (secundùm quod ipsi dicebant Act. 6. Non est æquum relinquere nos verbum Dei, & ministrare mensis) baptizarent autem per inferiores ministros: & hoc ideo, quia in baptismo nihil operatur industria vel virtus baptizantis; nam indifferens est, vtrum per maiorem vel minorem ministrum detur baptismus: sed in prædicatione euangelij multum operatur sapientia & virtus prædicantis: & ideo prædicationis officium per seipsos Apostoli: tanquam maiores ministri exercebant.*

Non enim misit me Christus baptizare, sed euangelizare. Adeò GRAVE OPEROSVMQVE PRÆDICATIONIS ERAT MVNVS, vt baptizandi officium non possent exercere, qui prædicabant. Paulus igitur aliorum ministerio vtebatur in baptismo. Quod & sæpè alios Apostolos fecisse credendum est. Sed cur abluendi munus aliis demandant; non item prædicandi? Quia in baptismo baptizantis industria & virtus non est necessaria; at in prædicationis munere prædicantis virtus, sapientia, sanctitasque multum valet.

Vt non euacuetur Crux Christi.

PRo *euacuetur* Sanctus Cyprianus legit: *Inanis fiat*; Nimirum verbi sapientia CRVCEM EVACVAT, si hominum conuersio non crucis virtuti, sed sæculari sapientiæ cum eloquentia coniunctæ tribueretur.

Vt non euacuetur Crux Christi; atque adeo simplicibus verbis crucem prædicandam hinc colligat B.Petrus Damianus serm. 48. *Quamquam*, inquit, *desit facundia, peritiaque sermonis cessare non debemus à laude crucis, quia quod facultati subtrahitur, ex abundantia bonæ voluntatis impletur, præsertim cum Apostolus dicat: non in sapientia verbi vt non euacuetur Crux Christi. Prædicatores namque crucis Deus piscatores instituit, non oratores. Accuratis itaque verbis, crux non asseritur. Sed è contrario vacuatur. Quapropter non indignum est si Beata Crux verbis nunc simplicibus prædicetur, quibus vtique inuecta mundo inter ipsa noua fidei rudimenta cognoscitur.* 425.

Perdam sapientiam sapientium, & prudentiam prudentium reprobabo.

PErdam sapientiam sapientium. Cur non nudè, *Sapientiam*, dixit; sed addidit, *Sapientium?* An quia sapientia Christo non aduersatur; sed, qui illa vtuntur malè? Peritè hîc Caietanus: *Significanter non dicit, Perdam sapientiam & intelligentiam; sed adiunxit, sapientium & intelligentium.* QVIA NEC SAPIENTIA NEC INTELLIGENTIA CONTRARIATVR CRVCI CHRISTI, QVONIAM VERO NON ADVERSATVR: *sed sapientia sapientium (hoc est, vt vtuntur illa homines habentes illam) & similiter intelligentia intelligentium (hoc est, vt vtuntur illa homines habentes illam, qui vocantur in Mundo sapientes & intelligentes) est, quæ contrariatur Euangelio; est, quam perdit & reprobat Deus. Nulla enim philosophia aut cuiusuis scientiæ pars contrariatur secundum se Euangelio ratione dicta; quia nullum verum contrariatur alteri vero: scientia autem sunt secundum se vera, & Euangelium est verum: sed præsumptio hominum, ad extendendum propositiones & media extra proprios limites, contrarietatem parit veritati fidei Christianæ.* Sanctus Hieronymus in cap. 21. Isaiæ sic hæc eadem verba versat: *Perdam sapientiam sapientium, & intelligentiam prudentium reprobabo; non quod* VERA SAPIENTIA ET VERA PRVDENTIA PERDANTVR A DOMINO, *sed falsi nominis scientia qui sibi thesaurizant linguam mendacij: & deficiunt scrutantes scrutinio, & inueniunt nihil: loquentes iniquitatem in excelsum, & ponentes in Cœlum os suum.*

Iudæis quidem scandalum, Gentibus autem stultitiam.

CHristus Crucifixus Iudæis scandalum fuit, fuit offendiculum, quia Crucis opprobrium fecit, ne eum pro Messia acciperent, addit gentibus fuisse stultitiam. Et non fuit etiam Iudæis stultitia Christus crucifixus? fuit; nam vniuersè Paulus dixit: *Verbum crucis pereuntibus stultitiam esse. Sed præter hoc*, inquit Estius hîc, 426.

Iudæis

Iudæis PECVLIARITER SCANDALVM FVIT, *quibus Christus promissus fuerat, & expectatus, nec tamen receptus.*

Quia, quod stultum est Dei, sapientius est hominibus; & quod infirmum est Dei, fortius est hominibus.

HVnc locum magis vrget Sanctus Bernardus quod infirmum Dei est asserens Angelorum quoque fortitudini præferendum, sic ille scribit serm. 73. in Cant. *Itaque quod stultum est Dei, sapientius est hominibus, & quod infirmum est Dei fortius est hominibus. Hoc quidem Apostolus. Mihi autem non videtur errare si quis etiam* SAPIENTIÆ ET FORTITVDINI ANGELORVM PRÆFERENDVM DICAT IOENTIOEM STVLTVM INFIRMVMQVE DEI.

Videte enim vocationem vestram, fratres quia non multi sapientes secundum carnem: non multi potentes, non multi nobiles.

427. HÆc verba ad eos qui in congregatione viuunt ita coarctat S. Cæsarius Arelatensis homil. 27. *Ait quodam loco Beatus Apostolus. Videte vocationem vestram fratres. Quapropter dilectissimi* ET NOS VIDEAMVS VOCATIONEM NOSTRAM. *Non enim satis prodest quod istum locum expetiuimus. Si tales sumus, quales in sæculo esse potuimus. Si enim bene perspicimus, non ista solitudo nos ad perfectionis necessitatem, sed etiam ipsa congregationis multitudo constringit. Nam sicut pretiosum atque præcipuum est, in medio multorum positum bene agere, & plurimos ad profectum boni operis incitare, ita periculosum atque perniciosum est, negligentius agendo multorum fidem frangere, multorumque animas deprauare.* Paulo aliter Eusebius Gallicanus homil. 4. ad Monachos vbi hæc habet ad hunc locum spectans. *Si nobis grande periculum est, aliena non arguere, quantò periculosius est, propria non corrigere? ait quodam loco Beatus Apostolus, videte vocationem vestram, fratres, quapropter dilectissimi, & nos videamus vocationem nostram. Non enim satis prodest quod istum locum expetiuimus, si hîc tales sumus, quales in sæculo esse potuimus. Si enim benè perspicimus, non solùm ista solitudo nos ad perfectionis necessitatem, sed etiam ipsa* CONGREGATIONIS MVLTITVDO CONSTRINGIT. Et homil. 4. de Epiphania ita rem versat. *Videte vocationem vestram fratres, venire quidem sic ad eremum, summa perfectio est:* NON PERFECTE IN EREMO VIVERE, SVMMA DAMNATIO EST, QVID PRODEST SI IN LOCO QVIES TENEATVR, ET INQVIETVDO IN CORDE VERSETVR? *Si in habitatione silentium sit, & in habitatoribus vitiorum tumultus, & colluctatio passionum? si exteriora nostra serenitas possideat, & interiora tempestas?* O istue seriò cogitent, qui mundo dedere repudium, & in sacras se familias receperunt, vt sint quod dicuntur, esse credantur! Nemo igitur sibi de loci sanctitate blandiatur.

428. *Non multi sapientes.* Non multos dicit ne omnes sapientes videretur excludere, & sapientiam omnem damnare. Aptè hîc Caietanus: *Non dicit, Nulli sapientes secundum carnem; sed, Non multi: quia aliqui ex discipulis primitiuæ Ecclesiæ fuerunt docti etiam secundum scientiam acquisitam; vt Nicodemus, qui erat magister in Israel, & ipse Paulus, & Lucas medicus, & Apollo, &c. Et simile est de potentibus secundum humanam potentiam, & nobilibus secundum generis nobilitatem.*

Non nobiles mundi Deus elegit, sed qui vera nobilitate gauderent, quæ à virtutibus est, est à Christo; Præclarè hunc locum versat Beatus Laurentius Iustinianus, de Fide cap. 4. pluscula sint eius verba, omnia sunt danda, quia omnia vtilia; *Elegit Dominus Iesus Deus & Saluator noster simplices & pauperes, sed in fide diuites, per quos subiugaretur mundus. Relictis planè sapientibus, relictis fortibus debiles, relictis diuitibus pannosos homines elegit, & prædicatores infirmos abiectosque, qui potentes quosque & fideles populos colligerent, habere dignatus est. Ad prædicandam namque fidem tales venire debuerant, qui de laude propria nihil haberent, vt tantò solidius diuinum cognosceretur esse, quod agerent, quantò & apertius cerneretur ad hoc illos non esse idoneos per quos tanta fierent. O beatos piscatores istos, quos Dominus Iesus inter tot doctores legis & scribas, inter tot sæculi sapientes, ad diuinæ prædicationis officium, & ad gratiam Apostolatus elegit primos. Et digna sanè Domino nostro atque conueniens prædicationi eius fuit talis electio; vt in prædicatione nominis sui tantò maior laudis admiratio nasceretur, quantò eam hominum miserrimi & humillimi secundùm sæculum prædicassent, qui non per sapientiam verbi mundum caperent, sed per simplicem fidei prædicationem de horrore mortis humanum genus liberarent. Non ergo nobiles mundi elegit, ne suspecta fieret prædicatio; non sapientes sæculi, qui per sapientiam mundi persuasisse humano generi crederentur, sed elegit piscatores, illiteratos, imperitos, indoctos; vt aperta esset gratia Saluatoris. Humiles quidem in sæculo etiam ipso artis officio, sed præcelsos fide, ac deuota mentis obsequio:* IGNOBILES SÆCVLO, SED NOBILES CHRISTO: *non scriptos in albo terreni senatus, sed in gloria triumphantis Ecclesiæ: despectos terræ, sed acceptissimos cælo.*

SECTIO IV.

429 *Stulta Mundi cur Deus elegerit.*
Cur primò doctus non sit electus à Christo ad prædicationis munus.
430 *Humana excellentia vti debuit Christus in sui obsequium.*
431 *Cur Apostoli tam magna in Dei gloriam præstiterint.*
Pecuniarum contemptus & gloria temporalis Euangelicos pauperes gloriosos effecit.
432 *Gratiæ tribuenda non naturæ bona, quæ agimus.*
Nobiles cur non contempserit Christus, licet ignobilia elegerit.

433 *Per ignobiles cur nobiles vocari ad Christi fidem voluerit.*

Diuites cur primò non elegerit Christus, per quos ceteros vocaret.

Ad prædicationis munus quinam aptiores.

434 *Perstricti, qui de suis meritis gloriantur.*

A gloria nos Deus auocat inani, vt ad veram vocet.

435 *Vniuersa scripturæ facies ab inani gloria nos auocat.*

Cur in Domino tantùm gloriari debeamus.

436 *Homo gloriæ auidissimus ægrè ab eius desiderio auocari potest.*

Minuit suam gloriam qui gloriatur in se: auget, qui gloriatur in Deo.

437 *Deum sibi facit, qui in aliquo extra Deum gloriatur.*

Quæ stulta sunt Mundi elegit Deus, vt confundat sapientes, & infirma Mundi elegit Deus, vt confundat fortia: & ignobilia Mundi & contemptibilia elegit Deus; & ea quæ non sunt, vt ea, quæ sunt, destrueret.

429. STVLTA elegit Deus, ne sapientes electi fructum sapientiæ suæ tribuerent; néve conuersio in sermonem loquentis referretur, sed in causam, de qua erat sermo; quod tetigit etiam Sanctus Gregorius lib. 1. Moral. c. 6. *Paulus ait: Non multi sapientes secundùm carnem, non multi potentes, non multi nobiles; sed, quæ stulta sunt Mundi, elegit Deus, vt confundat sapientes. Ipsa namque Sancta Ecclesia principia litterarum perhibentur ignara, vt videlicet cunctis prædicatoribus suis Redemptor ostenderet, quod ad vitam recedentes populos* NON SERMO, SED CAVSA SVADERET.

Non est primò electus doctus, ne suam electionem doctrinæ suæ meritis tribueret, sicque diuinæ operationis, vt ita loquar, vis retunderetur; *Si* DOCTVS ELIGERETVR, *fortasse ideo se diceret electum quia doctrina eius meruit eligi: Dominus noster Iesus Christus volens superborum frangere ceruices, non quæsiuit per oratorem piscatorem: Sed de piscatore lucratus est Imperatorem.* Ita sentiebat, scribebatque Sanctus Augustinus tract. in Ioannem.

430. Humanam excellentiam in fidei fundamento ferè neglexit vt totum diuinæ operationi tribueretur; post prima illa sæcula etiam plures humanâ sapientiâ nobiles Deus elegit, & prædicationis muneri addixit. Cur ita? *Videretur*, inquit Sanctus Thomas hîc, NON ESSE A DEO EXCELLENTIA HVMANA, SI DEVS NON VTERETVR AD SVVM OBSEQVIVM, *& ideo in principio quidem paucos, postremò verò plures seculariter excellentes Deus elegit ad prædicationis officium. Vnde in Glossa dicitur, quòd nisi fideliter præcederet piscator, non humiliter sequeretur orator.* Claudit: *Et etiam ad gloriam Dei pertinet, dum per abiectos sublimes in seculo ad se trahit.*

Vt confundat sapientes. Vt eos pudore afficiat, qui secundùm carnem sapiunt; sapientes dixit, NON QVI ESSENT, inquit Sanctus Augustinus serm 63. de diuersis, *sed qui esse viderentur.*

Tanta præstitere Apostoli, quia à terrenarum rerum affectu paupertatis amore erant liberi: *Ipsa* PAVPERTAS, inquit Beatus Laurentius Iustinianus tract. de paupertate cap. 3. *Exhibet prædicationem magis acceptabilem. Cuius euidens signum est, quod per Apostolos pauperes rebus & spiritu, quanquam numero paucos, diffusa est Euangelica veritas in orbem terrarum, vt de ipsis verè dictum sit. In omnem terram exiuit sonus eorum. Qui quum prophetias haberent, miracula facerent, non hæc eos mirabiles fecerunt. Multi namque prophetauerunt, multi infirmitates curarunt, & dæmones de corporibus obsessis eiecerunt, qui quoniam iniquitatem operati sunt, non sunt facti mirabiles, sed diaboli ludibria, & inferni stipula. Sed quid est, quod illos, de quibus loquimur, Euangelicos pauperes effecit gloriosos?* PECVNIARVM CONTEMPTVS, GLORIÆ TEMPORALIS DESPECTVS, *& ab omnibus vitæ huius negotiis ereptio. Qui si hæc non habuissent, etiamsi Christum mortuum suscitassent, non solùm non profecissent, sed & seductores existimati fuissent.* 431.

Infirma Mundi elegit Deus. Vt gratiæ potiùs ratio haberetur, quàm naturæ; ne aliquid suis lacertis electus tribueret. *Ne qualibet persona*, inquit Sanctus Augustinus in Psalm. sexagesimumquintum, *gloriaretur in carne, infirmos elegit: nam inde non est electus ille Nathanael etiam. Quid enim sibi videtur? vt publicanum in telonio sedentem eligeret Matthæum; & non eligeret Nathanael, cui perhibuit testimonium ipse Dominus dicens: Ecce verus Israelita, in quo dolus non est. Intelligitur ergo Nathanael iste doctus fuisse in lege, non quia doctos non erat electurus; sed, si ipsos primò elegisset, doctrina sua merito se electos putarent; & ita illorum scientia laudaretur, &* LAVS CHRISTI GRATIÆ MINVERETVR. *Perhibuit testimonium tanquàm bono fideli, in quo dolus non erat: sed tamen eum non assumpsit inter illos discipulos, quos primùm idiotas elegit.* 432.

Ignobilia elegit; non contempsit nobiles, sed ignobilia præposuit, ne suæ nobilitati nimis tribuerēt nobiles, suisque diuitiis diuites. Scitè Rupert. in c. 1. Nahum: *Quæ stulta sunt Mundi elegit Deus; & quæ non sunt, vt ea, quæ sunt, destrueret. Non hoc dicitur, quod ita elegerit ignobiles,* VT NOLLET ELIGERE NOBILES: *nam & miles captiuus abductus est, & ancillæ eius minabantur, idest nobiles pariter atque ignobiles absque acceptione personarum victoris Christi seruitio subiiciebantur. Sed hoc dicit Apostolus, quòd in initio Euangelij non prius nobilia, sed ignobilia Deus elegit. Cur hoc? Vt non glorietur omnis caro in conspectu eius, quod vtique futurum erat, si nobiles priùs vocati, &* PER EOS

IGNOBILES

IGNOBILES AD CHRISTI FIDEM FVISSENT ADDVCTI.

433. Idiotas & ignobiles Deus elegit, elegit pauperes, ne electionem ſuis meritis, ſuis diuitiis electi tribuerent: licet etiam poſt piſcatores & pauperes, oratores diuiteſque vocauerit ac elegerit. *Elegit Dominus poſtea & oratores*, inquit Sanctus Auguſtinus in Pſal. ſexageſimumquintum. *Sed illi ſuperbirent, ſi non priùs eligeret piſcatores.* ELEGIT DIVITES: *ſed* DICERENT MERITO DIVITIARVM SVARVM SE ELECTOS ESSE, *niſi primò elegiſſet pauperes. Elegit Imperatores poſteà: ſed melius eſt, vt, Romam cùm venerit Imperator, depoſito diademate ploret ad memoriam piſcatoris, quàm vt piſcator ad memoriam Imperatoris.*

Et ea quæ non ſunt: ideſt interprete Sancto Thoma, *ea quæ non videntur eſſe in hoc ſeculo, elegit Deus ad prædicationis officium*; ſcilicet hi maximè ad hoc munus tanquam aptiores vocantur, qui ADEO A SECVLI AMORE SVNT ALIENI, vt in ſæculo eſſe non videantur.

Vt deſtrueret ea quæ ſunt; ideſt, vt ait idem auctor, *eos qui in hoc mundo aliquid eſſe videntur*; iure *deſtruendi* vſus eſt verbo, nam vt ſpiritale ædificium erigatur, deſtruendum eſt, quicquid ſuperbiam ſapit, & ſæculi ambitionem fouet.

Vt non glorietur omnis caro in conſpectu eius.

434. SIgnatè non dixit, *Omnis homo*, nec, *Omnis anima*; ſed, *Omnis caro*. Vt eos vel hoc vocabulo perſtringeret, qui in ſe gloriantur. Pulchrè Primaſius hîc: *Carnales ſunt*, QVI DE SVIS MERITIS GLORIANTVR: *ſed citò cadent, ſicut flos fœni.*

Vt non glorietur omnis caro. A gloria nos auocat, vt ad gloriam vocet; ſed ad veram, ad ſolidam. *Quid ait Apoſtolus?* inquit Sanctus Auguſtinus in Pſalm. 65. *Vt non glorietur coram Deo omnis caro. Videte, quemadmodum nobis abſtulit gloriam, vt daret gloriam.* ABSTVLIT NOSTRAM VT DARET SVAM: ABSTVLIT INANEM, VT DARET PLENAM: ABSTVLIT NVTANTEM, VT DARET SOLIDAM. *Tanto ergo gloria noſtra fortior & firmior, quia in Deo. Non ergo in te debes gloriari; quod prohibuit veritas: ſed, quod ait Apoſtolus, hoc præcepit veritas. Qui gloriatur in Domino glorietur.* In eo ſolo vera & ſolida gloria eſt, quæ extra illum inanis prorſus & inglorìa eſt. Non eſt ergo inuidus ſuæ gloriæ Deus, gloria affici nos amat, ſed vera, hoc eſt ſua, nam alia omnis extra Deum nudum gloriæ nomen habet, nihil præterea eſt; & licet nihil ſit, impedit tamen gloriam ipſam, quæ in Deo eſt, & quod miſeris inanis gloria repleri plena non poteſt, niſi tota pereat.

Vt, quemadmodum ſcriptum eſt, qui gloriatur, in Domino glorietur.

435. QVòd nullum ſtatum locum citet Apoſtolus plerique ad totius ſacræ Scripturæ mentem referunt, & ingenium; hinc illud S. Auguſtini in Enchiridio c. 98. *Altiſſimo, ſaluberrimoque Sacramento* VNIVERSA FACIES *atque vultus ſanctarum Scripturarum benè intuentes id admonere inuenitur, vt qui gloriatur in Domino glorietur.*

In Domino glorietur; Gloria quæ extra Dominum inglorìa, vt ita loquar eſt, cur autem in alio quàm in Domino quis glorietur, cum omne à quo naſci gloria poteſt, non niſi à Domino naſcatur? *De quo autem* inquit B. Laurentius Iuſtinianus lib. de humilitate, cap. 1. *& in quo ſit gloriandum, Apoſtolus docet dicens: Qui gloriatur (inquit) in Domino glorietur, Quare verò in Domino,* QVONIAM AB IPSO PERCIPIMVS TOTVM, QVOD DIGNVM EST GLORIA. *Obſerua, quæſo à quo habeas, vt ſis, vt rationalis ſis, vt ſis cæleſtis vocationis particeps. Eccleſiæ membrum, Sacramentorum Dei capax, cohæres Chriſti, & Angelorum conſors. Reuolue (inquam) quæ innumera tibi contulerit bona naturæ, & gratiæ munera.*

Qui gloriatur. Quia gloriæ auidiſſimus homo eſt, & hoc Apoſtolus nouerat, quia penitus à gloriæ cupiditate nos auocare difficile erat, monet ſaltem vt qui gloriatur, glorietur in Domino; quem loquendi modum ſic expendebat S. Bernardus ſerm. de verbis Apoſt. *Qui gloriatur, in Domino glorietur. Nouerat Apoſtolus gloriam propriam eſſe creatoris, non creaturæ, ſecundum illud: Gloriam meam alteri non dabo: &, Gloria in excelſis Deo, & in terra pax hominibus bonæ voluntatis. Itemque, Non nobis Domine, non nobis, ſed nomini tuo da gloriam. Sed conſiderauit rationalem creaturam* ADEO AFFECTARE GLORIAM, VT AVT VIX AVT NVNQVAM AB HOC COMPESCI DESIDERIO POSSIT, *quippe quæ ad imaginem facta eſt Creatoris. Propterea ſecundum datam ſibi à Deo ſapientiam, ſaluberrimam adinuenit conſilium, dicens: Quandoquidem perſuaderi nobis non poteſt non gloriari, ſaltem qui gloriatur, in Domino glorietur.* 436.

In Domino glorietur. Nam qui in ſe gloriatur, à vera gloria excidit, de gloriæ ſuggeſtu cadit; illius gloria ſemper creſcit, qui gloriatur in Deo, ſemper minuitur vt in nihilum abeat, ſi glorietur in ſemetipſo. Siſtendus hîc S. Auguſtinus qui tract. 14. in Ioannem huc ſpectans aiebat: *Creſcat in nobis gloria Dei, & minuatur gloria noſtra* VT IN DEO CRESCAT ET NOSTRA. *Hoc enim dicit Apoſtolus hoc dicit & Scriptura ſancta: Qui gloriatur in Domino glorietur*; IN TE VIS GLORIARI ET CRESCERE, SED MALO TVO, MALE CRESCIS, QVI ENIM MALE CRESCIT, IVSTE MINVITVR. *Creſcat ergo Deus qui ſemper perfectus eſt, creſcat in te, quantò enim magis intelligis Deum, & quantò magis capis, videtur in te creſcere Deus: ipſe autem non creſcit, ſed ſemper perfectus eſt, intelligebas heri modicum, intelligis hodie amplius, intelliges cras multò amplius: lumen ipſum Dei creſcit in te, ita velut Deus creſcit, qui ſemper perfectus manet.*

In Domino glorietur; adeo vt Deo totum tribuat, nihil ſibi, nihil induſtriæ ſuæ, nihil virtuti; alioquin à Deo ſurripit, & in ſe, inque creaturam transfert, quod Deo ſoli debetur. Grauiter id vrget Richardus Victorinus lib. 1. c. 37. de erudit. interioris hominis, vbi ait: *Audi apertè, diligenter aduerte, memoriter retine, ſi in aliqua gratia, in aliqua induſtria, ſi in aliqua virtute tua confidis, præſumis, gloriaris, diuinum quidem & ſatis improbè honorem ei impendis*, NE DICAM DEVM TIBI FACIS. *Qui gloriatur in Domino glorietur.* 437.

CAPVT II.

EPISTOLÆ PRIMÆ ad Corinthios expenditur & illustratur.

SECTIO I.

438 *In humana sapientia deiectione cur tam multus Apostolus.*
Eloquentia videtur inutilis, vbi facta loquuntur.
439 *Solum Christum crucifixum cur se scire Paulus dixerit.*
Vt Christo crux nosipsi sumus.
440 *Quàm timere debeant, qui exemplo malo aliis nocent.*
Vita perfectio ad mysteria Diuina intelligenda viam aperit.
441 *Inuidia vt obcacet, quos corripit.*
442 *Dæmones cur dicti Dominum gloria crucifixisse.*
Crucis & gloria nexus.
443 *Cælestis gloria magnitudo ineffabilis.*
Mercedis cogitatio excutiendo labori apta.
444 *Amoris magnitudo qua formula explicata.*
Maria Virginis gloria vt collecta.
445 *Dilectio ad gloriam via.*
Cur in cor hominis non ascendit, quod Deus illi præparauit.
Corde ad præmium ascendat homo, quod in cor hominis non ascendit.
Quàm ineffabilis & incomprehensibilis Dei natura.
446 *Diuina bonitas expenditur.*
Dilectionis bona quàm eximia.
Cælestia bona in pectoris pagina ministerio spei depingenda.

Et ego cum venissem ad vos, fratres, veni non in sublimitate sermonis aut sapientia annuncians vobis testimonium Christi.

438. ASeipso probat, quod dixerat, Deum quæ stulta sunt mundi, & quæ infirma elegisse, etiam quo ad officium prædicationis euangelicæ. Sed cur tam multus Apostolus est in humanæ sapientiæ deiectione? An quia multi fiebat apud Corinthios? & etiam, vt tetigit Estius, *vt per hæc tacitè perstringeret quosdam Corinthiorum doctores, qui* SVAM OSTENTABANT ELOQVENTIAM, *vna cum sapientia seculari.*

Quid in *sublimitate sermonis* veniret, qui veniebat in sublimitate virtutis, & sanctitatis? Inutilis videtur eloquentia, vbi totius vitæ actus vertuntur in eloquentiam. *Cuius vestimenta*, inquit Sanctus Chrysostomus homil. 6. *mortuos suscitarunt, & vmbra morbos expulerunt; longè magis illius anima pollere facundia potuisset: sed noluit ita Deus, quoniam* NVLLAM ATTVLISSET VTCLCTATSM.

Non enim indicaui me scire aliquid inter vos, nisi Iesum Christum, & hunc Crucifixum.

NOn dixit se aliud nescire; sed, aliquid se non iudicasse scire præter Iesum Christum, & hunc Crucifixum; vt innueret, se ea, quæ tradit, auditoribus suis aptare; & omittenda doctori, quæ expedire eis non iudicat, quos informat. Iesum Christum autem se solum scire iudicauit, & quia docuit, non in alio, quàm in Cruce & Crucifixo gloriandum; & quia Corinthij sublimiorum mysteriorum adhuc capaces non erant, vt signate addiderit, *Inter vos.* Hinc Franco Abb. tom. 12. de Grat. *Paulus paruulos in Christo lacte potat: adultos in fide, solido cibo roborat. Inter illos nihil nisi Christum, & hunc Crucifixum se scire indicat: inter istos de secretis cælestibus & mysteriis à sæculo absconditis disputat.* 439.

Et hunc crucifixum. Vt crux alia non sit, nos ipsi crux Christi sumus, quibus est Christus affixus sicut cruci. Præiuit Sanctus Bernardus serm. 4. in vigilia Natiuit. Domini, vbi ait: *Christum, inquit, Iesum, & hunc crucifixum. Fortasse* CRVX IPSA NOS SVMVS, CVI CHRISTVS MEMORATVR INFIXVZ, *Homo enim formam crucis habet: quam si manus extenderit, exprimet manifestiùs.*

Et ego in infirmitate & timore & tremore multo fui apud vos.

CVr times Paule, cur tremis? timeant, & tremant, qui audiunt cùm tu loqueris; *solicitus eram*, sic loquentem eum facit Estius, *ne quid committerem verbo, aut facto, quo vos offensi resiliretis à fide suscepta.* Quid hîc illi, qui mala vita, improbísque moribus euertunt, quod probo sermone fabricauerant? Tremuit Paulus ab omni culpa alienus, & non trement, QVI EXEMPLO MALO MVLTOS A PROBITATE AVOCANT, ad quam nudis verbis auditores suos vocauerant? 440.

Sapientiam autem loquimur inter perfectos.

CVr, inter *perfectos*, dicit; & non potiùs, inter *doctos?* An, quia (vt ait Estius hîc) *quò quisque est perfectior, tantò magis* HORVM MYSTERIORVM INTSLLIGENDORVM EST CAPAX? nam sublimia Dei mysteria spirituales potiùs (qui perfecti hîc vocantur) quàm ingenij præsidio muniti, percipiunt.

Si enim cognouiſſent, nunquam Dominum gloriæ crucifixiſſent.

441. SEnſus eſt, ſi cognouiſſent ſapientiam Dei, de qua nimirum loquutus fuerat; non enim dicit: *ſi cognouiſſent Deum, aut Chriſtum;* nunquam gloriæ Dominum crucifixiſſent, neque enim dæmones curaſſent crucifigendum, ſi conieciſſent hinc humani generis ſalutem naſcituram. Aliqui ad Chriſtum referunt, quem inuidia obcæcati cognoſcere non voluerunt, nec valuerunt Iudæi. Leo Imp. de exalt. S. Crucis ita ſcribit: *qui heredem eſſe faſſi*, INVIDIA ET FVRORE EBRII, *gloriam eius non intellexerunt, vt ſacra litera teſtantur; Nam ſi cognouiſſent, non vtique Dominum gloriæ crucifixiſſent. Non cognouerunt, quia cognoſcere noluerunt, tota cogitatione ad inuidiam conuerſa, gloriæque magnitudinem, etſi manifeſtam, agnoſcere detrectantes, non dederunt locum rationi ad intelligendum, vt iamiam rabiem cohiberent.* Sic ille, qui hæc quoque in hanc ſententiam adiicit eodem loco: *Cognouerunt certè, non vt tanquam Dominum gloriæ honorarent, ſed vt ignominioſa morte perimerent.* EA ENIM INVIDIÆ NATVRA EST, NON RECIPIT, QVÆ CONFITETVR; NEQVE ID QVOD VIDETVR, VIDERE VVLT; NEQVE ASSENTIRI IIS, QVÆ NEGARI NEQVEVNT. *Hac occupati, populus ingratus, heredem, gloriæ Dominum, quem nouerant (quomodo enim diuinam eius maieſtatem ignorare poterant illi; apud quos tot tantiſque miraculis fulgebat) quaſi non cognitum in ligno extendunt?*

442. *Nunquam Dominum gloriæ crucifixiſſent.* Scilicet principes huius ſæculi, quæ dæmonum circumſcriptio eſt. Sed cur dæmones dicuntur Dominum gloriæ crucifixiſſe, cùm id homines præſtiterint? An, quia hominibus ſuggeſſerunt dæmones, vt Chriſtum crucifigerent? An, quia homines Deum cruci affigentes, deſideria diaboli perfecerunt?

Nunquam Dominum gloriæ crucifixiſſent. Iurè hîc aliquis quærat, cur *Dominum gloriæ*, Chriſtum vocauerit, de crucis ignominia agens. An, vt hoc nexu innueret id: PER CRVCEM AD GLORIAM CHRISTVM EVEHENDVM, vt humana in Chriſto natura, per quæ putabatur deiici, extolleretur? Denique non nudè *Dominum* dixit, quin adiecit, *crucifixiſſent*; nimirum tunc maximè Chriſtus Dominus gloriæ dici meretur, CVM CRVCEM PASSVS EST, PER QVAM VIDEBATVR EIVS GLORIA OBSCVRARI; vel Dominum gloriæ dicit non tam ſuæ quàm noſtræ, gloriam quippe æternam nobis promeruit dum crucem pro nobis ſubiit.

Sicut ſcriptum eſt: quod oculus non vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis aſcendit, quæ præparauit Deus iis, qui diligunt illum.

443. GLoriæ magnitudo his verbis ſignificatur; Feſtiuè Sanctus Auguſtinus in Pſalm. 85. vbi ad hunc locum ſpectans, ait: *Quicquid lucet in cælos, Stellæ, Sol, & Luna, non eſt hoc Deus: & quid eſt hoc? Solùm potui dicere quid non ſit, quæris quid ſit? quod oculus non vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis aſcendit.* QVID QVÆRIS VT ASCENDAT IN LINGVAM, QVOD IN COR NON ASCENDIT?

Quæ præparauit Deus diligentibus illum; Verba hæc ſi omnium mentibus inſiderent, aptiſſima excutiendo torpori, minuendoque labori. Iurè exclamat Beatus Laurentius Iuſtinianus cap. 14. de diſcipl. monaſt. conuerſat. *O ſi ſcirent mortales qualia & quanta ſint gaudia electis repoſita in cælorum conuiuio! O ſi Chriſto famulantes guſtarent, quæ præparauit Deus diligentibus ſe!* EXCVTERENT PRORSVS A SE OMNEM TORPOREM, OMNEMQVE MENTIS HEBETVDINEM ABIICERENT SINE MORA. *Quæ autem mens non ferueat deſiderio, non elangueat charitate, non repleatur exultatione, ſi recogitet diligenter delicias paradiſi, ſi humani ſpiritus futuram gloriam aſſiduè meditetur?*

Mirum hæc eadem verba producta amoris magnitudini ſignificandæ, quo amicus amicum complectitur. Produxit Sanctus Anſelmus lib. 1. epiſt. 50. *Idcirco,* inquit, *ſæpeſæpe ſcripta mea poſtulas vt quod in intima mente formatum pariter gerimus; in charta ſcriptum videas, videndo legas, legendo congaudeas: ſed quid ſi nec oculus vidit, nec auris audiuit, ſed ſolum in cor hominis aſcendit, quem affectum præparent* DILIGENTIA CORDA DILIGENTIBVS SE? 444.

Quæ præparauit Deus diligentibus illum. Quis ergò aut explicet, aut concipiat, quæ Deus concipienti ſe, ſeque gignenti Virgini præparauerit, ſi explicari nequeunt, quæ diligentibus præparauit? Pulchrè Beatus Thomas conc. 2. in Aſſumpt. Virg. *Quid de tuis deliciis dicam, ô Maria? ſi oculus non vidit, neque auris audiuit, neque in cor hominis aſcendit, quæ præparauit Deus diligentibus ſe,* QVOD PRÆPARAVIT GIGNENTI SE, *& proculdubio præ omnibus diligenti, quis loquatur?*

Dum diligentibus gloriam præparatam aſſerit, innuit dilectionem viam ad gloriam eſſe: quod ita expendebat Sanctus Auguſtinus de diligendo Deo cap. 1. *Audiamus libentiùs, inſpiciamus diligentiùs verba Apoſtoli, quibus ipſe duo oſtendit: ſcilicet quod cæleſtis gloria ineffabilis eſt, & quod ſit via quæ ducit ad vitam: ait enim: nec oculus vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis aſcendit, quæ præparauit Deus diligentibus ſe.* ECCE PER HOC QVOD DICIT DEVM PRÆPARASSE BONA DILIGENTIBVS SE, OSTENDIT QVIA DILECTIO VIA EST; QVA AD ILLA BONA PERVENITVR. 445.

Cur dictum ſit in cor hominis non aſcendere, quod Deus bonis præparauit, ſic expendit Sanctus Auguſtinus ſerm. 100. de diuerſ. *Quid eſt illud, quod ſeruat bonis? Quod oculus non vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis aſcendit. Quod enim in cor hominis aſcendit, infra cor hominis erat:* IDEO IN COR HOMINIS ASCENDIT, QVIA SVPRA ILLVD EST COR, QVO ASCENDIT. *Quod ſeruat bonis, cor illuc aſcendit. Non quod aſcendit in cor tuum; ſed quò aſcendit cor tuum, hoc tibi ſeruat Deus. Noli ſurdus audire: Surſum cor. Quod ergo oculus non vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis aſcendit. Oculus non vidit, quia non eſt color: auris non audiuit, quia non eſt ſonus: nec in cor hominis aſcendit, quia non eſt terrena cogitatio. Sic intelligite: Quod oculus non vidit, nec auris audiuit nec in cor hominis, aſcendit, quæ præparauit Deus diligentibus ſe.* Pulchrè ad hæc eadem verba Sanctus Baſilius homil. de Paradiſo: *Si oculus non vidit, quis eſt, qui hæc enarret?*

Si

Si auris non audiuit, quomodò tua excipiet? Si in cor hominis non aſcenderunt, quomodò illa mens noſtra capiet?

Nec in cor hominis aſcendit. Cum in cor hominis aſcendete nequeat, quod ſuis Deus præparauit, faciat quilibet, vt illuc corde aſcendat. Quod conſequuturus eſt, cogitet apud ſe, vt tanti præmij cogitatione ad magna excitetur, *Audiſtis modò*, inquit Sanctus Auguſtinus in Pſalm. 119. *cum Apoſtolus legeretur, Quod oculus non vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis aſcendit. In cor hominis non aſcendit?* COR HOMINIS ILLVC ASCENDAT.

Quæ præparauit Deus. Si tanta ſunt, quæ ſunt fidelibus præparata, vt nequeant verbis explicari, nec mente comprehendi: quid erit Deus ipſe, quàm ineffabilis eius natura, qui talia præparauit? *Si enim*, inquit Sanctus Baſilius lib. 5. aduerſ. Eunom. *Quæ præparauit Deus diligentibus ſe, nec oculus vidit nec auris audiuit, nec in cor hominis aſcenderunt, vt ſcriptum eſt: quantò magis eius ipſius Dei naturam, qui talia præparauit,* INEFFABILIOREM QVISPIAM DICAT EORVM, QVI PIE IN IPSVM ATQVE SIMPLICITER CREDVNT? Quod luculentiùs verſans Sanctus Auguſtinus ſerm. primo de verb. Apoſt. ait: *Legimus: Nec oculus vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis aſcendit, quæ præparauit Deus diligentibus ſe. Si igitur tanta & talia ſunt bona æterna Cæleſtia, quæ Dominus Omnipotens præparauit Sanctis ſuis, Catholicis & fidelibus populis:* QVID EST IPSE DEVS, QVI TALIA ET TANTA PRÆPARAVIT? *Quid eſt, inquam, Omnipotens Deus? Quid niſi inæſtimabilis, ineffabilis, incomprehenſibilis, vltra omnia, extra omnia, præter omnia? Omnem enim creaturam ſuam excedit omnem facturam præterit, vniuerſa præcellit: ſi enim quæras magnitudinem, maior eſt; ſi pulchritudinem, pulchrior; ſi dulcedinem, dulcior; ſi ſplendorem, fulgidior; ſi iuſtitiam, iuſtior; ſi fortitudinem, fortior; ſi pietatem, clementior: nulla enim ratio patitur, vt vel factura factori ſuo æquetur, vel opus artifici comparetur.* Ex his etiam verbis ipſius Creatoris incomprehenſibilitatem colligebat Sanctus Cyrillus Hieroſolymit. Catech. 6. *Oculus non vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis aſcendit, quæ præparauit Deus diligentibus ſe. Si ea, quæ præparauit Deus, mente noſtra comprehendi non poſſunt: nunquid ipſum, qui præparat,* ANIMO COMPREHENDERE POTERIMVS?

446. *Quæ præparauit.* Bona ineffabilia bonis præparaſſe Deus dicitur, cur non & malis mala? Nulla hîc pœnarum mentio. An quia peccator ipſe mala ſibi malis ſuis præparare videtur, & pœnas ſibi ſuis ſceleribus theſaurizare: Bonorum meminit quia hæc AD DIVINAM BONITATEM EXPLICANDAM magis faciunt.

Diligentibus ſe tot bona præparauit Deus, ne de nuda Dei notitia aliqui ſibi nimis blandirentur. Richard. Victorin. part. 1. de gradibus charitatis cap. 2. expendens producta Pauli verba, ait: *Audis diligentibus præparata, vt* DILECTIONIS BONA FORE NON AMBIGAS *in hac enim repoſita ſunt æternitatis deliciæ, & omnis cæleſtis ſuauitas. In hac ſunt Pax, Patientia, Longanimitas, & gaudium in Spiritu Sancto & quicquid iucundum in mente concipit, & vltra, hæc inquam præparaſti diligentibus te, ſed abſcondiſti timentibus te, donec charitas foras mittat timoris velamen, vt videre poſſint quàm magna multitudo dulcedinis tuæ, quæ etſi repleat, ſatiat nunquam.*

Bona hæc tam magna, quæ in cor hominis non aſcendunt, in pectoris pagina, ſpei miniſterio (vt ita loquar) depingenda monebat Fauſtus ad Ruricium epiſt. 7. *Habet*, inquit, *& interior noſter oculos ſuos, quibus ſe conſcientia teſtis introſpicit; quibus in ſe conuerſus aut erubeſcenda aut gaudenda conſideret; quibus diem vltimum peruidet; quibus vel confuſibilem, vel (Deo tribuente) laudabilem totius vitæ hiſtoriam ante animæ ſuæ faciem prouida in futurum cogitatione diſponit, & in præſentia trepidæ ſolicitudinis tempus reddendæ rationis adducit;* ET EA, QVÆ PARAVIT DEVS DILIGENTIBVS SE, IN SECRETA PECTORIS SVI PAGINA, SPE IMAGINANTE, DEPINGIT.

SECTIO II.

447 *In quo ſpiritus mundi à ſpiritu, qui ex Deo eſt, differat.*

Mundi ſpiritus ſpirituales homines minimè facit.

Ad cognoſcendas Chriſtianæ fidei diuitias Diuino opus eſt ſpiritu.

448 *Chriſtianæ doctrinæ ſublimitas vt collecta.*

Dei ſapientia fucata eloquentia ornamenta non habet.

449 *Spiritualia niſi Dei auxilio percipi non poſſunt.*

Spiritus per carnis diſciplinam carnem ipſam ad conditionem ſui quodammodo transformat.

450 *Carnalis hominis imbecillitati vt Deus conſuluerit carne ſe veſtiens.*

Sola anima ſaluti conſequenda non ſufficit.

451 *Diiudicare omnia cur ſpiritualis dicatur.*

Spiritualis omnia iudicat, quia ſuper omnia eſt.

Rectè iudicat, qui ſanctè viuit.

452 *Iudicium vſurpatorium eſt, quo carnales ſpirituales diiudicant.*

Ab homine non ſpirituali ſpiritualis homo iudicari cur non poßit.

Nos autem non ſpiritum huius Mundi accepimus; ſed ſpiritum, qui ex Deo eſt, vt ſciamus, quæ à Deo donata ſunt nobis.

SPIRITVM Mundi non acceperat Apo- 447.
ſtolus, qui Chriſti ſpiritu viuebat, mortuos erat Mũdo, viuebat Chriſto. In quo verò ſpiritus

Mundi

Mundi à spiritu, qui ex Deo est, differat, peritè nobis explicat S.Petr.Damian. serm.21. *Ille perfectus mandatorum Dei custos, securus aiebat. Nos, inquit, spiritum huius Mundi non accepimus, sed spiritum qui ex Deo est.* QVIS EST AVTEM SPIRITVS MVNDI? *Ille profectò est, qui suadet hominem Diuina præcepta contemnere, terrenis negotiis delectabiliter insudare, mundanæ dominationis culmen appetere, carnalis illecebræ passionibus turpiter subiacere, transitoriæ possessionis fines extendere, tumido superbiæ fastu super proximos iura potestatis ambire.* E CONTRA, SPIRITVS, QVI EX DEO EST, *quas replet, mentes ad cœlestia prouocat; &, expulso torporis & negligentiæ frigore, ad amorem Diuinum inflammat, petulantiæ carnis desideria reprimit, & liberum cor ab omni terrena delectatione suspendit. Ille reddit hominem ad despicienda prospera rigidum, ad aduersa superanda robustum: ille exhibet benè viuentibus humiliter subditum: ille obiicit prauè agentibus in iura libera auctoritatis erectum: ille, quem replet, prudenter inebriat, atque à sensu vitæ præsentis scienter alienat.*

Nos autem non spiritum huius mundi accepimus, sed spiritum qui ex Deo est.

ETiam mundus spiritum suum habet, sed quo spiritualis nemo fit; hinc colligebat S.Ephrem Syrus ex nominibus res non esse censendas, sed ex rebus nomina; sic ille loquitur tract. de diuina gratia: *Apostolus affirmat nos Dei spiritum habere, per quem omnia nouimus, non habemus spiritum mundi; quo quidem spiritu edocti sapientes Ægypti; nihil sciuerunt; neque mirandum, quod spiritum, etiam mundi spiritum appellarit: nam & homines, & bestiæ, animam habere dicuntur, non infert præiudicium gratiæ Dei, nomen: non enim ex nominibus censetur res, sed ex rebus nomina.*

Vt sciamus quæ à Deo donata sunt nobis. Vel ad nudam spiritualium donorum notitiam Spiritus Sancti auxilium necessarium est; *Profectò* inquit hîc Isidorus Clarius, AD AGNOSCENDAS CHRISTIANÆ FIDEI DIVITIAS, DIVINO OPVS EST SPIRITV; & hinc fit vt spiritualia dona à sæculi hominibus parui fiant, quia Dei spiritu carent, quo in eorum notitiam cognitionémque ferantur.

448. *Quæ & loquimur non in doctis humanæ sapientiæ verbis, sed in doctrina spiritus.*

SEd in doctrina spiritus. A doctore coniice doctrinæ sublimitatem. *Vides*, inquit hîc S.Chrysost, *quò nos deduxerit ab autoritate magistri, Tantum enim sumus nos illis sapientiores, quantum interest inter Platonem & Spiritum Sanctum. Illi enim externos oratores habent magistros: nos* AVTEM SPIRITVM SANCTVM.

Quæ & loquimur non in doctis humanæ sapientiæ verbis S.Greg. hæc Pauli verba versans l.18. Moral.c.27. ait: DEI SAPIENTIA DVM FVCATA ELOQVENTIÆ ORNAMENTA NON HABET, *quasi vestis sine tinctura placet. Quam fucationem tincturam benè Paulus despexerat: quum diceret: Quæ & loquimur non in doctis humanæ sapientiæ verbis, sed in doctrina spiritus. Malebat quippe hanc sapientiam sola puritate veritatis ostendere, non autem eloquij tinctione fucare.*

Animalis autem homo non percipit ea, quæ sunt spiritus Dei.

QVid mirū si animalis homo id non possit, cum, hoc nequeat spiritualis, nisi Dei auxilio? *Animalis homo*, inquit Luar. Inst. de cast. connub. c.5. *Non percipit ea, quæ Dei sunt, sed neque spiritualis, nisi diuinitus instruatur, aut per imagines & per exempla manuducatur pedetentim.* 449.

Animalis autem homo non percipit ea, quæ sunt spiritus Dei, ac si totus in carnē migrasset. E conuerso, spiritualis carne videtur expers, spiritualiū amore captus. *Sicut spiritus*, inquit S.Bernardin. serm 8. de Christo esur. art. 1. c. 2. *carni adhærens, conditiones carnis induit, & totus carnalis fit (de quo statu 1.Cor.2.14. Apostolus ait: Animalis homo non percipit ea, quæ sunt spiritus Dei) sic è contra*, SPIRITVS PER CARNIS DISCIPLINAM DEO INHÆRENS, *sic à Dei spiritu absorbetur, vt ita* SVPER CARNEM AD CONDITIONES SVAS MODO QVODAM TRANSFORMET.

Animalis autem homo non percipit ea, quæ sunt spiritus Dei. Vel carnalis hominis imbecillitati Deus cōsuluit, dum carne se vestiuit, caro factus est. *Carnalis homo*, inquit B. Bernard. serm. 3. in Natali Dom. *nō percipit ea, quæ sunt spiritus Dei.* SED IAM CAPIAT ET CARNALIS, QVIA VERBVM FACTVM EST CARO. *Si nihil præter carnem nouit audire, ecce Verbum caro factum est: audiat illud vel in carne. O homo, in carne tibi exhibetur sapientia illa quondam occulta: ecce iam trahitur de occultis, & ipsis sese ingerit sensibus carnis tuæ.* 450.

Animalis homo non percipit ea, quæ sunt spiritus, vt hinc colligas animam saluti consequendæ non sufficere; ita S.Chrysost. *Vt intelligatis* ANIMAM NOBIS AD RECTE FACTA NON SVFFICERE, *ne ad hoc quidem vt ea quæ dicuntur, percipere possimus, Animalis, inquit, homo non percipit ea, quæ sunt Spiritus; nam vt carnalem appellat eum, qui carni seruit, sic animalem appellat eum qui ratiocinationibus humanis cuncta permittit, neque spiritus afflatum recipit.* Sic ille hom. 2. de Prophetiæ obscuritate.

Spiritualis autem iudicat omnia. Dixit, *Omnia*, potiùs; quàm *Omnes*, ne durus & curiosus quis aliorum censor fieret, oblitus sui. Aliqui habent, *Diiudicat*, quod expendens S.Bernard. de Verb. orig. ait: *Mihi autem, inquit Apostolus, pro minimo est, vt à vobis iudicer, aut ab humano die: sed neque meipsum iudico. Nota sanè, quod alibi ait: Si nosmetipsos iudicaremus, non vtique iudicaremur. Et item: Spiritualis homo omnia diiudicat.* NON ENIM IVDICARE, HIC POSVIT, SED DIIVDICARE. *Quod vtique discernere & probare est, sicut item ait: Beatus, qui se non iudicat in eo, quod probat.*

Spiritualis autem iudicat omnia. Et quî iudicare omnia plenè & iustè potest? An, quia omnia, 451.
non sensibilia tantùm, sed etiam spiritualia examinat; omnia scilicet, quæ iudicāda sunt? S. Aug. lib. de Vera Relig. cap.31. de spirituali hæc habet: OMNIA IVDICAT, QVIA SVPER OMNIA EST, *quando cum Deo est. Cum illo autem est, quando purissimè intelligit, & tota charitate, quod intelligit, diligit.*

Sed quî omnia diiudicat? Si perfectè exerceat, quod scit. *Teste Apostolo*, inquit B. Laurentius

rentius Iustinian. de Regim. Prælat. cap. 17. *Spiritualis homo omnia diiudicat, & ipse à nemine iudicatur.* IVDICAT PROFECTO RECTE, SI SANCTE VIVIT, *si ambulas in spiritu, si virtutes tenet habitu, & exercet actu; nam sine virtutum experientia non valet præsul æstimare virtutes, neque in regimine esse perfectus.*

452. *Ipse à nemine iudicatur.* Et tamen nil frequentius, quàm spirituales à carnalibus iudicari: *sed hoc iudicium* (inquit B. Dionysius) EST VSVRPATORIVM *& falsum.* Iudicium istuc sine iudicio est, sine ratione.

Et ipse à nemine iudicatur. Itane à nemine, & quid frequentius, quàm de spiritualibus viris iudicium ferre non spirituales tanquam isti illorum iudices essent? S. Thomas ita rem explicat: *Ille qui non est spiritualis habet intellectum obscuratum, & affectum inordinatum, circa spiritualia bona, & ideo* AB HOMINE NON SPIRITVALI SPIRITVALIS HOMO IVDICARI NON POTEST, *sicut nec vigilans à dormiente*: quod si iudicetur, error potiùs est, quàm iudicium.

CAPVT III.

EPISTOLÆ PRIMÆ ad Corinthios expenditur & illustratur.

SECTIO I.

453 *Qui alios corrigunt, mitioribus vtantur verbis.*
Doctores iis sese aptent, quos alloquuntur.
Veritas aliquando supprimi potest: falsum dici non debet.
454 *Doctor iis se demittat, ad quos sermonem habet.*
Nullius salus desperanda, nullius profectus.
455 *Bibendi verbum perfectionem vt quandam claudat.*
Infirmi & imbecilles ad perfectiora paulatim inuitandi.
Ex inuidia sublimia non supprimat doctor, sed suorum imbecillitati sese accommodet.
456 *Non omnia apud omnes proferre Euangelicus doctor debet.*
457 *Notati, qui sub Christi vexillo sæculo militant.*
Cur zelus & contentio non nisi inter carnales homines reperiatur.
458 *Zeli & contentionis nexus.*
Inuidia contentionis materia.
459 *Qui alios corripit, referre vt peritum medicum debeat; & laudando palpare, quos correctionis ferro vult incidere.*
460 *Ambulare secundum hominem quid sit.*
Homo nouæ vitæ mores referens, plusquàm homo videtur.
Ab hominibus & à spe humana abduci se quisque sinat.
461 *Deos quosdam auditores suos esse Euangelicus doctor curet.*
Effert se super homines, qui vnitatem seruat & fouet.

Et ego, fratres, non potui vobis loqui quasi spiritualibus, sed quasi carnalibus.

NOn potui vobis loqui tanquam spiritualibus: Mitius loquitur, quam si dixisset, *non eratis digni, aut apti vt vobis spiritualia documenta traderem*; VT QVI ALIOS CORRIGVNT HINC DISCANT MITIORIBVS VTI VERBIS, ne eorum mentem exasperent, quos corrigunt. 453.

Sed tanquam carnalibus; ex quo discas Doctoris esse munus IIS SESE APTARE QVOS ALLOQVITVR, & ad auditorum captum sese demittere, vt paulatim ad maiora, altioraque vocet, & alliciat.

Non potui; vt hinc colligas supprimi quandoque vtiliter veritatem posse, licet falsum dicere licitum nunquam sit. Sanctus August. hoc ex isto loco ita deducebat in Psalm. 5. *Apostolus Paulus cum ait, non potui loqui vobis quasi spiritualibus, sed quasi carnalibus; vnde manifestum est, non esse culpandum*, ALIQVANDO VERVM TACERE: *falsum autem dicere, non inuenitur concessum esse perfectis.*

Tanquam paruulis in Christo, lac vobis potum dedi, non escam, nondum enim poteratis, sed nec nunc quidem potestis.

LAc vobis potum dedi. Aptans se nimirum illis, quos informabat; à quo abeunt, qui, alta dum docent, iactantiam fouent; non alienæ indigentiæ consulunt. *Vtinam*, inquit Gillebertus Abb. in Allegor. Tilm. ad hæc verba, *istud attendant, qui, facturi in conuentu fratrum sermonem,* STVDENT MAGIS ALTA QVAM APTA DICERE, *facientes apud infirmas intelligentias miraculum sui, non ipsorum salutem operantes. Erubescunt humilia & plana docere, ne sola hæc scisse videantur. Erubescunt vbera habere, nudare mammam, lactare paruulos. Quid istud est? Ideone consedisti in medio cathedram tenens,* VT SCIENTIAM IACTES? AN, VT TENERAM SVBDITORVM LACTES INFANTIAM? *Subtilia texunt artem, qui audiunt, mirantur, eloquentiam laudant: benè quidem, tamen si gratiam sentiunt, si se dispensante audientium mouetur affectus, intellectus instruitur: alioquin quid ad præsens negotium peregrina* 454

grina quedam adducere, qua auscultantes non capiant? Magna eloquentia laus est, causam quam susceperis, aptè exequi, ad cuius commodum cuncta referre, suscepto inseruire negotio.

Lac vobis potum dedi. Vides nullius salutem desperandam, nullius profectum, cùm igitur carnales essent aptum illis offerebat potum Paulus, vt paulatim crescerent, fortiori cibo fortiores effecti possent nutriri. Benè S. Augustinus in Psal. 38. *Non potui vobis loqui quasi spiritualibus sed quasi carnalibus: non tamen* DESPERANDIS SED NVTRIENDIS. *Sequitur enim tanquam paruulis in Christo lac vobis potum dedi non escam nondum enim poteratis. Ergo vel nunc dei. Sed neque adhuc quidem potestis.* Claudit & subdit: *Noli ergo festinare audire, quod non capis, sed cresce, vt capias.*

455. *Potum dedi*; Vult eos bibere, qui potum exhibet, in quo verbo quandam latere perfectionis imaginem notabat Clem. Alex. sic enim ille scribit lib. 1. Pædag. c. 6. *Quinetiam hoc verbum, Potũ dedi*, EST SYMBOLVM AC SIGNVM PERFECTÆ PARTICIPATIONIS. QVI ENIM PERFECTI SVNT, DICVNTVR BIBERE, INFANTES AVTEM SVGERE. *Sanguis enim meus, inquit Dominus, verus est. Nunquid ergo cùm dixit, Lac potum dedi, significauit perfectam in verbo lacte lætitiam, veritatis scilicet cognitionem? Quod autem deinceps subiungitur, Non cibum, nondum enim poteratis, euidentem qua erit in futuro sæculo reuelationem, instar cibi, facie ad faciem, potest significare.*

Nondum enim poteratis. Non simpliciter dixit, *Non poteratis*; sed, *Nondum*, vt innueret, se non desperare hùc venturos, & hùc eos hoc sermonis genere prouocare. Præclarè S. August. serm. 11. de Verb. Dom. *Quasi paruulis inquit* (Apostolus) *in Christo lac vobis potum dedi, non escam; nondum enim poteratis: sed nec adhuc quidẽ potestis. Vbi dicitur; Nondum, vel, Non adhuc,* PROFECTO NON DESPERATVR, *si eò tenditur, vt sit aliquando, quod nondum est.*

456. *Nondum enim poteratis.* Hæc proba doctoris regula, vt illorum ingenio, ad quos scribit, aut quos alloquitur, SESE ACCOMMODET: nec altiora afferat, quàm ferre auditorum imbecillitas possit. Nec enim quærere suam gloriam debet, auditorúmue laudes venari; sed omnia in aliorum fructum profectúmue dirigere.

Nondum enim poteratis: hoc istue adiecit, ne quis crederet ex inuidia natum, quod ea, quæ erant sublimia, silentio Paulus suppresserit. Benè S. Thomas hîc: *Nondum enim poteratis quasi diceret,* NON SVBTRAXI VOBIS ESCAM PROPTER MEAM INVIDIAM, sed propter vestram impotentiam, quia verba spiritualia nondum benè capere poteratis.

Nondum enim poteratis. Scilicet ferre; vt hinc videas in superæ doctrinæ mysteriis tradendis auditorum habendam esse rationem; Vt euangelicæ doctrinæ ministri, inquit hîc Estius, NON PROFERANT OMNIA APVD OMNES; *sed auditorum, quos nacti fuerint, ingenio ac modo sese vtiliter accommodent*; aliorum vtilitatem, non suam gloriam spectantes.

Nec nunc quidem potestis. Non ab omni eos spe deiicit; sed indicat futurum, vt possint, si Diuinæ gratiæ respondeant. quod habet etiam S. August. l. 1. ad Simp. q. 2. *Quod adiungit: Nec adhuc quidem potestis* (sic ipse legit) *ostendit* PROFICIENTES FVTVRVM *esse, vt possint; quia iam in eis spiritualiter renatis gratia fuerat inchoata.*

Nonarin. in Epist. Paul.

Adhuc enim carnales estis.

CArnales vocat, id est ad ea, quæ sunt carnis, affectu propensiue inclinati; dum ait *adhuc*, 457.
rectè eos increpat, quod non solùm antequam essent Christiani; sed cum diu sub Christianitatis titulo militarent Christo, adhuc tamen ea, quæ sunt carnis, saperent, carni hærerent, cum totos in spiritum par esset eos immigrasse. Hac nota pungi illi omnes possunt, qui diu sub vitæ spiritualis habitu cum vixerint, & sæculo repudium extimè dederint, adhuc tamen AD SÆCVLI MORES SE EFFORMANT SÆCVLVMQVE, vt ita loquar, CIRCVMFERVNT, quocumque feruntur.

Cùm enim sit inter vos zelus & contentio, non ne carnales estis, & secundùm hominem ambulatis?

SEd cur zelus & contentio nonnisi inter carnales homines reperitur? S. Thomas hîc: *Considerandum est, quod* ZELVS ET CONTENTIO NON HABET LOCVM NISI IN CARNALIBVS HOMINIBVS; *quia ipsi circa bona corporalia afficiuntur, qua simul à pluribus integrè possideri non possunt: & ideo propter hoc, quod aliquis aliquod bonum corporale possidet, alius impeditur à plena possessione illius, & ex hoc sequitur inuidia, & per consequens contentio. Sed spiritualia bona, quibus spirituales afficiuntur, simul à pluribus possideri possunt; & ideo bonum vnius non est alterius impedimentũ, & propter hoc in talibus nec inuidia nec contentio locum habet.* 458.

Zelus licet aliquando in bono sumatur, hîc sumitur in malo, & vitium significat, quo quis dolet, quòd bono potitur à se desiderato. Aliqui vertunt: *æmulatio, & contentio.* sic & Gal. 5. *Contentiones, æmulationes*; nec caret mysterio hic nexus; *Vt enim* inquit hîc Estius, HÆC FERE CONIVNCTA SVNT VITIA, *ita plurumque scriptura ea coniunctim enumerat*; æmulatio quippe contentionẽ parit, contentio æmulationẽ fouet.

Contentionem, & zelum posuit, quia hæc duo cognationem quandam inter se habent, & frequenter istuc vitium illius materia est; quod sic explicabat Sanctus Thomas. *Considerandum est, quod rectè coniungit zelum, & contentionem, quia zelus id est* INVIDIA EST CONTENTIONIS MATERIA; *inuidus enim tristatur de bono alterius, quod ille nititur promouere, & ex hoc nascitur contentio.*

Nonne carnales estis? Quos superiùs extulerat, nunc pungit. Nimirum, peritum Medicum refert: vulnus laudando palpauit, vt corripiendo feriret. Pulchrè S. Greg. lib. 24. Moral. c. 9. *Ecce Paulus Corinthios docens, eosque in culpa diuisionis aspiciens, exorsus est dicens: Gratias ago Deo meo semper pro vobis in gratia Dei, qua data est vobis in Christo Iesu: quia in omnibus diuites facti estis in illo. Multum profectò laudauit, quos in Christo diuites in omnibus dixit. Et ecce adhuc blandimenta multiplicat dicens: In omni verbo, & in omni scientia, sicut testimonium Christi confirmatum est in vobis. Testimonium Christi confirmatum est in vobis dixit, ac si opere peregissent, quod doctrina didicerant Et mox in laudis* 459.

consummatione subiunxit : Ita vt nihil vobis desit in vlla gratia , expectantibus reuelationem Domini nostri Iesu Christi. Quase te Paule, istis tot fauoribus iam, quò tendas, insinues. Et ecce paulo post sequitur : Obsecro vos autem, fratres , per misericordiam Domini nostri Iesu Christi, vt idipsum dicatis omnes, & non sint in vobis schismata : significatum est enim de vobis, fratres mei, ab his , qui sunt Chloes , quia contentiones inter vos sunt. De quibus contentionibus paulopost subdidit dicens : Cùm enim sit inter vos Zelus & contentio , nonne carnales estis , & secundùm hominem ambulatis ? Ecce quibus laudibus ad aperta correptionis verba descendit : ecce in corde audientium quàm blanda fauoris manu viam districta increpationis aperuit; priùs namque superborum brachia studuit per blandimentorum vincula religare , vt postmodum potuisset vulnus superbia FERRO CORREPTIONIS INCIDERE. *Erant profectò in Corinthiis & qua laudari debuissent, erant & qua argui.* PERITVS ITAQVE MEDICVS PRIVS SANA MEMBRA, QVÆ CIRCA VVLNVS ERANT , LAVDANDO PALPAVIT ; *& postmodum putridum sinum vulneris ferriendo transfixit.*

460. *Et secundùm hominem ambulatis.* Et cur non secundum hominem ambulet, qui homo est ? ET VERO AMBVLARE SECVNDVM DEVM DEBET, QVI SE VERE HOMINEM VVLT PROBARE. Ambulare secundum hominem, est affectus humanos , & qui carnem sapiant , in suis moribus ostendere.

Indignus hominis nomine est, qui secundùm hominem ambulat , idest affectus humanos , ac carnales vita , ac moribus prodit. Loquitur igitur de homine, quatenus nondum renouatus est, vt rectè innueret hominem NOVÆ VITÆ MORES REFERENTEM , omni vetustate posita ac repudiata Angeli mereri nomen , ANGELVM REFERRE , & quod est magis , Deum quendam esse.

Cum enim quis dicat : Ego quidem sum Pauli , alius autem : Ego Apollo. nonne homines estis?

EGo quidem sum Pauli ; Homines ab hominibus auocat , vt vocet ad Deum ; humana non vult nos spe pasci , sed diuina : *Cùm dicit,* inquit Sanctus Augustinus in Psalm. 93. *Vnusquisque vestrum , ego sum Pauli : alius, ego Apollo: alius autem, ego Cepha : nonne carnales estis, & secundum hominem ambulatis ? quid est autem Apollo ? quid est autem Paulus ? ministri Dei sunt , per quos credidistis. Ego plantaui, Apollo rigauit, sed Deus incrementum dedit.* VVLT ERGO ILLOS ERIGI A SPE , QVAM IN HOMINE POSVERANT , *& contingere spiritalia Christi : vt possent esse tuba cornea si* SVPERARENT CARNEM.

461. *Nonne homines estis ?* Et quid aliud esse volebat homines , quàm homines ? Volebat eos Angelos, ac deos quosdam vitæ sanctitate esse. Sanctus Augustinus serm. 11. de verb. Dom. hæc Pauli verba expendens aiebat : *Quos vtique vel* ANGELOS VEL DEOS ESSE CVPIEBAT , *quos arguebat , quia homines erant : idest in his contentionibus non qua Dei sunt ; sed ea , qua hominum sunt , sapiebant.* Eodem spectabat & tract. 1. in Ioannem , vbi hæc eadem verba sic excutiebat : *Cum dicitis , Ego sum Pauli , ego Apollo : nonne homines estis ? quid eos volebat facere, quibus exprobrabat, quia homines erant ? vultis nosse quid eos facere volebat ? audite in psalmis : ego dixi , Dij estis , & filij excelsi omnes.* AD HOC ERGO VOCAT NOS DEVS , NE SIMVS HOMINES. *Sed tunc in melius non erimus homines , si prius nos homines esse agnoscamus , Idest , vt ad illam celsitudinem ab humilitate surgamus : nè cum putamus nos aliquid esse , cum nihil sumus non solum, non accipiamus, quod non sumus, sed & amittamus quod sumus.*

Nonne homines estis? Homines erant, qui vnitatem secuerant, diuisionem plantauerant; efficit SE SVPER HOMINES , QVI VNITATEM SERVAT ET FOVET. Deos esse volebat, quos tanquam homines vilipendit.

SECTIO II.

462 *In ministrorum gloriam cedit , quod redundat in Deum.*
Iustificatio omnis soli Deo tribuenda.

463 *Dei ministri vt aliquid non esse dicantur.*
Qui aliquid magnum à sacris tractatoribus expectat , Deum adeat.

464 *Dei ministri concordiam maximè foueant.*
Dei minister secundùm suum laborem accipiet ; non secundùm laboris fructus.
Laboris nomine cur opus significatum.

465 *Supremus iudex non opus sed laborem respicit.*
Quo sensu Dei ministri , Dei adiutores dicantur.

466 *Dei agricultura Deique simul ædificium cur fideles dicantur.*
Ab arrogantia vt abesse superior debeat.
Superædificandi verbo, non ædificandi cur vsus Apostolus.

467 *Varia vita spiritualis instituta.*
Super Christi fundamentum iustitia opera locanda.
Fabrica spiritualis fundamentum in cœlo , vt ad cœlum ædificemur.

468 *Vt Christus simul & Apostoli fundamentum dicantur.*
In firmo Christi fundamento firmus quilibet esse potest.

Quid

Quid igitur est Apollo, quid verò Paulus? Ministri eius, cui credidistis, & vnicuique sicut Dominus dedit.

462. V*Nicuique, sicut Dominus dedit* vt nullus sibi quicquam adscribat; sed totum Deo tribuatur, à quo totum accipiunt ministri, quicquid in suis peragunt ministeriis. *Extenuat gloriam ministrorum*, inquit Estius, *vt Deo vendicet suam*, nisi quod & in ministrorum gloriam cedit, quod ad Dei gloriam facit. Vbi aliquid sibi aliquis adscripserit, non inficit tantùm quod fecit, sed minus, quam fuisset, Deo adscriptum, efficit; quæ à sole lumen accipiunt, tenebris magis obscura reddunt se, quò magis se à solis conspectu subducunt. Idem & verius hîc fit.

Itaque neque qui plantat, est aliquid, neque qui rigat: sed, qui incrementum dat, Deus.

SOlus Deus est aliquid, imò est totum: alij, ministri sunt; & in eo, quod ad iustificationem spectat, non sunt aliquid. Petitè S. August. lib. aduers. Petilian. *Administrandum & dispensandum verbum ac Sacramentum est aliquid: ad mundandum autem* ET IVSTIFICANDVM NON EST ALIQVID; *quia hoc non operatur in interiore homine, nisi per quem creatus est totus homo; & qui, Deus manens, factus est homo; ille scilicet, de quo dictum est: Fide mundans corda eorum, & Credenti in eum qui iustificat impium.*

463. *Neque qui plantat est aliquid, neque qui rigat.* Dei ministros deprimit vt ad Deum nos ducat; non sunt aliquid quia exteriùs tantùm operantur *rigando, & plantando ad operationem Dei qui interius operatur*, inquit hîc S. Thomas. Et verò nō sunt aliquid etiam ministri? NON SVNT ALIQVID ait idem Sanctus Doctor, ALIQVID *scilicet principaliter & magnum*, *de* QVO SIT GLORIANDVM. In hominibus gloriari homines non debent, sed in Deo.

Cum neque qui plantat, sit aliquid, neque qui rigat, sed qui incrementum dat Deus, hinc fit vt qui aliquid magnum, ac sublime à sacris tractatoribus expectat adire Deum debeat; certè ad eum sic suos auditores transmittebat S. Augustinus tract. 53. in Ioannem. *Quia transire ad alia vestra expectatione non sinimur nisi aliquid inde dicamus, accipite quod potuerimus: & vbi vestra expectationi non sufficerimus*, AB ILLO INCREMENTVM POSCITE QVI NOS PLANTARE *posuit & rigare: quia sicut dicit Apostolus, neque qui plantat est aliquid, neque qui rigat, sed qui incrementum dat Deus.* & serm. 4. de verbis Apostoli paulò aliter rem versat: *Nos loquimur, sed erudit Deus: nos loquimur sed Deus docet. non enim beatus dictus est quem docet homo sed quem tu erudieris, Domine, nos plantare possumus & rigare*, SED DEI EST INCREMENTVM DARE, *qui plantat, & qui rigat, forinsecus operatur: qui verò dat incrementum, intus opitulatur.* S. Hieronymus hunc eumdem locum sic sibi aliisque aptabat epist. 8. quæ est ad Demetriadem. *Sed & nostra oratio dabit aliquid emolumenti. Equorum cursus fauore pernicior fit; pugilum fortitudo clamoribus incitatur: paratas ad prælium acies, strictosque mucrones; sermo Imperatoris accendit; igitur & in opere præsenti auia quidem, materque plantauerunt. Sed & nos rigabimus*; & DOMINVS INCREMENTVM DABIT

Qui autem plantat, & qui rigat vnum sunt.

AMbo vnum sunt; quia, licet duo sint ministri, eodem tamen spectant: nempè, ambo, tanquam vnum, laborem suum ad incrementum, quod à Deo est, dirigunt. *Sernit hic locus*, inquit hic Estius, EXHORTANDI AD CONCORDIAM, *ipsis etiam ministris, vt qui cogitare debeant, sese inter se vnum esse.* vnius Dei gloriā spectantes, & proximorum salutē ac profectum. Atque adeo maximè abeunt à suo munere Dei ministri, qui cum inter se concordiam seruare debeāt; aliis dissentdiarum authores sunt, & in partes illos diducunt, qui vnum erant. 464.

Vnusquisque autem propriam mercedem accipiet secundùm suum laborem.

MInistros, quos vnum dixerat, in labore discriminat atque etiam mercede: ita tamen, vt res non ab ipsis iudicetur, sed Dei iudicio relinquatur. Signatè autem dixit, vnumquēque accepturum secundùm proprium laborem non secundùm laboris fructum; quia nimirū is non est in ministri potestate, sed Dei, vt monuit etiam Estius hîc, cuius hæc sunt verba. *Apostolū dicere*, VNVMQVEMQVE MINISTRVM ACCEPTVRVM MERCEDEM SECVNDVM EFFECTVM SEV FRVCTVM SVI LABORIS: SECVNDVM SVVM LABOREM. *Nam fructus laboris nō est in potestate ministri, sed, solius Dei dantis incrementū. Quare, etiamsi fortè nullus ex ministerio fructus sequatur, plenam mercedem sui laboris accipit minister.*

Qui superiùs dixerat neque qui plantat esse aliquid, neque qui rigat: hîc asserit sua quemque mercede donandum: *ne inutiliter plantasse, aut rigasse* credatur, vt loquitur S. Thomas, nullus sine mercede apud Deum labor, qui Deum spectet; nimirum ministros vt depresserit supra, horum præmium, ac mercedem hîc exprimit, quæ ab hac parte maior vnicuique dabitur, quò se quisque minorem existimabit.

Secundùm suum laborem. Notant interpretes hîc *laboris* nomine OPVS significari, quod plerūque sine labore non fiat; hocque accipiendum est de OPERE, quod charitas animat, ex cuius pondere operis, laborisque valor, & quod est consequens merces ipsa desumenda est.

Secundùm suum laborem. Cur non potiùs, *secundùm opus*? Quia Deus laboris maximè rationem habet, quem etiam effectu & fructu viduum viduum mercede esse non sinit. Rem egregiè versat Theodoretus hîc: *Non simpliciter & absolutè secundùm opus, sed* SECVNDVM LABOREM OPERIS. *Hic enim sæpè offert ducentos seruatori cum magna facilitate: ille autem, cùm plurimum laboris susceperit, vnum vel duos ab errore liberat. Hoc autem, & in ieiunio & in temperantia videre licet. Hic enim à natura adiutus, absque vllo labore exercet continentiam: ille verò (vt cum qua natura belligeratur) cum multis laboribus id,* 465.

quod desiderat, assequitur. Et hic quidem, qui est calidioris temperatura, cum maxima molestia expectat vesperam: ille autem etiam duorum & trium dierum inediam absque vllo magno labore patitur. QVAMOBREM IVSTVS IVDEX, NON OPVS, SED LABOREM RESPICIT.

466. Fideles, Dei agriculturam, Deique ædificium Apostolus vocat. Sed quid agricultura ad ædificium? *In rebus huius Mundi visibilibus* (inquit Sanctus Augustinus in Psalm. 66.) *vitis non est ædificium, &* ÆDIFICIVM NON EST VINEA *Nos autem* VINEA *Domini sumus, quia colit nos ad fructum:* ÆDIFICIVM *Dei sumus; quia, qui colit nos, habitat in nobis.*

Secundùm gratiam Dei, quæ data est mihi, vt sapiens architectus fundamentum posui: alius superædificat.

CVI gratiam Dei sibi datam asserit? An quia dicturus de se aliquid erat, quod faciebat ad eius laudem? Pulchrè Estius: *Quia dicturus erat aliquid pertinens ad suam laudem, ne sibi* ALIQVID ARROGARE *videretur, præoccupat lectorem dicens: secundùm gratiam Dei, quæ data est mihi.*

Alius autem superædificat. Quid est *superædificare*? Cur non simpliciùs dixit, *Ædificat?* An, quia doctrinæ & fidei ædificio opera superstruenda sunt? Vt verò semper ædificatur Ecclesia, sic semper superædificandi tempus & locus est. Scitè ille: *Quia* ECCLESIA SEMPER ÆDIFICATVR, *ideoque primæ ædificationi oportet alios succedere: propterea se, qui primus fuerat, architectum vocat; alios, superædificantes; maximè quia de fundamento fidei benè collocando præcipuè fuerat ipsi laborandum.*

Fundamentum enim aliud nemo potest ponere præter id, quod positum est, quod est Christus Iesus.

467. AC si diceret; variari quidem superædificatio potest, quia non vnum est vitæ institutum, nec vnum viuendi genus; fundamentum variari non potest, alioquin ad fundamenti mutationem tota fabrica rueret, & in nihilum abiret; ex quo colligas posito eodem fundamento variari superædificationem posse, nec aliquem aliorum debere institutum vitæ damnare, ac reiicere.

Audis ex Pauli mente Christum fundamentum esse; quid hinc colligimus, nisi huic fundamento bona opera superstruenda? *Ideo Paulus,* inquit Sanctus Ambrosius lib. 1. offic. cap. 29. *fundamentum posuit Christum, vt* SVPER EVM OPERA IVSTITIÆ LOCAREMVS; nec enim solum remanere fundamentum debet; imponenda illi totius fabricæ moles.

Fundamentum est Christus. Sed, cum in fabricis in imo fundamentum sit, quî exercere hoc munus Christus potest, qui est ad dexteram Patris in Cœlo? Vt verum illud de terrenis & casuris ædificiis sit, non est de spiritali perpetuoque perpetuum. Acutè, vt solet, Sanctus Augustinus in Psalm. 121. *Dicit Apostolus Paulus: Fundamentum aliud nemo potest ponere præter id, quod positum est, quod est Christus Iesus. Fundamentum quando ponitur in terra, desuper ædificantur parietes; & pondus parietum ad ima tendit, quia in imo positum est fundamentum.* SI AVTEM FVNDAMENTVM NOSTRVM IN CÆLO EST, AD CÆLVM ÆDIFICEMVR. *Corpora ædificauerunt istam structuram, quam videtis amplam surrexisse, huius basilicæ: &, quia corpora ædificauerunt, fundamentum in imo posuerunt. Quia verò spiritaliter ædificamur, fundamentum nostrum in summo positum est. Illuc ergo curramus, ibi ædificemur.*

Ædificij spiritualis spirituale fundamentum est Christus; dicuntur & Apostoli, ac prophetæ, sed secundariò & ratione istius primi. Sanctus Thomas, ita rem explicat: *Dicitur Apoc. 21. Murus Ciuitatis habens fundamenta duodecim; non ergo solus Christus est fundamentum. Dicendum est autem, quod duplex est fundamentum; vnum quidem quod per se habet soliditatem sicut rupes aliqua supra quam ædificium construitur, & huic* FVNDAMENTO CHRISTVS COMPARATVR. *Aliud fundamentum est quod habet soliditatem non ex se, sed ex alio solido subiecto sicut lapides, qui primò supponuntur petræ solidæ, &* HOC MODO DICVNTVR APOSTOLI ESSE FVNDAMENTVM ECCLESIÆ. 468.

Iesus est fundamentum: firmus erit, qui huic fundamento innititur. Peritè Sanctus Augustinus in Psalm. 103. *Fundamentum, inquit* (Apostolus) *nemo potest ponere, præter quàm quod positum est, quod est Christus Iesus. Ibi ergo firmati sumus. Meritò, quia ibi firmati, non inclinabimur in sæculum sæculi: nihil enim firmius isto fundamento.* INFIRMVS TV ERAS, SED FIRMVM FVNDAMENTVM TE PORTAT. IN TE FIRMVS ESSE NON POTENS: FIRMVS ERIS SEMPER, SI AB ILLO FIRMO FVNDAMENTO NON RECEDAS.

SECTIO III.

474 *Extremus iudicij dies cur dies Domini dicatur.*

475 *Doctorum exemplum facilè in alios tranſit.*

Conflagrationis ignis vt nihil moleſtiæ iuſtis ſit allaturus.

Si quis autem ſuperædificat ſuper fundamentum hoc, aurum, argentum, lapides pretioſos, ligna, fœnum, ſtipulam, vniuſcuiuſque opus manifeſtum erit.

469. *AVrum, argentum*; Per eos, qui res pretioſas ſuperædificant illi ex aliorum ſententia intelliguntur, qui ſecundum modum huius vitæ perfectam iuſtitiam aſſequuti ſunt, *Quorum animus*, inquit Eſtius, *non ita* REBVS TERRENIS, ATQVE TEMPORALIBVS AFFICITVR, *quin ſine dolere poſſint ea amittere, qui ſunt habentes tanquam non habentes*; ſic nimirum apud Deum tunc nobilior fabrica conſurgit, cum terrenorum amor euertitur, & temporalium rerum cupiditas deſtruitur.

Aurum, argentum, lapides pretioſos. Sanctus Petrus Damianus lib. 7. epiſt. 6. hæc Pauli verba ita explicat: *Quid per aurum, argentum & lapides pretioſos, niſi* ROBVR ET ORNAMENTA VIRTVTVM? *Quid verò per ligna, fœnum & ſtipulas, niſi fragilitas innuitur vitiorum? Attende ergo, vt* ÆDIFICIVM, QVOD IN TE FIT, *non ex fragili ſit materia, quæ flammis eſſe poſſit obnoxia, quæ ventis iſſit impellentibus ruitura. Lignum planè, fœnum & ſtipulas facilè poteſt vorax flamma conſumere: aurum verò vel argentum ſiue lapides pretioſi neſciunt incendio ſubiacere.*

470. *Aurum, argentum*; Multi ſanctitatis ſunt gradus, variæ viæ ſalutis, diuerſæ perfectionis ſemitæ, qui per vnam ire ad Chriſtum non poteſt, aliam eligat; aut vt loquitur Sanctus Chryſoſtomus, qui eò peruenire nequit vt aurum referat, referat argentum; hæc Sancti Doctoris verba in Pſalm. 44. *Hac ratione dicit Paulus, ſi quis ædificat ſuper fundamentum hoc, aurum, argentum, lapides pretioſos; non potes eſſe* PRETIOSVS LAPIS? ESTO AVRVM: NON POTES ESSE AVRVM? ESTO ARGENTVM. *Solum perſiſte in fundamento.*

Ligna, fœnum, ſtipulam. Vt ſuperædificantes intelliguntur Doctores; ſic locum iſtum bonæ notæ interpretes ad doctrinam coarctant, quæ fundamento tectæ, ac ſanæ fidei ſuperſtruitur; Vnde ligna, fœnum, ſtipulamque fundamento huic ſuperimponit, *Qui* CVRIOSA MAGIS, QVAM VTILIA AFFERT, *ac vana quadam oblectatione mentes occupat Chriſtianas, vt contingit illis, qui plus æquo ſtudent ornatus ſermonis*; quod hic Eſtius notabat. Quod illorum mentibus debet altè inſidere, qui inanem auditorum plauſum quærentes in ſacris concionibus dictionum floſculos ſectantur, obliti illius quod eſt præcipuum, ſalutis animarum.

Fœnum, ſtipulam. Gradus quidam in his verbis elucet, vt deterius ſit ædificare fœnum, & ſtipulam, quàm lignum; ita ferè accidit, vt MALVM NISI SISTATVR SEMPER GRANDIVS FIAT, & in deteriora pergat, qui culpæ leuiori non ſtatim occurrit. 471.

Hæc Pauli verba, quæ propriè de doctrina, & prædicatione intelliguntur ad actiones alias transferebat Sanctus Ephrem, & ſignatè pœnitentiæ illa in hunc modum aptabat: *Verè dixit Paulus, quod qui ſuperædificat ſuper fundamentum ligna, fœnum ſtipulam, detrimentum patietur: & non ſolum de prædicatione hæc ait Paulus; ſed etiam de actionibus: neque ſolum de doctrina, verùm etiam de pœnitentia. Fœnum vacuum eſt, & inane. Siquis igitur non firmiter pœnitentiam egerit, ſtipula eſt.* LIGNA *ſunt, quæ in aquis fluitant, & in ſuperficie manent. Si quis ergo non firmiter ad pœnitentiam acceſſerit, lignum exiſtit; & non ſolum abiicitur talis: ſed etiam in igne (inquit) comburetur. Quid ita? quia & multos impediuit, & Deum illudere cogitauit. Seipſum autem, &* EX FERRO AVRVM FACIT, QVI VERE POENITENTIAM AGIT; *rurſuſque ex ligno petram, & quãdo legitimè reſipuerit, ſeipsũ ex mortuis excitat, & è tenebris lux efficitur.* Sic ille de Pœnitentia.

Quinam ſunt, qui ligna, fœnum ſtipulamque ſuper fundamentum habent? quinam illi, qui aurum, argentum, lapideſque pretioſos? Rem luculenter habet Sanctus Auguſtinus in Pſ. 80. 472.
Sunt alij, qui rebus infirmitati conceſſis inhærent aliquantum dilectione. Non rapit vitam alienam; ſed ſic amat ſuam, vt, ſi perdiderit, conturbetur. Non totum cor ſurſum leuat, ſed aliquam partem eius trahit in terram. Denique, ſi veniat tentatio martyrij, illi, QVI HABENT IN FVNDAMENTO CHRISTVM, ET ÆDIFICANT AVRVM, ARGENTVM, LAPIDES PRETIOSOS, *quid dicunt ex hac opportunitate? Bonum eſt mihi diſſolui, & eſſe cum Chriſto. Alacres currunt, aut nihil, aut modicè de terrena fragilitate contriſtantur. Illi autem amantes res proprias, domos proprias, grauiter conturbantur; fœnum & ſtipula & ligna ardent. Habent ergo ligna, fœnum, ſtipulam ſuper fundamentum; ſed rerum conceſſarum, non illicitarum. Dico enim, fratres: Poſſides fundamentum? habe Cælo, calca terram. Si talis es, non ædificas niſi aurum, argentum, & lapides pretioſos. Cum autem dixeris: Amo poſſeſſionem iſtam: timeo ne pereat, & imminet damnum, & tu contriſtaris; non quidem præponis eam Chriſto: nam, ſi ſic amas poſſeſſionem iſtam, vt, ſi dicatur tibi: Ipſam vis, an Chriſtum? & ſi triſtis eam perdis, plus tamen amplecteris Chriſtum, quem poſuiſti in fundamento; ſaluus eris tanquàm per ignem. Alius aliud: Non potes tenere poſſeſſionem iſtam, niſi dixeris falſum teſtimonium, & hoc non facere, Chriſtum in fundamento ponere eſt. Veritas enim dixit: Os, quod mentitur, occidit animam. Ergo, ſi poſſeſſionem tuam diligis, non tamen propter illam facis rapinam, non propter illam dicis falſum teſtimonium, non propter illam facis homicidium, non propter illam falſum iuras, non propter illam Chriſtum negas: eò quod non propter illam facis hæc, Chriſtum habes in fundamento. Sed tamen, quia diligis illam! & contriſtaris, ſi perdas illam; ſuper* FVNDAMENTVM POSVISTI NON AVRVM NON ARGENTVM NON LAPIDES PRETIOSOS; SED LIGNVM, FOENVM, STIPVLAM.

Saluus ergo erit, cum ardere cœperit, quod ædificasti; sic tamen quasi per ignem.

473. *Vniuscuiusque opus manifestum erit.* Scilicet in die iudicij; & non etiam nunc est manifestum? non apparet quodnam opus aurum referat, aut stipulam? Minimè; plerique fœnum superædificare videntur, qui superædificant aurum, plerique lapidem pretiosum videntur superimponere, qui ex vero non aliud quam lignum, aut fœnum: in illorum numero sunt qui in rebus temporalibus, & terrenis ita se se efferunt vnum Deum spectantes, sicque actiones corporeas & terrenas, spirituales, & cælestes reddunt: in istorũ verò numero sunt, qui in rebus spiritualibus ita terrenorum cura distenduntur, vt inficiāt ea, quæ faciunt, & in infimum rerum ordinem, quantum in ipsis est redigant; in terrenorum censum dimittentes, quæ spiritualia sua natura erāt. Præstat hîc sistere, quæ habet S. Thomas ad hæc verba: *Quidam* VIDENTVR SVPERÆDIFICARE AVRVM, ARGENTVM, LAPIDEM PRETIOSVM, QVI TAMEN SVPERÆDIFICANT LIGNVM, FOENVM, STIPVLAM, *in rebus spiritualibus corporalia meditantes, puta lucrum vel fauorem hominum; quidam verò videntur superædificare lignum, fœnum, stipulam, qui tamen ædificant aurum, argentum, & lapidem pretiosum quia in administratione temporalium nihil nisi spiritualia cogitant.* Ex quibus hoc quoque colligas non esse facile de aliorum GESTIS IVDICANDVM, cum errare tam obuium sit, quàm est occultum quod in hominis mente delitescit.

Dies enim Domini declarabit, quia in igne reuelabitur.

474. NOnne omnes sunt dies Domini? cur igitur hoc titulo donatur extremus? An quia dies quoque hominis dicitur in quo homo suam voluntatem contra Deum explet, tunc verò sola diuina voluntas implebitur? Ita hîc philosophatur S. Thomas: *Sciendum est, quod tunc dicitur esse tempus, & dies alicuius rei, quando est in optimo statu, & maximo sui posse. Vnde & Eccl. 3. dicitur omnia tempus habent; quando ergo homo suam voluntatem implet, & contra Deum, tunc est dies hominis. Vnde dicitur Hier. 17. Diem hominis non desideraui, tu scis. Dies verò Domini dicitur quādo voluntas Domini completur de hominibus qui per eius iustitiam vel præmiabuntur, vel damnabuntur.*

Frequens in diuinis litteris est, vt per *diem Domini* tempus extremi iudicij intelligatur; hic igitur dies opus vniuscuiusque manifestum faciet, nec id quomodocunque, sed adhibito seuero, & exacto operum examine, *quia in igne reuelabitur*, scilicet dies ille, adeo vt per ignem notissimum omnibus fiat illum diem esse Domini, in quo mundum iudicare statuerit.

Et vniuscuiusque opus, quale sit, ignis probabit.

475. MIrum quod de doctoribus agens, ad cæteros transitum faciat. *Facilis est responsio*, inquit Estius, *de* CÆTERIS HOMINIBVS EANDEM ESSE RATIONEM, *quam de doctoribus sicut enim doctores fundamentum superædificant doctrinam, ita cæteri fideles in seipsis quodammodo superædificant bonas, aut malas actiones igne similiter explorandas.* Denique A DOCTORIBVS TRANSIRE AD ALIOS FIDELES POTVIT, cum facile quæ in doctoribus cæteri vident, etiam faciant, & multum in aliis valeat doctorum exemplum.

Quæ de igne hîc habet Paulus de igne conflagrationis plerique intelligunt; sed nunquid molestiæ aliquid ignis ille iustis afferet, & mundatis? Non afferet; nam vt ait Eucherius Lugdunensis hom. 5. de Epiph. *Illic iusti velut per amœnos gurgites incendiis naturam suam mutantibus transmeabunt, intacta ignibus corpora* IPSIS HONORIFICANDA POENIS, QVIA NON SVNT ONERATA PECCATIS; qui malis erit ad supplicium bonis erit ad honorem; Addit: *Sic trium puerorum fides, atque iustitia tenebrosos non sensit ignes, sed* STVPENDA REFRIGERIA *in medio camini æstuantis inuenit.* Tanti refert qualis quisque sit, qui flammis obsidetur; idem aptes iis, qui tribulationis igne ambiuntur; malos & ægre ferentes cruciat, bonos, & bono animo ferentes non lædit, sed honorat, & magis honorabiles ostendit.

Ignis probabit. Elias Cretensis in 8. S. Gregorij orationem hunc locum scita similitudine expendebat his verbis: (*Vniuscuiusque opus, quale sit ignis ille probabit*) *per translationem porrò ab improbis nummis τὸ κίβδηλον hoc est adulterinum desumptum est. Quibus Athenienses, Chiorum odio, hanc literam X, inscribebant: ac digito pulsante, è sono, tinnitu, quis probus, quis improbus, & adulterinus esse coniectabant.*

SECTIO IV.

476 *Dei Ecclesia, propriè Dei templum, licèt non sint omnes fideles.*
Virtutes, templi spiritualis materies.
Templum Dei sumus, si benè facimus: templum Dei non est, vbi multitudo vitiorum.

477 *Quid præstandum nobis, vt Dei templum referamus.*
Templum Dei quinam destruere dicantur.

478 *Per homines, non per alios, verbum suum cur Deus ministrari velit.*
Corpori parcendum, tanquàm templum Spiritus Sancti.

479 *Templi sacri aditua & antistes, pudicitia.*
Spiritus Sanctus in nobis habitare cur dicatur, non hospitari.

480 *Verus obediens nihil discernit, nihil diiudicat ex his, quæ ipsi fuerint imperata.*
Sapiens stultitia, terrena contemnere.
Tantò ampliùs quis intus stultus fit, quantò magis conatur exterius sapiens videri.

481 *Sapientia Mundi quænam dicatur.*
De rebus huius Mundi nemo glorietur.

482 *Hominis*

482 *Hominis dignitas vnde collecta.*
483 *Auditorum ſunt doctrinæ theſauri, qui in doctoribus.*

Neſcitis, quia templum Dei eſtis, & ſpiritus Dei habitat in vobis.

476. EX eo quod per Spiritus Sancti dona in nobis Spiritus Sanctus habitat, ſequitur vt Dei templum dicamur, & ſimus: quod ſi vitia, & peccata in aliquo ſint, ſatanæ delubrum dicetur, non templum Dei. Cur igitur, inquies, vniuersè Corinthios Dei templum vocat? *Illud obſerua*, ait Eſtius hîc, *Paulum hic non alloqui ſingulos fideles: tanquam vnuſquiſque ſcire debeat ſe eſſe templum Dei. Sic enim potius dicendum erat: Neſcitis quia templa Dei eſtis? Sed compellat Eccleſiam fidelium; quam omnes ſcimus ac ſcire debemus eſſe templum Dei*: LICET NON OMNIA EIVS MEMBRA SIC VIVANT, VT TEMPLA DEI VOCARI POSSINT.

Templum nos Dei aſſerit eſſe: ſed quænam huius *ædificij materia?* inquit Sanctus Theodorus Studita ſerm. 55. catech. Et reſpondet: VIRTVTVM PVNCTIO. Erigi ſpiritualis ædificatio nequit, ſi hæc deſit materia.

Templum Dei eſt, qui benè operatur, virtutibus ornatus eſt: nam alioquin, ſi vitiis refertus eſt, dæmoniorum domus ac delubrum eſt. Sanctus Valerianus homil. 11. *Audite Apoſtolum dicentem: Vos eſtis templum Dei, ſi tamen ſpiritus Dei habitet in vobis.* TEMPLVM PROFECTO DEI SVMVS, SED QVVM BENE FACIMVS. *Si ergo templum Dei eſt homo, neceſſariò Dei eſt, quod habemus in templo. Sed hæc bonis diximus.* VERVM NON EST DEI TEMPLVM, VBI CONVENIT MVLTITVDO VITIORVM: *nam, vbicunque crimina porriguntur, ibi diabolus dominatur: ad illum ſcilicet reſpicit pompa diuitiarum, qui ſibi in magna domo vindicat principatum. Nos procuratoris loco fungimur: ſi aliquid lucri fecerimus, refertur ad Dominum: ſi damni, refertur ad procuratoris exitium.*

477. Quanti ſit Dei templum nos eſſe, & quid præſtandum nobis, vt verè Dei templum referamus, aptè explicat Elias Cretenſis in Orat. 1. Sancti Gregorij Nazianzen. *Quantum autem & quale ſit*, DEI TEMPLVM, *atque ipſius domicilium eſſe, norunt, qui Diuino beneficio iſtud conſequuti ſunt. Nam, ſi magnum eſt, ſanctum templum ingredi, atque ad ſacra adyta penetrare; quantò tandem illud maius eſt, Dei templum fieri? Ac quidem ſenſibile hoc templum cæleſti ſimile eſt: &, quemadmodum illic nulli aduerſariorum ingredi licet: ſic etiam hic profanis omnibus & impuris aditus obſeptus & interclusus eſt. Quin* NOS QVOQVE DEI TEMPLVM EXISTIMEMVS, SI IMPROBAM OMNEM COGITATIONEM EX ANIMO EIICIAMVS, *ſi mentis ſedem diabolicis operationibus clauſam atque intutam reddamus.*

Qui ſe Dei templum eſſe cogitat, nihil cogitat, nihil præſtat, quo templum iſtuc violetur. Audiri hîc debet Sanctus Auguſtinus ſerm. 210. de temp. *Si verum eſt, immò quia verum eſt, quod dicit Apoſtolus, quia templum Dei ſumus, & ſpiritus Dei habitat in nobis; quoties aliquod peccatum aut cogitando aut loquendo aut etiam operando perfecimus*, TEMPLVM DEI DESTRVIMVS; ET EI, QVI IN NOBIS HABITAT, INIVRIAS IRROGAMVS. *Et ideo, ſi quis in ſe templum Dei ante turpibus cogitationibus ſordidauit, aut luxurioſo ſermone polluit, vel quibuſcunque criminibus fortè iam vſque ad fundamenta deſtruxit, dum tempus eſt, cum Dei adiutorio ſtudeat reparare perdita, erigere lapſa, deſtructaque conſtruere.*

Cum templum Dei homines dicantur non mirum ſi non per Angelos, ſed per homines Dei verbum prædicetur: Sanctus Auguſtinus. *Et poterant vtique*, inquit, *omnia per Angelum fieri, ſed abiecta eſſet humana conditio*, SI PER HOMINES HOMINIBVS VERBVM SVVM DEVS MINISTRARE *nolle videretur. Quomodo enim verum eſſet, quod dictum eſt: Templum enim Dei ſanctum eſt, quod eſtis vos, ſi Deus de humano templo hominibus tradi vellet, de* CÆLO ATQVE PER ANGELOS *perſonaret?* Sic ille de doctrina Chriſtiana lib. 1. initio. 478.

Vtile quoque eſt, quod hinc elicit Sanctus Cyrillus Hieroſolymitanus catech. 4. *Non ego hæc dico, ſed Paulus Apoſtolus hæc dicebat: Neſcitis, quod corpora veſtra, templa ſunt Spiritus Sancti, qui in vobis habitat?* PARCE ERGO CORPORI TANQVAM TEMPLO SPIRITVS SANCTI, *Non fœdes in fornicationibus carnem, ne polluas ſtolam pulcherrimam. Quòd ſi polluiſti, ablue per pœnitentiam; nunc enim tempus eſt abſolutionis.*

Templum & domum Dei nos eſſe aſſerit Apoſtolus, vt vel ab hoc capite probè quis ſe cuſtodiat, ne templum Dei violet. *Nunquid tu vis*, inquit Sanctus Auguſtinus ſerm. 34. de diuerſ. *euerti* DOMVM TVAM? *Sic nec Deus ſuam, hoc eſt teipſum. Si tibi non parcis propter teipſum,* PARCE TIBI PROPTER DEVM, *qui te fecit templum ſuum. Templum inquit Dei ſanctum eſt, quod eſtis vos. Et qui templum Dei corruperit, corrumpet illum Deus.*

Templum Dei nos vocat Apoſtolus; &, quia vocat, ſumus. Sed quis templi æditiuus, quis cuſtos? Æditiuam vocat pudicitiam Tertullianus de cultu fœm. cap. 1. *Cum omnes*, inquit, *templum ſimus Dei, illato in nos & conſecrato Spiritu Sancto, eius* TEMPLI ÆDITVA ET ANTISTES PVDICITIA *eſt, quæ nihil immundum nec profanum inferri ſinat; ne Deus ille, qui inhabitat, inquinatam ſedem offenſus derelinquat.* 479.

Spiritus Dei habitat in vobis: Expendens hæc verba Caietanus hæc habet: *Declarat, quod ſunt templum Dei ex hoc, quòd ſpiritus Dei habitat in illis. Et non dicit*, HOSPITATVR? *ſed habitat*, AD SIGNIFICANDVM, QVOD PER MODVM HABITANTIS SPIRITVS SANCTVS EST IN ECCLESIA FIDELIVM; *vtens ſcilicet animis eorum ad vſus ſpirituales, ſicut habitans in domo vtitur ea ad proprios vſus.*

Si quis videtur inter vos ſapiens eſſe in hoc ſæculo, ſtultus fiat; vt ſit ſapiens.

SEnſus eſt: ſi quis inter vos ſapiens reputatur, aut reputat ſe ſapientiæ vtique ſeculari, quæ vera ſtultitia apud Deum eſt, ſtultus fiat in Chriſtiana doctrina; quæ ipſa eſt ſapientia, licet ſtultitia 480.

titia incredulis videatur. Ioannes Cassianus hanc prudentem stultitiam maximè requirebat in superiorum imperiis excipiendis, vt scilicet non curiosè inuestigarentur, aut expenderentur, sed cum simplicitate perficerentur: sic ille scribit lib. 4 de instit. Renuntiant. cap. 41. *Hoc præ omnibus excole; idest vt stultum te secundùm Apostoli sententiam, facias in hoc mundo, vt sis sapiens, nihil scilicet* DISCERNENS, NIHIL DIIVDICANS, EX HIS QVÆ TIBI FVERINT IMPERATA; *sed cum omni simplicitate, ac fide obedientiam semper exhibeas, illud tantummodo sanctum, illud vtile, illud sapiens esse iudicans, quidquid tibi vel lex Dei, vel senioris examen indixerit.*

Stultus fiat vt sit sapiens. Sapientem hanc stultitiam in terrenarum rerum contemptu, in voluptatum corporearum, in omnium, quæ carnem mulcent, ambitionem fouent, superbiam nutriunt, fuga sitam esse, notabat Euseb. Gallican. hom. in die Pentecostes, vbi ait: *Stultus fiat vt sit sapiens, an non videtur aliquantis stultus homo, quando amore salutis suæ & cælestis tremore iudicij, vitiis impletus diuersa vita huius* OBLECTAMENTA, *quæ solebat* AMBIRE, *refugit, quæ solebat congregare, contemnit, imò per sinus pauperum, seminantis more dispergit?* AFFLVENTIA *affenditur,* INEDIA *pascitur, ieiunius delectatur, corde humiliatur, habitu mutatur; affectorem prodigum despiciens, & spem auidus sequens* DIMITTIT *quod possessione tenet, & quærit cogitatione quod non videt, animum cœlo inserens quod amauit, odit, studet velle quod noluit.*

Sapientia enim huius Mundi, stultitia est apud Deum.

481. EGregiè ad hunc locum Sanctus Gregorius lib. 18. Moral. cap. 25. *Quia, teste Paulo, sapientia huius Mundi stultitia est;* TANTO QVISQVE AMPLIVS INTVS STVLTVS FIT, QVANTÒ CONATVR EXTERIVS SAPIENS VIDERI.

Sapientia huius Mundi stultitia est apud Deum. Si sapientia stultitia est, quid erit apud Deum stultitia ipsa, qua mundus ipse suos infatuat, & rapit extra se? *Dicitur autem* SAPIENTIA HVIVS MVNDI, QVÆ PRINCIPALITER MVNDO INNITITVR, *nam illa quæ per res mundi ad Deum attingit, non est sapientia mundi, sed sapientia Dei*; inquit S. Thomas hîc.

Nemo itaque glorietur in hominibus. Omnia enim vestra sunt.

482. CVm nemo in hominibus gloriari debeat, nec debet in se gloriari, quia & ipse homo est; & nocentior est ista gloriatio, quò magis inglorium hominem reddit, hominemque rapit extra se, infra se eum locat. Addit: *Omnia enim vestra sunt*, vt sit sensus inquit S. Thomas, *sicut homo non gloriatur de rebus sibi subiectis, ita &* VOS GLORIARI NON DEBETIS DE REBVS HVIVS MVNDI, *inter quos ponit primò ministros Christi, qui sunt diuinitus ordinati ad ministerium fidelium.* Vt abeant extra suos limites, qui se super alios ferunt, & in iis ministeriis intumescunt, in quibus maximè exercenda homilitas esset.

483. *Omnia enim vestra sunt.* Non terrena duntaxat, sed & Cœlestia. *Perpendisne,* inquit ad hæc verba Beatus Laurentius Iustinianus serm. de Eucharist. *quam* HONORABILITER SVBLIMATVS SIT HOMO, CVI VNIVERSA SVNT TRADITA: *Cœlum, tellus, maria, flumina, elementa; & omne, quod graditur super terram, ex illa gignitur, aut spirat in lymphis, vel viuit in cœlis, vt sunt Angeli, Archangeli, Virtutes, Principatus & Potestates. Vniuersa hæc hominum saluti, & præcipuè prædestinatorum inseruiunt; tametsi spirituale ex his ignorent elicere commodum.*

Omnia enim vestra sunt. Atque adeò non tam doctorum sunt, quæ doctores suis tradunt, quàm auditorum. *Porrò autem*, inquit Sanctus Chrysostomus ad hunc locum, *hîc quoque dicit: Omnia vestra sunt.* DOCTORVM DEPRIMENS FASTVM ET ARROGANTIAM; ET OSTENDENS, QVOD NON SOLVM EIS NIHIL DONANT; NEC GRATIFICANTVR; SED QVOD ETIAM IPSI ILLIS DEBENT HABERE GRATIAM: *propter ipsos enim tales facti sunt, sed & gratiam acceperunt. Sed, quoniam futurum erat, vt ipsi quoque gloriarentur, propterea hanc quoque excidit ægritudinem dicens: Vnicuique sicut Deus dedit; &: Deus incrementum dedit, vt neque illi sibi placerent, vt qui præberent; neque hi propterea quod audissent: Omnia vestra sunt, rursus efferrentur: nam, etsi propter vos, à Deo tamen factum est vniuersum.*

CAPVT IV.

EPISTOLÆ PRIMÆ ad Corinthios expenditur & illustratur.

SECTIO I.

484 *Ecclesiasticorum conuersatio & modestia qualis.*
Dispensatores, cur sacri ministri dicantur.
Humana laus vilipendenda.
485 *Totus lux esse debet, qui alios iudicaturus est.*
Dies humanus, humanum iudicium cur dicatur.
486 *Nemo ex toto sibi credat suæque conscientiæ.*
Quid cras sit aliquis futurus nescit.
Temerè alij iudicandi non sunt.
487 *Supremus iudex quàm subtiliter nostra discutiet.*
Nemo facilè confidat, mundum se habere cor & à peccato immune.
488 *Perfecta pœnitentia vulnera, vulnerumque vestigia delet.*
Deus in iudicem eligendus, etsi non esset; quia fragilitati nostræ ignoscit.

489 *Occulta*

489 *Occulta iudicare quàm importunum.*

Notati, qui de alienis factis sententiam temerè proferunt & cunctgant.

490 *Temerè Diuina inuestiganda & excutienda non sunt.*

491 *Consilia cordium cur in die iudicij manifestanda dicantur.*

Vnicuique bonorum sua laus in iudicio.

492 *Vera laus, quæ à Deo.*

Nunc laudis quærendæ tempus non est.

493 *Ab omni inuidiæ & odij vmbra fideles absint.*

Sic nos existimet homo vt ministros Christi, & dispensatores mysteriorum Dei.

484. NIMIRVM tanta modestia præditus esse sacerdos, Deique minister debet, vt vel ex habitu exteriori colligi queat, qualis intus ille sit. *Minister Christi*, inquit Sanctus Bernardus de Tripl. iudic. *sic debet* CONVERSARI, VT EX MORIBVS EXTERIORIS HOMINIS, QVI VIDETVR; *existimetur compositio interioris animi, qui non videtur.*

Et dispensatores. Ne sine vllo delectu omnia omnibus offerant, & proiiciant potiùs, quàm dispensent. DISPENSATORES DICIT, inquit hîc S. Chrysostomus, *ostendens*, QVOD NON OPORTEAT OMNIA DARE OMNIBVS.

Mihi autem pro minimo est, vt à vobis iudicer, aut ab humano die: sed neque meipsum iudico.

MIhi autem pro minimo est, vt à vobis iudicer. Nimirum, homine maior est iudicandus, qui hominum nihili iudicia facit; & deprimit se apud se, licet apud homines ab hominibus efferatur. Præclarè Beatus Laurentius Iustinianus serm. de Eucharist. *Mihi, inquit Apostolus pro minimo est, vt à vobis iudicer, aut ab humano die; sed neque meipsum iudico. Qui autem iudicat me, Dominus est. O mens sancta, sapientia referta, & humilitate decorata*, QVÆ, HVMANAM VILIPENDENS LAVDEM, DIVINO, SE DEIICIENDO, SVBDEBAT EXAMINI. *Nihil fauorabilem loquentium populorum æstimabat gloriam, nolens super defluentem aquam cœlestis ædificij fundamenta locare.*

485. *Aut ab humano die.* Cur hoc adiecit Apostolus? *Ne putarent*, inquit S. Thomas hîc, *quod dixerat, dici in eorum contemptum, ac si eorum iudicium despiceret, quasi vilium personarum, subiungit, aut ab humano intellecta, qui est dies hominis.* Hîc autem dies, in quandam vertitur noctem, si, quæ in aliorum corde latent occulta, temerè velit iudicare.

Aut ab humano die. Hominum iudicia humanum diem vocat. Nimirum TOTVS LVX ESSE DEBET, QVI IVDICATVRVS ALIOS EST, ET ABSQVE NOCTE. Vt verò dies æqualiter omnibus & sine discrimine nascitur, sic iudicis gratia æqualiter in omnes sese effundere debet absque vllo personarum discrimine.

Aut ab humano die. Sanctus Hieronymus, & alij cum illo, *humanum diem* interpretatur humanum iudicium quomodo & dies Domini pro iudicio Dei frequenter accipitur. Estius hîc. *Ratio phraseos est*, inquit, *quia reis* DIES DICI SOLEAT AD SISTENDVM SE IVDICIO; Indicatur etiam, eum qui de aliis iudicium est daturus, referre diem debere, adeò vt ab omni vitiorum nocte longè absit.

Sed neque meipsum iudico. Cur istuc Apostolus addiderit, pulchrè explicat Beatus Bernardus Epist. 42. vbi ait: *Cum Apostolus diceret: Mihi pro minimo est, vt à vobis iudicer, aut ab humano die, adiecit: Sed nec ego me ipsum iudico. Quare? Quoniam non possum, ait ratam vel ipse de me proferre sententiam. Ego enim nihil mihi conscius sum, non tamen in hoc iustificatus sum.* NON EX TOTO CREDO ME VEL IPSI CONSCIENTIÆ MEÆ; *quippe cum ne ipsa quidem queat me comprehendere totum: nec potest iudicare de toto, qui totum non audit. Qui autem iudicat me, Dominus est. Dominus, inquit, cuius vtique scientiam non effugit; sententiam non subterfugit etiam, quod propriam latet conscientiam.* 486.

Sed neque meipsum iudico. Cur non te iudicas Paule? An quia nemo se bene nouit? *Quoniam & ego ipse*, inquit ad hæc verba S. Augustinus serm. 17. de diuersis, *ex aliqua parte* QVID NVNC SIM POSSVM SCIRE, QVID CRAS FVTVRVS SIM NESCIO: sola stabilis instabilitate, quis ergo sibi fidat, sibi credat, cum non crediderit Apostolus?

Neque meipsum iudico. Qui seipsum iudicare nequit, quomodo alios iudicabit? Quis præsumat alieni cordis secreta penetrare, qui sua non penetrat? Paulus non satis se sibi notum fatetur: & NOS ALIENI CORDIS SCRVTATORES ESSE AVSV TEMERARIO VOLEMVS?

Nihil enim mihi conscius sum: sed non in hoc iustificatus sum.

VErè ita est. Plerunque in iudicis examine sordet, quod splendere extrinè videbatur; 487.
cùm subtiliùs nostra discutiat Deus, quàm nos discutiamus. Ex productis Apostoli verbis id colligebat Sanctus Gregorius lib. 5. Moral. cap. 8. *Paulus, cum diceret: Nihil mihi conscius sum, protinus adiunxit: sed non in hoc iustificatus sum, qui causam mox, cur non sit iustificatus, insinuans, ait: Qui autem iudicat me, Dominus est, ac si dicat: Idcirco in eo, quòd nihil mihi conscius sum, iustificatum me abnego; quia ab eo, qui me iudicat,* EXAMINARI ME SVBTILIVS SCIO. *Dissimulanda ergo sunt, quæ exteriùs suadent: reprimenda, quæ interiùs perstrepunt: declinanda, quæ quasi necessaria inuoluunt; & tamen in his omnibus adhuc districti examinis flagella metuenda; quia & ipsa nostra perfectio culpa non caret, nisi hanc seuerus iudex in subtili lance examinis misericorditer penset.*

Nihil enim mihi conscius sum; Non penitùs suæ

suæ credit conscientiæ Apostolus, & plura de se notitiæ suæ subduci timet, quę à diuino oculo, & videantur, & damnentur, & nos innocentes nos ipsos putabimus, quorum conscientiam multa crimina mordent, passiones multæ lancinant? Benè Sanctus Chrysostomus rem vrgebat serm. 6. qui est in terræmotum, sic enim ille nos pungebat: *Nihil mihi conscius sum: sed non in hoc iustificatus sum:* QVI TALEM TANTAMQVE VIRTVTVM MVLTITVDINEM ACQVISIERAT, *ait, qui autem iudicat me, Dominus est, quis ergo* GLORIABITVR CASTVM SE HABERE COR: *aut quis confidet* MVNDVM SE ESSE A PECCATO? Eodem ferè spectabat Petrus Blesensis epistol. 118. vbi ait: *Paulus quem Christus sibi vas electionis effecerat, licet diceret, nihil mihi conscius sum: non tamen arbitrabatur se iustificatum.* ET QVIS CONFIDAT SE HABERE COR MVNDVM, *qui de immundo conceptus est semine, & qui conuersatur in mundo plene spurcitiis peccatorum?*

488. *Nihil enim mihi conscius sum.* Mirum erit hoc dicat qui alibi se omnium peccatorum primum appellabat, & Ecclesiæ Dei persequutorem. An dicere istuc potuit cum perfecta pœnitentia, quam perfecerat omnia crimina deleta iam essent, &, quod est maius ipsorum criminum cicatrices, vulnerumque vestigia ablata? Nobis succinit Vgo Victorinus annot. in Psalm. cap. 46. vbi ad hæc verba spectans ait: *Qui autem post perpetrata scelera, & peccandi affectum deserunt, & reatum peccati plena satisfactione obducunt, ab iis etiam ipsa vulnerum* VESTIGIA DISCESSERVNT. *Sic sanctus erat Paulus, qui post tanta mala dicebat. Nihil mihi conscius sum. Quia nimirum præteritorum* VVLNERVM IN SE NE SIGNA *quidem inuenire poterat, quem de anteacta prauitate conscientia non accusabat.*

Qui autem iudicat me, Dominus est.

DEum non veretur iudicem Paulus: gaudet tali iudice: eligeret, si non haberet, qui nimirum ita occulta videt, vt nostræ quoque ignoscat imbecillitati. *Pulcherrimè*, inquit Sanctus Ambrosius in Psalm. 38. *eum iudicem elegit, qui nulla fraude fallatur; & eum nec occulta prætereant, nec infirma nostra conditionis lapsus offendat: qui* FRAGILITATI NORIT IGNOSCERE.

Itaque nolite ante tempus iudicare, quoadvsque veniat Dominus, qui & illuminabit abscondita tenebrarum, & manifestabit consilia cordium.

489. NOlite ante tempus indicare. Extra opportunitatis limites est iudicium istuc, quod fit ante tempus. *Ait Apostolus*, inquit Sanctus Augustinus serm. 6. de diuers. *Nolite ante tempus quicquam iudicare, idest: Ne temerè iudicetis, quod non videtis quo corde, quid fiat. Si aliquid fit, quod & bono corde fieri potest, noli reprehendere: noli tibi amplius, quàm humanitas exigit vsurpare.* COR VIDERE, DEI EST: HOMINVM AVTEM NON EST, NISI DE HIS, QVÆ MANIFESTA SVNT IVDICARE. *Nolite ergo, inquit, ante tempus quicquam iudicare.*

Nolite ante tempus iudicare; Si iudicium damnatur, quod extra mentem ipsam non exierit: quid hîc illi, qui temerè ALIENA FACTA IVDICANT, ET SENTENTIAM SVAM PROFERVNT, ET EVVLGANT, ac ad par iudicium eum tanto proximi præiudicio alios non solum prouocant, sed velut cogunt? quas pœnas apud Deum iudicem satanici isti iudices subibunt?

Non esse temerè Diuina inuestiganda, & excutienda ex his Pauli verbis colligebat Sanctus Chrysostomus homil. de Otat. Annæ, dum inquit: *Quid ais homuncio? Conseruum te iudicare non permisit Paulus sic inquiens: Nolite ante tempus iudicare, donec veniat Dominus;* ET DOMINVM IN IVDICIVM TRAHIS, ET GESTORVM EXIGIS RATIONEM, *& nec horres nec expauescis?* 490.

Ante tempus; Modo iudicandi non est tempus, expectandus dies, nunc est nox, in alterius cor alter videre nequit; Appositè Sanctus Augustinus in Psalm. 100. huc spectans: *Nox est, apparebit dies, apparebit iudicium. Itaque nolite ante tempus quicquam iudicare, quid est ante tempus? ante diem, audi quia ante diem dixerit: Donec veniat Dominus, qui & illuminet abscondita tenebrarum, & manifestet cogitationes cordis, & tunc laus erit vnicuique à Deo. Nam* MODO QVAMDIV NON VIDES COR MEVM, ET NON VIDEO COR TVVM, NOX EST. *Nescio quid ab homine petisti, non accepisti, contemni te putas, & forte non contemneris, cor enim non vides, & citò blasphemas, in nocte danda est tibi venia erranti. Diligit te homo nescio quis, & putas quia odit te: aut odit te, & putas quia diligit te. Sed quodlibet sit, nox est, noli timere, præsume in Christo, in illo habete diem.*

Illuminabit abscondita tenebrarum; idest interprete Sancto Thoma faciet ea manifesta, *quæ occultè in tenebris facta sunt.* Addit: id esse intelligendum de iis, *quæ non sunt per* POENITENTIAM TECTA. 491.

Cur *consilia* potius dixit, quàm *cordis cogitationes?* An vt innueret tunc manifestum omnibus facturum, *quo* CONSILIO, *quo fine, & intentione*, inquit Estius, *quisque fecerit opera sua etiam in specie bona.*

Et tunc laus erit vnicuique à Deo.

ET *tunc laus erit vnicuique.* Itane vnicuique? nunquid laudis mercede gaudebunt mali, qui opprobrio sepelientur æterno? VNICVIQVE BONORVM, inquit Sanctus Thomas, *laus erit*, mali alieni ab omni laude erunt, quia neglexere præstare laudabilia. Et Estius: *Vnicuique bono, & laudem merenti tunc laus erit, non tantùm apud homines sed apud Deum, atque ab ipso Deo.* Boni etiam ab hominibus laudabuntur; sed hominum laus respectu Dei parui facienda est. Sic ille.

A Deo; Signatè istuc adiecit, vt veram laudis notam innueret, *Quæ quidem* LAVS, eiusdem Sancti Thomæ verba sunt, VERA ERIT, *quia Deus nec decipi, nec decipere potest.* Homines plerumque eos laudant, qui nullam merentur laudem, & adulatoriis blanditiis iis imponunt, quos mulcent. 492.

Tunc laus erit; Tunc dixit, vt innueret NVNC

LAVDIS

LAVDIS QVÆRENDÆ non eſſe tempus; licet enim laudabilis hic aliquis ſit, ſtatim à laudis merito vitæ mutatione poteſt excidere, tunc laudis erit tempus, cum in probitate ſua immobilis & ſtabilis probus erit.

Hoc autem fratres transfiguraui in me & Apollo propter vos.

493. VT ſit ſenſus; quæ hucuſque dixi de magiſtris, in qoibus gloriamini, alius in illo, qoodam ſchemate in me tranſtuli & Apollo, ſed ſub his alios volo intelligi humanæ ſapientiæ ſectatores, quotum gratia io factiones eſtis diuiſi. Sed cur hos nos nominat? *Noluit nominare*, inquit hîc Sanctus Thomas, *ne videretur* EX ODIO, VEL EX INVIDIA *contra eos loqui, ſed loco eorum poſuerat nomen ſuum, & aliorum bonorum prædicatorum*; vt hine appareat, qoam ab omni inuidiæ odiique vmbra alieni eſſe fideles debeant, & præcipuè aliorum Doctores, ſacrique verborum diuinorum tractatores, alioquin prædicationis vim retuodent, ſi aliquo inuidiæ næuo notabiles videantur.

Ac ſi diceret bæc quæ dixi in me ipſum tranſtuli, & Apollo; me & Apollo magiſtros nominaui, quorum gratia in factiones diuiſi fueritis; ſed cur hîc quoque Cepham non recenſuit? *Cepham*, inquit Eſtius, *honoris causâ reticet; ſed ſub his alios volo intelligi humanæ ſapientiæ ſectatores; quos pudori veſtro conſulens nominare volui.*

S E C T I O II.

494 *In Dei donis ne ſuperbus ſit aliquis nec ingratus.*

Nemo de ſe præſumat, quia omnia bona à Deo ſunt.

495 *Timendum, ne Deus à ſuperbo auferat, quod humili dedit.*

Vana gloria veritatis fundamento caret.

496 *Qui de aliquo gloriatur, tanquàm ſuum eſſet, à Deo furatur, quod Dei eſt.*

Ab inuidia vt immunis eſſet Paulus.

Vt omnes Chriſtiani regnare dicantur.

497 *Vir aduerſa fortiter ferens, dignum Dei ſpectaculum.*

Spectaculum bonis & malis Angelis vt ſimus.

Angeli boni ad ſpectaculum noſtræ paſſionis vt conueniant.

498 *Sanctus Stephanus Angelis & hominibus ſpectaculo vt fuerit.*

Tota Chriſtiani vita tolerantiæ deſtinata.

499 *Filios ſuos cur eos, ad quos ſcribebat, diceret Paulus.*

In ſpiritali generatione omnia Deo tribuat Dei miniſter.

500 *In eo imitari ſuperiores ſubditi debent, in quo illi Chriſti imitatores.*

Homo vt ad ſui imitationem Deum inuitet.

501 *Peccatum neſcit ſtare: ab vno ad plures ſerpit.*

Erga errantes proximos plus manſuetudinis quàm rigoris exercendum.

Virga quid apud Apoſtolum ſignificet.

502 *In Virga erudiri quàm errantibus neceſſarium.*

Correctionis virga cur charitati opponatur.

Patrem ſe exhibeat, qui peccantes corrigit & punit.

503 *Semper animo gerat charitatem & manſuetudinem ſuperior.*

Maxima charitas eſt errantes corrigere.

Quid autem habes, quod non accepiſti?

QVid autem habes? Non negat nos habere: negat nos habere à nobis, vt ſimul & ad grattarum actionem alliceret, & à ſuperbia auocatet. Sanctus Auguſtinus in Pſalm. 85. *Arguens ſuperbiam Apoſtolus, non ait, Non habes; ſed ait: Quid enim habes, quod non accepiſti? Non arguebaris; quia dicebas te habere, quod non habebas; ſed, quia ex te tibi volebas eſſe, quod habebas. Immò & habere te agnoſce, & ex te nihil habere;* VT NEC SVPERBVS SIS, NEC INGRATVS. *Dic Deo tuo: Sanctus ſum, quia ſanctificaſti me: quia accepi, non quia habui: quia tu dediſti, non quia ego merui.* 494.

Quid autem habes? Verba euertendæ ſuperbiæ apta: pulchrè ad hunc locum Sanctus Paſchaſius Rathbertus lib. 7. in Matth. Apoſtolus ait: *Quid habes, quod non accepiſti? Propterea* NEMO PRÆSVMAT *de ſe; quia nihil habes ex ſe, niſi ſola delicta*, quæ præſumptionem omnem euertere debent. Huc flectebat & Sanctus Auguſtinus tract. 14. in Ioannem cap. 3. vbi ait: *Intelligat homo gradum ſuum, & confiteatur Deo, & audiat Apoſtolum dicentem homini ſuperbienti & elato, & extollere ſe volenti, quid enim habes quod non accepiſti, quid gloriaris quaſi non acceperis? intelligat ergo* HOMO QVIA ACCEPIT, QVI VOLEBAT SVVM DICERE QVOD NON EST EIVS, *& minuatur: bonum eſt enim illi vt Deus in illo glorificetur, ipſe in ſe minuatur, vt in Deo augeatur.*

Quod non accepiſti, Omnia accepimus, dedit omnia Deus, qui auferre etiam poteſt, ſi ſuperbos nos videat illorum donorum occaſione, qui humiliores nos, dimiſſioreſque debebat reddere; idem Sanctus Auguſtinus in Pſal. 25. ita ſcribebat: *hoc Apoſtolus dicit alio loco hominibus ſuperbientibus & volentibus ſibi tribuere quod Dei eſt, & de bono ſic gloriari quaſi de ſuo, hoc eis dicit: Quid enim habes quod non accepiſti?* QVI DEDIT HVMILI AVFERET SVPERBO? QVIA QVI DEDIT, POTEST AVFERRE. 495.

Si autem accepisti, quid gloriaris, quasi non acceperis?

496. QVid gloriaris quasi non acceperis. Incipit inglorius esse qui gloriatur ex eo, quod à se non habet, sed à Deo, adeo à gloria abest qui ita gloriatur, vt infamis fur audire incipiat. *Verbum Apostoli est*, inquit B. Laurent. Iustinian. quæst. de incendio diuini amoris cap. 10. *Quid habes quod non accepisti? si autem accepisti, quid gloriaris, quasi non acceperis? si de aliquo gloriaris, quasi illud à teipso acceperis*, ET NON A DEO, FVRARIS DEO QVOD NON EST, *honorem alterius tibi rapis. Te in alienam gloriam præsumptuosè intrudis.*

Quasi non acceperis. Istuc, quod hîc additur, sic expendebat S. Bernard. tract. de dilig. Deo: *Non ait simpliciter: Quid gloriaris? sed addit: Quasi non acceperis, vt asserat reprehensibilem, non qui in habitis; sed qui tanquam in non acceptis gloriatur. Meritò*, VANA GLORIA, NVNCVPATVR HVIVSMODI, VERITATIS NIMIRVM SOLIDO CARENS FVNDAMENTO: *veram enim gloriam ab hac ita discernit. Qui gloriatur, ait, in Domino glorietur, hoc est in veritate; veritas quippe Dominus est.*

Sine nobis regnatis, & vtinam regnetis, vt & nos vobiscum regnemus.

SIne nobis regnatis. Aliqui vertunt; *regnum adepti estis*. Pacianus: *sine nobis regnare cœpistis* sensus autem est: Iam inter Corinthios, tanquam magistri inter discipulos, velut regnum adepti summam dignitatem vobis vendicatis, nobis interim à regni vestri societate exclusis. Addit? *& vtinam regnetis*; ac si diceret regnum vobis adeo non inuidemus; sed optamus. *Ne videatur Apostolus*, inquit S. Thomas, EX INVIDIA HOC DICERE, *subiungit vtinam regnetis.*

Vt & nos vobiscum regnemus. Et quî multi regnare possunt Benè Catharinus: *Nam in vero Christiani status regno* REGNANT OMNES; *quia amoris vinculo charitas ligat omnes, & neminem excludit, nisi qui non obtemperant Ecclesiæ.*

Spectaculum facti sumus Mundo, & Angelis, & hominibus.

497. SPectaculum facti sumus. Spectaculum se dicit factum Mundo, & Angelis, & hominibus Apostolus. Virum aduersa fortiter patientem dignum Dei spectaculum ab externa schola vocauit Seneca lib. de Prouident. cap. 2. *Ecce* SPECTACVLVM DIGNVM, *ad quod respiciat intentus operi suo Deus, vir fortis cum mala fortuna compositus.*

Quod ad malos etiam, sed cum discrimine, extendit Guarricus Abbas serm. de Script. Sanc. vtilit. dum ait: *Spectaculum facti sumus Mundo, & Angelis & hominibus. Ita planè & malis & bonis pariter:* ILLOS ENIM SOLLICITAT INVIDIÆ PASSIO, ISTOS COMPASSIO MISERICORIÆ, *vt in nos incessanter intendant: illi quidem defectum nostrum, illi profectum desiderantes.*

Dei serui, dum patiuntur, Angelis quoqoe gratum exhibent spectaculum. Diuersa mente ad Christianorum certamina accurrunt boni Angeli & mali. *Boni* ANGELI (inquit hîc Sanctus Anselmus) CONVENIVNT AD SPECTACVLVM PASSIONIS NOSTRÆ, *vt nos præsentia sua confortent, & ceteros ad exemplum nostri certaminis incitent; mali verò, vt gaudeant, cùm, nos suos aduersarios cruciari viderint, & ceteros à fide metu pœnarum deflectant.*

Hæc Diui Pauli verba eleganter aptat Sancto
Stephano martyri Sanctus Gregorius Nyssenus 498.
in eius encomio: *Reuera iuxta vocem Pauli* MVNDO ET ANGELIS ET HOMINIBVS SPECTACVLO FVIT MAGNVS ILLE STEPHANVS, *qui primus stephano, id est corona confessionis redimitus & ornatus est, Martyrum cœtui aditum fecit: qui primus vsque ad sanguinem peccato aduersatus est. Ac mihi videtur supra mundanorum exercitus omnes, & omnes Angelorum legiones, tam ministrantium quàm assistentium, ac si quid aliud dignitate præditum in supremis partibus audiuimus, quod in Principatibus & Virtutibus & Thronis & Potestatibus & Dominationibus versetur, & omnis Cœlestis conuentus tunc athletam cum aduersario confligentem spectaculo sibi proposuisse. Patebat enim veluti stadium quoddam decertantibus humana vita: tendebant autem vterque alter alteri infesti: hinc quidem improbus humanæ vitæ aduersarius, iam inde à lapsu primo conditorum hominum vsque ad tempora Stephani, victoriis de hominibus partis excitatus: illinc verò magnus ille fidei atheleta, nihili faciens aduersarij incursum. Arma autem ambobus, alteri aduersus alterum erant: inuentori quidem mortis, mortis terror discipulo autem vita.*

Vsque in hanc horam & esurimus.

VSque in hanc horam & esurimus. Non enim vnius diei res est, sed totius vitæ. *Vides* inquit, hîc Sanctus Chrysostomus *quod oportet esse talem totam Christianorum vitam*, NON VNO AVT ALTERO DIE: NEQVE *enim athleta, si cùm semel in lucta vicerit, coronatur, cum succubuerit.*

Non, vt confundam vos, hæc scribo: sed, vt filios meos charissimos moneo.

VT filios meos. Qui filios, alios vocat, pa- 499.
trem se facit. Quî ergo istuc cohæret cum illo, quod dixit Christus Matth. 23. 9. ne aliquis sibi patrem super terram diceret? Nodum ita soluit S. August. in Psal. 77. *Paulus dicit: Non, vt confundam vos, hæc scribo; sed, vt filios meos charissimos, moneo, cùm sciret vtique à Domino dictum: Ne vobis dicatis patrem in terra: vnus est enim pater vester Deus. Quod non ideo dictum est,* VT HOC VOCABVLVM HONORIS HVMANI DE LOQVENDI CONSVETVDINE TOLLERETVR; *sed, ne gratia Dei, qua in æternam vitam regeneramur, natura vel potestati vel etiam sanctitati cuiusquam hominis tribueretur.*

In Christo Iesu per Euangelium ego vos genui. Cur non simplicius dixit? *ego vos genui.* Addidit, *In Iesu & per Euangelium*, ne aliquid in spiritali hac generatione sibi tribuere videretur. *Cum diceret*, inquit S. August. in Psal. 77. *Ego vos genui; prædixit, In Christo & per Euangelium*, NE IPSIVS ESSE PVTARETVR, QVOD DEI EST.

Rogo

Rogo ergo vos: imitatores mei eſtote, ſicut & ego Christi.

500. ROgo, Græcè eſt παρακαλῶ quod eſt adhortor, ſed hæ verſiones cohærent, *nam qui adhortantur*, ait Eſtius, *etiam rogare ſolent.* Aliqui codices habent *fratres*; quod adiectitium ab aliquibus putatur; vt ſit vtile ex hoc monitum elicit S.Thomas, nimirum ſubditorum eſſe imitari ſuperiores vt fratres, id eſt in eo quo ſe probant Christi filios, nec ab eius moribus degenerant; Siſto hîc Sancti Doctoris verba. *Aduertendum eſt autem, quod eoſdem quos ſupra filios nominauit, nunc nominat fratres. Dixerat autem ſuos filios in Christo, quia eos non ſibi, ſed Christo genuerat, & quia ipſe genitus erat à Christo, ex conſequenti eos habebat, vt fratres & filios. Imitantur ergo debebant eum imitari, vt patrem inquantum & ipſe Christum imitabatur, qui eſt omnium principalis pater. Et per hoc ſubtrahitur ſubditis occaſio de adhærendo malis exemplis prælatorum. Vnde* IN HOC SVBDITI SOLVM PRÆLATOS IMITARI DEBENT, IN QVO IPSI CHRISTVM IMITANTVR: *qui eſt infallibilis regula veritatis.*

Sicut & ego Christi; Quid ſi homo quoque ad ſui imitationem Deum ſuum inuitet, vt facturæ ſuæ facta creator imitetur. Feſtiuè S. Greg. Nyſſenus de orat. Dom. orat. 5. vbi huc ſpectans, ait: *Quemadmodum Deus benè ac rectè agentibus ad imitandum propoſitus eſt ſicut dixit Apoſtolus; Imitatores mei eſtote ſicut & ego Christi: ita vice verſa tuam affectionem Deo ad bonum pro exemplo eſſe vult, atque ordo quodammodo inuertitur, vt audeamus quemadmodum bonum in nobis imitatione diuini nominis perficitur: ita ſperare futurum* VT DEVS FACTA NOSTRA IMITETVR, *cum aliquid boni confecerimus, vt tu item ad Deum dicas, quod ego feci fac: imitare ſeruum tuum tu, Domine, pauperem, & egenum, qui regnum vniuerſarum rerum obtines, remiſi debita, (ne tu quidem exigas: ſupplicem repellere veritus ſum) ne tu quidem ſupplicantem ſummoueas atque repellas; lætum & alacrem dimiſi meum debitorem talis item tuus fiat: ne tuum debitorem, meo debitore triſtiorem reddas.*

Tanquam non venturus ſim ad vos, ſic inflati ſunt quidam.

INflati ſunt quidam. Cur nomen non exprimit? *Parcit nominibus* (ait Eſtius) *ne quaſi iniuria affecti irritentur, & inſanabiles ſe, cùm venerit exhibeant.* Cautio iis neceſſaria, qui publicè aliorum vitia traducunt & damnant.

Quid vultis? in virga veniam ad vos, an in charitate, & ſpiritu manſuetudinis?

501. QVid vultis? vnus deliquerat, & pungit omnes, nimirum peccatum NESCIT STARE, AB VNO AD MVLTOS SERPIT, & vnius culpa, niſi ſtatim auferatur, alios corripit, inficit, & in peccati ſocietatem, eum, qui labitur, adducit.

Binas lenitatis ſpecies vni opponit virgæ, vni ſeueritati; vt vel hinc diſcat quilibet erga errãtes proximos rigorem coërcere, manſuetudinem porrigere. Acutè S. Ambroſius hîc *Quid vultis, Nouarin. in Epiſt. Paul.* *inqui; in virga veniam ad vos, an in manſuetudinis ſpiritu & in charitate?* SEMEL VIRGAM DIXIT: BIS MITIORA SVBIECIT *adiiciens* MANSVETVDINEM *charitatis.*

In virga. Quid per Apoſtolicam virgam intelligendum hic, ſic exponit S. Hilarius enarrat. in Pſal. 2. *B. Paulus ad Corinthios ſcribens, quos tum ex taulis peccatis ad pœnitentiam moderata atque vtili adhortatione reuocabat, ait: Quid vultis? In virga veniam ad vos, an in charitate & ſpiritu manſuetudinis? Nunquid Paulo ius prætorium erat, vt virgam comminaretur, & cum officio lictoris ad Eccleſiam Christi adeſſet? Non vtique ita opinandum eſt: ſed, quia omnis Dei ſermo, quo ex errore in veritatem Dei retrahimur, quo per comminationem terroremque eius ad innocentiæ & ſanctæ vitæ viam regimur, Virga eſt nuncupatus, per quam intra diſciplinam Diuini amoris, metu cohibiti, moderati ac prudentis rectoris monitu coërcemur.*

Quid vultis? In virga veniam ad vos? Opportunè venit, qui cum virga venit, vbi correctio 502.
neceſſaria eſt. *Quid vultis?* Non eſt pij filij, nolle talem patrem ita venire. Pernè S. Auguſt. in Pſal. 88. *Apoſtolus comminatur: Quid vultis? In virga veniam ad vos? Abſit vt dicerent pij filij: Si cum virga venturus es, noli venire.* MELIVS EST ENIM ERVDIRI IN VIRGA PATRIS, QVAM IN BLANDIMENTO PERIRE PRÆDONIS.

Virgam opponit charitati, ac ſi quis vti virga non poſſit, & ſimul charitate ad id vrgeri. *Videtur*, ait B. Bruno, *vbi ait in virga, an in charitate, per hoc innuere quaſi correctio non ſit in charitate, ſi aſpera eſt; quod vtique falſum eſt: ſed dicit hoc ſecundum infirmitatem eorum, qui totum iudicabant eſſe ex ira, quod voluntati carnis contrahebat.*

In virga veniam ad vos? Cur, *In virga*, dixit; & non potiùs, *In gladio*? Eſtius hîc: VIRGAM *nominat, non* GLADIVM (*tametſi gladium abſciſſionis, id eſt excommunicationis iam cogitaret*) *quia patrem ſe dixerat; Patris enim eſt virga caſtigare filium.*

An in charitate? Charitatem opponit vir- 503.
gæ; & non etiam virga ſeueritaſque cum charitate eſt? Eſt, ſed eſſe extimè non videtur. *Quamuis Apoſtoli*, ait idem Eſtius, SEMPER ANIMO GERERENT CHARITATEM ET MANSVETVDINEM ERGA FIDELES, *non tamen eum ſemper oſtendebant: nam percutere & punire non videtur eſſe amoris, ſed odij; licèt, dum à patre fit, ex amore latente proficiſcatur.*

In virga veniam ad vos an in charitate? & non etiam in charitate poteras venire licet venires in virga? etiam correctio à charitate eſt, licèt eſſe plerumque non videatur. *Non diuidit Apoſtolus*, inquit hîc Vgo Victorinus, *inter charitatem, & correctionem.* CVM MAXIMA SIT CHARITAS CORRIGERE ERRANTES, *ſed inter diuerſos modos veniendi in charitate in parcendo, corripiendo, vbi etſi ſit non tamen videtur eſſe charitas.*

CAPUT V.

EPISTOLÆ PRIMÆ ad Corinthios expenditur & illustratur.

SECTIO I.

504 *Vel nudum odij nomen vitandum: vitanda maleuolentia vmbra.*
Vt medici peritiam imitetur, qui alios corrigit.
505 *Peccatores lugendi, non laudandi.*
Peccatorum contagio timenda.
506 *Præsules etiam absentes suorum curam habeant.*
507 *Peccatores, tanquàm pestis, cauendi.*
Peccatores defendere quàm graue.
508 *Magna Apostoli dignitas diabolo vtens ministro.*
Pauli clementia & benignitas vt collecta.
509 *Peccatore non correcto, vitium facilè alios inuadit.*
Inanis gloriæ corruptio.
510 *Correctionis vtilitas & necessitas.*
Christi Corpus, vt ad se totam mentem nostram transferat ac transmutet.
511 *Vnius mali exemplo multi perire possunt.*
512 *Nulla sit peccati vmbra, nulla reliquiæ.*
Expurgandi verbo cur vsus Apostolus.
513 *Inuicem se fideles in dilectione sufferant.*
Puritatem baptismalem fideles seruare studeant.
514 *Vita puritate festum diem per omnem vitam agere fideles debent.*
Diabolum imitantur, qui mediatè malum agunt.
515 *Peristricti, qui colorum pigmentis faciem pingunt.*
Correctio vt exercenda.
516 *Auarus fraudibus nectendis facilis.*
Facilis ad conuicia, facilè maledicit.
Maledictionis crimen quàm graue.
Proximi correctio vt quærenda.

Omninò auditur inter vos fornicatio & talis fornicatio, qualis nec inter gentes: ita vt vxorem patris sui aliquis habeat.

ITa vt vxorem patris sui aliquis habeat. Cur nouercæ nomine non est vsus, omissa illa circunscriptione? An quia hoc nomen aliquid odij præsefert? Sisto Theodoretum hîc: *Operæpretium est autem hîc etiam Apostolicam admirari sapientiam: non enim dixit, Nouercam;* QVONIAM NOMEN ALIQVID ODII ET MALEVOLENTIÆ PRÆSEFERT: *sed, Patris vxorem, hoc est eam, quæ est loco matris; eam, quæ pro matre patri coniuncta est; quæ id est genitori, quod ea, quæ peperit.* Nimirum fidelium est ea quoque vitare, quæ odij nudam quandam vmbram habent, nudum nomen sunt. 504.

Et vos inflati estis.

MItum, quod infirmo prætermisso corripuit sanos. Vix sanum dicas, qui intumescit; & inflatur, cùm alius cadit nec erigere lapsum curat. Sanctus Chrysostomus homil. 10. de Pœnitentia, scita similitudine hunc locum explicat: *Et vos inflati estis, & non dixit, ille inflatus est. Sed eum, qui peccauerat, dimittens sanos alloquitur: quemadmodum* MEDICI FACIVNT, ÆGROS DIMITTENTES, *apud propinquos plures sermones habent, præsertim cum hi superbiæ omnis illi auctores essent, quod eum non corriperent, nec terrerent, communicauit igitur crimen, quo facilius curatio vulneris fiat. Graue quidem peccatum est, sed multò grauius altum sapere in peccato;* hactenus ille.

Et non magis luctum habuistis, vt tollatur de medio vestrum, qui hoc opus fecit.

ET *non magis luctum habuistis.* Quàm iustius illi arguantur, qui peccatores adeo non prosequuntur lacrymis, vt laudibus euehant. *Eum qui peccat* MVLTVM LVGERE, inquit Sanctus Chrysostomus in Psalm. 9. verba hæc tangens, *non* LAVDARE OPORTET; nutrit vitia, qui laudat peccantem, abloit quantum in ipso est, qui effundit lacrymas. Diluuium misit Deus, vt hominum peccata cum hominibus obrueret: nos ocolorum debemus caratactas diducere, vt quantum in nobis est peccatores abluamus, & desinant esse quod sunt. 505.

Vt tollatur de medio vestrum; ne scilicet ceteros inficeret, *debet ad correctionem aliorum,* inquit Sanctus Thomas, *interdum peccator separari, vbi de* CONTAGIONE TIMETVR, in peste infectis id fit, non iustius fiat in lue, quæ non corpus afficit, sed animam?

Ego

Ego quidem abſens corpore, præſens autem ſpiritu iam iudicaui, vt præſens eum, qui ſic operatus eſt, in nomine Domini noſtri Ieſu Christi congregatis vobis & meo ſpiritu cum virtute Domini noſtri Ieſu tradere huiuſcemodi Satanæ in interitum carnis, vt ſpiritus ſaluus ſit in Die Domini noſtri Ieſu Chriſti.

506. PRæſulum plerique præſentes corpore, abſentes à ſuis, ſuorúmque cura ſpiritu ſunt, Paulus corpore aberat, ſpiritu præſens erat, *quia per ſpiritum*, ait Sanctus Thomas, *cognoſcebat ea, quæ apud ipſos agebantur* AC SI PRÆSENS ESSET. Seriò id cogitare debent, qui aliis præſunt; Illos, qui corpore oues non deſerunt, ſed ſpiritu ab ouibus abſunt, eorum curam negligentes, Paſtores vocet qui vult, ex vero talem titulum non merentur.

Abſens corpore; Hic aliquis obiiciat. Cur abſentem, & inauditum condemnat? quia crimen notorium erat, & adeo certum, vt non indigeret probatione, ſed cur peccantem aliquis non admonuit, non corripuit? *Non dubium*, inquit Eſtius, *quin à quibuſdam piis fidelibus* ADMONITVS, ET CORREPTVS IAM ANTE FVERIT; ſed admonentes corripientéſque neglexit, vt proinde ignis ferrúmque admouendum, quod fecit Paulus.

507. *Abſens corpore, præſens autem ſpiritu.* Sicque erat Paulus, vbi non erat. *Vide animum*, inquit hîc S. Chryſoſt. *Ne ſinit quidem expectare eius præſentiam, & ipſum excipere, & tunc ligare: ſed* TANQVAM PESTEM ALIQVAM EVM EXPVLSVRVS, *priuſquam diſpergeretur in reliquum corpus, properat eum detinere.*

Congregatis vobis; Quid neceſſe erat illos cõgregare? cur iſtud adiecit Paulus? *Ne videretur*, inquit Iſidorus Clarius, *ſibi totam vſurpare* AVTHORITATEM, aut etiam vt crimen cautiùs vitarent, quod in vnum congregati damnauerant, & pro eo, qui ceciderat Deum precarentur.

Congregatis vobis; Vt omnes ſcilicet intellecta criminis grauitate iuſtam agnoſcant eſſe pœnam, *nec ſit poſtea*, inquit Eſtius, *qui perſonam, aut factum velit* DEFFENDERE. Scilicet nihil tam graue eſt, quod aliquos defenſores non inueniat; qui peccata fouent, dum defendunt, & peccatorem animant, dum non damnant.

Nimirum tradi Satanæ iubetur, qui peccauit; vt Medicum experiatur, qui hoſtis eſt. *Magna gratia*, inquit Sanctus Ambroſius lib. 1. de Pœn. cap. 31. *Quæ imperat diabolo, vt ſeipſum deſtruat: qui, dum carnem debilitat, mentem corroborat. Illuditur ergo diabolus, vt ipſe morſu ſuo ſe vulneret, & contra ſeſe armet, quem debilitandum putauit.*

508. *Tradere huiuſmodi ſatanæ in interitum*; Satanæ traditur tanquam carnifici, ex quo magnam Apoſtoli dignitatem hinc coniicias, qui diabolo vſus miniſtro; tanquam iudex vti potuit; id quod expendens S. Chryſoſt. homil. 25. de diabol. tentat. aiebat. *Tanquam carnifice perſæpe diabolo vſus eſt Apoſtolus: carnifices autem maleficos quidem puniunt, at non quantum volunt, ſed quantum iudices ſinunt: ea quippe lex eſt carnificis, vt ad iudicis nutum attendens pœnam inferat.* VIDES AD QVANTAM ASCENDERIT APOSTOLVS DIGNITATEM? QVI CIRCVMDATVS ERAT CORPORE INCORPOREO TAMQVAM CARNIFICE VTEBATVR, *& quod diabolo communis Dominus Iob ita præcipiens ait, tange carnem eius, veruntamen animam eius ne tetigeris, limites menſuraſque pœnarum præſcribens: ne cum procax & effrenata ſit bellua, inſolentius impetum faciat: hoc etiam agit Apoſtolus: cum enim tradidiſſet fornicatorem, ait, in interitum carnis, hoc eſt, Animam eius ne tetigeris.*

In interitum, ſcilicet carnis, ſicque ſpiritus ſaluus fieret; in qua re maximam Pauli clementiam, ac benignitatem elucere teſtabatur Sanctus Ephrem tract. de Heli Sacerdote; *Quali amictus fuerit affectione, qui per Euangelium nos genuit Apoſtolus, norunt prudentes cuncti: habuit ſiquidem in ſe viſcera* MISERICORDIÆ, BENIGNITATEM, *& longanimitatem: vt vbi audiuit quempiam externum peccaſſe, non tolerauit, neque reiecit, ſed ſtatim talem hominem commiſit tradi in interitum carnis, vt Spiritus ſaluus fieret, in die Domini noſtri Ieſu Chriſti.*

Neſcitis, quia modicum fermentum totam maſſam corrumpit?

509. OB vnius lapſum toti ciuitati timet Paulus; ſciens luxuriæ vitium in vno vix quieſcere ſed plures inuadere, niſi igne & ferro illi occurratur. *Vnus erat*, inquit S. Chryſoſt. hom. 13. ad Popul. *apud Corinthios fornicatus, & tamen tantum gemebat Paulus, tanquam tota perdita ciuitate. Et multum congrue: ſciebat enim, quòd,* ILLO NON CORRECTO, VITIVM PROCEDENS ET ALIOS OMNES INVADERET.

Modicum fermentum licet ſit, non modicum tamen damnum affert, cum totum corrumpat. Inanis gloriationis corruptionem notari his verbis notauit S. Auguſt. lib. 3. contra epiſt. Parmeniani cap. 2, vbi ait: *Cùm ſubiungat: Neſcitis, quia modicum fermentum totam maſſam corrumpit?* QVID AD IPSAM INANIS GLORIATIONIS CORRVPTIONEM CONGRVENTIVS REFERRI POTEST? *ſuperbia quippe velut ex vetuſtate primi hominis, qui ſuperbia lapſus eſt, quaſi fermentata & corrupta mente, facit elatos in vanam conſperſionem, qui ſibimet in eam ſimili iactantia vanitate conſentiunt. Et gloriari quidem non de peccatis ſuis, ſed ſuper alterius peccata tanquam ex comparatione innocentiæ ſuæ, modicum videtur fermentum; quia de ſuis etiam iniquitatibus gloriari multum fermentum eſt: ſed & illud modicum totam maſſam corrumpit; cadit enim ſuperbus merito ſuperbia ſua: & incipit etiam peccata ſua defendendo, velle gloriari.* 510.

Totam maſſam corrumpit. Corrumpit, quia non corripitur errans; eleganter hunc locum verſat Vgo Victorinus: hîc nolo eius verba deſiderari: *Modicum fermentum totam maſſam corrumpit.* SI FRATREM PECCANTEM NON CORRIPIS CVM SCIAS EVM PECCARE, ET IAM IN TE MASSA LÆSA EST. *Sicut autem farina dura molarum attritione à furfure purgatur: Sic nos dura carnis maceratione à peccatorum furfure purgamur, vbi lacrymarum compunctione conglutinati in mutua dilectione conſolidemur.*

Modicum fermentum totam maſſam corrumpit. Plerique ex Græco vertunt, *Fermentat*; quod

 in

in probo etiam sensu sumi potest, & Euchatistiæ aptari. Sanctus Gregorius Nyssenus orat. catechest. cap 38. ita rem versat: *Quomodo parum fermenti (vt dicit Apostolus) sibi assimilat totam conspersionem*, ITA CORPVS, A DEO MORTE AFFECTVM CVM FVERIT INTRA NOSTRVM, TOTVM AD SE TRANSMVTAT ET TRANSFERT. *Quomodò enim, cùm, quod est exitiale, mixtum fuerit cum sano, quicquid est contemperatum, simul redditur inutile: ita etiam corpus, immortale cùm fuerit intra eum qui sumpsit, vniuersum quoque transmutat in suam naturam. Sed fieri non potest, vt sit aliquid aliter intra corpus, nisi per esum & potionem misceatur visceribus: necesse est ergo eo modo, quo natura potest, spiritum viuificam suscipere virtutem. Cùm autem illud solum corpus, quod Deum suscepit, hanc gratiam acceperit; ostensum sit autem aliter fieri non posse, vt nostrum corpus sit in immortalitate, nisi, per communionem cum immortali factum sit particeps incorruptionis; oportet considerare, quomodò fieri potuerit, vt vnum illud corpus, quod tam multis fidelium millibus in vniuerso Orbe terrarum semper distribuitur, totum per partem sit in vnoquoque, & ipsum in se totum maneat.*

511. *Modicum fermentum totam massam corrumpit.* Tantum ad malum mali exemplum nocet, & vnius culpa in alios virus suum diffundit. *Ignoratis*, inquit hîc Primasius *quia* VNIVS MALI EXEMPLO MVLTI POSSVNT PERIRE? *Et per vnius delictum in omni populo ira Dei superuenit in populo Iudæorum.*

Vnum plerumque ruinam multorum esse, hinc colligit Saluianus lib. 6. de Gubern. Dei: *Non immeritò*, inquit, *Beatus Apostolus eiici de Ecclesia pestilentem iubet; & cur iubeat ostendit dicens: Quia modicum fermentum totam massam corrumpit. Inde euidenter agnoscimus, etiam vnum sæpissimè* MALVM HOMINEM PERDITIONEM ESSE MVLTORVM.

Expurgate vetus fermentum, vt sitis noua conspersio, sicut estis azymi.

512. E*Xpurgate vetus fermentum.* Verbi huius vim ita expendebat hîc Sanctus Chrysostomus: *Neque dixit, Purgate; sed, Expurgate, hoc est accuratè & perfectè purgate*, VT NVLLA SIT EIVS VMBRA, NEC RELIQVIÆ. *Atque dicendo quidem, Expurgate, ostendit apud eos adhuc esse improbitatem & vitium.*

Expurgate vetus fermentum. Mirum, quod expurgandum dixerit, non totum proiiciendum. Casu non id dictum, cùm ab Apostolo Spiritu Sancto pleno dictum ita fuerit. *Benè dixit expurgandum*, inquit Sanctus Ambrosius lib. 1. de Pœnit. cap. 14. *non proiiciendum*: QVOD ENIM EXPVRGATVR, NON TANTVM IVDICATVR INVTILE: *ideo enim iudicatur, vt vtile ab inutili separetur. Quod autem proiicitur, nihil in se habere vtile creditur.*

Vt sitis noua conspersio, sicut estis azymi. Alios atque alios tanquam eosdem hîc Apostolum alloqui notauit Sanctus Augustinus, qui ad hæc verba hæc habet lib. 3. contra Epist. Parmeniani cap. 2. *Apostolus dicit: Expurgate vetus fermentum, vt sitis noua conspersio, sicut estis azymi. Quid est, vt sitis? & quid est, sicut estis? nisi quia erant ibi tales, erant ibi non tales, quos, vt tales essent, exemplo talium commonebat? Tamen omnes in vno tanquam eosdem admonet, quum dicit, vt sitis, sicut estis. Nouerant enim & illi, qui iam sic erant, & admonente Apostolo magis magisque nosse debebant, sufferre illos, qui nondum sic erant; vt*, SVFFERENDO INVICEM IN DILECTIONE, SERVARENT VNITATEM SPIRITVS IN VINCVLO PACIS.

Sicut estis azymi; Scilicet sine fermento peccati, quo ad eorum statum & professionem; vult igitur vt vita professioni respondeat, & mores statui; Christiani per baptismum azymi fiunt, inque statu nouitatis constituuntur, reliquum est igitur VT QVISQVE SE IN HOC STATV SERVARE STVDEAT.

Itaque epulemur, non in fermento veteri neque in fermento malitiæ & nequitiæ; sed in azymis sinceritatis & veritatis.

I*Taque epulemur*; Græcè est: ἑορτάζωμεν, quod verbum propriè significat *diem festum agere*, vnde Sanctus Cyprianus legit: *Festa celebremus*; Quî verò perpetuum festum referre Christiani vita possit docet in hunc modum Sanctus Chrysostomus homil. 23. quæ est in eos, qui nouilunia colunt; vbi hæc habet. *Christianum non mensibus, non nouiluniis, non dominicis diebus feriari oportet*: SED PER OMNEM VITAM FESTVM DIEM SIBI ACCOMMODATVM AGERE. *At quis illi festus dies maximè conueniens est? audiamus Paulum dicentem: itaque feriemur non in fermento veteri, neque in fermento malitiæ, & nequitiæ: Sed in azymis integritatis & veritatis. Si ergo puram habes conscientiam, festum diem ages perpetuò, bona semper nutritus spe, & futurorum bonorum perfusus expectatione. Sin animo perturbatus, & sceleribus multis obnoxius fueris, quamquam sexcenta feria & celebritates sint, nihilo tamen melius quàm hi qui lugent constitutus es.* 514.

Nequitia super malitiam dolum, & versutiam addit; Malus est, inquit Theophylactus, *quisquis malè agit: nequam autem qui meditatè, & cum dolo malè agit.* Vnde diabolus ad male agendum versutissimus Græcè πονηρὸς dicitur, QVEM IMITANTVR QVI MEDITATE MALVM AGVNT.

In azymis sinceritatis, & veritatis; Hæc verba in eas torquet Beatus Cyprianus, quæ adscitis colorum pigmentis faciem pingunt, sic ille scribit de disciplina, & habitu virg. *Monentis Apostoli vox est: Itaque festa celebremus, non in fermento veteri, neque in fermento malitiæ & nequitiæ, sed in azymis sinceritatis & veritatis. Num sinceritas perseuerat & veritas, quando quæ* SINCERA SVNT POLLVVNTVR COLORVM ADVLTERIIS, ET MEDICAMINVM FVCIS IN MENDACIVM VERA MVTANTVR? 515.

Si

Si is, qui frater nominatur, eſt fornicator, aut auarus, aut idolis ſeruiens, aut maledicus, aut ebrioſus aut rapax, cum eiuſmodi nec cibum ſumere.

S*I is, qui frater nominatur, eſt fornicator.* Aliter legit hunc locum Sanctus Auguſtinus, ſcilicet: *Si quis frater nominatur fornicator*, quam lectionem ita expendit lib. 3. contra epiſt. Parmen. cap 2. *Apoſtolus ait: Si quis frater nominatur fornicator. In eo, quòd ait, Si quis, nihil aliud videtur ſignificare voluiſſe, niſi eum poſſe tali modo ſalubriter corrigi, qui inter diſſimiles peccat; id eſt inter eos, quos peccatorum ſimilium peſtilentia non corrumpit. In eo verò, quòd, ait, Nominatur, hoc nimirum intelligi voluit parum eſſe, vt ſit quiſque talis, niſi etiam nominetur; id eſt, famoſus appareat, vt poſſit omnibus digniſſima videri, quæ in eum fuerit anathematis prolata ſententia.* ITA ENIM ET SALVA PACE CORRIGITVR, ET NON INTERFECTORIE PERCVTITVR, ET MEDICINALITER VRITVR. *Propterea & de illo dixit, quem tali medicina ſanari voluerat: ſatis huic eſt correptio, quæ fit à multis. Neque enim poteſt eſſe ſalutaris à multis correptio, niſi quùm ille corripitur, qui non habet ſociam multitudinem. Cùm verò idem morbus plurimos occupauerit, nihil aliud bonis reſtat, quàm dolor & gemitus.*

516. *Aut auarus*; Pro auaro apud Tertullianum lib. de pudicitia legitur *fraudator*; ferè enim qui auaritia corripitur FRAVDIBVS NECTENDIS DAT OPERAM, totuſque in eo eſt vt per dolos, ac fraudes rem alienam vel iniuſtè ſurripiat, vel detineat.

Aut maledicus; Græcè eſt λοίδορος idest *conuiciator*, ſeu contumelioſus, ac maledicentiæ malo laborans; cohærent hæ notiones; *Qui enim*, inquit Eſtius, *facilis eſt ad* CONVICIA, *facilè etiam* MALEDICIT, *id eſt malum imprecatur.* Addit, *& huius* CRIMINIS GRAVITATEM *ex eo diſce, quod communem pœnam mereatur cum cæteris hic enumeratis.*

Cum eiuſmodi nec cibum ſumere. Proh mirum! cum fratre, qui deliquerat, cibum prohibet ſumere, & tamen infidelium cœnam fidelibus non interdixerat. Huius diſcriminis cauſam hanc reddit Sanctus Ambroſius hîc, dum ait: *Cum fratre, in quo vitia hæc reperiuntur, non ſolùm ſacramenta non edenda, ſed nec communem eſcam docet; vt erubeſcat,* QVVM VITATVR, ET SE CORRIGAT.

CAPVT VI.

EPISTOLÆ PRIMÆ ad Corinthios expenditur & illuſtratur.

SECTIO I.

517 Quantum exiſtimationis ab illis abradatur, qui inter ſe diſſident, & litigia exercent.

Iudicum ſanctitas & rectitudo.

518 Hic mundus in errore eſt: alius ſine errore.

Maxima quæque terrena, minima putanda ſunt.

519 Diaboli malitia, ſuperbia & imbecillitas coram toto mundo traducetur.

Angeli qui ab hominibus iudicari poſſint.

In Angelos reſilit, quod in homines fit.

520 Contemptibiles quinam in Eccleſia dicantur.

Ea verba vitanda, quæ lædere poſſunt etiam innocentes.

521 Litigantium negotioſæ cupiditates damnatæ.

Pro rebus terrenis non facilè Chriſtianus contendat.

Litigantium damna.

522 Damni & peccati nexus.

Cur Apoſtolus eos corripiat, qui non patiuntur iniuriam.

Grauia peccata à leuibus diſcriminentur.

523 Satis ad damnationem ſi quis aliquo graui crimine corripiatur.

Fornicationis vitium quàm graue.

524 Maledici & conuiciatores perſtricti.

Dei regno priuari quàm omnium tormentorum grauiſſimum.

525 Nihil conducit, quod pro ſalute non eſt.

Qui faciunt omnia, quæ licent, facilè adducuntur, vt faciant, quæ non licent.

Audet aliquis veſtrum habens negotium aduerſus alterum, iudicari apud iniquos, & non apud ſanctos?

EOs hîc corripit, qui cum negotium aliquod cum fratre habe- 517.
rent eum ad iudices infideles vocabant. Iniquos, ſeu vt Græcè legitur, *iniuſtos* vocat infideles; hi quippe cum fide carerent iuſti dici non poterant, iuſtus enim ex fide viuit.

Apud iniquos; eos Apoſtolus arguit, qui cum poſſent cauſam agere apud fideles ſaltem vt delectos arbitros, iudices infideles experiri non ſine ipſorum infidelium ſcandalo, & Chriſtianæ religionis iniuria volebant; *quia per hoc derogatur dignitati fidelium*, inquit S. Thomas, *& per hoc datur occaſio infidelibus iudicibus contemnendi fideles*, QVOS DISSENTIRE VIDENT,

& de rebus terrenis lites actitare; explicari vix potest, quantum existimationis ab illis abradatur, qui inter se dissident, & tribunalia adeunt ob litigia.

Et non apud Sanctos. Græcè, *sub Sanctis*, idest fidelibus, seu Christianis. Sed cur hoc nomine Paulus vtitur? *Vt insinuet*, inquit Estius, *eos merito* EVOICES AOHIBENOOS ESSE, QVI ET PROFESSIONE, ET RE SANCTI SVNT; *ab his enim rectum & aquum iudicium expectandum.*

An nescitis, quoniam Sancti de hoc Mundo iudicabunt?

518. De *hoc mundo.* Non nudè, *De Mundo*, dixit: sed articulum adiecit, vt alterum Mundum esse indicaret ab omni errore immunem. Sanctus Ambrosius hic totum hunc locum ita legit: *An ignoratis, quoniam Sancti hunc Mundum iudicabunt?* & addit: *Nihil otiosè dicit Apostolus: ideo enim, Hunc Mundum, dixit, vt ostendat, & alterum.* HIC ERGO MVNOVS IN ERRORE EST, *non ille superior, ad cuius similitudinem hic factus est.*

Indigni estis, qui de minimis iudicetis.

Minima vocat quæ de rebus terrenis sunt, ad secularia negotia spectant, & quæ tanti fieri ab hominibus solent; licet maxima videantur MINIMA PVTANDA A CHRISTIANA MENTE sunt, cui nihil magnum quod terram sapiat. Denique minima vocant, quod extremo loco habenda à fidelibus sint; alioquin minimi meretur fieri qui maximi facit ea quæ sunt minima.

Nescitis, quoniam Angelos iudicabimus? quantò magis secularia?

519. Quod de Angelis dicit, de malis intelligendum est, quos fideles iudicabunt: *quia* (inquit Estius) *cum diaboli & angelorum eius victores fuerint*, MALITIAM EIVS & SVPERBIAM *atque etiam* IMBECILLITATEM CORAM TOTO MVNOO TRADVCENT; *eique tanquam victo & vili & contemptibili, & à Deo proiecto & in æternum damnato insultabunt, qua res erit superbissimis illis spiritibus maxima & molestissima pœna.*

Angelos iudicabimus. Et ad bonos, & malos id extendunt plerique, sed quî iudicari ab hominibus Angeli possunt? An quia in Angelos resilit, quod hominibus ab hominibus fit? Rem ita explicat S. Thomas hîc: *Quamuis dici posse quod ex consequenti, si sancti iudicabunt homines bonos & malos* ERIT IVOICIVM DE BONIS ANGELIS, *quorum accidentale premium augetur ex præmio sanctorum per Angelos illuminatorum, & etiam* OE MALIS ANGELIS, *quorum pœna augetur ex pœna hominum per eos seductorum.* Adeo vt in Angelos resiliat, quod in homines fit.

Contemptibiles, qui sunt in Ecclesia illos constituite ad iudicandum.

520. Contemptibiles vocat non in vniuersum, ne tam odioso titulo totum laicorum genus vocare videretur, sed eos, qui minimi fiunt: & maioribus exercendis ministeriis sunt inepti, siue laici illi sint, siue clerici; vt qui magna non possunt, minima præstent; Bene Sanctus Gregorius, qui hoc quoque expliceat, qui contemptibiles dicantur, qui sapientes: CONTEMPTIBILES *qui sunt in Ecclesia, illos constituite ad iudicandum; ac si apertè dicat:* QVI MINORES SVNT MERITI IN ECCLESIA, *& nullis magnorum donorum virtutibus pollent, ipsi de terrenis negotiis iudicent, quatenus per quos magna nequeunt, bona minora suppleantur. Quos & contemptibiles nominat, & tamen sapientes vocat, cum dicit: sic non est sapiens inter vos quisquam qui possit iudicare fratrem suum. Qua ex re quid colligitur, nisi vt sic terrenas causas examinent, qui exteriorum rerum sapientiam perceperunt:* Hactenus ille lib. 19. moral. cap. 14. ex quo discis ea verba vitanda, quæ lædere possunt etiam innocentes.

Iam quidem omninò delictum est in vobis quod iudicia habetis inter vos.

Delictum vocat Apostolus, iudicio cum alio contendere, & per litigia repetere sua; quia in his litibus LITIGANTIVM VITIOSÆ, *ac negotiosa cupiditates latent*, vt loquitur Sanctus Augustinus conc. 14. in Psal. 118. qui in Psal. 80. hoc quoque habet: *Contendit Christianus* PRO REBVS TERRENIS *amplius quam decet eum, cui promissum est Regnum Cælorum nec totum cor sursum leuat, sed aliquam partem eius trahit ad terram.* 521.

Non est per se malum sua in iudicio repetere, sed multa secum mala coniuncta sæpè habet; nam ferè huiusmodi lites ex inordinato rerum temporalium affectu suscipiuntur. Addit Estius. *Nec leue malum est iactura temporis, quam patiuntur* OMNES QVI LITIGANT, *non sine detrimento pacis, ac tranquillitatis interna, quam omnes quærere debemus.*

Delictum est in vobis. Græcè legitur, ἥττημα. Quæ vox (vt notabat etiam Catharinus) significat & delictum, & damnum seu detrimentum & diminutionem. Cohærent hæ notiones: nam, vbi delictum adest, abesse damna nequeunt. DAMNVM TAM CERTE AO ELICTO FERTVR, VT EAOEM, QVA ET OAMNVM VOCE SIGNIFICETVR: Quin præ illo cetera damna nihili facienda sunt; & vere damna non sunt, si delicto comparentur.

Quare non magis iniuriam accipitis? Quare non magis fraudem patimini?

Cur iniuriam potiùs dixit, quàm *molestiam*? Sanctus Augustinus in Psalm. 145. *Quare non magis iniuriam patimini? corripit homines* QVIA NON PATIVNTVR INIVRIAM. *Non vt patiaris molestiam, te hortatur, sed vt patiaris iniuriam: non enim omnis molestia, iniuria est. Quicquid enim iure pateris, non est iniuria. Ne fortè diceres, & ego inter iniuriam passos numeror: nam illud in illo loco, & illud causa illa passus sum. Vide si iniuriam passus es. Latrones multa patiuntur, sed non iniuriam; Scelerati, malefici, effractores, adulteri, corruptores, omnes patiuntur multa mala, sed nulla* 522.

nulla eſt iniuria , aliud eſt pati iniuriam, aliud eſt pati tribulationem, aut pœnam, aut moleſtiam, aut ſupplicium. Conſidera vbi ſis, quid egeris vide, quare patiaris vide, & ibi vides quid patiaris. Ius & iniuria contraria ſunt.

An neſcitis, quia iniqui Regnum Dei non poßidebunt?

QVia iniqui. Sanctus Cyprianus, *Quia iniuſti*. Hentenius, *Iniuriam inferentes*. De iniuſtis hîc loquitur, non vniuersè de litigantibus & contendentibus quos delicti accuſauerat; vt innuat non adeò grauem pœnam ſubituros, qui leuiori ſe crimine ligant; & ita damnanda peccata, vt à GRAVIORIBVS LEVIA DISCRIMINENTVR.

Nolite errare neque fornicarij, neque idolis ſeruientes, neque adulteri, neque molles, neque maſculorum concubitores, neque fures, neque auari, neque ebrioſi, neque maledici, neque rapaces Regnum Dei poßidebunt.

523. HOrum quilibet à Cæleſtis regni poſſeſſione excluditur. Satis eſt ad damnationem, ſi aliquo quis vitio corripiatur: non eſt neceſſe, vt omnibus ſit obnoxius. Rem ſic expendit Sanctus Auguſtinus lib. 4 de Baptiſ. contra Donatiſt. cap. 19. NEC SI ALIQVID VNVM HABEAT EX IIS, QVÆ DICTA SVNT, DEBEMVS EI SOCIETATEM SVPERNÆ ILLIVS PATRIÆ POLLICERI: *ad Corinthios enim ſingula enumerat, in quibus ſingulis ſubauditur, quod regnum Dei non poſſidebunt. Nolite, inquit, errare: neque fornicatores, neque idolis ſeruientes, neque adulteri, neque molles, neque maſculorum concubitores, neque fures, neque auari, neque ebrioſi, neque maledici, neque rapaces Regnum Dei poſſidebunt. Non ait: Qui hæc omnia vitia ſimul habuerint, Regnum Dei non poſſidebunt. Sed, Neque illi, neque illi, vt in ſingulis hoc ſubaudias, quod nulli eorum Regnum Dei poſſidebunt.*

Neque fornicatores. Cum fornicationis vitium tam grauibus delictis inſeruerit Apoſtolus, eius grauitatem colligere cuilibet obuium fecit; Sanctus Gregorius Paſtoralis curæ 3. part. admon. 28. ita rem expendebat: *Cum Paulus fornicationis vitium tot criminibus execrandis inſeruit*, CVIVS SIT REATVS INDICAVIT *dicens: neque fornicatores, neque ſeruientes idolis, neque adulteri, neque molles, neque maſculorum concubitores, neque fures, neque auari neque ebrioſi, neque maledici, neque rapaces regnum Dei poſſidebunt.*

524. *Neque maledici.* Eadem ratione criminis huius grauitas deprehenditur, à vitiorum ſcilicet conſortio, cum quibus recenſetur. Præiuit S. Ephrem tract. de virtutibus & vitiis, vbi huc ſpectans hæc habet: *Verè miſer, ac deplorandus eſt ille, qui* MALEDICTIS & CONVITIIS *in proximum conferendis adſueſcit, quid autem hoc ſcelere grauius? vnde quoque Sanctus Apoſtolus nefaria impiorum opera prohibens, etiam maledicos ijs adnumerat, neque maledici, inquiens: neque rapaces, regnum Dei poſſidebunt.*

Regnum Dei non poſſidebunt. Cur non dixit? *Æterno igne torquebuntur.* An, quia iſtuc conſequens eſt? An, quia illud grauius? *Non dixit*, inquit Sanctus Auguſtinus ſerm. 14. de Verb. Apoſt. *illi & illi tales, & tales igni æterno torquebuntur; ſed, regnum* DEI NON POSSIDEBVNT. *Subtracta dextera, non remanebit niſi ſiniſtra.*

Omnia mihi licent, ſed non omnia expediunt.

NOn omnia expediunt; vel vt alij habent *conducunt*; Tertullianus libr. de exhortat. 525.
caſt. legit: *ſed non omnia pro ſalute*; vt à nexu harum verſionum colligeremus, nihil conducere, nihil expedire, quod pro ſalute non eſt, non eſt ad ſalutem. Clemens Alexandrinus libr. 2. Pædag. cap. 1. hæc habet ad hæc verba: *Et ſi omnium mihi licet eſſe particeps, non omnia tamen expediunt: cito enim* ADDVCVNTVR VT EA FACIANT QVÆ NON LICET, QVI FACIVNT OMNIA QVÆ LICET.

SECTIO II.

Portari

Portari à nobis Christus debet, non trahi.

Omnia mihi licent, sed ego sub nullius redigar potestate.

526. QVòd se sub nullius potestate redigendum, non de personis tantùm intelligi potest, sed etiam de rebus quibuscunque; vnde Estius vertit: *Non redigar sub vllius rei potestatem.* Nimirum, sub illius rei potestatem is redigitur, qui plus æquo eam amat. Amor vinculum est, quo ligatur. *Qui nimis*, inquit Sanctus Thomas, REM ALIQVAM AMAT, QVODAMMODO SERVVS ILLIVS EFFICITVR. Sic fit, vt duriori, grauiorique diuites seruitute premantur, quò plura possident, in quæ nimio feruntur amore.

Esca ventri, & venter escis. Deus autem & hunc & has destruet.

E*T hunc, & has destruet.* Sanctus Augustinus legit, *Euacuabit.* Sicque locum hunc explicat in Psalm. 50 *Esca ventri, & venter escis: Deus autem & hunc & has euacuabit. Erit forma corporis perfecta ex Deo, absorpta morte in victoriam, nulla remanente corruptione, nulla surrepente defectione, nullis mutata ætatibus, nullo labore lassata, vt nullo cibo fulciatur; & aliqua esca reficiatur. Sed non erimus sine esca & potu:* IPSE ERIT CIBVS NOSTER, DEVS, ET POTVS NOSTER. *Solus ille cibus reficit, nec deficit.*

Corpus autem non fornicationi, sed Domino.

527. C*Orpus autem non fornicationi.* Cum de escis esset loquutus, ad fornicationem transit; quia ab illarum superfluitate facilis est ad hoc vitium lapsus. *Sanctus Apostolus*, inquit hic Sanctus Anselmus, *contra superfluitatem escarum disputans, consequenter venit ad* FORNICATIONEM: ETENIM SVPERFLVITAS ESCARVM MATER LIBIDINIS EST, *ventremque distentum cibo, & vini potationibus irrigatum voluptas genitalium sequitur, atque pro membrorum ordine ordo vitiorum est.*

Tollens ergo membra Christi, faciam membra meretricis?

T*Ollens ergo membra Christi.* Qui scilicet nostrum est caput. Quod & de propriis membris intelligi potest & de alienis: luxuriæ enim mancipium facilè exemplo suo alios prouocat ad paria. Hinc B. Dionysius hic: *Tollens membra Christi; idest, corpus meum & alterius, quem ad voluptatem meo exemplo induco*; tantum ad malum, malum exemplum potest.

An nescitis, quoniam, qui adhæret meretrici, vnum corpus efficitur?

QVod de viro asserit ad mulierem transferendum est, cum par sit vtriusque ratio. Sanctus Hieronymus ad Oceanum epist. 30. *Quidquid* VIRIS IVBETVR HOC CONSEQVENTER REDVNDAT IN FOEMINAS. *Neque enim adultera vxor dimittenda est, & vir mœchus retinendus. Si, qui meretrici iungitur, vnum corpus facit: ergo & quæ scortatori impuróque sociatur, vnum cum eo corpus efficitur.*

Qui autem adhæret Domino vnus spiritus est.

HÆc verba iis aptat Beatus Laurentius Iustinianus, qui mundi amore correpti, mundo adhærent, sic ille scribit de casto connubio cap. 21. *Sicut qui adhæret Deo vnus spiritus fit, ita qui* FVGACEM AMPLECTITVR MVNDVM, VNVM EFFICITVR CVM EO. *Proinde Dei sapientia illi, quem suo discipulatu dignum facere cupiebat, ait: Dimitte mortuos sepelire mortuos suos. Non enim vitam in se tenere posse iudicauit mortuus in peccato copulatum.*

528. *Vnus spiritus est.* Patris & Filij æqualitatem, & in Deitate vnitatem hinc educebat S. Augustinus tract. decimoquarto, in Ioannem cap. 3. vbi ita scribit: *Si spiritus hominis quando inhæret Deo vnus spiritus est, apertè Apostolo dicente, qui adhæret Domino vnus Spiritus est:* QVANTO MAGIS FILIVS ÆQVALIS ADHÆRENS *patri simul cum illo vnus Deus est?* sic ille.

Fugite fornicationem.

529. F*Vgite fornicationem.* Dum fugam suadet, sequentem eam indicat: sequitur nos, sed quod est periculosius, in nobis ipsis; Sanctus Ambrosius lib. 1. de Pœnit. cap. 14. appositissimè rem expendebat: *Transeamus ergo & nos ignem hunc libidinis, quem timens Paulus, sed nobis timens, qui castigando corpus suum fecerat vt iam non timeret sibi, dicit nobis: Fugite fornicationem. Fugiamus ergo tanquam sequentem, quæ non post nos, sed in nobis sequitur. Nosmetipsos ergo videamus diligenter, ne dum illam* FVGIMVS NOBISCVM EAM PORTEMVS. *Volumus enim plerumque fugere, sed si non penitus eam de nostro excutimus animo, tollimus eam magis quàm relinquimus.* Idem tangebat idem S. Doctor in Psalm. 118. oct. 20. fugæ persequutionem annexam notans in hæc verba: *Apostolus ait, fugite fornicationem. Nam qua causa fugeres,* SI NVLLA TE PERSEQVERETVR? *est enim malus spiritus fornicationis, est malus spiritus auaritiæ, malus spiritus superbiæ. Isti sunt persecutores graues, qui sine gladij terrore mentem hominis frequenter elidunt, qui illecebris magis quàm terroribus animos expugnant fidelium.* Et lib. de fuga sæculi cap. 4. in eandem ferè mentem: *Apostolus clamat, fugite fornicationem, persequuntur enim nos peccatorum illecebræ, persequitur libido. Sed tu* FVGE TANQVAM FVRIOSAM DOMINAM. *Quasi comprehenderit, nec die nec nocte requiescere sinit: exagitat, vrit, incendit. Fuge auaritiam, ne te interius comprehendat. Fuge inuidiam, quæ non solùm alienos, verum multò magis eum, quem possederit, lacerare consueuit. Fuge perfidiam, ne te suis inuoluat retibus.* Eodem spectat etiam Theodoretus hic. *Non dicit, inquit, Odio habete & auersamini; sed, Fugite sciens, quàm sit acre & vehemens hoc peccatum, & eum,* QVEM IPSVM INSEQVITVR; *erigit; & præcipit, vt insequens fugias.*

530. *Fugite fornicationem.* Nobilis hæc fuga, & gloriosa,

gloriosa, vt quæ ad victoriam ducat contra ac in alijs vitijs accidat, in quibus resistentia maximè ad victoriam facit. Huius autem discriminis quæ nam sit causa accipe à Beati Thomæ verbis hæc verba edisserentis: *Notandum*, inquit, *quod cætera vitia vincuntur resistendo, quia quantò magis homo particularia considerat, & tractat: tantò minus in eis inuenit vnde delectetur, sed magis anxiatur*: SED VITIVM FORNICATIONIS NON VINCITVR RESISTENDO, *quia quanto magis ibi homo cogitat particulare, magis incenditur, sed vincitur fugiendo, idest totaliter vitando cogitationes immundas, & quaslibet occasiones.*

Omne peccatum quodcunque fecerit homo, extra corpus est: qui autem fornicatur, in corpus suum peccat.

531\. FOrnicationis nomine omne genus impudicitiæ comprehendit, peccatque in corpus suum, qui huiusmodi vitio corripi se sinit, quia dehonestat illud, & ignominia afficit, excitans in eo brutales, ac fœdos motus; hinc illud Glossæ; *In fornicatione* TOTVS HOMO CARO EST. Sanctus Laurentius Nouariensis hom. 1. de Pœnitentia hunc Pauli locum hoc donat explicatu: *Est peccatum luxuriæ in membris, & est peccatum auaritiæ extra membra: & vt credas hoc ita esse quod dicitur, audi eundem Apostolum prosequentem. Omne peccatum quodcumque fecerit homo, extra corpus est; qui autem fornicatur, in corpus suum, peccat: sed dicis si pedes currunt ad prædam, si manus diripiunt, quomodo potest absque corpore esse peccatum: non est quidem dubium quod omne peccatum membris ministrantibus perpetratur*, SED ALIVD EST, PER MEMBRVM COMMITTERE, ET ALIVD IN MEMBRA DELINQVERE *Per membra enim quod committitur, in hoc animus delectatur. Carnis autem voluptas hoc nec sentit nec recipit. Et ideò dictum est; omne peccatum quodcumque fecerit homo, extra corpus est: libidinis verò faces, ardentesque furias intra se continet caro, ex radice luxuriæ pullulantes.*

An nescitis, quoniam membra vestra templum sunt Spiritus Sancti?

532\. MEmbra vestra. De omnibus dicit, vt excludat nullum. *Non solum corpore*, inquit, Beatus Dionysius, *propter aliqua membra; sed omnia membra vestra, idest* CORPVS TOTVM TEMPLVM EST SPIRITVS SANCTI CONSECRATVM INHABITATIONI SPIRITVS SANCTI. Atque adeò singula membra solicitè custodienda sunt, tanquàm omnia huic Spiritui sacra.

Membra vestra templum sunt Spiritus Sancti. Qui superius cap. 3. 16. dixerat: *Nescitis, quia templum Dei estis?* nunc Sancti Spiritus meminit, vt innueret verum esse Deum, non secus ac Pater, Filiusque. *Superius*, inquit S. Ambrosius, *Templum Dei, dixit: hic, Templum Spiritus Sancti*; QVIA IN SVBSTANTIA HOC EST SPIRITVS SANCTVS QVOD DEVS. *Hoc idcirco dixit, vt corpora nostra incontaminata seruemus, vt possit illic Spiritus Sanctus habitare.*

Templum sunt Spiritus Sancti. Quanta vilis alioquin corporis dignitas! Membra corporis, Spiritus Sancti dicuntur templum: animus quid erit, quid erit anima, quam scilicet Diuinus iste Spiritus subierit & inhabitauerit: explicet, qui potest.

Cum templum Dei corpora nostra sint, violanda peccatis hæc templa non sunt. Præstat sistere, quæ habet S. August. serm. 17 de verb. Dom. 533.
Nescitis, inquit Apostolus, quia templum Dei estis, & Spiritus Dei habitat in vobis? Quisquis templum Dei violauerit, disperdet illum Deus. Nemo se fallat. Sed fortè ait aliquis: Templum Dei animus meus est, non corpus meum, adiecit etiam testimonium: Omnis caro fœnum, & omnis claritas eius tanquam flos fœni. Infelix interpretatio, punienda cogitatio! Fœnum dicta est caro, quia moritur: sed quod ad tempus moritur, non resurgat cum crimine. Vis nosse apertam etiam inde sententiam? Nescitis, inquit idem Apostolus, quia corpora vestra templum in vobis sunt Spiritus Sancti, quem habetis a Deo: Iam non contemnatis corporalia peccata: ecce quia & corpora vestra templum in vobis sunt Spiritus Sancti, quem habetis a Deo. Contemnebas corporale peccatum: contemnis, quòd peccas in templum; Ipsum corpus tuum templum in te est Spiritus Sancti. IAM VIDE, QVID FACIAS IN TEMPLO DEI. *Si eligeres in Ecclesia facere adulterium intra istos parietes, quid hoc esset sceleratius? Modò autē tu ipse es templum Dei: templum intras, templum exis, templum in domo tua manes, templum surgis. Vide quid agas: vide*, NE OFFENDAS TEMPLI HABITATOREM, *ne deserat te, & in ruinam vertaris.*

Empti enim estis pretio magno.

EMpti enim estis pretio magno. Non potuit non esse magnum pretium cùm magnus ille fuerit, qui nos emit: emit enim nos suo sanguine, fecit se pretium nostrum, qui nos fecit. Emit pretio magno, sed non magnos, vt tamen faceret magnos, dum tanti nos fecit. *Vide benignitatem*, inquit Sanctus Chrysostomus homil. 21. ad Popul. *Nos prius, quàm pretium erogemus*, INTERROGAMVS EOS, QVI VENDVNT: *&, cum didicerimus, quod volunt*, TVNC PRETIVM EROGAMVS. *Christus verò non ita: verum &* PRETIVM EROGAVIT *pro omnibus nobis pretiosum sanguinem suum. Pretio enim, inquit* (Apostolus) *empti estis magno.* 534.

Pretio magno; cùm adeo magnum sit pretium, magni fieri illud debet, quod tali emptum est pretio; quod licet præcipuè de hominis præcipua parte accipiendum sit, de anima scilicet, non est tamen quod ad corpus etiam non transferatur; transtulit Sanctus Augustinus serm. 16. de verbis Domini, vbi ait: *Si* CONTEMNIS CORPVS TVVM, CONSIDERA PRETIVM TVVM; contemnit, qui illud violat, & corporearum voluptatum mancipium illud facit.

Verè magno pretio empti sumus, & à pretij magnitudine amoris colligi magnitudo potest; 535.
Paulus, verba sunt B. Laurentij Iustiniani lib. de Obedientia c. 5. *Empti, inquit, estis pretio magno, glorificate & portate Deum in corpore vestro. Sanè ex difficultate curationis, languoris magnitudo percipitur, atque ex pretij exhibitione, spiritualis seruitutis quam sit graue onus agnoscitur. Porrò ipse Dei & hominum mediator homo Christus Iesus nullum aliud pro electis suis voluit exponere pretium, quàm gratis præbere se ipsum, vt aduerterent*, QVANTA EOS CHARITATE DILIGERET.

Glorificate

Glorificate & portate Deum in corpore vestro.

GLorificate. Non anima duntaxat glorificare Deum debemus, sed & corpore; *Quia enim*, ait hîc Sanctus Thomas, *membra vestra sunt templum Dei*, IN CORPORE VESTRO NIHIL OEBET APPARERE, NISI QVOD AD GLORIAM DEI PERTINET, *& hoc est glorificare Deum in corpore vestro, quia in Psalm. dicitur, in templo eius omnes dicent gloriam.*

Et portate Deum. Felix, qui hac sarcina onustus incedit, quæ portantem portat, & erigere suos baiulatores consueuit, non premere. Audiri hîc potest Sanctus Augustinus serm. 100. de Temp. *Apostolus ait: Glorificate & portate Deum in corpore vestro. Quantum possumus cum ipsius adiutorio laboremus, ne à ceruicibus nostris tam sanctam sarcinam malis operibus deponamus:* SARCINA ENIM CHRISTI LEVARE CONSVEVIT NON PREMERE. *Sic & ipse in Euangelio dixit: Iugum meum suaue est, & onus meum leue. Si enim iugum Christi subdita & humili ceruice suscipimus, magis nos portat, quàm à nobis portetur: sicut enim iugum saeculi semper premit, ita iugum Christi leuare consueuit.*

536. Quî portari à nobis Christus debeat, pulchrè docebat Gillebertus Abbas in Allegor. Tilm. ad hæc verba: *Qui dicit hoc, portari à nobis vult Christum; sed gloriosè, non cum tadio, non cum murmure, non cum indignatione, & fluctuante proposito: denique* PORTARI, *non* TRAHI: *Trahit, cui onerosus est Christus, onerosa castitas, onerosa humilitatio, obedientia grauis, pauperies fordet. Deformiter portas, qui sic conuersaris.*

CAPVT VII.

EPISTOLÆ PRIMÆ ad Corinthios expenditur & illustratur.

SECTIO I.

537 *Tangendi verbo cur vsus Paulus, cum de muliere ageretur.*
Non, vt parentur diuitiæ vxor quærenda.
538 *Castitatis exemplar vir vxori sit.*
Magnorum virorum est aliis se quoque demittere, aptare se aliis.
539 *Viro quæ cogitanda, quæ dicenda, ne matrimonij iura violet.*
Christus totum se in Ecclesiæ suæ vtilitatem vt expenderit.
540 *Quanta coniugij vis.*
Corpus quid in Diuinis litteris significet.
541 *Oratio etiam de sacrificio Eucharistiæ dicta.*
Carne nostra contra nos pugnat diabolus.
Satana ad homines tentandos studium.
542 *Ab ea nos parte diabolus tentat, vbi nos videt imbecilliores.*
Charitate superior aliis, alios sibi optat æquales.
543 *Pauli virginitas vnde collecta.*
Securior ad cælum via virginitas.
544 *Deus bonorum Auctor agnoscatur.*
Coniugij portus quando petendus.
545 *Nuptiæ pro remedio.*
Occulta concupiscentiæ flamma.
Carnis calore non vri quàm illustre facinus.

Bonum est homini mulierem non tangere.

CVR *Tangendi* verbo sit vsus Apostolus, sic expendebat S. Hieronym. lib. 1. aduers. Iouinian. *Non dixit: Bonum est vxorem non habere, sed: Bonum est mulierem non tangere*, QVASI ET IN TACTV PERICVLVM *sit; quasi, qui illam tetigerit, non euadit.* Huc spectauit & S. Augustinus. *Beatus Apostolus*, inquit serm. 249. de Temp. *admonet nos, Bonum est, inquiens, mulierem non tangere.* QVASI STATIM IN TACTV PERICVLVM ESSET. 537.

Propter fornicationem autem vnusquisque suam vxorem habeat.

VIdes cui rei quærenda vxor sit: non augendis diuitiis, non vitandæ paupertati, sed scortationi. Scitè rem vrget Sanctus Chrysostomus homil. Qual. vxor. sint ducen. inquiens: *Non dixit*, VT EVITETVR PAVPERTAS, VT PARENTVR DIVITIÆ. *Sed quid? Vt scortationem euitemus, vt moderemur concupiscentiam, vt viuamus sobriè, vt Deo placeamus, contenti vxore propria. Hoc nobis affert coniugium, hic eius fructus, hoc inde lucrum.*

Propter fornicationem autem vnusquisque suam vxorem habeat. Ad castitatis legem prius vocat virum, deinde mulierem, vt exemplo præeat, qui caput est, contra ac leges humanæ faciant, quæ in hac parte laxiores in viros erant, quàm in vxores. *Meritò*, inquit Theodoretus, PRIORI HOC IVS STATVIT, QVONIAM MARITVS EST CAPVT VXORIS. *Humana enim leges mulieribus quidem castas esse præcipiunt; &, si contra legem faciunt, in eas animaduertunt: sed à viris non eandem castitatem exigunt; cum enim viri essent, qui leges tulerunt, æqualitatem non curarunt; sed sibi veniam dederunt. Diuinus autem Apostolus, Diuina gratia inspiratus, primum quidem legem viris instituit, vt casti sint.* 538.

Vxori vir debitum reddat: similiter autem & vxor viro.

VXori vir debitum reddat. Nimirum, licet vsque ad tertium Cœlum esset elatus Paulus, se

ſe tamen ad aliorum vtilitatem adeò demittit, vt, quæ carnem ſapiunt, carnis ferè expers, decernat. Scitè S. Gregorius lib. 3. Dial. cap. 17. *Quod ad Cæli tertij ſecreta ducitur, & tamen mentis oculum per compaſſionem reflectit ad diſpenſandum cubile coniugatorum dicens: Vxori vir debitum reddat: ſimiliter & vxor viro. Quod admiſcetur in contemplatione Angelorum, &* TAMEN NON ASPERNATVR COGITARE ATQVE DISPONERE FACTA CARNALIVM. Nimirum magnorum virorum eſt aliis ſe demittere, aptare ſe aliis.

Vir ſui corporis poteſtatem non habet, ſed mulier.

539. HÆc porrò verba quando præcipuè cogitanda ſint, & dicenda ducet S. Chryſoſtomns, *cum te*, inquit, *acciuerit meretrix, hoc verbum cum animo tuo* COGITA, ET DIC: VIR CORPORIS SVI POTESTATEM NON HABET, SED MVLIER: *ac verbum iſtud in pectore tuo conſcribe, atque sis ad ſcortam verbis vtere: quid me vocas? corpus non eſt meum, ſed vxoris meæ, quare id quod alienum eſt, prodere non audeo: an cum ipſius dotem imminuere, aut ea quæ ad eam ſpectant, conſumere nequeam, corpus meum, quod in ipſius poteſtate eſt, contaminare audeam? quonam pacto? id planè nequeo.* Sic ille hom. in Pſal. 50.

Quod de corporali coniugio hîc Paulus aſſerit, aliqui ad ſpiritalem, quod inter Chriſtum & Eccleſiam eſt, tranſtulerunt. Hinc illud illius boni authoris: *Sicut in corporali coniugio vir ſui corporis poteſtatem non habet, ſed mulier: ita in ſpirituali ac myſtico, inter Chriſtum & Eccleſiam conſecrato, Chriſtus ſui iuris quodammodò eſſe noluit*, VT SE TOTVM IN ECCLESIÆ VTILITATEM EXPENDERET, *ſicut ait S. Bernard. tract. de dilig. Deo: ſe dedit in meritum, ſe ſeruat in præmium: ſe apponit in refectione animarum ſanctarum, ſe in redemptione diſtrahit captiuarum.*

Vir ſui corporis poteſtatem non habet, ſed mulier. Quanta coniugij vis, vt fortiorem ſubiiciat imbecilliori! Duram eius neceſſitatem hinc colligebat S. Ambroſ. lib. de Viduis. *Licet*, inquit, *nubere: ſed pulchrius eſt abſtinere; ſunt enim vincula nuptiarum. Vultis ſcire, quæ vincula? Quæ ſub viro eſt, mulier, viuente viro, alligata eſt legi: ſi autem mortuus fuerit, ſoluta eſt à lege viri. Probatum eſt igitur vinculum eſſe coniugium, quo mulier ligatur & ſoluitur. Bona matus amoris gratia: ſed maior eſt ſeruitus; neque enim mulier ſui corporis poteſtatem habet, ſed vir. Et ne fortè tibi non coniugij videatur iſta ſeruitus eſſe, ſed ſexus; ſimiliter & vir ſui corporis poteſtatem non habet, ſed mulier.* QVANTA IGITVR CONIVGII NECESSITAS, QVÆ SVBIICIAT ALTERI ETIAM FORTIOREM! *mutuis enim neceſſitatibus ab vtroque ſeruitur; nec temperanti licet iugo ſubducere caput, cum alterius intemperantiæ ſeruiendum.*

540. *Sui corporis*; Hæc non de toto corpore ſed de parte, quæ ſexus diſcriminat eſſe intelligenda notabat S. Aug. libro 5. capite 5. contra Iulianum Pelagianum, vbi ita loquitur: *Si enim pars corporis non poſſet nomine corporis nuncupari, non diceret Apoſtolus. Mulier non habet ſui corporis poteſtatem, ſed vir; ſimiliter, & vir non habet ſui corporis poteſtatem, ſed Mulier.* IPSA … QVE MEMBRA APPELLANS CORPORIS N…

Nouarin. in Epiſt. Paul

BVS DISCERNITVR SEXVS; *peraguntur que concubitus. Quis eſt enim qui dicat, virum ſui poteſtatē corporis non habere, ſi in his verbis Apoſtoli, totum corpus intelligas, quod conſtat omnibus membris.*

Nolite fraudare inuicem, niſi fortè ex conſenſu ad tempus, vt vacetis orationi.

541. VT *vacetis orationi*; Non dixit, *vt oretis*, ſed *vt vacetis orationi*, aut quia de publica oratione loquebatur, vt aliqui notauere, aut vt indicaret ſummo ſtudio orationem fundendam eſſe, totoſque ei incumbere debere, qui eam fundunt. Addit Eſtius. *Nomine* ORATIONIS *arbitror Apoſtolum* COMPREHENDERE VOLVISSE ETIAM SACRIFICIVM EVCHARISTIÆ; *abit igitur qui orationem denotat à ſacra communione.*

Ne tentet vos ſatanas propter incontinentiam veſtram.

NE *tentet vos ſatanas.* Significatur tentatio, ſed tentatio cum effectu; vt ſit ſenſus, ne vos ſatanas in adulterium aliaſve noxias carnis corruptelas tentando pertrahat. Sed cur non potiùs carnis tentatio cauenda, quàm dæmonis? Eſtius: *Oſtendit hic locus*, inquit, *etiam ea peccata, ad quæ ſola ſufficeret* CARNIS TENTATIO COMMITTI INSTIGANTE DIABOLO; qui carne noſtra vtitur contra nos, ac ſi parum eſſet nos à noſtra carne tentari, etiam ipſe nos impugnat, & carne ſæpe vtitur vt inſtrumento.

Ne tentet vos ſatanas. Vide ſatanæ ad homines tentandos ſtudium ac vigilantiam. Etiam ad ea inſtigat, ad quæ ſolus carnis æſtus labilitaſque ſufficeret: quid credendum eſt efficere, vbi carnis auxilio vti non poteſt?

542. *Propter incontinentiam veſtram*, ex Græco aliqui vertunt *propter intemperantiam veſtram*, vt innueret ab ea nos parte maximè impugnare ſatanicum hoſtem, qua nos INFIRMIORES VIDET, DEBILIORESQVE.

Volo enim omnes vos eſſe ſicut meipſum.

OStendit ſe omnibus maiorem, dum optat ſibi omnes æquales eſſe. Eminentiæ ſuæ nihil ſubtrahit, qui ſibi alios pares cupit, adiicit potiùs. S. Auguſt. tract. 8. in Epiſt. Ioann. *Audi Apoſtolum dicentem de viſceribus charitatis: Vellem omnes homines eſſe ſicut meipſum. Quomodo volebat omnes eſſe æquales? Ideo erat omnibus ſuperior*; QVIA CHARITATE OPTABAT OMNES HOMINES ÆQVALES.

543. *Volo enim omnes vos eſſe ſicut meipſum.* Bonum, quo ipſe diues, nulli inuidebat Apoſtolus. Ad virginitatis cultum eum ſpectaſſe plerique putant. Pulchrè Albertus magnus ſerm. in Conuerſ. Sancti Pauli. *Nunquam B. Paulus per luxuriam fuit inquinatus; ſed* VIRGINITATIS INTEGRITATEM *continuè ſeruauit illibatam? vade &* IN TESTIMONIVM VIRGINITATIS IPSIVS, *dum decollaretur, lac prius, quàm ſanguis exiit de collo eius. Quia igitur virgo fuit, optauit & conſaluit, vt omnes tales eſſent, qualis ipſe fuit; vnde dicit: Volo omnes homines eſſe ſicut meipſum. Gloſſa, ſcilicet, continentes.*

M *Volo*

Volo non absolutam semper voluntatem indicat, sed desideriũ; ac si diceret opto, & eupio, vt omnes me in castitatis cultu imitarentur? Sanctus Augustinus legit *Vellem*; Sanctus Ambrosius *Volebam*; sed vnde genus humanum subsistet, si Paulum omnes imitarentur? An Paulus de vnoquoque homioe loquitur, non de omnibus simul? Sanctus Augustinus lib. de bono coniugali cap. 10. ita nodum soluit: *Vtinam omnes hoc vellent dumtaxat in charitate de corde puro, & conscientia bona, & fide non ficta*; MVLTO CITIVS DEI CIVITAS COMPLERETVR; *& acceleraretur terminus sæculi*. Contractior sæculi duratio esset, sed plures virginitatis cultu saluarentur; cum securior sit ad cælum via virginitas.

Sed vnusquisque proprium donum habet ex Deo.

544. IDest alius hoc, alius illud donum habet, non vnus omnia. Signatè *proprium donum*, dixit, non *propriam virtutem*, addiditque à Deo, scilicet vt donum agnoscatur, ET AVCTOR DONI, nec suis aliquis meritis adscribat, quod à Deo per Dei gratiam habet.

Quod si non se continent, nubant.

IN remedium nuptias consulit. S. Gregorius 3. part. Cur. pastor. admonit. 28. ad Apostoli mentem hæc habet: *Admonendi sunt celibes, vt, si tentationum procellas cum difficultate salutis tolerant*, CONIVGII PORTVM PETANT; ne castitatis subeant naufragium.

Melius est nubere, quàm vri.

545. M*Elius est nubere, quàm vri.* Nubere consuluit, quum lapsus periculum est. *Cum dixerit*, inquit S. Ambrosius lib. de Viduis: *Melius est nubere, quàm vri* PRO REMEDIO NVPTIAS SVASIT, *vt peritura sanetur; non pro electione præscripsit, casta & continens quid sequatur.*

Quàm vri. Vrendi verbo indicat carnis concupiscentiam ignem quendam esse, quo comburitur, qui præbet assensum. *Vri*, inquit S. Augustinus de sancta virginit. c. 34. *est* OCCVLTA FLAMMA CONCVPISCENTIÆ VASTARI.

Vrendi verbum dum audis, à carnis calore & flammis time, *Quum voluntas*, inquit hîc S. Amb. *calori carnis consentit, vritur. Nam desideria pati, &* NON VINCI, *illustris viri est & perfecti.*

SECTIO II.

546 *Sanctificari vir infidelis per fidelem mulierem cur dicatur, & è contra.*

Maria, mulier fidelis, per cuius fidem infidelitas primæ mulieris est sanata.

547 *Coniugium, seruitutis nomine circumscriptum.*

Virginitas cur non imperata.

548 *Virginitatem exercere, vltra naturam vt sit.*

549 *Virginitatis bonum quale.*

Coniugij incommoda.

550 *Episcopus Ecclesiam suam non facilè descrat.*

551 *Nuptiæ, res onerosa, non mala.*

Carnis tribulationem præcipuè sentiunt, qui carnis voluptatibus delectantur.

552 *Coniugij & tribulationis nexus.*

553 *Eorum, qui nuptias eligunt, tribulatio in quo sita.*

554 *Vxorum vana ornamenta cur repudianda.*

A coniugij vinculis absolutus, non se facilè iis ligari sinat.

555 *A vitiis se quisque subducat.*

Vxorem, quasi non habendo, qui dicatur habere.

556 *Mundi huius hospites & peregrini vt esse debeamus.*

Perstricti, qui vxorem non habent, & sunt tanquam habentes.

557 *Amaritudo iudicij à memoria non recedat.*

Temporis breuitas ad benefaciendum nos vrgere debet.

Sanctificatus est enim vir infidelis per mulierem fidelem, & sanctificata est mulier infidelis per virum fidelem.

ET quî sanctificari potest vir infidelis per fidelem mulierem, & infidelis mulier per fidelem virum? An per sanctificationem non vera intelligitur sanctitas, sed quædam ad sanctitatem veram præparatio? vt videatur quis iam esse illud, ad quod se accingit & præparat? Hunc sensum hîc Estius maximè probat: *nam* SANCTIFICARE (inquit) *præparare vel deputare ad aliquid sacrum more Scriptura dicitur; vt Zachar. 7. Nunquid sanctificare me debeo?* quod de viro infideli sic explicat: *Dum Christo non maledicit, dum pia coniugis exercitia non impedit, dum signum Crucis domui vel thalamo præfixum æquis aspicit oculis, dum patitur etiam filios imbui fide Christi; per hæc, velut purificationes quasdam, quasi præparatur ad Christum; spem bonam ostendens, futurum vt Christianam religionem ipse quoque suscipiat, præsertim accedente sancta & pacifica conuersatione coniugis fidelis.* 546.

Sanctificatur vir infidelis per mulierem fidelem. Transfert hæc verba ad Virginem Richardus libr. 6. de eius laudib. vbi ait: *Hæc est* MVLIER FIDELIS, *per cuius fidem saluatus est Adam vir infidelis, quem fefellerat* INFIDELITAS PRIMÆ MVLIERIS; *nec ipsum solum, sed & totam posteritatem suam. Vnde Apostolus dicit: Sanctificatus est vir infidelis per mulierem fidelem.*

Seruus vocatus es?

547. S*Eruus vocatus es?* Primasius hîc, *Aliqui*, inquit, SERVITVTEM, CONIVGIVM *volunt intelligi*. Quæ seruitus alia omni eò durior & infelicior est, quò diuturnior & insolubilior.

De virginibus præceptum Domini non habeo.

NOn imperata virginitas est, ne nuptiæ tollerentur, vt ipsa magis extolleretur. Sanctus Hieronymus epist. 22. quæ est ad Eustoch. de Custod. virginit. sic scribit: *Quare ergo non habet Domini de virginitate præceptum? Quia maioris est mercedis, quod non cogitur, & offertur. Quia*, SI FVISSET VIRGINITAS IMPERATA, *nuptiæ videbantur ablatæ; & durissimum erat contra naturam cogere, Angelorumque vitam ab hominibus extorquere, & id quodammodo damnare, quod conditum est.*

548. Quod de virginitate præceptum se non habere dicit Apostolus in virginitatis commendationem perfectionemque resilit. *Vas electionis*, inquit Sanctus Hieronymus epist. 8. quæ est ad Demetriad. *de virginibus se dicit Domini non habere præceptum; quia contra naturam, immò* VLTRA NATVRAM EST NON EXERCERE, *quòd nata sis; interficere in se radicem suam, & sola virginitatis poma decerpere; nescire thorum omnem, virorum horrere contactum, & in corpore viuere sine corpore.* Huc facit & illud Sancti Ambrosij de virg. lib. 1. vbi hæc habet: *De virginibus, inquit Apostolus, præceptum Domini non habeo, consilium autem do. Si doctor gentium non habuit, habere quis potuit? Et præceptum quidem non habuit, sed habuit exemplum.* NON ENIM IMPERARI POTEST VIRGINITAS, *sed optari. Nam quæ supra nos sunt, in voto magis quàm in magisterio sunt.*

Existimo ergo hoc bonum esse propter instantem necessitatem: quoniam bonum est homini sic esse.

549. BOnum est virginitatem colere, virgines manere. Sed quale nam bonum est? Sanctus Thomas, *Bonum*, inquit, HONESTVM *propter puritatem*, DELECTABILE *propter libertatem*, VTILE *propter mercedem; quia debetur ei fructus centesimus.*

Propter instantem necessitatem. Per instantem necessitatem probæ notæ interpretes intelligunt vitæ huius molestias & incommoda, quæ status coniugalis comites esse solent, & solent homines impedire, ne liberè ac expeditè Deo seruiant.

Bonum est homini sic esse. Explicat, quod priùs dixerat. Signatè autem, *Homini*, dixit; vt rem ad vtrumque sexum extenderet, nec aliquis ad solas fœminas coërceret. *Bonum est homini, idest tam viro quàm fæminæ*, inquit Estius, *sic permanere sine coniugio in virginitate.*

Alligatus es vxori? noli quærere vxorem.

550. N*Oli quærere vxorem.* Incipis ligari, dum incipis quærere. Sanctus Isidorus Pelusiota lib. 1. epist. 113. ita scribit: *Solutus ab vxore, noli quærere vxorem, ne te mulieris venenum corrumpat; ad alterum voluptatis congressum te tanquam præstigiis quibusdam illiciens, carnalesque blanditias atque inutiles curas & suspiciones docens.*

Nouarin. in Epist. Paul.

Quod de vxore hîc dicitur ad Ecclesiam, & Episcopatum transtulit probæ notæ Episcopus S. Athanasius in Apologia Imperat. Constant. *Neque præ oculis habens illius præceptum. Alligatus es Vxori, ne quære solutionem, quod si hoc de vxore dictum est, quantò magis de* ECCLESIA ATQVE ADEO DE EPISCOPATV, *cui cum quis alligatus est, alium quærere non debet, ne adulter in sacris litteris deprehendatur.*

Tribulationem tamen carnis habebunt huiusmodi.

T*Ribulationem tamen carnis habebunt huiusmodi.* Deterret à nuptiis tanquam à re onerosa: non auocat tanquam à mala. *Addidit*, in- 551.
quit Sanctus Augustinus lib. de Sancta virginit. cap. 16. *Tribulationem autem carnis habebunt huiusmodi. Ego autem vobis parco; hoc modo exhortans ad virginitatem, continentiamque perpetuam, vt aliquantulum à nuptiis etiam deterreret; modestè sanè*, NON TANQVAM A RE MALA, ET ILLICITA, SED TANQVAM AB ONEROSA AC MOLESTA. *Aliud est enim admittere carnis turpitudinem, aliud habere carnis tribulationem: illud est criminis facere, hoc laboris est pati, quem plerumque homines etiam pro officiis honestissimis non recusant.*

Tribulationem tamen carnis habebunt huiusmodi. Cur signatè matrimonio iunctis carnis prænunciat tribulationem, cùm hæc his omnibus sit communis, qui in carne sunt, carnemque circonferunt? An quia præcipuè carnis tribulationem sentiunt, qui voluptatibus vacant? *De coniugibus*, inquit S. Gregor. lib. 12. Moral. c. 14. *Paulus dicit: Tribulationem tamen carnis habebunt huiusmodi. Sed tribulationem carnis hîc pati possunt etiam hi, qui spiritualiter viuunt. Cur ergo inesse coniugibus* CARNIS TRIBVLATIO QVASI SPECIALITER DICITVR *(quæ etiam à vita spiritualium longè non est)* NISI QVOD HI FREQVENTER MAIORES TRIBVLATIONES CARNE SVSCIPIVNT, QVI CARNIS VOLVPTATIBVS DELECTANTVR? Idem habet Sanctus Anselmus hîc.

Tribulationem carnis. Præclarè hæc verba ex- 552.
pendebat S. Hieronymus in Apolog. pro lib. aduersus Iouinian. *Si autem nubentibus & in carne tribulatio est, in qua sola videbantur habere delicias: quid erit reliquum propter quod nubant, quum & in spiritu & in anima &* IN IPSA CARNE TRIBVLATIO EST?

Tribulationem carnis habent, qui carnis voluptates sequuntur: multis obnoxij molestiis, curis & angoribus sunt, qui matrimonij vinculis sunt ligati; vt non immeritò coniugium, DOLORVM OFFICINAM, Sanctus Basilius appellarit.

Ego autem vobis parco.

E*Go autem vobis parco.* Quid sibi his verbis 553.
Apostolus voluerit, explicat in hæc verba Sanctus Augustinus lib. de Sancta virginit. c. 26.

Quod autem se dicit eis parcere, quos ait tribulationem carnis habituros; nihil mihi interim sanius occurrit, quàm eum noluisse aperire & explicare verbis eandem ipsam carnis tribulationem, quam praenunciauit eis, qui ELIGVNT NVPTIAS; IN SVSPICIONIBVS ZELI CONIVGALIS, in procreandis filiis atque nutriendis, in timoribus & maeroribus orbitatis. Quoties enim quisque cùm se connubij vinculis alligauerit, non istis trahatur atque agitetur affectibus? quos neque nos exaggerare debemus, ne ipsis non parcamus, quibus parcendum existimauit Apostolus.

Tempus breue est.

BReue, ac contractum istius vitae tempus est, & plerumque spe nostra breuius est, atque adeo ex eo minimum, & si fieri posset nullum esset decerpendum, quod vitae istius curae impendatur. Breue est tempus, breuitasque ista nos à rerum terrenarum cogitatione auocare debet; quae ferè coniugia solet comitari.

Et qui habent uxores, tanquam non habentes sint; & qui flent, tanquam non flentes.

554. VXores habendae tanquam non habeantur, quia tempus breue est; iustius de vxorum ornamentis id dicatur, tem ita pressit Tertullianus de cultu foeminarum cap. 9. *Si ergo*, inquit, *vxores quoque ipsas sic habendas demonstrat eanquam non habeantur propter angustias temporum, quid* DE VANIS HIS INSTRVMENTIS EORVM?

Tanquam non habentes sint; & quod est consequens ob temporis breuitatem qui vxorem non habet non facilè illam accipiat, ne tempus saluti destinatum rebus huius seculi impendere matrimonij onere ad id quodammodo impellente cogatur. Oppotunè Sanctus Hieronymus lib. 5. in cap. 29. Ieremiae, vbi ad hunc Pauli locum spectans, ait: *Nobis per Apostolum dicitur: tempus breue superest, vt qui habent vxores tanquam non habentes sint, quod si propter angustiam temporis habentibus vsus vxorum tollitur, quantò* MAGIS NON HABENTIBVS, NE ACCIPIANT IMPERATVR? aut tanquam expeditius consulitur.

555. *Tanquam non habentes sint.* Quod de vxoribus hîc dicit Apostolus vitiis Clemens Alexandrinus aptauit libro 2. Paedag. capite 3. dum ait: *Reliquum est, vt & qui habent vxores, sint tanquam non possidentes. Quod si hoc dixit in coniugio, in quo dixit Deus, Crescite & multiplicamini, quomodo* PVTATIS ARROGANTIAM AC SVPERBIAM *non esse ex authoritate Domini exterminandam?*

Totum hunc locum egregio (vt solet) donat commentario S. Gregorius 3. pat. Pastor admonit. 28. *Paulus dicit: Qui habent vxores, tanquam non habentes sint; & qui flent, tanquam non flentes, & qui gaudent, tanquam non gaudentes. Vxorem quippe quasi non habendo habet, qui sic per illam carnali consolatione vtitur, vt tamen nunquam ad praua opera à melioris intentionis rectitudine eius amore flectatur.* VXOREM QVASI NON HABENDO HABET, *qui, transitoria esse cuncta conspiciens, curam carnis ex necessitate tolerat; sed aeterna gaudia spiritus ex desiderio expectat. Non flendo autem flere; & sic exteriora aduersa plangere, vt tamen nouerit aeterna quoque spes consolatione gaudere. Et rursum non gaudendo gaudere; & sic de infirmis animum extollere, vt tamen nunquam desinat summa formidare.*

Ex his verbis hospites huius Mundi nos esse, mentemque à terrenis auocandam colligebat Sanctus Leo; sic enim ille scribit sermone 10. de Quadragesima. *Iubet per Apostolum doctrina Diuina, vt qui habent vxores tanquam non habentes sint; & qui flent; tanquam non flentes, & qui gaudent, tanquam non gaudentes; & qui emunt, tanquam non possidentes; & qui vtuntur hoc mundo, tanquam non vtantur: praterit enim figura Mundi huius: Beata igitur mens, qua peregrinationis sua tempora casta sobrietate transcurrit; & in iis, per qua necesse est eam ambulare, non remanet; vt hospita magis quàm domina terrenorum; nec affectibus sit innixa humanis, nec promissionibus desit Diuinis.* 556.

Tanquam non habentes. Ne à Dei obsequio, vxorum affectu & obsequio auertantur. Addit Sanctus Thomas: *Hodie faciunt è conuerso; quia* QVI NON HABENT, SVNT TANQVAM HABENTES; quod nollem iu plures posse iaci.

Et, qui gaudent, tanquam non gaudentes.

TAnquam non gaudentes. Semper hîc aliquid est, quod gaudium inficit. Vt alia desint, iudicij futuri cogitatio id praestat abundè. Certè huc vocat haec verba Sanctus Gregorius homilia 39. in Euangelium. *Per Paulum dicitur: Qui gaudent, tanquam non gaudentes sint; quia, & si qua est praesentis temporis, ita est agenda laetitia, vt* NVNQVAM AMARITVDO SEQVENTIS IVDICII RECEDAT A MEMORIA: *quatenus, dum menti pauida extrema vltionis timore transfigitur, quantum nunc praesens laetitia, tantùm post ira subsequens temperetur.* 557.

Et, qui emunt, tanquam non possidentes.

TAnquam non possidentes. Scilicet collecti, breuisque temporis memor non sibi sed aliis colligit, aliisque habet, quae possidet. O vtinam quae ad Seuerum scribens de Seuero dicebat Sanctus Paulinus omnibus conueniret: *In quo possessor videris, soluta à possessionum vinculis mente perfectus es: qui* COLLECTI TEMPORIS, *memor illud Apostoli compleas, vt habens non habeas: quia non tibi: Sed non habentibus habes.* DOMVS TVAE HOSPES ES: VT SIS HOSPITVM DOMVS; *patria tua peregrinus es & exul istius mundi, vt sis incola paradisi, & patria Ciuis antiqua.* Sic ille epist. 2. ad Seuerum.

S E C T I O III.

558 *Vti mundo, non seruire Mundo debemus.*

559 *Ex bonis Mundi benefacere debemus.*

Mundi

Mundi bona & bonis dantur, ne mala putentur; & malis, ne putentur magna.

Mundi figura vt decipiat.

560 *Nihil ſolidi, nihil firmi aut ſtabilis Mundus habet.*

Mundus fallentibus venenatus illecebris.

561 *Quænam ſolicitudo probanda, quænam improbanda.*

Fæcunda ſolicitudinum ac curarum mater, coniugium.

Filij grauiſſimarum curarum onera.

562 *Virginum excellentia,*

563 *Carnis & ſpiritus coniugium quale.*

564 *Coniugij nexus & ſanctitatis.*

565 *Corporis puritatem cordis munditia comitari debet.*

Virginis definitio qualis.

566 *Puritas & caſtitas ad omnia membra extendenda.*

Rerum terrenarum ſolicitudo animam vt contaminet.

567 *Vidua & virgo placere Deo quærat.*

Ægrè Dei meminit, quæ terreno viro iuncta.

568 *In Patris voluntate nupturæ filiæ voluntas.*

569 *Dormiendi verbum cur de ſolis hominibus mortuis dicatur, non de brutis.*

Secundæ & tertiæ nuptiæ non damnandæ.

570 *Beatior non nubens, vt tamen non deſinat eſſe beata, quæ iterum nubit.*

Secundæ nuptiæ quibus incommodis expoſitæ.

571 *Perſtricti, qui impurè nuptias & nuptialia tractant.*

Dei ſpiritum ſe habere, cur Paulus dixerit; viduitatem ſeruandam docens.

572 *Nubendi cùm veniam daret Apoſtolus, ſpiritum Dei ſe habere cur non dixerit.*

Et, qui vtuntur hoc Mundo, tanquam non vtantur.

558. *QVi vtuntur hoc Mundo tanquam non vtantur*, Quid hîc illi, qui Mundo non vtuntur, ſed ſeruiunt Mundo? Vix Chriſtiani nomen ſuſtinent, qui tales ſunt. *Quid debet facere Chriſtianus?* inquit Sanctus Auguſtinus in Pſalm. 95. VTI MVNDO, NON SERVIRE MVNDO. Ita tamen vtatur, tanquam non vtatur.

Incipit maior eſſe Mundo, qui vtitur Mundo quaſi non vtatur: quia nimirum non diligit,

quo vtitur; neceſſitatique ſeruit, non voluptati. Sanctus Auguſtinus lib. 5. contra Iulianum Pelagianum cap. 16. *Paulus, & qui vtuntur, inquit, hoc Mundo, quaſi non vtantur. Quid eſt quaſi non vtantur? niſi non diligant, quo vtuntur; quoniam tale eſt, vt benè aliter non vtantur? Et hoc quidem etiam in his rebus obſeruandum eſt, quæ in hoc Mundo ſic bona ſunt, vt tamen eas diligi non oporteat. Quis enim malum eſſe pecuniam rectè dixerit? & tamen nemo ea bene vtitur, qui dilexerit; quantò magis libidine?*

Vti mundo, mundaniſque rebus poſſumus, frui non debemus; bene mundo vtitur, qui vſum in bonum finem dirigit. S. Auguſtinus epiſt. 10. ad hunc locum ſpectans monitum iſtuc exhibebat: *Sic vtaris hoc mundo tanquam non vtens, vt* EX BONIS EIVS BENE FACIAS, *non malus fias, quia & ipſa bona ſunt, & ne putentur mala dantur & bonis, ne putentur magna vel ſumma bona dantur & malis*; ſicque illi prouocentur ad bonum & deſinant eſſe mali, illi ad melius vocentur & meliores euadant. 559.

Præterit enim figura huius Mundi.

P*Ræterit enim figura huius Mundi.* Nonnulli ex Græco vertunt: *Decipit huius figura Mundi.* Cohærent hæ lectiones. Præterit & DECIPIT; QVIA STARE PVTATVR, Et non præterire; vt deceptio quædam, rerum mundanarum tranſitus, & abitio ſit.

Præterit enim figura huius Mundi. vt nihil ſolidi habeat, nihil permanentis. *Quid eſt*, inquit S. Theodorus Studita ſerm. catech. III. *Præterit figura huius Mundi? id eſt labitur, præterequitat, nec* VEL DIVTVRNAM STABILITATEM OBTINENS: *ſed, qui heri nitidus, hodie ſqualidus: qui heri in re ſplendida, hodie in miſeria eſt. Nunc extollitur ille, nunc alter dignitate ruit: hic è paupere fit diues, alius è diuite pauper; milleque mutationibus atque vicibus ærumnoſa noſtra vita ſubiecta eſt, nihil poſſidens conſtans.* 560.

Præterit citò mundi huius figura, ſed non citò prætereunt damna, quibus figuræ huius amatores afficiuntur; nam vt ait S. Paulinus epiſt. 2. ad Seuerum, *tota mundi huius figura, quæ præterit, &* per OCVLOS CORDA PROLECTAT, *diabolicis prætenta retibus in qualibet ſui ſpecie laqueus menti, & gladius eſt, capit & ferit, & vulnus grandius efficit, quò amantur incautius quæ ille decipiendis offert decepturus.* Addit ſtatim: *excipit nos mundus iſte variis voluptatibus florens, &* FALLENTIBVS VENENATVS ILLECEBRIS, vt ſcilicet eos quos exceperit veneret.

Volo autem vos ſine ſolicitudine eſſe.

SOlicitus Paulus eſt, ne fideles nimia rerum terrenarum ſolicitudine premerentur, qua à cæleſtium rerum cogitatione auocarentur; nam ſolicitudo circa iſtas optima eſt. Bene Vgo Victorinus hîc: *Volo autem vos ſine ſolicitudine eſſe, videlicet mala.* MALA SOLICITVDO EST VEHEMENS, ET ANXIA CVRA, *quæ mentem in iis, quæ Dei ſunt, manere non ſinit.* BONA SOLICITVDO *eſt, quæ quis non ſolùm vt præcepta Dei impleat, ſed vt aliquid ſuperaddat, ſolicitus eſt.* 561.

Sine solicitudine esse; Fœcunda solicitudinum, ac curarum noxiarum mater coniugium solet esse; quarum aliquas nobis ob oculos ponit Sanctus Paulinus cuidam militi scribens, sic enim loquitur: *Volo vos sine solicitudine esse, hoc est, vt nihil præter Deum, & salutem nostram cogitemus; nam vxor & filij, quanquam & ipsa diuinitus nobis pignora data sint,* TAMEN GRAVISSIMARVM CVRARVM ONERA SVNT. *Vnde idem Apostolus ait, quia tribulationem Carnis habebunt huiusmodi: quia necessitudinis nostræ carnes, quantò chariores nobis sunt, tantò magis nos discruciant & fatigant. Nam vxore accepta primùm optantur filij: & si non suscipiuntur, sterilitas lugetur: Si suscipiuntur orbitas timetur; ac proinde nunquam in carnalibus affectionibus, ita requiescit animus, vt cruciatu careat, dum necessitudines suas, aut bonas amat, cum amittendi metu; aut malas odit, cum amittendi voto, in vtroque miseriis sustinendis* SEMPER OBNOXIVS.

Qui autem cum vxore est, solicitus est, quæ sunt Mundi, quomodo placeat vxori, & diuisus est.

562. ET *diuisus est*. Sanctus Hieronymus aduersus Heluidium legit: *Et diuisa est mulier, & virgo.* Hinc elicit virginis excellentiam, vtpotè quæ virginitate supra sexum suum efferatur. *Tempus breuiatum est: reliquum est, vt, qui habent vxores, sic sint, quasi non habeant. Adhærentes Domino, vnus cum eo efficimur spiritus. Quare? Quia qui sine vxore est, cogitat ea, quæ Domini sunt, quo modo placeat Deo: qui autem cum vxore est, solicitus est, quæ sunt huius Mundi, quomodo placeat vxori; & diuisus est. Mulier, & virgo, quæ non est nupta, cogitat, quæ sunt Domini, vt sit sancta corpore & spiritu: nam quæ nupta est, cogitat, quæ sunt Mundi, quomodo placeat viro. Quid oblatras? quid repugnas? Vas electionis hæc loquitur, Diuisa est, dicens, mulier & virgo.* VIDE, QVANTÆ FOELICITATIS SIT, QVÆ ET NOMEN SEXVS AMISERIT. VIRGO IAM, MVLIER NON VOCATVR.

Et mulier innupta, & virgo cogitat, quæ Domini sunt; vt sit Sancta corpore & spiritu: quæ autem nupta est, cogitat, quæ sunt Mundi, quomodo placeat viro.

563. QVod de muliere & viro hîc habet Apostolus concinnè ad spiritum & carnem aptat Beatus Laorentius Iustioianus: religio sit eius verba hîc supprimere. Sic ille scribit de Discipl. monast. conuersat. cap. 20. *Sicut autem rationalis spiritus, cum Deo coniunctus, vnus cum illo efficitur spiritus: ita & carni confœderatus (vt sic dicam) vna efficitur caro. Propterea, quemadmodum mulier, quæ viro alligata est, quæ Mundi sunt cogitat, quomodo placeat viro:* SIC ET SPIRITVS, CARNI IRRATIONABILITER COPVLATVS, TANTO VEHEMENTIVS, *quantò naturalis amoris vinculo conglutinatus est strictiùs. Thori namque amor perquam frequenter concupiscentiarum impulsu polluitur, animi concitatione diuiditur, sed omninò morte interueniente extinguitur: anima verò & carnis affectio nullo euentu, nullaque lege nec in præsenti nec in futuro dirimitur: quin potiùs puriùs, ardentiùs, perfectiùsque in anima, & corporis glorificatione perseuerat.*

Vt sit sancta. Sancta, quæ non nubit, esse debet, ita tamen, vt à sanctitate non ablegetur, quæ nupserit, si puritati, & modestiæ nubat non minùs, quàm viro. *Quod ergo ait,* inquit S. Augustin. lib. de Bono coniug. c. 11. *Quæ innupta est cogitat ea, quæ sunt Domini, vt sit sancta & corpore & spiritu, non sic accipiendum est, vt putemus non esse sanctam corpore Christianam coniugem castam; omnibus quippe fidelibus dictum est: Nescitis, quoniam corpora vestra templum in vobis sunt Spiritus sancti, quem habetis à Deo?* SANCTA SVNT ERGO ETIAM CORPORA CONIVGATORVM, *fidem sibi & Domino seruantium. Cui sanctitati cuiuslibet eorum nec infidelem coniugem obsistere, sed potiùs sanctitatem vxoris prodesse infideli viro, aut sanctitatem viri prodesse infideli vxori idem Apostolus testis est dicens: Sanctificatus est enim vir infidelis in vxore fideli, & sanctificata est mulier infidelis in fratre fideli. Proinde illud dictum est secundùm ampliorem sanctitatem innuptarum, quàm nuptarum; cui merces etiam debetur amplior, secundùm quòd isto bono illud est melius; quia & hoc solum cogitat fœmina, quod placeat Deo.* 564.

Vt sit sancta corpore & spiritu. Parum prodest corporis castitas, nisi eam mentis exornet puritas, ac veluti animet. *Illud arctius*, inquit S. Petrus Damianus lib. 8. epist. 14. *mentibus vestris infigite: illud sedula meditatione versate, quod dicitur. Vt sit sancta corpore & spiritu.* QVID ENIM PRODEST CASTITAS CORPORIS, *quid castigatio vel afflictio carnis,* SI DESIT PVRITAS, ET MVNDITIA CORDIS? 565.

Hanc virginis definitionem vocat S. Hieronymus aduersus Heluidium. *Quæ,* inquit, *non est nupta, cogitat, quæ sunt Domini, vt sit sancta & corpore & spiritu.* VIRGINIS DEFINITIO, *sanctam esse corpore & spiritu; quia nihil prosit carnem habere virginem, si mente quis nupserit.* & lib. 2. in Ierem. cap. 7. *Nesciunt illam* DEFINITIONEM APOSTOLI *virginalem: vt sit Sancta corpore & Spiritu; quid enim prodest corporis pudicitia animo construpato.*

Sanctam corpore virginem requirit Apostolus, ne ad vnum membrum puritas & castitas coërceretur: vt scilicet & in verbis, & in gestis omnibus castitas appareat. Pulchrè totum hunc locum expendebat ille auctor dum ait: *Continentia castitatis illa est, quam suadens Apostolus ait: Quæ innupta est & virgo, cogitat quæ Domini sunt, vt sit sancta corpore & spiritu.* CORPORE, *inquit,* TOTO, NON VNO MEMBRO; *vt ad nullam scilicet lasciuiam in factis, vel in dictis eius aliquod membrum declinet. Spiritu verò tunc sancta est, quando eius mentem nec consensus inquinat, nec superbia inflat.* 566.

Cogitat, quæ sunt Mundi. Atque adeò immonda redditur, ipsaque solicitudo (vt aliud grauius desit) animam quodammodo inficit & attaminat. Sanctus Athanasius de Virginit. integrum Pauli locum cùm produxisset, addit: *Hoc igitur dico, quòd omnis virgo aut vidua continens, si curam suam collocet in mundanis, eius rei cura illi pro marito est, siue possessiones siue alias substantias solicitudine sua amplectatur.* IPSA ENIM SOLICITVDO CONTAMINAT EIVS ANIMAM,

vt

vt enim per virum corpus contaminatur; ita quoque habitus mundani & animam & corpus continentis conſpurcant; neque iam eſt ſancta & corpore, & ſpiritu.

Quomodo placeat viro. Mulier ſtudet placere:
567. cur non magis ſtudeat, quæ non homini nupſit, ſed Deo? Aptè rem vrget S. Petrus Damian. lib. 8. epiſt. 14. *Plane* SI VXORES QVÆLIBET MORTALIBVS VIRIS PLACERE SVMMO DESIDERIO SATAGVNT; QVANTO VIGILANTIVS QVANTOQVE SVBTILIVS SANCTÆ VIDVÆ DEBENT INTERIORIS HOMINIS SPECIEM DECORANDO COMPONERE, VT INVISIBILIS SPONSI DECORÆ VALEANT OBTVTIBVS APPARERE? *Nam ſicut idem ait Apoſtolus, Quæ innupta eſt, ſolicita eſt, quæ ſunt Domini, vt ſit ſancta corpore, & ſpiritu: quæ autem nupta eſt, ſolicita eſt, quæ ſunt Mundi, quomodo placeat viro. Solicita eſt nupta, ne in aliquo diſpliceat viro poſt paululum morituro: quantò ſolertius ſtudendum eſt viduæ placere Cæleſti Sponſo per ſecula regnaturo? Studet nupta, vt virum ſuum falerata compoſitionis forma demulceat: quantò magis intendum vidua, vt in conſpectu Dei ſanctis virtutibus tanquam rutilantibus margaritis ornata niteſcat? Contendit illa, vt venuſti vultus appareat, vt decori nullus fœditatis nęuus obrepat: quantò cautius ſancta viduæ ſatagendum eſt, ne mens eius implacabilis odij, vel turpis concupiſcentiæ ſqualore ſordeſcat?*

Quomodo placeat viro. Cur non addidit? *Et diuiſa eſt*, ſicut de viro dixerat, *Et diuiſus eſt*. An quia (vt ille ait) *non diuiſim, ſed ſic totam ſe tradat viro, vt vix Dei meminerit?*

Poteſtatem autem habens ſuæ voluntatis, & hoc iudicauit in corde ſuo, ſeruare virginem ſuam, benè facit.

568. IN patris ſeu cuſtodis voluntatem reiicit, virginem filiam locare ſeu non locare. Sed cur voluntatis quoque filiæ non fit mentio? An, quia hæc in patris voluntate contineri intelligitur? *Notandum*, inquit hîc Eſtius, *vtrobique* IN VOLVNTATE PATRIS ETIAM INTELLIGI VOLVNTATEM FILIÆ, SINE QVA CONSTARE NON POSSET EIVS MATRIMONIVM. *Solum autem patrem nominauit; quia ſolent honeſtæ puellæ negotium ſui matrimonij parentibus relinquere, ſeque quo ad hanc rem pertinet, eorum voluntati conſentiendo permittere. Qua tamen in re prudentes illos eſſe oportet, vt de filia nihil ſtatuant, niſi prius benè perſpecta eius voluntate ac propenſione; nam reuera parentum iſta libertas ſiue poteſtas, de qua hic loquitur Apoſtolus, à voluntate filiæ dependet.*

Quòd ſi dormierit vir eius, liberata eſt.

569. Q*Vòd ſi dormierit vir eius.* Pulchra vtiliſque obſeruatio eſt, quæ circa *Dormiendi* verbum extat apud Eſtium hîc *Obſeruandum eſt*, inquit, *de ſolis* HOMINIBVS MORTVIS *dicere ſcripturam tam veteris quàm noui teſtamenti, quòd dormiant propter ſpem reſurrectionis: nam* DE BRVTIS ANIMANTIBVS *nihil vſquàm tale legitur.*

Vir eius. Non dixit, ſecundum, tertium aut quartum; ne quis ſecundas, tertias, aut quartas damnet nuptias. *Ait Apoſtolus*, inquit Sanctus Auguſtinus lib. de Bono viduit. capite 12. *Mulier alligata eſt, quandiu vir eius viuit.* NON DIXIT, PRIMVS AVT SECVNDVS, AVT TERTIVS, AVT QVARTVS; *ſed Mulier inquit, alligata eſt, quandiu vir eius viuit: ſi autem mortuus fuerit vir eius, liberata eſt, Cui vult nubat, tantùm in Domino. Beatior autem erit, ſi ſic permanſerit.*

Beatior autem erit, ſi ſic permanſerit ſecundum meum conſilium.

B*Eatior autem erit, ſi ſic permanſerit.* Dum non nubentem beatiorem vocat, indicat & 570.
nubentem iterum, eſſe beatam, nec ſecundas nuptias damnandas eſſe. Pulchrè S. Auguſtinus lib. de Bono viduit. cap. 5. *Quùm dicit: Beatior autem erit, ſi ſic permanſerit ſecundùm meum conſilium; ſatis oſtendit*, BEATAM ESSE IN DOMINO ETIAM POST MORTEM VIRI ITERVM NVBENTEM FIDELEM: *ſed in eodem Domino viduam beatiorem, hoc eſt (vt ſcripturarum non tantùm verbis verumetiam exemplis loquar) beatam eſſe Ruth, ſed Annam beatiorem.* Eodem etiam ſpectabat S. Chryſoſtomus ſerm. 46. de Diuerſis noui Teſtamenti locis; vbi ſecundarum nuptiarum incommoda adiecit in hunc modum. *Beatior eſt autem ſi ſic permanſerit. Vt igitur bonum eſt coniugium, ſed melius eſt primum, & ſolum.* NON IGITVR CONIVGIVM SECVNDVM REIICIMVS, *neque hæc præcipimus, ſed cohortamur, vt ſi quis caſtitatem ſeruare poſſit, ſit priori contentus.* Addit ſtatim: *Cohortamur autem & conſulimus ad ſtabiliendam domus ſecuritatem: ſæpe namque* SECVNDÆ NVPTIÆ QVOTIDIANARVM, ET PVGNARVM, ET CONTENTIONVM INITIVM ET OCCASIONEM ATTVLERVNT. *Sanè multoties euenit, vt aſſidens menſæ maritus prioris vxoris recordatus, leniter fleat: at illa confeſtim excandeſcit, & tanquam fera inſilit, & ſui in illam amoris ab eo pœnas exigit. Quod ſi voluerit laudare defunctam, tum contentionis & pugnæ occaſio ex laudibus illius offertur.*

Puto autem, quòd & ego ſpiritum Dei habeam.

ET quis dubitauit, Dei ſpiritum habere Dei 571.
Apoſtolum? An hoc dixit, ne quis crederet, cùm de re vxoria egiſſet, & de iis, quæ carnem ſpectant, tractaſſet, Spiritum Sanctum ab eo aufugiſſe? *Idcirco hoc dixit*, inquit Tertullianus cap. 4. in Exhort. caſtit. *vt ſibi Apoſtoli* FASTIGIVM *redderet*, quaſi de Apoſtolatus culmine eſſet demiſſus, dum ſe ad carnis officia, nuptiarúmque munia demiſerat. Quid hîc illi, qui impura, aërem ipſum inficientes, auréſque conſtuprantes, euomunt; neque NVPTIALIA tractant, vt inſtruant, ſed inhoneſta vt ſe, auditoréſque conſpurcent?

Cur Dei ſe ſpiritum habere hîc Paulus dixit? Ne quod de viduitate ſeruanda conſilium dederat, humanum putaretur, & non potiùs Diuinum; quod notauit etiam S. Auguſtinus lib. de Adulterin. coniug. cap. 18. *Cùm dixiſſet de muliere, cuius vir mortuus fuerat: Beatior autem erit, ſi ſic permanſerit ſecundum conſilium meum; ne quis hoc conſilium tanquam humanum, non Diuinum, contemnendum putaret, adiecit:*

Portari à nobis Christus debet, non trahi.

Omnia mihi licent, sed ego sub nullius redigar potestate.

526. QVòd se sub nullius potestate redigendum, non de personis tantùm intelligi potest, sed etiam de rebus quibuscunque; vnde Estius vertit: *Non redigar sub vllius rei potestatem.* Nimirum, sub illius rei potestatem is redigitur, qui plus æquo eam amat. Amor vinculum est, quo ligatur. *Qui nimis*, inquit Sanctus Thomas, REM ALIQVAM AMAT, QVODAMMODO SERVVS ILLIVS EFFICITVR. Sic fit, vt duriori, grauiorique diuites seruitute premantur, quò plura possident, in quæ nimio feruntur amore.

Esca ventri, & venter escis. Deus autem & hunc & has destruet.

ET *hunc, & has destruet.* Sanctus Augustinus legit, *Euacuabit.* Sicque locum hunc explicat in Psalm. 50 *Esca ventri, & venter escis: Deus autem & hunc & has euacuabit. Erit forma corporis perfecta ex Deo, absorpta morte in victoriam, nulla remanente corruptione, nulla surrepente defectione, nullis mutata ætatibus, nullo labore lassata, vt nullo cibo fulciatur; & aliqua esca reficiatur. Sed non erimus sine esca & potu*: IPSE ERIT CIBVS NOSTER, DEVS, ET POTVS NOSTER. *Solus ille cibus reficit, nec deficit.*

Corpus autem non fornicationi, sed Domino.

527. COrpus *autem non fornicationi.* Cum de escis esset loquutus, ad fornicationem transit; quia ab illarum superfluitate facilis est ad hoc vitium lapsus. *Sanctus Apostolus*, inquit hîc Sanctus Anselmus, *contra superfluitatem escarum disputans, consequenter venit ad* FORNICATIONEM: ETENIM SVPERFLVITAS ESCARVM MATER LIBIDINIS EST, *ventremque distentum cibo, & vini potationibus irrigatum voluptas genitalium sequitur, atque pro membrorum ordine ordo vitiorum est.*

Tollens ergo membra Christi, faciam membra meretricis?

TOllens *ergo membra Christi.* Qui scilicet nostrum est caput. Quod & de propriis membris intelligi potest & de alienis: luxuriæ enim mancipium facilè exemplo suo alios prouocat ad paria. Hinc B. Dionysius hîc: *Tollens membra Christi; idest, corpus meum & alterius, quem ad voluptatem meo exemplo induco*; tantum ad malum, malum exemplum potest.

An nescitis, quoniam, qui adhæret meretrici, vnum corpus efficitur?

QVod de viro asserit ad mulierem transferendum est, cum par sit vtriusque ratio. Sanctus Hieronymus ad Oceanum epist. 30. *Quidquid* VIRIS IVBETVR HOC CONSEQVENTER REDVNDAT IN FOEMINAS. *Neque enim adultera vxor dimittenda est, & vir mœchus retinendus. Si, qui meretrici iungitur, vnum corpus facit: ergo & quæ scortatori impuróque sociatur, vnum cum eo corpus efficitur.*

Qui autem adhæret Domino vnus spiritus est.

HÆc verba iis aptat Beatus Laurentius Iustinianus, qui mundi amore correpti, mundo adhærent, sic ille scribit de casto connubio cap. 21. *Sicut qui adhæret Deo vnus spiritus fit, ita qui* FVGACEM AMPLECTITVR MVNDVM, VNVM EFFICITVR CVM EO. *Proinde Dei sapientia illi, quem suo discipulatu dignum facere cupiebat, ait: Dimitte mortuos sepelire mortuos suos. Non enim vitam in se tenere posse indicauit mortuus in peccato copulatum.*

Vnus spiritus est. Patris & Filij æqualitatem, & in Deitate vnitatem hinc educebat S. Augustinus tract. decimoquarto, in Ioannem cap. 3. vbi ita scribit: *Si spiritus hominis quando inhæret Deo vnus spiritus est, apertè Apostolo dicente, qui adhæret Domino vnus Spiritus est*: QVANTO MAGIS FILIVS ÆQVALIS ADHÆRENS *patri simul cum illo vnus Deus est?* sic ille. 528.

Fugite fornicationem.

FVgite *fornicationem.* Dum fugam suadet, sequentem eam indicat: sequitur nos, sed quod est periculosius, in nobis ipsis; Sanctus Ambrosius lib. 1. de Pœnit. cap. 14. appositissimè rem expendebat: *Transeamus ergo & nos ignem hunc libidinis, quem timent Paulus, sed nobis timens, qui castigando corpus suum fecerat vt iam non timeret sibi, dicit nobis: Fugite fornicationem. Fugiamus ergo tanquam sequentem, quæ non post nos, sed in nobis sequitur. Nosmetipsos ergo videamus diligenter, ne dum illam* FVGIMVS NOBISCVM EAM PORTEMVS. *Volumus enim plerumque fugere, sed si non penitus eam de nostro excutimus animo, tollimus eam magis quàm relinquimus.* Idem tangebat idem S. Doctor in Psalm. 118. oct. 20. fugæ persequutionem annexam notans in hæc verba: *Apostolus ait, fugite fornicationem. Nam qua causa fugeres,* SI NVLLA TE PERSEQVERETVR? *est enim malus spiritus fornicationis, est malus spiritus auaritiæ, malus spiritus superbiæ. Isti sunt persecutores graues, qui sine gladij terrore mentem hominis frequenter elidunt, qui illecebris magis quàm terroribus animos expugnant fidelium.* Et lib. de fuga sæculi cap. 4. in eandem ferè mentem: *Apostolus clamat, fugite fornicationem, persequuntur enim nos peccatorum illecebræ, persequitur libido. Sed tu* FVGE TANQVAM FVRIOSAM DOMINAM. *Quæ si comprehenderit, nec die nec nocte requiescere sinit: exagitat, vrit, incendit. Fuge auaritiam, ne te interius comprehendat. Fuge inuidiam, quæ non solùm alienos, verum multò magis eum, quem possederit, lacerare consueuit. Fuge perfidiam, ne te suis inuoluat retibus.* Eodem spectat etiam Theodoretus hîc. *Non dicit*, inquit, *Odio habete & auersamini; sed, Fugite sciens, quàm sit acre & vehemens hoc peccatum, & eum,* QVEM IPSVM INSEQVITVR; *erigit; & præcipit, vt insequens fugiat.* 529.

Fugite fornicationem. Nobilis hæc fuga, & gloriosa, 530.

gloriosa, vt quæ ad victoriam ducat contra ac in aliis vitiis accidat, in quibus resistentia maximè ad victoriam facit. Huius autem discriminis quæ nam sit causa accipe à Beati Thomæ verbis hæc verba edisserentis: *Notandum*, inquit, *quod cætera vitia vincuntur resistendo, quia quantò magis homo particularia considerat, & tractat: tantò minus in eis inuenit vnde delectetur, sed magis anxietur*: SED VITIVM FORNICATIONIS NON VINCITVR RESISTENDO, *quia quantò magis ibi homo cogitat particulare, magis incenditur, sed vincitur fugiendo, idest totaliter vitando cogitationes immundas, & quaslibet occasiones.*

Omne peccatum quodcunque fecerit homo, extra corpus est: qui autem fornicatur, in corpus suum peccat.

531. FOrnicationis nomine omne genus impudicitiæ comprehendit, peccatque in corpus suum, qui huiusmodi vitio corripi se sinit, quia dehonestat illud, & ignominia afficit, excitans in eo brutales, ac fœdos motus; hinc illud Glossæ; *In fornicatione* TOTVS HOMO CARO EST. Sanctus Laurentius Nouariensis hom. 1. de Pœnitentia hunc Pauli locum hoc donat explicatu: *Est peccatum luxuriæ in membris, & est peccatum auaritiæ extra membra: & vt credas hoc ita esse quod dicitur, audi eundem Apostolum prosequentem. Omne peccatum quodcumque fecerit homo, extra corpus est; qui autem fornicatur, in corpus suum, peccat: sed dicis si pedes currunt ad prædam, si manus diripiunt, quomodo potest absque corpore esse peccatum: non est quidem dubium quod omne peccatum membris ministrantibus perpetratur*, SED ALIVD EST, PER MEMBRVM COMMITTERE, ET ALIVD IN MEMBRA DELINQVERE *Per membra enim quod committitur, in hoc animus delectatur. Carnis autem voluptas hoc nec sentit nec recipit. Et ideò dictum est; omne peccatum quodcumque fecerit homo, extra corpus est: libidinis verò faces, ardentesque furias intra se continet caro, ex radice luxuria pullulantes.*

An nescitis, quoniam membra vestra templum sunt Spiritus Sancti?

532. MEmbra vestra. De omnibus dicis, vt excludat nullum. *Non solum corpore*, inquit, Beatus Dionysius, *propter aliqua membra; sed omnia membra vestra, idest* CORPVS TOTVM TEMPLVM EST SPIRITVS SANCTI CONSECRATVM INHABITATIONI SPIRITVS SANCTI. Atque adeò singula membra solicitè custodienda sunt, tanquam omnia huic Spiritui sacra.

Membra vestra templum sunt Spiritus Sancti. Qui superius cap. 3. 16. dixerat: *Nescitis, quia templum Dei estis?* nunc Sancti Spiritus meminit, vt innueret verum esse Deum, non secus ac Pater, Filiusque. *Superius*, inquit S. Ambrosius, *Templum Dei, dixit: hic, Templum Spiritus Sancti;* QVIA IN SVBSTANTIA HOC EST SPIRITVS SANCTVS QVOD DEVS. *Hoc idcirco dixit, vt corpora nostra incontaminata seruemus, vt possit illic Spiritus Sanctus habitare.*

Templum sunt Spiritus Sancti. Quanta vilis alioquin corporis dignitas? Membra corporis, Spiritus Sancti dicuntur templum: animus quid erit, quid erit anima, quam scilicet Diuinus iste Spiritus subierit & inhabitauerit? explicet, qui potest.

Cum templum Dei corpora nostra sint, violanda peccatis hæc templa non sunt. Præstat sistere, quæ habet S. August. serm. 17 de verb. Dom. 533.
Nescitis, inquit Apostolus, quia templum Dei estis, & spiritus Dei habitat in vobis? Quisquis templum Dei violauerit, disperdet illum Deus. Nemo se fallat. Sed fortè ait aliquis: Templum Dei animus meus est, non corpus meum, adiicit etiam testimonium: Omnis caro fœnum, & omnis claritas eius tanquam flos fœni. Infelix interpretatio, puniendæ cogitatio! Fœnum dicta est caro, quia moritur: sed quod ad tempus moritur, non resurgat cum crimine Vis nosse apertam etiam inde sententiam? Nescitis, inquit idem Apostolus, quia corpora vestra templum in vobis sunt Spiritus Sancti, quem habetis a Deo: Iam non contemnatis corporalia peccata: ecce quia & corpora vestra templum in vobis sunt Spiritus Sancti, quem habetis a Deo. Contemnebas corporale peccatum: contemnis, quòd peccas in templum; Ipsum corpus tuum templum in te est Spiritus Sancti. IAM VIDE, QVID FACIAS IN TEMPLO DEI. *Si eligeres in Ecclesia facere adulterium intra istos parietes, quid hoc esset sceleratius? Modò autē tu ipse es templum Dei: templum intras, templum exis, templum in domo tua manes, templum surgis. Vide quid agas: vide,* NE OFFENDAS TEMPLI HABITATOREM, *ne deserat te, & in ruinam vertaris.*

Empti enim estis pretio magno.

EMpti enim estis pretio magno. Non potuit 534.
non esse magnum pretium cùm magnus ille fuerit, qui nos emit: emit enim nos suo sanguine, fecit se pretium nostrum, qui nos fecit. Emit pretio magno, sed non magnos, vt tamen faceret magnos, dum tanti nos fecit. *Vide benignitatem*, inquit Sanctus Chrysostomus homil. 21. ad Popul. *Nos prius, quàm pretium erogemus*, INTERROGAMVS EOS, QVI VENDVNT: *&, cum didicerimus, quod volunt*, TVNC PRETIVM EROGAMVS. *Christus verò non ita: verum &* PRETIVM EROGAVIT *pro omnibus nobis pretiosum sanguinem suum. Pretio enim, inquit* (Apostolus) *empti estis magno.*

Pretio magno; cùm adeo magnum sit pretium, magni fieri illud debet, quod tali emptum est pretio; quod licet præcipuè de hominis præcipua parte accipiendum sit, de anima scilicet, non est tamen quod ad corpus etiam non transferatur; transtulit Sanctus Augustinus serm. 16. de verbis Domini, vbi ait: *Si* CONTEMNIS CORPVS TVVM, CONSIDERA PRETIVM TVVM; contemnit, qui illud violat, & corporeatum voluptatum mancipium illud facit.

Verè magno pretio empti sumus, & à pretij 535.
magnitudine amoris colligi magnitudo potest; *Paulus*, verba sunt B. Laurentij Iustiniani lib. de Obedientia c. 5. *Empti, inquit, estis pretio magno, glorificate & portate Deum in corpore vestro. Sanè ex difficultate curationis, languoris magnitudo percipitur, atque ex pretij exhibitione, spiritualis seruitutis quam sit graue onus agnoscitur. Porrò ipse Dei & hominum mediator homo Christus Iesus nullum aliud pro electis suis voluit exponere pretium, quàm gratis præbere se ipsum, vt aduerterent,* QVANTA EOS CHARITATE DILIGERET.

Glorificate

Glorificate & portate Deum in corpore vestro.

G*Lorificate.* Non anima duntaxat glorificare Deum debemus, sed & corpore; *Quia enim,* ait hîc Sanctus Thomas, *membra vestra sunt templum Dei*, IN CORPORE VESTRO NIHIL DEBET APPARERE, NISI QVOD AD GLORIAM DEI PERTINET, *& hoc est glorificare Deum in corpore vestro, quia in Psalm. dicitur, in templo eius omnes dicent gloriam.*

Et portate Deum. Felix, qui hac sarcina onustus incedit, quæ portantem portat, & erigere suos baiulatores consueuit, non premere. Audiri hîc potest Sanctus Augustinus serm. 100. de Temp. *Apostolus ait: Glorificate & portate Deum in corpore vestro. Quantum possumus cum ipsius adiutorio laboremus, ne à ceruicibus nostris tam sanctam sarcinam malis operibus deponamus:* SARCINA ENIM CHRISTI LEVARE CONSVEVIT NON PREMERE. *Sic & ipse in Euangelio dixit: Iugum meum suaue est, & onus meum leue. Si enim iugum Christi subdita & humili ceruice suscipimus, magis nos portat, quàm à nobis portetur: sicut enim iugum saculi semper premit, ita iugum Christi leuare consueuit.*

536. Quî portari à nobis Christus debeat, pulchrè docebat Gillebertus Abbas in Allegor. Tim. ad hæc verba: *Qui dicit hoc, portari à nobis vult Christum; sed gloriosè, non cum tadio, non cum murmure, non cum indignatione, & fluctuante proposito: denique* PORTARI, *non* TRAHI: *Trahit, cui onerosus est Christus, onerosa castitas, onerosa humiliatio, obedientia grauis, pauperies sordet. Deformiter portas, qui sic conuersaris.*

CAPVT VII.

EPISTOLÆ PRIMÆ ad Corinthios expenditur & illustratur.

SECTIO I.

537 *Tangendi verbo cur vsus Paulus, cum de muliere ageretur.*
Non, vt parentur diuitia vxor quarenda.
538 *Castitatis exemplar vir vxori sit.*
Magnorum virorum est aliis se quoque demittere, aptare se aliis.
539 *Viro quæ cogitanda, qua dicenda, ne matrimonij iura violet.*
Christus totum se in Ecclesia sua vtilitatem vt expenderit.
540 *Quanta coniugij vis.*
Corpus quid in Diuinis litteris significet.
541 *Oratio etiam de sacrificio Eucharistia dicta.*
Carne nostra contra nos pugnat diabolus.
Satana ad homines tentandos studium.
542 *Ab ea nos parte diabolus tentat, vbi nos videt imbecilliores.*
Charitate superior aliis, alios sibi optat aquales.
543 *Pauli virginitas vnde collecta.*
Securior ad cælum via virginitas.
544 *Deus bonorum Auctor agnoscatur.*
Coniugij portus quando petendus.
545 *Nuptia pro remedeo.*
Occulta concupiscentia flamma.
Carnis calore non vri quàm illustre facinus.

Bonum est homini mulierem non tangere.

CVR *Tangendi* verbo sit vsus Apostolus, sic expendebat S. Hieronym. lib. 1. 537.
aduers. Iouinian. *Non dixit: Bonum est vxorem non habere, sed: Bonum est mulierem non tangere,* QVASI ET IN TACTV PERICVLVM *sit; quasi, qui illam tetigerit, non euadat.* Huc spectauit & S. Augustinus. *Beatus Apostolus,* inquit serm. 249. de Temp. *admonet nos, Bonum est, inquiens, mulierem non tangere.* QVASI STATIM IN TACTV PERICVLVM ESSET.

Propter fornicationem autem vnusquisque suam vxorem habeat.

VIdes cui rei quærenda vxor sit: non augendis diuitiis, non vitandæ paupertati, sed scortationi. Scitè rem vrget Sanctus Chrysostomus homil. Qual. vxor. sint ducen. loquiens: *Non dixit,* VT EVITETVR PAVPERTAS, VT PARENTVR DIVITIÆ. *Sed quid? Vt scortationem euitemus, vt moderemur concupiscentiam, vt viuamus sobriè, vt Deo placeamus, contenti vxore propria. Hoc nobis affert coniugium, hic eius fructus, hoc inde lucrum.*

Propter fornicationem autem vnusquisque 538.
suam vxorem habeat. Ad castitatis legem priùs vocat virum, deinde mulierem, vt exemplo præeat, qui caput est, contra ac leges humanæ faciant, quæ in hac parte laxiores in viros erant; quàm in vxores. *Meritò,* inquit Theodoretus, PRIORI HOC IVS STATVIT, QVONIAM MARITVS EST CAPVT VXORIS. *Humana enim leges mulieribus quidem castas esse pracipiunt; &, si contra legem faciunt, in eas animaduertunt: sed à viris non eandem castitatem exigunt; cum enim viri essent, qui leges tulerunt, aqualitatem non curarunt; sed sibi veniam dederunt. Diuinus autem Apostolus, Diuina gratia inspiratus, primum quidem legem viris instituit, vt casti sint.*

Vxori vir debitum reddat: similiter autem & vxor viro.

V*Xori vir debitum reddat.* Nimirum, licet vsque ad tertium Cœlum esset elatus Paulus, se

se tamen ad aliorum vtilitatem adeò demittit, vt, quæ carnem sapiunt, catuis ferè expers, decernat. Scitè S. Gregorius lib. 3. Dial. cap. 17. *Quod ad Cœli tertij secreta ducitur, & tamen mentis oculum per compassionem reflectit ad dispensandum cubile coniugatorum dicens: Vxeri vir debitum reddat: similiter & vxor viro. Quod admiscetur in contemplatione Angelorum, &* TAMEN NON ASPERNATVR COGITARE ATQVE DISPONERE FACTA CARNALIVM. Nimirum magnorum virorum est aliis se demittere, aptare se aliis.

Vir sui corporis potestatem non habet, sed mulier.

539. HÆc porrò verba quando præcipuè cogitanda sint, & dicenda ducet S. Chrysostomus, *cum te*, inquit, *accinerit meretrix, hoc verbum cum animo tuo* COGITA, ET DIC: VIR CORPORIS SVI POTESTATEM NON HABET, SED MVLIER: *ac verbum istud in pectore tuo conscribe, atque iis ad scortum verbis vtere: quid me vocas? corpus non est meum, sed vxoris meæ, quare id quod alienum est, prodere non audeo: an cum ipsius dotem imminuere, aut ea quæ ad eam spectant, consumere nequeam, corpus meum, quod in ipsius potestate est, contaminare audeam? quonam pacto? id planè nequeo.* Sic ille hom. in Psal. 50.

Quod de corporali coniugio hîc Paulus asserit, aliqui ad spiritalem, quod inter Christum & Ecclesiam est, transtulerunt. Hinc illud illius boni authoris: *Sicut in corporali coniugio vir sui corporis potestatem non habet, sed mulier: ita in spirituali ac mystico, inter Christum & Ecclesiam consecrato, Christus sui iuris quodammodò esse noluit,* VT SE TOTVM IN ECCLESIÆ VTILITATEM EXPENDERET, *sicut ait S. Bernard. tract. de dilig. Deo: se dedit in meritum, se seruat in præmium: se apponit in refectione animarum sanctarum, se in redemptione distrahit captiuarum.*

Vir sui corporis potestatem non habet, sed mulier. Quanta coniugij vis, vt fortiorem subiiciat imbecilliori! Duram eius necessitatem hinc colligebat S. Ambros. lib. de Viduis. *Licet*, inquit, *nubere: sed pulchrius est abstinere; sunt enim vincula nuptiarum. Vultis scire, quæ vincula? Quæ sub viro est, mulier, viuente viro, alligata est legi: si autem mortuus fuerit, soluta est à lege viri. Probatum est igitur vinculum esse coniugium, quo mulier ligatur & soluitur. Bona mutui amoris gratia: sed maior est seruitus; neque enim mulier sui corporis potestatem habet, sed vir. Et ne fortè tibi non coniugij videatur ista seruitus esse, sed sexus; similiter & vir sui corporis potestatem non habet, sed mulier.* QVANTA IGITVR CONIVGII NECESSITAS, QVÆ SVBIICIAT ALTERI ETIAM FORTIOREM! *mutuis enim necessitatibus ab vtroque seruitur; nec temperanti licet iugo subducere caput, cum alterius intemperantiæ seruiendum.*

540. *Sui corporis*; Hæc non de toto corpore sed de parte, quæ sexus discriminat esse intelligenda notabat S. Aug. libro 5. capite 5. contra Iulianum Pelagianum, vbi ita loquitur: *Si enim pars corporis non posset nomine corporis nuncupari, non diceret Apostolus. Mulier non habet sui corporis potestatem, sed vir; similiter, & vir non habet sui corporis potestatem, sed Mulier.* IPSA VTIQVE MEMBRA APPELLANS CORPORIS NOMINE, QVI-

Nouarin. in Epist. Paul.

BVS DISCERNITVR SEXVS; *peragiturque concubitus. Quis est enim qui dicat, virum sui potestatē corporis non habere, si in his verbis Apostoli, totum corpus intelligas, quod constat omnibus membris.*

Nolite fraudare inuicem, nisi fortè ex consensu ad tempus, vt vacetis orationi.

VT *vacetis orationi*; Non dixit, *vt oretis*, sed *vt vacetis orationi*, aut quia de publica oratione loquebatur, vt aliqui notauere, aut vt indicaret summo studio orationem fundendam esse, totosque ei incumbere debere, qui eam fundunt. Addit Estius. *Nomine* ORATIONIS *arbitror Apostolum* COMPREHENDERE VOLVISSE ETIAM SACRIFICIVM EVCHARISTIÆ; *abit igitur qui orationem dentelli à sacra communione.* 541.

Ne tentet vos satanas propter incontinentiam vestram.

NE *tentet vos satanas.* Significatur tentatio, sed tentatio cum effectu; vt sit sensus, ne vos satanas in adulterium aliasve noxias carnis corruptelas tentando pertrahat. Sed cur non potiùs carnis tentatio cauenda, quàm dæmonis? Estius: *Ostendit hic locus*, inquit, *etiam ea peccata, ad quæ sola sufficeret* CARNIS TENTATIO COMMITTI INSTIGANTE DIABOLO; qui carne nostra vtitur contra nos, ac si parum esset nos à nostra carne tentari, etiam ipse nos impugnat, & carne sæpe vtitur vt instrumento.

Ne tentet vos satanas. Vide satanæ ad homines tentandos studium ac vigilantiam. Etiam ad ea instigat, ad quæ solus carnis æstus labilitasque sufficeret: quid credendum est efficere, vbi carnis auxilio vti non potest?

Propter incontinentiam vestram, ex Græco aliqui vertunt *propter intemperantiam vestram*, vt innueret ab ea nos parte maximè impugnare satanicum hostem, qua nos INFIRMIORES VIDET, DEBILIORESQVE. 542.

Volo enim omnes vos esse sicut meipsum.

OStendit se omnibus maiorem, dum optat sibi omnes æquales esse. Eminentiæ suæ nihil subtrahit, qui sibi alios pares cupit, adiicit potiùs. S. August. tract. 8. in Epist. Ioann. *Audi Apostolum dicentem de visceribus charitatis: Vellem omnes homines esse sicut meipsum. Quomodo volebat omnes esse æquales? Ideo erat omnibus superior;* QVIA CHARITATE OPTABAT OMNES HOMINES ÆQVALES.

Volo enim omnes vos esse sicut meipsum. Bonum, quo ipse diues, nulli inuidebat Apostolus. Ad virginitatis cultum eum spectasse plerique putant. Pulchrè Albertus magnus serm. in Conuers. Sancti Pauli. *Nunquam B. Paulus per luxuriam fuit inquinatus; sed* VIRGINITATIS INTEGRITATEM *continuè seruauit illibatam? vnde &* IN TESTIMONIVM VIRGINITATIS IPSIVS, *dum decollaretur, lac prius, quàm sanguis exiit de collo eius. Quia igitur virgo fuit, optauit & consuluit, vt omnes tales essent, qualis ipse fuit; vnde dicit: Volo omnes homines esse sicut meipsum. Glossa, scilicet, continentes.* 543.

Volo non absolutam semper voluntatem indicat, sed desideriũ; ac si diceret opto, & cupio, vt omnes me in castitatis cultu imitarentur? Sanctus Augustinus legit *Vellem*; Sanctus Ambrosius *Volebam*; sed vnde genus humanum subsister, si Paulum omnes imitarentur? An Paulus de vnoquoque homine loquitur, non de omnibus simul? Sanctus Augustinus lib. de bono coniugali cap. 10. ita nodum soluit: *Vtinam omnes hoc vellent dumtaxat in charitate de corde puro, & conscientia bona, & fide non ficta;* MVLTO CITIVS DEI CIVITAS COMPLERETVR; *& acceleraretur terminus sæculi.* Contractior sæculi duratio esset, sed plures virginitatis cultu saluarentur; cum securior sit ad cælum via virginitas.

Sed vnusquisque proprium donum habet ex Deo.

544. IDest alius hoc, alius illud donum habet, non vnus omnia. Signatè *proprium donum*, dixit, non *propriam virtutem*, addiditque à Deo, scilicet vt donum agnoscatur, ET AVCTOR DONI, nec suis aliquis meritis adscribat, quod à Deo per Dei gratiam habet.

Quod si non se continent, nubant.

IN remedium nuptias consulit. S. Gregorius 3. part. Cur. pastor. admonit. 28. ad Apostoli mentem hæc habet: *Admonendi sunt cælibes, vt, si tentationum procellas cum difficultate salutis tolerant*, CONIVGII PORTVM PETANT; ne castitatis subeant naufragium.

Melius est nubere, quàm vri.

545. MElius est nubere, quàm vri. Nubere consuluit, quum lapsus periculum est. *Cum dixerit*, inquit S. Ambrosius lib. de Viduis: *Melius est nubere, quàm vri* PRO REMEDIO NVPTIAS SVASIT, *vt peritura sanetur; non pro electione præscripsit, casta & continens quid sequatur.*

Quàm vri. Vrendi verbo indicat carnis concupiscentiam ignem quendam esse, quo comburitur, qui præbet assensum. *Vri*, inquit S. Augustinus de sancta virginit. c. 34. *est* OCCVLTA FLAMMA CONCVPISCENTIÆ VASTARI.

Vrendi verbum dum audis, à carnis calore & flammis time, *Quum volumus*, inquit hîc S. Amb. *calori carnis consentit, vritur. Nam desideria pati, &* NON VINCI, *illustris viri est & perfecti.*

S E C T I O II.

546 *Sanctificari vir infidelis per fidelem mulierem cur dicatur, & è contra.*
Maria, mulier fidelis, per cuius fidem infidelitas prima mulieris est sanata.
547 *Coniugium, seruitutis nomine circumscriptum.*
Virginitas cur non imperata.
548 *Virginitatem exercere, vltra naturam vt sit.*
549 *Virginitatis bonum quale.*
Coniugij incommoda.
550 *Episcopus Ecclesiam suam non facilè deserat.*
551 *Nuptiæ, res onerosa, non mala.*
Carnis tribulationem præcipuè sentiunt, qui carnis voluptatibus delectantur.
552 *Coniugij & tribulationis nexus.*
553 *Eorum, qui nuptias eligunt, tribulatio in quo sita.*
554 *Vxorum vana ornamenta cur repudianda.*
A coniugij vinculis absolutus, non se facilè iis ligari sinat.
555 *A vitiis se quisque subducat.*
Vxorem, quasi non habendo, qui dicatur habere.
556 *Mundi huius hospites & peregrini vt esse debeamus.*
Perstricti, qui vxorem non habent, & sunt tanquam habentes.
557 *Amaritudo iudicij à memoria non recedat.*
Temporis breuitas ad benefaciendum nos vrgere debet.

Sanctificatus est enim vir infidelis per mulierem fidelem, & sanctificata est mulier infidelis per virum fidelem.

ET quî sanctificari potest vir infidelis per fidelem mulierem, & infidelis mulier per fidelem virum? An per sanctificationem non vera intelligitur sanctitas, sed quædam ad sanctitatem veram præparatio? vt videatur quis iam esse illud, ad quod se accingit & præparat? Hunc sensum hîc Estius maximè probat: *nam* SANCTIFICARE (inquit) *præparare vel deputare ad aliquid sacrum more Scriptura dicitur; vt Zachar. 7. Nunquid sanctificare me debeo?* quod de viro infideli sic explicat: *Dum Christo non maledicit, dum pia coniugis exercitia non impedit, dum signum Crucis domus vel thalamo præfixum æquis aspicit oculis, dum patitur etiam filios imbui fide Christi; per hæc, velut purificationes quasdam, quasi præparatur ad Christum; spem bonam ostendens, futurum vt Christianam religionem ipse quoque suscipiat, præsertim accedente sancta & pacifica conuersatione coniugis fidelis.* 546.

Sanctificatur vir infidelis per mulierem fidelem. Transfert hæc verba ad Virginem Richardus libr. 6. de eius laudib. vbi ait: *Hæc est* MVLIER FIDELIS, *per cuius fidem saluatus est Adam vir infidelis, quem fefellerat* INFIDELITAS PRIMÆ MVLIERIS; *nec ipsum solum, sed & totam posteritatem suam. Vnde Apostolus dicit: Sanctificatus est vir infidelis per mulierem fidelem.*

Seruus

Seruus vocatus es?

547. *SEruus vocatus es?* Primasius hîc, *Aliqui*, inquit, SERVITVTEM, CONIVGIVM *volunt intelligi*. Quæ seruitus alia omni eò durior & infelicior est, quò diuturnior & insolubilior.

De virginibus præceptum Domini non habeo.

NOn imperata virginitas est, ne nuptiæ tollerentur, vt ipsa magis extolleretur. Sanctus Hieronymus epist. 22. quæ est ad Eustoch. de Custod. virginit. sic scribit: *Quare ergo non habet Domini de virginitate præceptum? Quia maioris est mercedis, quod non cogitur, & offertur. Quia*, SI FVISSET VIRGINITAS IMPERATA, *nuptiæ videbantur ablata; & durissimum erat contra naturam cogere, Angelorumque vitam ab hominibus extorquere, & id quodammodo damnare, quod conditum est.*

548. Quod de virginitate præceptum se non habere dicit Apostolus in virginitatis commendationem perfectionemque resilit. *Vas electionis*, inquit Sanctus Hieronymus epist. 8. quæ est ad Demetriad. *de virginibus se dicit Domini non habere præceptum; quia contra naturam, immò* VLTRA NATVRAM EST NON EXERCERE, *quòd nata sis; interficere in se radicem tuam, & sola virginitatis poma decerpere; nescire thorum omnem, virorum horrere contactum, & in corpore viuere sine corpore.* Huc facit & illud Sancti Ambrosij de virg. lib. 1. vbi hæc habet: *De virginibus, inquit Apostolus, præceptum Domini non habeo, consilium autem do. Si doctor gentium non habuit, habere quis potuit? Et præceptum quidem non habuit, sed habuit exemplum.* NON ENIM IMPERARI POTEST VIRGINITAS, *sed optari. Nam quæ supra nos sunt, in voto magis quàm in magisterio sunt.*

Existimo ergo hoc bonum esse propter instantem necessitatem; quoniam bonum est homini sic esse.

549. BOnum est virginitatem colere, virgines manere. Sed quale nam bonum est? Sanctus Thomas, *Bonum*, inquit, HONESTVM *propter puritatem*, DELECTABILE *propter libertatem*, VTILE *propter mercedem; quia debetur ei fructus centesimus.*

Propter instantem necessitatem. Per instantem necessitatem probæ notæ interpretes intelligunt vitæ huius molestias & incommoda, quæ status coniugalis comites esse solent, & solent homines impedire, ne liberè ac expeditè Deo seruiant.

Bonum est homini sic esse. Explicat, quod priùs dixerat. Signatè autem, *Homini*, dixit; vt rem ad vtrumque sexum extenderet, nec aliquis ad solas fœminas coërceret. *Bonum est homini, idest tam viro quàm fœminæ*, inquit Estius, *sic permanere sine coniugio in virginitate.*

Alligatus es vxori? noli quærere vxorem.

550. NOli quærere vxorem. Incipis ligari, dum incipis quærere. Sanctus Isidorus Pelusiota lib. 1. epist. 113. ita scribit: *Solutus ab vxore, noli quærere vxorem, ne te mulieris venenum corrumpat; ad alterum voluptatis congressum te tanquam præstigiis quibusdam illiciens, carnalesque blanditias atque inutiles curas & suspiciones docens.*

Quod de vxore hîc dicitur ad Ecclesiam, & Episcopatum transtulit probæ notæ Episcopus S. Athanasius in Apologia Imperat. Constant. *Neque præ oculis habens illius præceptum. Alligatus es Vxori, ne quære solutionem, quod si hoc de vxore dictum est, quantò magis de* ECCLESIA ATQVE ADEO DE EPISCOPATV, *cui cum quis alligatus est, alium quærere non debet, ne adulter in sacris litteris deprehendatur.*

Nouarum. in Epist. Paul.

Tribulationem tamen carnis habebunt huiusmodi.

TRibulationem tamen carnis habebunt huiusmodi. Deterret a nuptiis tanquam à re onerosa: non auocat tanquam à mala. *Addidit*, inquit Sanctus Augustinus lib. de Sancta virginit. cap. 16. *Tribulationem autem carnis habebunt eiusmodi. Ego autem vobis parco; hoc modo exhortans ad virginitatem, continentiamque perpetuam, vt aliquantulum à nuptiis etiam deterreret; modestè sanè*, NON TANQVAM A RE MALA, ET ILLICITA, SED TANQVAM AB ONEROSA AC MOLESTA. *Aliud est enim admittere carnis turpitudinem, aliud habere carnis tribulationem: illud est criminis facere, hoc laboris est pati, quem plerumque homines etiam pro officiis honestissimis non recusant.* 551.

Tribulationem tamen carnis habebunt huiusmodi. Cur signatè matrimonio iunctis carnis prænunciat tribulationem, cùm hæc his omnibus sit communis, qui in carne sunt, carnemque circonferunt? An quia præcipuè carnis tribulationem sentiunt, qui voluptatibus vacant? *De coniugibus*, inquit S. Gregor. lib. 12. Moral. c. 14. *Paulus dicit: Tribulationem tamen carnis habebunt huiusmodi. Sed tribulationem carnis hîc pati possunt etiam hi, qui spiritualiter viuunt. Cur ergo inesse coniugibus* CARNIS TRIBVLATIO QVASI SPECIALITER DICITVR *(quæ etiam à vita spiritualium longè non est)* NISI QVOD HI FREQVENTER MAIORES TRIBVLATIONES CARNE SVSCIPIVNT, QVI CARNIS VOLVPTATIBVS DELECTANTVR? Idem habet Sanctus Anselmus hîc.

Tribulationem carnis. Præclarè hæc verba expendebat S. Hieronymus in Apolog. pro lib. aduersus Iouinian. *Si autem nubentibus & in carne tribulatio est, in qua sola videbantur habere delicias: quid erit reliquum propter quod nubant, cum & in spiritu & in anima &* IN IPSA CARNE TRIBVLATIO EST? 552.

Tribulationem carnis habent, qui carnis voluptates sequuntur: multis obnoxij molestiis, curis & angoribus sunt, qui matrimonij vinculis sunt ligati; vt non immeritò coniugium, DOLORVM OFFICINAM, Sanctus Basilius appellarit.

Ego autem vobis parco.

EGo autem vobis parco. Quid sibi his verbis Apostolus voluerit, explicat in hæc verba Sanctus Augustinus lib. de Sancta virginit. c. 16. 553.

Quod autem se dicit eis parcere, quos ait tribulationem carnis habituros; nihil mihi interim sanius occurrit, quàm eum voluisse aperire & explicare verbis eandem ipsam carnis tribulationem, quam prenunciauit eis, qui ELIGVNT NVPTIAS; IN SVSPICIONIBVS ZELI CONIVGALIS, *in procreandis filiis atque nutriendis, in timoribus & mœroribus orbitatis. Quoties enim quisque cùm se connubij vinculis alligauerit, non istis trahatur atque agitetur affectibus? quos neque nos exaggerare debemus, ne ipsis aon parcamus, quibus parcendum existimauit Apostolus.*

Tempus breue est.

BReue, ac contractum istius vitæ tempus est, & plerumque spe nostra breuius est, atqoe adeo ex eo minimum, & si fieri posset nullum esset decerpendum, quod vitæ istius curæ impendatur. Breue est tempus, breuitasque ista nos à rerum terrenarum cogitatione auocare debet; quæ ferè coniugia solet comitari.

Et qui habent vxores, tanquam non habentes sint; & qui flent, tanquam non flentes.

554. VXores habendæ tanquam non habeantur, quia tempus breue est; iustius de vxorum ornamentis id dicatur, rem ita pressit Tertullianus de cultu fœminarum cap.9. *Si ergo*, inquit, *vxores quoque ipsas sic habendas demonstrat tanquam non habeantur propter angustias temporum, quid* DE VANIS HIS INSTRVMENTIS EORVM?

Tanquam non habentes sint; & quod est consequens ob temporis breuitatem qui vxorem non habet non facilè illam accipiat, ne tempus saluti destinatum rebus huius seculi impendere matrimonij onere ad id quodammodo impellente cogatur. Opportunè Sanctus Hieronymus lib. 5. in cap. 29. Ieremiæ, vbi ad hunc Pauli locum spectans, ait: *Nobis per Apostolum dicitur: tempus breue superest, vt qui habent vxores tanquam non habentes sint, quod si propter angustiam temporis habentibus vsus vxorum tollitur, quantò* MAGIS NON HABENTIBVS, NE ACCIPIANT IMPERATVR? aut tanquam expeditius consulitur.

555. *Tanquam non habentes sint.* Quod de vxoribus hîc dicit Apostolus vitiis Clemens Alexandrinus aptauit libro 2. Pædag. capite 3. dum ait: *Reliquum est, vt & qui habent vxores, sint tanquam non possidentes. Quòd si hæc dixit in coniuge, in quo dixit Deus, Crescite & multiplicamini, quomodo* PVTATIS ARROGANTIAM AC SVPERBIAM *non esse ex authoritate Domini exterminandam?*

Totum hunc locum egregio (vt solet) donat commentario S. Gregorius 3. par. Pastor admonit. 28. *Paulus dicit: Qui habent vxores, tanquam non habentes sint; & qui flent, tanquam non flentes, & qui gaudent, tanquam non gaudentes. Vxorem quippe quasi non habendo habet, qui sic per illam carnali consolatione vtitur, vt tamen nunquam ad praua opera à melioris intentionis rectitudine eius amore flectatur.* VXOREM QVASI NON HABENDO HABET, *qui, transitoria esse cuncta conspiciens, curam carnis ex necessitate tolerat; sed æterna gaudia spiritus ex desiderio expectat. Non flendo autem flere; & sic exteriora aduersa plangere, vt tamen nouerit æterna quoque spei consolatione gaudere. Et rursum non gaudendo gaudere; & sic de infimis animum extollere, vt tamen nunquam desinat summa formidare.*

Ex his verbis hospites huius Mundi nos esse,
mentemque à terrenis auocandam colligebat 556.
Sanctus Leo; sic enim ille scribit sermone 10. de Quadragesima. *Iubet per Apostolum doctrina Diuina, vt qui habent vxores tanquam non habentes sint; & qui flent; tanquam non flentes, & qui gaudent, tanquam non gaudentes; & qui emunt, tanquam non possidentes; & qui vtantur hoc mundo, tanquam non vtantur: præterit enim figura Mundi huius: Beata igitur mens, quæ peregrinationis suæ tempora casta sobrietate transcurrit; & in iis, per quæ necesse est eam ambulare, non remanet; vt hospita magis quàm domina terrenorum; nec affectibus sit innixa humanis, nec promissionibus desit Diuinis.*

Tanquam non habentes. Ne à Dei obsequio, vxorum affectu & obsequio auertantur. Addit Sanctus Thomas: *Hodie fiunt è conuerso; quia* QVI NON HABENT, SVNT TANQVAM HABENTES; quod nollem in plures posse iaci.

Et, qui gaudent, tanquam non gaudentes.

T*Anquam non gaudentes.* Semper hîc aliquid 557.
est, quod gaudium inficit. Vt alia desint, iudicij futuri cogitatio id præstat abundè. Certè huc vocat hæc verba Sanctus Gregorius homilia 39. in Euangelium. *Per Paulum dicitur: Qui gaudent, tanquam non gaudentes sint; quia, & si qua est præsentis temporis, ita est agenda lætitia, vt* NVNQVAM AMARITVDO SEQVENTIS IVDICII RECEDAT A MEMORIA: *quatenus, dum mens pauida extrema vltionis timore transfigitur, quantum nunc præsens lætitia, tantùm post ira subsequens temperetur.*

Et, qui emunt, tanquam non possidentes.

T*Aaquam non possidentes.* Scilicet collecti, breuisque temporis memor non sibi sed aliis colligit, aliisque habet, quæ possidet. O vtinam quæ ad Seuerum scribens de Seuero dicebat Sanctus Paulinus omnibus conuenirent: *In quo possessor videris, soluta à possessionum vinculis mente perfectus es: qui* COLLECTI TEMPORIS, *memor illud Apostoli comples, vt habens non habeas: quia non tibi: Sed non habentibus habes.* DOMVS TVÆ HOSPES ES: VT SIS HOSPITVM DOMVS; *patriæ tuæ peregrinus es & exul istius mundi, vt sis incola paradisi, & patriæ Ciuis antiquæ.* Sic ille epist. 2. ad Seuerum.

SECTIO III.

558 *Vti mundo, non seruire Mundo debemus.*

559 *Ex bonis Mundi benefacere debemus.*

Mundi

Mundi bona & bonis dantur, ne mala putentur; & malis, ne putentur magna.

Mundi figura vt decipiat.

560 *Nihil solidi, nihil firmi aut stabilis Mundus habet.*

Mundus fallentibus venenatus illecebris.

561 *Quænam solicitudo probanda, quænam improbanda.*

Fæcunda solicitudinum ac curarum mater, coniugium.

Filij grauissimarum curarum onera.

562 *Virginum excellentia,*

563 *Carnis & spiritus coniugium quale.*

564 *Coniugij nexus & sanctitatis.*

565 *Corporis puritatem cordis munditia comitari debet.*

Virginis definitio qualis.

566 *Puritas & castitas ad omnia membra extendenda.*

Rerum terrenarum solicitudo animam vt contaminet.

567 *Vidua & virgo placere Deo quærat.*

Ægrè Dei meminit, quæ terreno viro iuncta.

568 *In Patris voluntate nupturæ filiæ voluntas.*

569 *Dormiendi verbum cur de solis hominibus mortuis dicatur, non de brutis.*

Secundæ & tertiæ nuptiæ non damnandæ.

570 *Beatior non nubens, vt tamen non desinat esse beata, quæ iterum nubit.*

Secundæ nuptiæ quibus incommodis expositæ.

571 *Perstricti, qui impurè nuptias & nuptialia tractant.*

Dei spiritum se habere, cur Paulus dixerit; viduitatem seruandam docens.

572 *Nubendi cùm veniam daret Apostolus, spiritum Dei se habere cur non dixerit.*

Et, qui vtuntur hoc Mundo, tanquam non vtantur.

558. *QVi vtuntur hoc Mundo tanquam non vtantur*, Quid hîc illi, qui Mundo non vtuntur, sed seruiunt Mundo? Vix Christiani nomen sustinent, qui tales sunt. *Quid debet facere Christianus?* inquit Sanctus Augustinus in Psalm. 95. VTI MVNDO, NON SERVIRE MVNDO. Ita tamen vtatur, tanquam non vtatur.

Incipit maior esse Mundo, qui vtitur Mundo quasi non vtatur; quia nimirum non diligit,

Nouarin. in Epist. Paul.

quo vtitur; necessitatique seruit, non voluptati. Sanctus Augustinus lib. 5. contra Iulianum Pelagianum cap. 16. *Paulus, & qui vtuntur, inquit, hoc Mundo, quasi non vtantur. Quid est quasi non vtantur? nisi non diligant, quo vtuntur; quoniam tale est, vt benè aliter non vtantur? Et hoc quidem etiam in his rebus obseruandum est, quæ in hoc Mundo sic bona sunt, vt tamen eas diligi non oporteat. Quis enim malum esse pecuniam rectè dixerit? & tamen nemo ea bene vtitur, qui dilexerit; quantò magis libidine?*

Vti mundo, mundanisque rebus possumus, frui non debemus; bene mundo vtitur, qui vsum in bonum finem dirigit. S. Augustinus epist. 10. ad hunc locum spectans monitum istuc exhibebat: *Sic vtaris hoc mundo tanquam non vtens, vt* EX BONIS EIVS BENE FACIAS, *non malus fias, quia & ipsa bona sunt, & ne putentur mala dantur & bonis, ne putentur magna vel summa bona dantur & malis*; sicque illi prouocentur ad bonum & desinant esse mali, illi ad melius vocentur & meliores euadant. 559.

Præterit enim figura huius Mundi.

PRæterit enim figura huius Mundi. Nonnulli ex Græco vertunt: *Decipit huius figura Mundi*. Cohærent hæ lectiones. Præterit & DECIPIT; QVIA STARE PVTATVR, Et non prætente; vt deceptio quædam, rerum mundanarum transitus, & abitio sit.

Præterit enim figura huius Mundi, vt nihil solidi habeat, nihil permanentis. *Quid est*, inquit S. Theodorus Studita serm. catech. III. *Præterit figura huius Mundi? idest labitur, prætereque it at, nec* VEL DIVTVRNAM STABILITATEM OBTINENS: *sed, qui heri nitidus, hodie squalidus: qui heri in re splendida, hodie in miseria est. Nunc extollitur ille, nunc alter dignitate ruit: hic è paupere fit diues, alius è diuite pauper; milleque mutationibus atque vicibus ærumnosa nostra vita subiecta est, nihil possidens constans.* 560.

Præterit citò mundi huius figura, sed non citò prætereunt damna, quibus figuræ huius amatores afficiuntur; nam vt ait S. Paulinus epist. 2. ad Seuerum, *tota mundi huius figura, quæ præterit, &* per OCVLOS CORDA PROLECTAT, *diabolicis præsentia rebus in qualibet sui specie laqueus menti, & gladius est, capit & ferit, & vulnus grandius efficit, quò amantur incautius quæ ille decipiendis offert decepturus.* Addit statim: *excipit nos mundus iste variis voluptatibus florens, &* FALLENTIBVS VENENATVS ILLECEBRIS, vt scilicet eos quos exceperit venenet.

Volo autem vos sine solicitudine esse.

SOlicitus Paulus est, ne fideles nimia rerum terrenarum solicitudine premerentur, 561.
qua à cælestium rerum cogitatione auocarentur; nam solicitudo circa istas optima est. Bene Vgo Victorinus hîc: *Volo autem vos sine solicitudine esse, videlicet mala.* MALA SOLICITVDO EST VEHEMENS, ET ANXIA CVRA, *quæ mentem in iis, quæ Dei sunt, manere non sinit.* BONA SOLICITVDO *est, qua quis non solùm vt præcepta Dei impleat, sed vt aliquid superaddat, solicitus est.*

Sine solicitudine esse; Fœcunda solicitudinum, ac curarum noxiarum mater coniugium solet esse; quarum aliquas nobis ob oculos ponit Sanctus Paulinus cuidam militi scribens, sic enim loquitur: *Volo vos sine solicitudine esse, hoc est, vt nihil præter Deum, & salutem nostram cogitemus; nam vxor & filij, quanquam & ipsa diuinitus nobis pignora data sint*, TAMEN GRAVISSIMARVM CVRARVM ONERA SVNT. *Vnde idem Apostolus ait, quia tribulationem Carnis habebunt huiusmodi: quia necessitudinis nostræ carnes, quantò chariores nobis sunt, tantò magis nos discruciant & fatigant. Nam vxore accepta primùm optantur filij: & si non suscipiuntur, sterilitas lugetur: Si suscipiantur orbitas timetur; ac proinde nunquam in carnalibus affectionibus, ita requiescit animus, vt cruciatu careat, dum necessitudines suas, aut bonas amat, cum amittendi metu; aut malas odit, cum amittendi voto, in vtroque miseriis sustinendis* SEMPER OBNOXIVS.

Qui autem cum vxore est, solicitus est, quæ sunt Mundi, quomodo placeat vxori, & diuisus est.

562. ET *diuisus est*. Sanctus Hieronymus aduersus Heluidium legit: *Et diuisa est mulier, & virgo.* Hinc elicit virginis excellentiam, vtpotè quæ virginitate supra sexum suum efferatur. *Tempus breuiatum est: reliquum est, vt, qui habent vxores, sic sint, quasi non habeant. Adhærentes Domino, vnus cum eo efficimur spiritus. Quare? Quia qui sine vxore est, cogitat ea, quæ Domini sunt, quomodo placeat Deo: qui autem cum vxore est, solicitus est, quæ sunt huius Mundi, quomodo placeat vxori; & diuisus est. Mulier, & virgo, quæ non est nupta, cogitat, quæ sunt Domini, vt sit sancta corpore & spiritu: nam quæ nupta est, cogitat, quæ sunt Mundi, quomodo placeat viro. Quid oblatras? quid repugnas? Vas electionis hæc loquitur, Diuisa est, dicens, mulier & virgo.* VIDE, QVANTÆ FOELICITATIS SIT, QVÆ ET NOMEN SEXVS AMISERIT. VIRGO IAM, MVLIER NON VOCATVR.

Et mulier innupta, & virgo cogitat, quæ Domini sunt; vt sit Sancta corpore & spiritu: quæ autem nupta est, cogitat, quæ sunt Mundi, quomodo placeat viro.

563. QVod de muliere & viro hîc habet Apostolus concinnè ad spiritum & carnem aptat Beatus Laurentius Iustinianus: religio sit eius verba hîc supprimere. Sic ille scribit de Discipl. monast. conuersat. cap. 20. *Sicut autem rationalis spiritus, cum Deo coniunctus, vnus cum illo efficitur spiritus: ita & carni confœderatus (vt sic dicam) vna efficitur caro. Propterea, quemadmodum mulier, quæ viro alligata est, quæ Mundi sunt cogitat, quomodo placeat viro*: SIC ET SPIRITVS, CARNI IRRATIONABILITER COPVLATVS, TANTO VEHEMENTIVS, *quantò naturali amoris vinculo conglutinatus est strictiùs. Viri namque amor perquam frequenter concupiscentiarum impulsu polluitur, animi concitatione diuiditur, sed omninò morte interueniente extinguitur: anima verò & carnis affectio nullo euentu, nullaque lege nec in præsenti nec in futuro dirimitur: quin potiùs purius, ardentius, perfectiusque in anima, & corporis glorificatione perseuerat.*

Vt sit sancta. Sancta, quæ non nubit, esse debet, ita tamen, vt à sanctitate non ablegetur, quæ nupserit, si puritati, & modestiæ nubat non minùs, quàm viro. *Quod ergo ait*, inquit S. Augustin. lib. de Bono coniug. c. 11. *Quæ innupta est cogitat ea, quæ sunt Domini, vt sit sancta & corpore & spiritu, non sic accipiendum est, vt putemus non esse sanctam corpore Christianam coniugem castam; omnibus quippe fidelibus dictum est: Nescitis, quoniam corpora vestra templum in vobis sunt Spiritus sancti, quem habetis à Deo?* SANCTA SVNT ERGO ETIAM CORPORA CONIVGATORVM, *fidem sibi & Domino seruantium. Cui sanctitati cuiuslibet eorum nec infidelem coniugem obsistere, sed potiùs sanctitatem vxoris prodesse infideli viro, aut sanctitatem viri prodesse infideli vxori idem Apostolus testis est dicens: Sanctificatus est enim vir infidelis in vxore fideli, & sanctificata est mulier infidelis in fratre fideli. Proinde illud dictum est secundum ampliorem sanctitatem innuptarum, quàm nuptarum; cui merces etiam debetur amplior, secundùm quòd isto bono illud est melius; quia & hoc solum cogitat fœmina, quod placeat Deo.* 564.

Vt sit sancta corpore & spiritu. Parum prodest corporis castitas, nisi eam mentis exornet puritas, ac veluti animet. *Illud arctius*, inquit S. Petrus Damianus lib. 8. epist. 14. *mentibus vestris infigite: illud sedula meditatione versate, quod dicitur. Vt sit sancta corpore & spiritu.* QVID ENIM PRODEST CASTITAS CORPORIS, *quid castigatio vel afflictio carnis*, SI DESIT PVRITAS, ET MVNDITIA CORDIS? 565.

Hanc virginis definitionem vocat S. Hieronymus aduersus Heluidium. *Quæ*, inquit, *non est nupta, cogitat, quæ sunt Domini, vt sit sancta & corpore & spiritu.* VIRGINIS DEFINITIO, *sanctam esse corpore & spiritu; quia nihil prosit carnem habere virginem, si mente quis nupserit.* & lib. 2. in Ierem. cap. 7. *Nesciunt illam* DEFINITIONEM APOSTOLI *virginalem: vt sit Sancta corpore & Spiritu; quid enim prodest corporis pudicitia animo construpato.*

Sanctam corpore virginem requirit Apostolus, ne ad vnum membrum puritas & castitas coërceretur: vt scilicet & in verbis, & in gestis omnibus castitas appareat. Pulchrè totum hunc locum expendebat ille auctor dum ait: *Continentia castitatis illa est, quam suadens Apostolus ait: Quæ innupta est & virgo, cogitat quæ Domini sunt, vt sit sancta corpore & spiritu.* CORPORE, *inquit*, TOTO, NON VNO MEMBRO; *vt ad nullam scilicet lasciuiam in factis, vel in dictis eius aliquod membrum declinet. Spiritu verò tunc sancta est, quando eius mentem nec consensus inquinat, nec superbia inflat.* 566.

Cogitat, quæ sunt Mundi. Atque adeò immunda redditur, ipsaque solicitudo (vt aliud grauius desit) animam quodammodo inficit & attaminat. Sanctus Athanasius de Virginit. integrum Pauli locum cùm produxisset, addit: *Hoc igitur dico, quòd omnis virgo aut vidua continens, si curam suam collocet in mundanis, eius rei cura illi pro marito est, siue possessiones siue alias substantias solicitudine sua amplectatur.* IPSA ENIM SOLICITVDO CONTAMINAT EIVS ANIMAM,

vt

vt enim per virum corpus contaminatur; ita quoque habitus mundani & animam & corpus continentis conspurcant; neque iam est sancta & corpore, & spiritu.

Quomodo placeat viro. Mulier studet placere:
567. cur non magis studeat, quæ non homini nupsit, sed Deo? Apiè rem vrget S. Petrus Damian. lib. 8. epist. 14. *Plane* SI VXORES QVÆLIBET MORTALIBVS VIRIS PLACERE SVMMO DESIDERIO SATAGVNT: QVANTO VIGILANTIVS QVANTOQVE SVBTILIVS SANCTÆ VIDVÆ DEBENT INTERIORIS HOMINIS SPECIEM DECORANDO COMPONERE, VT INVISIBILIS SPONSI DECORÆ VALEANT OBTVTIBVS APPARERE? *Nam sicut idem ait Apostolus, Quæ innupta est, solicita est, quæ sunt Domini, vt sit sancta corpore, & spiritu: quæ autem nupta est, solicita est, quæ sunt Mundi, quomodo placeat viro. Solicita est nupta, ne in aliquo displiceat viro post paululum morituro: quantò solertius studendum est viduæ placere Cælesti Sponso per secula regnaturo? Studet nupta, vt virum suum falerata compositionis forma demulceat: quantò magis enitendum vidua, vt in conspectu Dei sanctis virtutibus tanquam rutilantibus margaritis ornata nitescat? Contendit illa, vt venusti vultus appareat, vt decori nullius fœditatis neuus obrepat: quantò cautius sanctæ viduæ satagendum est, ne mens eius implacabilis odij, vel turpis concupiscentiæ squalore sordescat?*

Quomodo placeat viro. Cur non addidit? *Et diuisa est*, sicut de viro dixerat, *Et diuisus est*. An quia (vt ille ait) *non diuisim, sed sic totam se tradat viro, vt vix Dei meminerit?*

Potestatem autem habens suæ voluntatis, & hoc iudicauit in corde suo, seruare virginem suam, benè facit.

568. IN patris seu custodis voluntatem reiicit, virginem filiam locare seu non locare. Sed cur voluntatis quoque filiæ non fit mentio? An, quia hæc in patris voluntate contineri intelligitur? *Notandum*, inquit hîc Estius, *vtrobique* IN VOLVNTATE PATRIS ETIAM INTELLIGI VOLVNTATEM FILIÆ, SINE QVA CONSTARE NON POSSET EIVS MATRIMONIVM. *Solum autem patrem nominauit; quia solent honestæ puellæ negotium sui matrimonij parentibus relinquere, seque quo ad hanc rem pertinet, eorum voluntati consentiendo permittere. Qua tamen in re prudentes illos esse oportet, vt de filia nihil statuant, nisi prius benè perspecta eius voluntate ac propensione; nam revera parentum ista libertas siue potestas, de qua hîc loquitur Apostolus, à voluntate filiæ dependet.*

Quòd si dormierit vir eius, liberata est.

569. QVòd si dormierit vir eius. Pulchra vtilisque obseruatio est, quæ circa *Dormiendi* verbum extat apud Estium hîc *Obseruandum est*, inquit, *de solis* HOMINIBVS MORTVIS *dicere scripturam tam veteris quàm noui testamenti, quòd dormiant propter spem resurrectionis: nam* DE BRVTIS ANIMANTIBVS *nihil vsquàm tale legitur.*

Vir eius. Non dixit, secundum, tertium aut quartum; ne quis secundas, tertias, aut quartas damnet nuptias. *Ait Apostolus*, inquit Sanctus Augustinus lib. de Bono viduit. capite 12. *Mulier alligata est, quandiu vir eius viuit.* NON DIXIT, PRIMVS AVT SECVNDVS, AVT TERTIVS, AVT QVARTVS; *sed Mulier inquit, alligata est, quandiu vir eius viuit: si autem mortuus fuerit vir eius, liberata est, Cui vult nubat, tantùm in Domino. Beatior autem erit, si sic permanserit.*

Beatior autem erit, si sic permanserit secundum meum consilium.

BEatior autem erit, si sic permanserit. Dum 570.
non nubentem beatiorem vocat, indicat & nubentem iterum, esse beatam, nec secundas nuptias damnandas esse. Pulchrè S. Augustinus lib. de Bono viduit. cap. 3. *Quùm dicit: Beatior autem erit, si sic permanserit secundum meum consilium; satis ostendit,* BEATAM ESSE IN DOMINO ETIAM POST MORTEM VIRI ITERVM NVBENTEM FIDELEM: *sed in eodem Domino viduam beatiorem, hoc est (vt scripturarum non tantùm verbis verumetiam exemplis loquar) beatam esse Ruth, sed Annam beatiorem.* Eodem etiam spectabat S. Chrysostomus serm. 46. de Diuersis noui Testamenti locis; vbi secundarum nuptiarum incommoda adiecit in hunc modum. *Beatior est autem si sic permanserit. Vt igitur bonum est coniugium, sed melius est primum, & solum.* NON IGITVR CONIVGIVM SECVNDVM REIICIMVS, *neque hæc præcipimus, sed cohortamur, vt si quis castitatem seruare possit, sit priori contentus.* Addit statim: *Cohortamur autem & consulimus ad stabiliendam domus securitatem: sæpe namque* SECVNDÆ NVPTIÆ QVOTIDIANARVM, ET PVGNARVM, ET CONTENTIONVM INITIVM ET OCCASIONEM ATTVLERVNT. *Sanè multoties euenit, vt assidens mensæ maritus prioris vxoris recordatus, leniter fleat: at illa confestim excandescit, & tanquam fera insilit, & sui in illam amoris ab eo pœnas exigit. Quod si voluerit laudare defunctam, tum contentionis & pugnæ occasio ex laudibus illius offertur.*

Puto autem, quòd & ego spiritum Dei habeam.

ET quis dubitauit, Dei spiritum habere Dei 571.
Apostolum? An hoc dixit, ne quis crederet, cùm de re vxoria egisset, & de iis, quæ carnem spectant, tractasset, Spiritum Sanctum ab eo aufugisse? *Idcirco hoc dixit*, inquit Tertullianus cap. 4. in Exhort. castit. *vt sibi Apostoli* FASTIGIVM *redderet*. quasi de Apostolatus culmine esset demissus, dum se ad carnis officia, nuptiarúmque munia demiserat. Quid hîc illi, qui impura, aërem ipsum inficientes, aurésque constuprantes, euomunt; neque NVPTIALIA tractant, vt instruant, sed inhonesta vt se, auditorésque conspurcent?

Cur Dei se spiritum habere hîc Paulus dixit? Ne quod de viduitate seruanda consilium dederat, humanum putaretur, & non potiùs Diuinum; quod notauit etiam S. Augustinus lib. de Adulterin. coniug. cap. 18. *Cùm dixisset de muliere, cuius vir mortuus fuerat: Beatior autem erit, si sic permanserit secundum consilium meum; ne quis hoc consilium tanquam humanum, non Diuinum, contemnendum putaret, adiecit:*

Puto autem, quod & ego spiritum Dei habeam. Proinde intelligendum est, etiam ipsa, quæ non à Domino iubentur, sed A SANCTO EIVS FAMVLO VTILITER SVADENTVR, EODEM DOMINO INSPIRANTE SVADERI.

572. *Puto quòd & ego spiritum Dei habeam.* Ac si diceret: Existimo me non secus ac alios Apostolos spiritum Dei habere, quo possim salutaria & ipse consilia fidelibus suggerere, & præsertim continentiæ, quæ à Dei spiritu præcipuè est Obseruat S. Hieronymus cum nubendi daret veniam hac non fuisse formula Apostolum vsum, vt diceret se Dei spiritum habere. In Apologia ad Pammachium, ait: *Ne auctoritas Apostoli quasi hominis leuior videretur, addidit, puto autem, quod & ego spiritum Dei habeam; vbi ad continentiam prouocat; vbi non hominis, sed spiritus Dei consilio vsus est:* VBI AVTEM NVBENDI CONCEDIT VENIAM, SPIRITVM DEI NON NOMINAT, *Sed prudentia librat consilium; ita singulis relaxans, vt vnusquisque ferre possit.*

CAPVT VIII.

EPISTOLÆ PRIMÆ ad Corinthios expenditur & illustratur.

SECTIO I.

573 *Scientia bene vti, magni refert.*
Quanam sapientia insipida, & doctrina indocta sit.
574 *Quærenda scientia, quæ inflammat, non quæ inflat.*
Scientia tunc prodest, quùm charitas inest.
575 *Scientia inflat, nullum opus producendo.*
Cognitionis opinio, non ipsa veritas inflat.
576 *Charitas ædificare, vt dicatur.*
577 *Modum sciendi scire, quanti referat.*
578 *Proximum non contemnat, qui pretium eius attendit.*
579 *In Christum resilit, quod eius membris fit.*
580 *Quàm graue sit, proximum offendere.*

Scimus, quia omnes scientiam habemus.

573. ITANE omnes? nunquid & illi habebant scientiam qui ob scientiæ defectum idolothytis polluebantur? *Dicendum est*, inquit Estius. *Apostolum loqui in persona eorum, qui inter Christianos doctiores, atque intelligentiores erant.* Sed cur vniuersus informat tanquam imperitos? Addit ex persona Pauli: *Non vos aggredior docere tanquam scientia expertes, sed tamen admonendi estis, vt* SCIENTIA BENE, ET PRVDENTER VTAMINI.

Scientia inflat, charitas verò ædificat.

INflate scientia dicitur, quia facile hominem in superbiam extollit, vt se super homines efferat, hoc autem scientia facit non natura, sed vitio abutentis: & verò *timidos* potius, quàm *tumidos* efficere nos scientia deberet, quod festiuè habet Richardus Victorinus part. 1. lib. de contemp. cap. 3. vbi hæc habet. *Quid tibi prodest cætera omnia fecisse, & teipsum nescire creatoremque tuum ignorare? quid tantum gloriaris mundi philosophe? Si gloriari oportet, non in te, sed in Domino gloriare, profectò si hæc tua* SAPIENTIA INSIPIDA ET DOCTRINA INDOCTA *te ad cognitionem tui, seu etiam notitiam Dei proueheret, te non tam* TVMIDVM *quàm* TIMIDVM *redderet.*

574. *Inflat*; Vt quærenda scientia sit quæ inflammat, non quæ inflat; Idem auctor part. 1. tract. 3. cap. 16. *Felices quibus exteriorum, scientia sit scala ascensionis, non ruina deiectionis. Felices quibus scientia illa quæ inflat*, NON EST AD INFLATIONEM, SED AD INFLAMMATIONEM *eius quæ ædificat.*

Non damnat penitus scientiam, sed eam, quæ charitate est vidua. *Apostolus*, inquit S. Augustinus lib. 6. de Ciuit. Dei cap. 20. *Spiritu Sancto loquutus ait: scientia inflat, charitas verò ædificat. Quod rectè aliter non intelligitur,* NISI SCIENTIAM TVNC PRODESSE, QVVM CHARITAS INEST: *sine hac autem inflare, idest in superbiam inanissima quasi ventositatis extollere. Est ergo in dæmonibus scientia sine charitate; & ideo tam inflati, idest tam superbi sunt, vt honores Diuinos, & religionis seruitutem, quam vero Deo deberi sciunt, sibi satagerint exhiberi; & quantum possunt, & apud quos possunt, adhuc agunt.*

575. Præterea inflate scientia dicitur, charitas ædificare, quia hæc operum bonorum fœtus edit; quibus illa destituitur; nam ædificare in sacris litteris ad sobolis augmenta significanda poni, quis nesciat? non igitur alienè etiam hîc in hoc sensu accipiatur; fulcit hunc explicatum illud S. Marci Eremitæ de lege spirituali num. 86. dum ait: SCIENTIA INFLAT NVLLVM OPVS PRODVCENDO.

Denique cognitionis opinionem, non ipsam veritatem inflare Clemens Alexandrinus dixit: *Si quis putat se nosse aliquid, nondum nouit sicut nosse oportet. Nunquam est enim veritas opinio Sed* COGNITIONIS QVIDEM OPINIO INFLAT ET FASTV REPLET, *charitas autem ædificat, quæ non in opinione versatur, sed veritate.*

576. Sed quid ædificat? ædificat proximos, dum eos ad salutem promouet, vt ait Estius additque. *Hinc collige eos, qui ita quærunt salutem propriam, vt de proximis non curent non habere charitatem, sed fallere se ipsos.* Præterea. *Inflat per se scientia* (inquit B. Laurentius Iustinianus de Contemptu Mun. cap. 2.) *sine charitatis adminiculo. Charitas ædificat propriam & aliorum conscientiam.*

Si

Si quis autem ſe exiſtimat ſcire aliquid, nondum cognouit, quemadmodum oporteat eum ſcire.

577. QVemadmodum oporteat eum ſcire. Pluris refert modum ſciendi ſcire, quam ſcire multa *Non eſt noſtra iſta ſententia*, inquit Sanctus Bernardus ſerm. 36. in Cant. *ſed illius, immò & noſtra, quoniam veritatis. Qui ſe, inquit, putat aliquid ſcire, nondum ſcit, quomodo oporteat eum ſcire. Vides, quoniam* NON PROBAT MVLTA SCIENTEM, SI SCIENDI MODVM NESCIERIT. *Vides, inquam, quomodo fructum & vtilitatem ſcientiæ in modo ſciendi conſtituit? Quid ergo dicit modum ſciendi? Quid? niſi vt ſcias, quo ordine, quo ſtudio, quo fine quæque noſſe oporteat? Quo ordine? Vt id prius, quod maturius ad ſalutem. Quo ſtudio? Vt id ardentius, quod vehementius ad ſalutem. Quo fine? Vt non ad inanem gloriam aut curioſitatem, aut aliquid ſimile; ſed tantùm ad ædificationem tuam vel proximi. Sunt namque, qui ſcire volunt eo fine tantùm, vt ſciant: & turpis curioſitas eſt. Et ſunt, qui ſcire volunt, vt ſciantur ipſi: & turpis vanitas eſt.*

Et ſi ſunt, qui dicantur dij.

ET ſi ſunt, qui dicantur dij. Dixit; *Qui dicantur*; non, *Qui ſunt*, vt eos à vera Diuinitate excluderet Sanctus Ambroſius lib. 5. de Fide cap. 2. *Non dixit, ſunt dij; ſed, ſunt qui dicantur. Chriſtus autem (ſicut ſcriptum eſt) heri & hodie ipſe eſt. Eſt (inquit) hoc eſt non ſolùm nomine, ſed etiam veritate.*

Videte autem, ne fortè hæc licentia veſtra offendiculum fiat infirmis.

CVr *licentiæ* adhibuerit nomen, non *ſcientiæ*, expendebat Theophylactus hic inquiens: *Nec dixit, Scientia veſtra; ſed, Licentia (hoc eſt petulantia & arrogantia) fiat offendiculum infirmis. Atque hæc maior eorum eſt accuſatio, quòd nec infirmis quidem voluerint parcere, quibus opus erat vel manum porrigere etiam.*

Et peribit infirmus in tua ſcientia frater, propter quem Chriſtus mortuus eſt.

578. QVis proximum deinceps contemnat, proximique negligat ſalutem, ſi seriò cogitet tanti factum à Deo eſſe, vt pro illo Dei filius ſanguinem fuderit, dederit vitam? Pretium eius cogita, & contemne ſi potes. Opportunè Sanctus Auguſtinus ſerm. 6. de verbis Domini: *Ne contemnas infirmum, addidit, propter quem Chriſtus mortuus eſt.* QVEM VIS CONTEMNERE, PRETIVM IPSIVS ATTENDE, ET CVM MORTE CHRISTI TOTVM MVNDVM APPENDE. *Et ne adhuc putares in infirmum peccare, & leue duceres peccatum ac paruipenderes, in Chriſtum, inquit, peccatis. Solent enim homines dicere, in hominem pecco, nunquid in Deum? negat Chriſtum Deum. Audes negare Chriſtum Deum?*

Sic autem peccantes in fratres, & percutientes conſcientiam eorum infirmam, in Chriſtum peccatis.

IN Chriſtum peccatis. Nimirum in Chriſtum tanquam caput redundat, quod fit eius membris. Grauiter hanc ſententiam vrget Theophylactus hîc, dum ait: *Non dixit, Offendentes; ſed; Percutientes, vt crudelitatem indicaret; quandoquidem & languentem conſcientiam feriant. In ipſum autem tranſgreſſionis faſtigium peccatum retulit: In Chriſtum delinquitis, inquiens. Quomodo autem peccatum in Chriſtum refertur? Multis modis: nam, & quæ ſeruorum ſuorum ſunt, ſibi tribuit: & quoniam* CORPVS ET MEMBRA IPSIVS SVNT, QVI FERIVNTVR: *& quia, quæ ipſe per ſui mactationem aut victimam ædificauit (nimirum ipſam ſalutem) ipſi deſtruunt.* 579.

Percutientes conſcientiam eorum infirmam. Magna huic verbo ſubeſt vis. *Neque enim dixit*, inquit hîc Sanctus Chryſoſtomus, *ſcandalizantes ſeu offenſionem afferentes; ſed percutientes ſeu verberantes, vt dictionis emphaſi oſtenderet crudelitatem. Quid enim homine ſæuius, qui ægrotantem verberat?*

In Chriſtum peccatis; Vt hinc colligas, quàm graue ſit proximum offendere, cum illius offenſio in Chriſtum reſiliat, quod in hunc modum expendebat Sanctus Auguſtinus ſerm. 16. de verbis Domini: *Nemo contemnat quando peccat in fratrem: ait enim quodam loco Apoſtolus: ſic autem peccantes in fratres, & percutientes conſcientiam eorum infirmam, in Chriſtum peccatis; ideò quia membra Chriſti omnes facti ſumus.* QVOMODO NON PECCAS IN CHRISTVM, QVI PECCAS IN MEMBRVM CHRISTI? *nemo ergo dicat, quia non peccaui in Deum ſed peccaui in fratrem, in hominem peccaui: leue vel nullum peccatum eſt: fortè inde dicis, quod leue eſt quia citò curatur, peccaſti in fratrem, fac ſatis, & ſanatus es, citò feciſti mortiferam rem, ſed remedium citò inueniſti.* 580.

CAPVT IX.

EPISTOLÆ PRIMÆ ad Corinthios expenditur & illuſtratur.

SECTIO I.

581 *Doctor eorum curam non ponat, quos vocauit ad Chriſtum.*

582 *Sigillum doctoris cur dicantur, qui ab ipſo informantur.*

Pauli candor expenſus.

583 *Doctor paucis, hiſque neceſſariis, contentus.*

Prouidentia Dei in homines quàm eximia.

584 Dei

584 *De Euangelio viaere, non lasciuire doctor debet.*
Notati, qui alienis inhiant.
585 *Prædicator, vtilitates suas amant, inuitus prædicare dicitur.*
586 *Aliorum vitia minimè æmulanda.*
587 *Omnium forma ita induenda, vt omnes reformentur.*
588 *Aliorum leaes mores in se nullus transferat.*
Non cadeudo, sed coudescendeudo omnibus omnia fieri debeamus.
589 *Compassio, non simulatio probata.*
In omnium profectum in alios se quisque transformet.
590 *In spiritali certamine quotquot curruat, possuat coronari.*
Spiritualis cursus in quo situs.
591 *In spirituali certamine vincere omnes possaat; quia omnes, vt vnum, currere debemus.*
Perseueraatia in spiritalibus obsequiis commendata.
592 *Omnes iusti vaum sunt.*
Alacrium cursu segnes excitentur.
593 *Agonotheta noster Deus, inuidus minimè est.*
Alterius palma in spiritali cursu alteri ignominiam haudquaquam parit.
In spiritali cursu sine animi liuore contendendum.
594 *A quibusnam abstinerent, qui in agone contendebant.*
595 *In spiritali agone quæ vitanda.*
596 *Abstinentia vera quænam sit.*
597 *Ludiera Mundi spectacula minime Christianus affectet.*
598 *Bonus doctor præstet, quod docet.*
Rectus cursus in Euangelij prædicatione maximè commendatus.
599 *Bonus pugil præstare quid debeat.*
600 *Qui corpus suum affligit aëreos spiritus cædere dicitur.*
Abstineutiæ ictibus immundos spiritus vt verberemus.
601 *Corpus & caro domesticus hostis: quo superato, Mundus & diabolus facilè vincuntur.*
602 *Qui castigat carnem suam, aduersarios vt verberet.*
Corporis castigatio moderanda.
603 *Castigandi corporis necessitas vndè collecta.*
Corporis imbecillitas non vitanda: timenda carnis fortitudo.
604 *Corporis castigatione erudiri animus debet.*
Caro spiritui subiecta esse debet, sed magis Deo.
605 *Da sanguinem, & accipe spiritum, antiquorum effatum.*
Corporis castigatio quàm nobis necessaria.
606 *Corporis maceratio adolescentibus maximè necessaria.*
Castiganda caro, non perimenda.
607 *Corpus suum vt liuidum Paulus redderet.*
Corpus nisi castigetur, fit animæ dominus.
608 *Corpus qui puguando vincit, facilè hostes superabit.*
Corporis castigationi quantum tribuendum.
Collactationum summa velut in base firmissima in carnis maceratione constituta.
609 *Martyrum vindicta qualis.*
Carnis rabies cohibenda.
610 *Castiganda caro, ne indebitè spiritus dominetur.*
611 *Nemo se à sua carne securum putet.*
612 *Gratiæ solicitudo, & labor adiungendus.*
613 *Suo timore vt nos Paulus terreat.*
614 *Prædicator præstet, quod docet, ne reprobus habeatur.*
615 *Timere, cum Paulus timuerit, debemus.*

Et si aliis non sum Apostolus, sed tamen vobis sum.

CVR negat Paulus se aliorum Apostolum fuisse, cum alibi dicat plus omnibus se laborasse & Gentium Apostolum constitutum, & ab Ierusalem per circuitum vsque ad Illyricum Euangelium Christi extendisse? *Non negat*, inquit Estius, *sed per concessionem quandam loquitur, ac si dicat: Esto non sim aliis Apostolus; at sanè negari non potest vestrum Apostolum me fuisse.* Signatè dixit: *Vobis sum*, non *vobis fui*, duntaxat, quia nimirum Apostoli munus in illos exercere non cessabat. Veri doctoris ista consignatio est, vt EORVM CVRAM NVNQVAM PONAT, quos semel vocauit ad Christum. 581.

Nam signaculum Apostolatus mei vos estis in Domino.

S*ignaculum*, Græcè σφραγὶς id est *sigillum*, quod certum veritatis signum solet haberi; scilicet doctoris SIGILLVM II SVNT QVI INFORMANTVR, & instituuntur ab ipso, vt moribus velut quibusdam characteribus referant, quid didicerint. 582.

Aut

Aut ego solus & Barnabas non habemus potestatem hoc operandi?

CVr Barnabæ meminit? Quod in Euangelij prædicatione atque etiam in viuendi instituto socium habuisset. *Hic obserua*, inquit Estius, PAVLI CANDOREM, QVI LAVDEM HANC ABSTINENTIÆ NON SIBI SOLI VENDICAT; *sed Barnabam eius participem libenter, ac sponte declarat.*

Quis militat suis stipendiis vnquam? Quis plantat vineam & de fructu eius non edit? Quis pascit gregem, & de lacte gregis non manducat?

583. SVis *stipendiis*. Plura licet exempla similitudinesque adducat Apostolus, ea omnibus tamen colligitur, doctorem paucis solisque necessariis debere esse contentum. Pulchrè rem versat Sanctus Chrysostomus homil. 21. in hanc Epist. *Non dixit: Quis militat, & non est diues? sed: Quis militat suis stipendiis vnquam? Neque dixit: Quis plantat vineam, & aurum non colligit? aut, fructum integrum non vindemiat? sed: Ex fructu eius non comedit? Neque dixit: Quis pascit gregem, & de agnis non exercet mercaturam? sed: Quomodo ex eius lacte non comedit? Non ex agnis, sed ex lacte, ostendens*, QVOD OPORTET DOCTOREM PARVO SOLATIO ESSE CONTENTVM, SOLOQVE NECESSARIO.

Nunquid de bobus cura est Deo?

ET non etiam de bobus cura est Deo? cum scriptum sit Psalm. 35. 7. *Homines & iumenta saluabis Domine*. Est. sed, si hæc cura comparetur illi prouidentiæ; quam de hominibus habet, de bobus curam habere non videtur. *Non absolutè*, inquit hîc Estius, *curam boum à Deo remouet Apostolus: sed, quod dicit, hunc sensum habet: Num Deo cura est de bobus*, VT PROPTER ILLOS DET HOMINIBVS PRÆCEPTA, AC NON POTIVS PROPTER IPSOS HOMINES? *nam præceptum istud de ore boui trituranti non obligando, non boum, sed hominum causa datum est, vt clementia & humanitati assuescerent.*

Ita & Dominus ordinauit iis, qui Euangelium annunciant, de Euangelio viuere.

584. D*E Euangelio viuere*. Nimirum, satis est, si prædicator Euangelij de Euangelio VIVAT, nec debet (vt ait Vgo) LASCIVIRE.

Ego autem nullo horum vsus sum. Non autem scripsi hæc, vt ita fiant in me: bonum est enim mihi magis mori, quàm vt gloriam meam quis euacuet.

ACriter hunc locum contra eos intorquet S. Prosper lib. 2. de Vita contemplat. c. 14. qui auidè alienis inhiant, & ex illorum laboribus diuitias suas augere student. *Apostolus de se confidenter eloquitur: Ego autem nullo horum vsus sum. Et, quare hoc dixerit, sequutus aperuit dicens: Expedit mihi magis mori, quàm vt gloriam meam quis euacuet. Euacuare dicit gloriam suam, si ab eis, quibus prædicabat, voluisset accipere vitæ corporalis expensam. Nolebat quippe in præsenti laboris sui fructum, sed in futuro recipere. Si ergo ille, qui nihil habebat, noluit de Euangelio, vbi laborabat, sed suis manibus viuere, ne gloriam suæ mercedis amitteret:* QVID NOS, QVI ET PROPRIA NOLVMVS AMORE POSSIDENDI NON VIVENDI NECESSITATE RELINQVERE? *Et accipere insuper volumus, non vnde viuamus, sed vnde censum nostrum incrementis damnabilibus augeamus?*

Si enim volens hoc ago, mercedem habeo: si autem inuitus, dispensatio mihi credita est.

SI *volens*; ex Græco verti potest, *si vltroneus*, vel *si voluntarius* idest libenter, & ea animo, non timore coactus; inuitus etiam euangelium prædicat, qui vtilitatis suæ causa istuc muneris obit; *Inuitus euangelizat*, inquit Estius, *non solùm qui timore compulsus euangelizat, ne puniatur, quomodo Balaam benedixit filiis Israel, verum etiam quid id facit non ipsum amat euangelium, sed* SVAS VTILITATES EX EVANGELIO. CVIVS ALIOQVI PRÆDICANDI MOLESTIAM NON SVSTINERET. A veri prædicatoris nota abit, qui non volens, & voluntarius prædicat, & temporalis lucri amore id præstat. 585.

Omnibus omnia factus sum, vt omnes facerem saluos.

SEnsus est: omnium moribus, & affectibus, me quantum licet accommodo, me omnibus apto, ita tamen vt neminem offendam, sed omnium salutem quæram; nec enim apostolicæ mentis est cum negligentibus negligentiæ litare, & eorum æmulari vitia quos ad perfectionis culmen exemplo debebat prouocare: Opportunè Palladius in vita Sancti Ioannis Chrysostomi cap. 19. *Testimonium istud virorum optime, nihil ad ea, quæ dicta sunt, confert.* NON ENIM AIT PAVLVS, FACTVS SVM NEGLIGENTIBVS NEGLIGENS, AVT NVGANTIBVS NVGAX, AVT CVPIDIS CVPIDVS, *aut huiusmodi aliquid, sed factus sum quasi hoc, aut hoc; non definitè hoc & hoc: non enim idem est alterum, quod alterum, eius profectò generis est, quod ab Apostolo, aut dicitur, aut geritur, cuius condescensio, etsi magna emolumenta non affert, nulla tamen inuehit detrimenta. Factus sum enim, inquit, Iudæis, tanquam Iudæus, vt Iudæos lucrifacerem, cùm certè ex Iudæis esset, circumcisionemque suscepisset. Cur ergo dicit tanquam Iudæus, & non absolutè Iudæus? Sabbata nempè celebrasse vna vnaque ieiunasse sæpe deprehenditur, non vt Saluatoris decreta violaret, sed vt huiusce consuetudine illos ad perfectiorem scientiam traheret.* 586.

Omnibus omnia Paulus erat, formam omnem induebat, vt omnes reformaret; varia vnius Pauli officia præstat ex Sancto Gregorio Nazianzeno audite, qui orat. 1. hæc in illius laudem inter alia habet: *Heris, ac seruis leges statuit, præfectis & subditis, viris & mulieribus, parentibus & liberis, matrimonio, & cælibatui, deliciis & continentia,* 587.

nentia, sapientia & inscitia, circuncisione, & praeputio, Christo & mundo, carni & spiritui, pro his gratias agit, illos perstringit, hos gaudium suum & coronam nominat: illos dementia accusat, his rectum iter tenentibus, comitem se adiungit, atque alacritatis socium se prabet: alios malè incedentes reprimit. Nunc à piorum cœtu proscribit: nunc charitatem firmat. Nunc luget, nunc lætitia afficitur: nunc lac propinat, nunc mysteria attingit. Nunc ad alios se demittit: nunc eos secum erigit. Nunc virgam minatur, nunc lenitatis spiritum offert. Nunc sublimibus elatum, nunc humilibus humilem se probet. Nunc Apostolorum minimus est, nunc experimentum pollicetur Christi in se loquentis. Nunc ex hac vita discessum exoptat, ac delibatur: nunc propter suos magis necessarium esse censet in carne permanere, non enim quod suum est, quærit, sed quod filiorum, quos per Euangelium genuit, hic enim spiritualis omnis imperij finis est; vbique priuata vtilitate neglecta, commodis aliorum consulere. In infirmitatibus & afflictionibus gloriatur. In mortificatione Iesu tanquam in alio quodam ornamento sibi placet. In carnalibus sublimis est, & ob spiritualia exultat. Imperitus non est scientia: & tamen se per speculum duntaxat & in ænigmate videre ait. Spiritus confidit: & tamen corpus vastigat, tanquam aduersarium eiciens. Quid autem in his rebus nos docet atque admonet? Nempe ne ob terrena efferamur, ne ob scientiam inflemur, ne carnem aduersus spiritum excitemus. Pro omnibus dimicat, pro omnibus precatur, Zelo omnes prosequitur, pro omnibus inflammatur, tam à lege alienis, quàm legi subiectis, gentium concionator, Iudæorum patronus.

588. Omnibus omnia se facere cum laude quisque potest si tamen aliorum leues mores in se non transferat; Sanctus Gregorius Naaianzenus Sanctum Basilium efferens hîc de illo, quod alij etiam aptes, habet orat. funebri de Sancto Basilio: *Cæterum si non garrulus erat, aut risu diffluens, siue circunforaneus, nec multis placebat,* QVONIAM NON OMNIBVS OMNIA FIERET, *aut gratificaretur, quid hoc ad rem? Nonne potius laude, quàm reprehensione dignum est iis, qui mente præditi sunt? Nisi quis Leoni obiicere velit, quod non figuram simiæ, sed seueram, & regiam præ se ferat; cuius lasciuia tamen generosa sunt, & cum admiratione diligenda.*

Omnibus omnia factus sum. Non cadendo, sed condescendendo. Sic enim habet Sanctus Gregorius lib. 6. Moral. cap. 16. *Neque, vt omnibus omnia fieret, simplicitatem mentis in erroris varietatem commutauit:* SED CONDESCENDENDO *appropinquat infidelibus*, NON CADENDO; *vt videlicet singulos in se suscipiens, & se in singulos transfigurans, compatiendo colligeret, si ita ipse, vt illi, esset, quid impendi sibi ab aliis rectè voluisset; & tanto verius vnicuique erranti consuleret, quanto salutis eius modum ex propria consideratione didicisset.*

589. Omnibus omnia dum se factum asserit Apostolus, tu vide, ne aliquam hîc simulationem cogites: compassionis vim significare voluit. *Quòd ait* (verba sunt Sancti Augustini lib. contra Mendac. cap. 12.) *Omnibus omnia factus sum, vt omnes lucrifaciam.* COMPATIENDO ID FECIT, NON MENTIENDO. *Fit enim quisque tanquam ille, cui vult subuenire, quando tanta misericordia subuenit, quanta sibi subueniri vellet, si esset ipse in eadem miseria constitutus. Itaque fit tanquam ille, non quia fallit illum; sed quia se cogitat sicut illum.*

Omnibus omnia, Apostoli exemplo se quisque debet facere ea coërcitione, quam indicauit Beatus Laurentius Iustinianus de Triumph. Christi agone cap. 4. TRANSFORMEMVR *in singulos, communicemus nos omnibus; ita vt illud Apostoli compleatur in nobis: Omnibus omnia factus sum, vt omnes lucrifaciam. Seruatis duntaxat modo, mensura, tempore, & rationabili iudicio charitatis.*

Non satis est omnia omnibus fieri, nisi id fiat in omnium profectum, ac salutem: nam, vt aiebat Sanctus Gregorius Nazianzenus orat. de Episcop. *Omnibus omnia efficimur haud scio, vtrum vt omnes* SERVEMVS, *an vt omnes* PERDAMVS. Perdit se, qui se ita omnibus aptat, vt iis illos se transformet, licet sint mali.

Omnes quidem currunt, sed vnus accipit brauium.

VNus accipit brauium, vnus donatur præmio in seculari certamine: non ita in spiritali. Si perseueranter hic omnes currant, omnes coronantur. Præstat audire Sanctum Augustinum in Psalm. 39. *Omnes quidem currunt (Paulus Apostolus dixit) in illo stadio, in illo spectaculo: vnus tamen accipit brauium. Ceteri victi discedunt, & perseuerauerunt in currendo: sed, cùm acceperit vnus, remanēt ceteri, qui similiter laborauerunt.* HIC NON EST SIC. QVOTQVOT CVRRVNT, PERSEVERANTER CVRRANT: OMNES ACCIPIVNT; *&, qui prior venerit, expectat, vt cum posteriore coronetur, agonem quippè istum non cupiditas, sed charitas facit. Omnes currentes amant se, & ipse amor cursus est.* 590.

Omnes quidem currunt. In quo situs hic cursus? *Hunc* CVRSVM, inquit Beatus Dionysius, *non vanitas, sed necessitas; non cupiditas facit, sed charitas.* Addit: *Quò quis velocius currit, eò cursus eius est aliis vtilior:* CVRSVS *enim iste est amor; qui vectit currentes, vt bonum vnius redundet in alium.*

Sic currite, vt comprehendatis.

S*Ic currite, vt comprehendatis.* Omnes comprehendere possumus; omnes vincere; adeò vt vnius victoria, calcar ad alterius victoriam sit; non victoriæ consequendæ impedimentum. Sanctus Paulinus epist. 2. ad Seuerum legit, *Vt apprehendatis omnes.* Sed præstat omnia eius verba hîc sistere. *Sic currite, vt apprehendatis omnes. Quod in agone terreno contra est, vbi non potest lucta nisi dispari luctantium sorte finiri; vt vnius gloria, alterius ignominia sit. In Christo autem (quia multi vnum sumus) omnes vt vnus currimus, & omnium concors ad vnum bonum cursus est; & ideo dicitur nobis: sic currite, vt apprehendatis omnes.* 591.

Parum prodest si quis currat, nisi & comprehendat; scitè Beatus Laurentius Iustinianus tract. de obed. cap. 6. *Sic currite, ait Apostolus, vt comprehendatis. Non enim poterit quis ad* CONSVMMATIONEM VIRTVTIS ATTINGERE, *ni voluerit in ipsius exercitatione perseuerare. Non sufficit planè terram fodere, arbusta plantare, atque*

nascentia

naſcentes fructus inſpicere, ſi non æquo animo permittantur etiam matureſcere. Sic nimirum omnis labor, qualibetque virtus laudem non meretur, niſi in eadem viriliter perſeueret.

592. Currere nos omnes iubet, licèt vnus accipiat brauium; *quia* (vt ait ad hæc verba Origenes hom. in lib.Reg.) OMNES IVSTI VNVM SVNT: ſicque omnes accipere poſſunt, licet dicatur accipere vnus: & accipit vnus, licèt accipiant omnes; quia omnes ſunt atque vnum vnus.

Vt comprehendatis. Non dixit, *Vt vnus comprehendat*; ſed, *Vt comprehendatis* omnes: & tamen dixerat, vnum tantùm accipere brauium. In temporali ſtadio plures currunt, vnus accipit brauium: in ſpirituali currentes omnes præmio donantur. *Sic ſic iſt de Euangelij præmio*, inquit S.Thomas, *vel de curſus brauio; quia hîc vnus accipit brauium, ibi omnes accipere poſſunt.*

Sic currite. Vt alacrium curſu ſegnes incitentur; *ſolicitè vult curri* inquit hîc Rabanus, *ad promiſſionem, quia magna eſt*, NEC PROPTER LENTORVM, ET SEGNIVM MORAS PARATOS ATQVE ALACRES DEBERE SVBSISTERE, *cum rectius ſit, vt deſides à præcurrentibus incitentur, quàm vt properantes à reſidentibus obligentur.*

593. *Sic currite, vt comprehendatis.* Omnes ad victoriam, ad coronam omnes inuitat, nec enim vllo inuidiæ liuore corripitur, nec alterius victoria alteri ignominiam parit, vt in mundi accidit certaminibus. *Contra de nobis dicitur*, inquit S.Hieron *Sic currite, vt apprehendatis.* NON EST INVIDVS AGONOTHETA NOSTER: NEC ALTERIVS PALMA ALTERI PARAT IGNOMINIAM: *Omnes athletas ſuos deſiderat coronari.* Sic ille epiſt.18. quæ eſt ad Lucinium.

Sic currite; Currendum ita eſt, vt nobiſcum vitia non currant, non ſuperbia, non animi liuor. Benè S.Valerianus hom.13. *Sic currite vt apprehendatis, quicunque ergo mouetur aliena gloria, currat, poſt bonos, & elaboret vt apprehendat, & adquieſcat vt præcedat*; TANTVM VT SINE ANIMI LIVORE CONTENDAT; *hoc eſt verè immaculatam exercuiſſe virtutem ſiue iniuria viciſſe meliorem. Superbis ſanè locum demus tantum vt nos in humilitate vincamus, non nos ad æmulationem prouocet Lucrum militiæ ſæcularis.*

Omnis autem, qui in agone contendit, ab omnibus ſe abſtinet.

594. A*B omnibus ſe abſtinet.* Ab iis ſcilicet, quæ certamini poſſunt officere, & certaturi imminuere vires. Ioannes Caſſianus lib.6. de Inſtit. renunc. cap 7. *Audi, quid dicat Apoſtolus: Omnis, qui in agone contendit*, AB OMNIBVS SE ABSTINET. A QVIBVS OMNIBVS DIXERIT INQVIRAMVS, *vt poſſit nobis ſpiritalis inſtructio comparatione carnalis acquiri. Illi etenim, qui in hoc agone viſibili ſtudent legitimè decertare, vtendi omnibus eſcis, quas deſiderij libido ſuggeſſerit, non habẽt facultatem; ſed illis tantùm, quas eorundem certaminum ſtatuit diſciplina. Et non ſolùm interdictis eſcis, & ebrietate, omnique crapula eos neceſſe eſt abſtinere; verum etiam cuncta inertia, otio atque deſidia, vt quotidianis exercitiis, iugique meditatione virtus eorum poſſit accreſcere. Et ita omni ſolicitudine ac triſtitia, negotiiſque ſecularibus, affectu etiam & opere coniugali efficiuntur alieni; vt præter exercitium diſciplinæ nihil aliud nouerint, nec vlli mundiali curæ penitus implicentur; ab eo tantùm, qui certamini præſidet, ſperantes quotidiani victus ſubſtantiam, & coronæ gloriã, condignáque præmia victoriæ laude conquirere. At in tantum ſe mundos ab omni coitus pollutione cuſtodiunt, vt, quum ſe præparant ad agonum certamina, ne qua forſitan per ſomnum nocturna deluſi fallacia vires minuant multo tempore conquiſitas, laminis plumbeis renum contegunt loca; quo ſcilicet metalli rigore genitalibus membris appliciti, obſcœnos humores valeant cohibere; intelligentes, ſe proculdubio eſſe vincendos, nec iam poſſe propoſitum certamen demptis viribus adimplere, ſi promiſſam pudicitiæ ſoliditatem fallax noxia voluptatis imago corruperit.*

Nouarin. in Epiſt.Pauli.

Ab omnibus ſe abſtinet; totum hunc locum egregiè vrget Rabanus, dum ait: *Ab omnibus ſe abſtinet*; AB HIS OMNIBVS SCILICET, QVÆ VITANDA EADEM TRADIT DISCIPLINA, *cum ſciant vnum coronandum, quantò magis* OBSERVANDVM NOBIS EST, *quia omnibus promiſſa eſt ſalus. A quibus omnibus dixerit, inquiramus, vt poſſit nobis ſpiritalis agonis inſtructio comparatione carnalis acquiri. Illi etenim qui in hoc agone viſibili ſtudent legitimè decertare, vtendi omnibus eſcis quas deſiderij libido ſuggeſſerit non habent facultatem, ſed illis tantummodo quas eorundem certaminum ſtatuit diſciplina, & non ſolùm interdictis eſcis, & ebrietate, omnique crapula eos neceſſe eſt abſtinere, verumetiam cuncta inertia, & otio atque deſidia vt quotidianis exercitiis, iugique meditatione virtus eorum poſſit accreſcere, & ita omni ſolicitudine ac triſtitia negotiiſque ſecularibus, affectu etiam & opere coniugali efficiuntur alieni.* 595. Clemens Alexandrinus lib.3. ſtromatum ita hunc locum explicat: *Quoniam qui certat, in omnibus abſtinet, hoc eſt, eſt omnia continens*, NON AB OMNIBVS ABSTINENS, SED CONTINENTER VTENS *iis quæ vtenda indicauit: illi quidem vt corruptibilem coronam accipiant: nos autem vt incorruptibilem, in lucta vincentes, non autem ſine puluere coronam accipientes.* S.Chryſ.homilia 6. de temperantia hunc eundem locum ita verſat: *Sanè* ABSTINENTIAM *dicimus non eam modò qua comite ab eſculentis abſtinemus; ſed & quæ cætera ſuo ambitu complectitur: hoc eſt abſtinentiam omnium, quorum vſu ipſi interdicimur, neceſſum igitur ſit iuxta Apoſtolicam doctrinam, vt is qui ſedulò curat eſſe & dici abſtinens, ab omnibus ſibi temperet & abſtineat, vt enim ab homine quopiam, quomodolibet tandem, reſciſſa ſi ſunt membra aliquot; per hoc totus hominis habitus decolor demum fit, ac deformatur: ita vna aliqua virtus*, SI E MEMBRIS CÆTERARVM RESECTA COMPERIETVR, DECVS ATQVE ELEGANTIAM ABSTINENTIÆ *obſcurat prorſus & intercipit.* 596.

Dum agones, dum certamina audis, ne credas ludicra hæc ſpectacula commendari, quæ mundi homines tam auidè frequentant, ſed te ad meliora, ſanctioraque vocari. Scilicet ſimilitudo probatur, non veritas; id quod tangebat S. Auguſtinus in Pſal. 57. vbi ait: *Eundum eſt & ad ſpectacula theatri, quia dicit Apoſtolus: non ſic pugillor quaſi aërem cædens, pugillari enim eſt, Pancratium facere. Iam quia hinc data eſt ſimilitudo, ſpectacula iſta delectare nos debent? aut quia dixit, qui in agone contendit, ab omnibus ſe abſtinent eſt:* PROPTEREA AGONISTICA ISTA VANA ET LVDICRA DEBET AFFECTARE CHRISTIANVS? *attende quid tibi dicatur ad ſimilitudinem, quid moneatur ad prohibitionem.* 597.

Ego igitur sic curro, non quasi in incertum.

598. Singulariter de se loquitur, non vt se iactet, sed vt suo exemplo Corinthios ad paria prouocet. Optimi doctoris formam habet, bonus magister est, qui priùs reipsa id præstat, ad quod sermone alios inhortatur; *Optimus* DOCENDI MODVS, inquit hîc Isidorus Clarius *ex* SE IPSO INVENIRE EXEMPLA, & cursu ad cursum alios prouocare.

Si curro. Ac si diceret euangelicum ministerium ita obeo, vt in vacuum non laborem, nec in incertum curram: *id est temerè & quamlibet in partem*, vt ait Estius, *sed* RECTO AD METAM DESTINATAM, *vt faciunt, qui in stadio currunt & vincere volunt.* Rectus cursus hîc maximè commendabilis est, & breuior, ac facilior est. Vix aut ne vix quidem victoriam in cursu indipiscentur, qui recto itinere derelicto flexuosas semitas terit.

Sic pugno non quasi aerem verberans.

599. *Sic pugno* Græcè; οὕτως πυκτεύω, quod verbum propriè pugnam significat, quæ pugilum est, vnde S. Augustinus legit: *Pugilor*, sensus igitur est; more bonorum pugilum sic certo in Christiana pugna. Addit: *Non quasi aerem verberans*; Ille in pugna aërem verberat, qui irrito conatu ictus in aduersarium intentat, adeo vt aduersarius verbera eludat. Non aërem verberabat Paulus, qui suum cædebat antagonistam. Nimirum parum est aduersarij verbera declinare, verberandus, cædendusque aduersarius, vt discat secedere dum cæditur. Benè S. Ambros. lib. de Paradis. c. 12. *Paulus quasi bonus Athleta non solum ictus aduersantium potestatum vitare cognouerat,* VERVM ETIAM ADVERSANTES FERIRE. *Vnde & ait, percutio pugnus, non vt aera cadens, & ideo quasi bonus Athleta ad coronam meruit peruenire.* Et ad Horontium enarrat. 1. *Et si, inquit, non videbat Paulus quos caderet, non quasi aera tamen cædebat: quia in Christi prædicatione spirituales nequitias quæ sibi aduersabantur,* CONVVLNERABAT.

600. *Non quasi aerem verberans*; non aërē verberabat sed aëreos spiritus, dum scilicet corpus suum cæderet, & afflictaret. Sistenda hîc quæ circa hunc locum habet Ioannes Cassianus de spiritu Gastrim. lib. 5. c. 18. sic enim ille scribit: *Sic pugnat, ieiuniis scilicet, & afflictione carnalis, non quasi aërem verberans, id est, in vanum ictus continentiæ porrigens, per quos non aërem vacuum*, SED ILLOS SPIRITVS, QVI IN EO VERSANTVR, CASTIGATIONE SVI CORPORIS VERBERABAT, *qui enim dicit: non quasi aërem verberans; ostendit se tametsi non aërem vacuum & inanem, aliquos tamen in aëre verberare, & quia hoc certaminum genere superarat, & ditatus multarum coronarum stipendiis incedebat; non immeritò robustiorum incipit hostium subire luctamina, ac prioribus æmulis triumphatis cum fiducia proclamat & dicit: Iam non est nobis colluctatio aduersus carnem & sanguinem, sed aduersus principatus, aduersus potestates. aduersus mundi rectores tenebrarum harum, contra spiritualia nequitiæ in cælestibus.* Hactenos ille.

Non quasi aerem verberans; Abstinentiæ ictibus aëreos spiritus peti, ac verberari hinc colligebat S. Greg. lib. 3. Moral. cap. 13. vbi ita scribit: *Sic curro, non quasi in incertum: sic pugno non quasi aerem verberans, quia cùm carnem restringimus,* IPSIS ABSTINENTIÆ NOSTRÆ *ictibus non aerem, sed* IMMVNDOS SPIRITVS VERBERAMVS; *& cum hoc quod est intra nos subiicimus, extra positis aduersariis pugnas damus.*

Sed castigo corpus meum & in seruitutem redigo; ne fortè, cùm aliis prædicauerim, ipse reprobus efficiar.

Significat his verbis Apostolus se in hac pugna aduersarium habere corpus suum, ratione carnis, id est carnalis concupiscentiæ, vt necesse illi fuerit more pugilis corpus suum non leniter ferire: sed cur solius corporis meminit, non satanæ etiam, & mundi, qui hominis hostes sunt? An quia caro hostis præcipuus est, & carne deuictâ facile alij vincantur? Præclare hîc Estius: *Notandum est*, inquit: *Apostolum solius corporis sui hîc meminisse, non autem reliquorum duorum hostium cum quibus nobis pugna est, diaboli & mundi:* QVIA CORPVS SEV CARO DOMESTICVS HOSTIS EST, QVO SVPERATO FACILIVS SIT EXTERNOS HOSTES DIABOLVM, ET MVNDVM DEBELLARE: *Vt & hoc addam, quod circa diabolum & mundum non id agendum, quod circa corpus: vt castigentur & in seruitutem redigantur: sed tantùm vt velut hostes arceantur, ac profligentur ne noceant.* 601.

Castigo corpus meum. Vt hostes sui verberaret, verberabat se; Pulchrè S. Ambros. in Psal. 118. octon. 12 *Cædemus aëreas potestates, si nos ipsos castigare nouerimus.* CASTIGABAT CARNEM SVAM PAVLVS, VT ADVERSARIOS VERBERARET, *& seruituti redigebat corpus suum vt dominaretur inimicis*; alioquin suis hostibus seruit, qui corpus pro hoste non habet, nec illud redigit in seruitutem. 602.

Nimirum eò tendere corporis castigatio debet, vt spiritui corpus subiiciatur, non vt necetur. Pulchrè Theoph. hic: *Simulatque Pugno, dixit, & vulnerum meminit; statim intulit, & in seruitutem redigo.* VT DISCAS QVOD NON SIT NECESSE STRANGVLARE IPSVM VEL SVFFOCARE; *sed veluti effrænem seruum humiliare atque subdere, quod domini est, non hostis.*

Castigo corpus meum; Verè suum erat quia castigabat, nec ab intemperantiæ vinculis absolutum præceps ire sinebat; *castigabat Paulus corpus*, verba sunt Isidori Clarij, ad hæc verba *quod* MAGIS SPIRITALE ERAT, QVAM NOSTÆ IPSORVM ANIMÆ, *cur ergo post Paulum non idem faciendum est?* 603.

Castigo corpus meum. A suo sibi corpore timebat Paulus: quis non timebit à suo? Illius infirmitatem quærebat: cur & nos nostri non quæramus? Peritè Saluianus lib 1. de Gubernat. Dei: *Dicit Apostolus de seipso: Castigo corpus meum, & seruituti subiicio; ne fortè, cum aliis prædicauerim, ipse reprobus efficiar. Si infirmitatem corporis appetendam sibi etiam Apostolus putat:* QVIS SAPIENTER EVITAT? SI FORTITVDINEM CARNIS APOSTOLVS METVIT: *quis rationabiliter fortis esse præsumit?*

Castigare se dicit Paulus corpus suum non castitatis tantùm causa, sed etiam in aliarum 604.

virtutum

virtutum adminiculum. *Vas electionis Paulus,* inquit Sanctus Hieronymus epistola 14. quæ est ad Celantiam, *dum castigat corpus suum, & in seruitutem redigit, ne aliis prædicans ipse reprobus inueniatur, non ob solam (vt quidam imperiti putant) hoc facit castitatem (non enim huic tantummodo, sed omnibus omnino virtutibus abstinentia opitulatur; neque magna aut tota Apostoli gloria est non fornicari) sed hoc agit* VT CASTIGATIONE CORPORIS ERVDIATVR ANIMVS; *quantoque nil ex voluptatibus concupiscit, tantò magis de virtutibus possit cogitare; ne perfectionis magister imperfectum aliquid in se ostendat, ne Christi imitator extra præceptum quidquam aut voluntatem Christi faciat, ac ne minùs exemplo quàm verbo doceat; cumque aliis prædicauerit, ipse reprobetur, audiatque cum Pharisæis: Dicunt enim & non faciunt.*

Si corpus animæ debet subiici, cur non magis Deo? *Si caro*, inquit Sanctus Ambrosius libro 5. de Fide capite 4. *etiam iusti animæ subdita est, sicut scriptum est: Castigo corpus meum, & seruituti redigo;* QVANTO MAGIS SVBIECTA EST DIVINITATI? *de qua dicitur: Quoniam vniuersa seruiunt ei.*

605. Castigabat corpus suum Paulus, vt eò magis spiritus viuisceret. Peritè ex antiquorum Patrum mente Elias Cretensis in oratione 1. Sancti Gregorij Nazianzeni. *Quidam diuinorum Patrum dicebat: Sanguinis influxus, spiritus effluxum operatur: effluxus autem sanguinis, spiritus influxum. Quod quidem cùm non ignoraret Paulus (tantus alioqui vir) illud castigare atque in seruitutem redigere non desinebat.* Hinc etiam illud antiquorum Patrum: DA SANGVINEM ACCIPE SPIRITVM.

Castigat Paulus corpus suum, qui ad tertium Cœlum elatus fuerat: nos non castigabimus, qui terræ, terrenis hæremus? A sui corporis hoste timebat sibi Paulus: nos non timebimus? *Paulus Apostolus*, inquit Sanctus Gregorius libro 6. Epistola 22. *iam ad tertium Cœlum ascenderat, in Paradisum quoque ductus fuerat, arcana verba audierat, quæ homini loqui non liceret & tamen adhuc trepidans dicebat: Castigo corpus meum, & seruituti subiicio, ne fortè, aliis prædicans, ipse reprobus efficiar.* ADHVC TIMET, QVI IAM AD COELVM DVCITVR: ET IAM TIMERE NON VVLT, QVI ADHVC IN TERRA CONVERSATVR.

606. *Castigo corpus meum.* Cur non magis castiget ille, cuius corpus magis contumax ac refractarium est? Virginibus hoc in cautionem occinebat Sanctus Hieronymus epistola 10. quæ est ad Furiam: *Quid necesse est nos iactare pudicitiam, quæ, sine comitibus & appendiciis suis continentia & parcitate, fidem sui facere non potest? Apostolus macerat corpus suum, & animæ subiicit imperio, ne quod aliis præcipit, ipse non seruet:* ET ADOLESCENTVLA, FERVENTE CIBIS CORPORE, DE CASTITATE SECVRA EST? *neque verò hoc dicens, condemno cibos, quos Deus creauit ad vtendum cum gratiarum actione; sed iuuenibus & puellis incentiua aufero voluptatum. Non Ætnæi ignes, non Vulcania tellus, non Vesuius & Olympus tantis ardoribus æstuant, vt iuueniles medullæ vino plenæ, & dapibus inflammatæ.*

Castigo corpus meum. Efferatur nisi castigetur. *Non dixit*, inquit hîc Sanctus Chrysostomus, INTERIMO, *neque enim caro est inimica; sed,* CASTIGO *& in seruitutem redigo. quod quidem est Domini, non hostis: doctoris, non inimici: pædotribæ puerum exercentis, non aduersarij.*

Nouarum. in Epist. Paul.

607. *Castigo corpus meum.* Nec leuiter castigabat vt liuidum redderet, hinc S. Paulinus epistola 3. *Videtur*, inquit; *mihi ille non parcere corpori, qui carnem ieiuniis domat, sicut Apostolus dicit:* LIVIDVM FACIO *corpus meum, & in seruitutem redigo.* Et Sanctus Petrus Damianus serm. 161. *Sitimus, nudi sumus, & colaphis cædimur. Et alibi* LIVIDVM FACIO CORPVS MEVM. *& seruituti subiicio. Præbebat vindictam bonus seruus, qui se ad liuorem vsque sic agens iugiter verberabat.*

Et in seruitutem redigo. alioquin, nisi corpus castigetur, dominum se facit. Pulchrè S. Bernardinus Senensis serm. 5. de Sacro ieiun. art. 1. vbi expendens hæc verba ait: *Per castigationem, inquit, se corpus in seruitutem redigere: & meritò: nam, cùm corpus in creatione factum fuerit animæ seruus, ex patrata culpa* EST ANIMÆ DOMINVS: *sed per pœnitentiam, & ieiunia in seruitutem debitam etiam reformatur, vt meritò per abstinentiam gulæ, anima corpori dominetur; sicut per inobedientiam gulæ, caro animæ inobediens facta est.*

608. *Et in seruitutem redigo.* Ne scilicet sui corporis seruus fieret. *Nota* inquit hîc Caietanus, *quòd triplicem hostem cùm habeat (diabolum, Mundum, & corpus proprium) solius proprij corporis meminit quantum ad percussionem vsque ad seruitutem; vt ex hoc* QVOD PROPINQVIOREM, IMO INTERNVM CONTINVEQVE IMPVGNANTEM HOSTEM VINCI A SE EXPLICET INTELLIGATVR, QVID CONTRA EXTERNOS HOSTES IMPVGNANDO EFFICIT. *Qui enim carni propriæ non parcit, multò ampliùs externos, Mundum, ac dæmonem percutit.*

Castigare se dicit corpus suum, & seruituti subiicere, tantum corporis castigationi Apostolus tribuit vt victoriam ab hac potissimum speret; *Vides*, inquit hîc Rabanus, *quòd in semetipso, id est, in carne sua,* COLLVCTATIONVM SVMMAM VELVT IN BASE QVADAM FIRMISSIMA STATVERIT, *& prouentum pugnæ in sola castigatione carnis & subiectione, sui corporis collocauerit.* Idem & luculentius habet Ioanes Cassianus lib. 5. de spiritu gastrimargiæ cap. 19. vbi colluctationum summam velut in base constitui in carnis maceratione ait; sic enim ille scribit: *Vis audire verum Athletam Christi legitimo agonis iure certantem? ego, inquit, sic curro, non quasi in incertum? Sic pugno non quasi aerem verberans; sed castigo corpus meum, & seruituti subiicio, ne aliis prædicans ipse reprobus efficiar. Vides vt in seipso, id est, in carne sua colluctationum summam velut in base quadam firmissima statuerit, & prouentum pugnæ in sola castigatione carnis & in subiectione sui corporis collocarit. Ego igitur sic curro, non quasi in incertum; non currit in incertum qui cœlestem Hierusalem conspiciens, defixum habet quo sibi cordis sui indeflexibilis sit dirigenda peruicitas,*

609. *Castigo corpus meum*, Qui aliquãdo in Stephanum sæuiebat sæuit in se ipsum, ac si Stephani vice de Paulo Paulus exigeret vindictam; *Nonne tibi videtur*, inquit Sanctus Augustinus, *Paulus in se ipso* STEPHANVM VINDICASSE, *cùm dicis castigo corpus meum, & in seruitutem redigo!* Iusta, & felix martyrum vindicta, qua

quærunt vt peccati regnum euertatur, conuertantur peccatores.

Castigo corpus meum. Carnis rabiem cohibendam, oculos à mulieribus amouendos ex his verbis colligebat S. Isidor. Pelusiota lib. 2. epist. 11. vbi ait: *Castigo corpus meum, & in seruitutem redigo: ne fortè cum aliis prædicauero, ipse reprobus efficiar.* CVM IGITVR TANTVS VIR CARNIS RABIEM TANQVAM HABENIS QVIBVSDAM COHIBEAT, *vnusquisque oculos à mulieribus remouendo, securitatem sibi comparare studeat: ne alioqui materia igni admota flammam excitet.*

610. Nisi quis carnem suam redigat in seruitutem, carnis suæ seruus erit; imperabit caro, nisi seruire cogatur; castigabat Apostolus suam carnem quia rebellem eam sciebat, nisi castigaretur; *Nouerat,* inquit ad verba producta B. Laur. Iust. de interiori conflictu c. 3. *B. Apostolus carnis insolentiam, & quam importunè contra spiritum rebellis existat. Ne igitur indignum, indebitumque sibi vendicaret imperium, castigatione prudenti seruituti illam subdere satagebat. Quid (oro) indignius, quàm* VT SINE RATIONE CARO RATIONALI SPIRITVI DOMINETVR? *Aut quid magis incongruum, quàm vt ille, cui principandi datus est honor, inglorius maneat, & ancilla petulanti elatione imperandi ministerium sumat.*

611. Quis se putet securum, cùm se Paulus non putauerit? *Vas electionis*, inquit S. Hieronymus epist. 4. quæ est ad Rusticum monachum; *in cuius ore Christus resonabat, macerat corpus suum, & subiicit seruituti, & tamen cernit naturalem carnis ardorem suæ repugnare sententiæ, vt, quod non vult, hoc agere compellatur, & quasi vim patiens vociferatur, & dicit: miser ego homo, quis me liberabit de corpore mortis huius?* ET TV TE ARBITRARIS ABSQVE LAPSV ET VVLNERE POSSE TRANSIRE, *nisi omni custodia seruaueris cor tuum?* Idem vrgebat etiam S. Chrysost. hom. 22. in Genesim: vbi hæc habet. *Si ille cui tanta contigit gratia, post tanta & talia opera, opus habebat vt castigaret, & in seruitutem redigeret, & subiiceret potestati & dominio animæ corporis lasciuias. Castigat enim quis quod insurgit, & in seruitutem redigit quod fræna reiicit:* QVID DICEMVS NOS, QVI OMNIBVS VIRTVTIBVS DESTITVTI, OMNIBVS PECCATIS ONERATI SVMVS. *& præterea magnam ignauiam præ nobis ferimus? num induciás habet hoc bellum? Num tempus aggrediendi dilatum? Omnes nos vigilare & sobrios esse oportet, & nunquam in securitate esse: quia non est præfinitum tempus quando nos aggressurus est hostis.*

612. *Castigo corpus meum.* Solam gratiam non sufficere, nisi gratiæ adiungatur solicitudo, & labor noster hinc deducebat Eusebius Gallicanus hom. 1. de initio quadragesimæ, ait quippè; *Castigo corpus meum & in seruitutem redigo, ne fortè cum aliis prædicauerim ipse reprobus efficiar. Ecce beatus Paulus iam Christi habitaculum, iam vas electionis effectus,* INTELLIGIT SIBI NON SVFFICERE SOLAM GRATIAM, NISI GRATIÆ ADIVNGAT SOLLICITVDINEM VIGILANTIS, ET LABORIS INDVSTRIAM; *iam quidem fiducialiter proclamabat: an experimentum eius quæritis, qui in me loquitur Christus? & tunc vt spiritalibus resistere possit inimicis, continuatis studet corpus vallare ieiuniis. Sed & hoc ipsum vt Christus in eodem loqui posset, non aliter, quàm ieiuniorum sanctificatione promeruit.*

Hic Pauli timor timorem omnibus debet incutere, 613.
& illi maximè timendum, qui non timet. Beda: SVO TIMORE NOS TERRVIT, *quid enim faciet agnus, vbi Aries tremuit?* Et S. Hieronym. *Propterea Castigo & redigo in seruitutem corpus meum, ne aliis prædicans, ipse reprobus inueniar. Si ille timet; quis nostrum potest esse* SECVRVS? Sic ille epist. 9. quæ est ad Saluinam.

Ne fortè, cùm aliis prædicauero, ipse reprobus efficiar. Socordiæ nostræ, nostræque segnitiei excitandæ apta hæc verba sunt. *Si Paulus,* inquit hîc S. Chrysostomus *hoc timuit, qui multos docuit; & timuit, postquàm prædicauit, & factus est Angelus, & totius orbis terræ defensionem suscepit & patrocinium:* QVID NOS DIXERIMVS? *Ne enim existimetis, inquit, quoniam credidistis, hoc vobis sufficere ad salutem: nam, si mihi prædicasse, docuisse, innumerabiles adduxisse, non satis est ad salutem, nisi mea quoque actiones sint eiusmodi, vt in eas nulla cadat reprehensio; multò magis vobis.*

Ipse reprobus efficiar. S. Ambrosius lib. 10. 614.
epist. 72. legit, *Reprobus inueniar*; additque: *Ergo, qui non castigant corpus suum, & volunt prædicare aliis,* IPSI REPROBI HABENTVR. Egregiè hæc eadem verba expendebat Rabanus hic, dum illis productis statim adiicit: *Ideo se refrænare corpus suum ostendit, vt remuneratione, quam aliis prædicat etiam ipse dignus habeatur, ne aliis curatis ipse remaneret in vulnere. Ratam ergo spem prædicationis suæ affirmat,* QVANDO GESTIS ID SE PROSEQVI, QVOD DOCET, OSTENDIT, *quia qui aliter agit quàm prædicat, suspectos facit audientes, vt de promissis dubitent, suo itaque exemplo non magis verbis, quàm operibus exercendum hortatur.*

Ipse reprobus efficiar. Audis quàm sibi ti- 615.
meat, qui raptus in Paradisum fuerat? *Si verò,* inquit Sanctus Chrysostomus homilia prima ad populum, *Paulus post talia & tot officia timet, qui dicere potuit: mihi mundus crucifixus est & ego mundo:* MVLTO MAGIS NOS TIMERE OPORTET, *& tantò magis, quantò maiora fuerimus beneficia consecuti. Tunc enim diabolus sæuior efficitur, tunc magis efferatur, cum viderit nos cum diligentia vitam nostram disponentes: cum viderit virtutis onera composita, & magnos aceruos, tunc grauius inferre naufragium studet, vilis enim & abiectus etiam si supplantatus fuerit, & ceciderit, non tantum communi vitæ cladis infert: in alta verò quadam tanquam virtutis specula cum multa claritate constitutus, & qui omnibus manifestus, & cognitus sit, & ab omnibus in admiratione habeatur, quando tentatus ceciderit, magnam ruinam & iacturam facit: non tantum quia ex alto cecidit, sed quoniam & aliis multis scandali materia est in ipsum respicientibus.*

CAPVT X.

CAPVT X.

EPISTOLÆ PRIMÆ ad Corinthios expenditur & illustratur.

SECTIO I.

616 *Baptismi vis, & diuitiæ.*
Petra cur comitata Hebraicum populum dicta.
617 *Mariæ integritas & firmitas.*
Christus labentibus firmamentum.
618 *Idololatræ cur ludentes dicti.*
Ludi vnde orti.
Absque ratione esse videtur, qui totum se carnis deliciis dat.
619 *Ciborum, & vini satietas libidinem prouocat.*
620 *In Deum redundat, quod in eos fit, qui eius personam repræsentant.*
621 *Contra Deum murmurare videtur, qui contra superiores.*
622 *Nullus de sua firmitate securus.*
Nulla sublimitas à lapsu tuta.
623 *Cadit, qui superbit.*
Humana tentatio quænam sit, quænam dæmoniaca.
624 *Qui non tentatur non probatur.*
Tentationis vtilitas.
625 *Verus Israël quinam sit.*
Quinam ex dæmoniorum calice bibat.
626 *Superior exemplo Pauli sua non quærat.*
Illicita quàm timenda.
627 *Tunc maximè sua quis quærit, cùm ex charitate curat aliena.*
Nemo suum negotium rectè gerit, neglecta proximi dilectione & salute.
628 *Erubescat mula facere Christianus.*
629 *Omnia ad Dei gloriam facienda.*
Etiam cùm dormimus, Deum laudare vt possimus.
630 *Cibus & potus vt laudent Deum.*
Aliud quid facere, quid sit apud Paulum.
631 *Vt placere hominibus debeamus.*
Placere aliis debemus, sed ad eorum vtilitatem.

Nouarin. in Epist. Paul.

Et omnes in Moyse baptizati sunt, in nube & in mari.

SCILICET & nubes, & mare nouæ legis baptismum præfigurabant. Ex his porrò verbis nostri baptismi diuitias colligebat Sanctus Augustinus. *Nolo vos ignorare fratres quia omnes patres nostri sub nube fuerunt, & omnes mare transierunt. Vt quid per mare transierunt? quasi (Causam) quæreres ab illo, secutus ait, & omnes per Moysen baptizati sunt, in nube & in mari. Si ergo figura maris tantum valuit,* SPECIES BAPTISMI QVANTVM VALEBIT? *Si quod gestum est in figura, traiectum populum ad manna perduxit. Quid exhibebit Christus in veritate baptismi sui, traiecto per eum populo suo?* sic ille tract. 11. in Ioannem cap. 3. 616.

Bibebant autem de spirituali, consequente eos petra.

ET quî petra sequebatur populum, quæ immota stetit, dum aquas exhiberet? nam tanquam Hebraica fabula reiicienda opinio est, quæ temerè affirmat petram sequutam esse incedentem populum. COMITATA IGITVR PETRA dicitur Israëlitas, eo quod aquæ quas petra copiosissimè fundebat pro commoditate populi in riuos diuisæ longo spatio profluerent, donec venirent ad locum vbi esset aquarum copia.

Petra autem erat Christus.

PEtra autem erat Christus. Similis in hoc Filio Mater. Petra etiam Maria fuit, non solùm 617.
quia larga gratiarum fluenta suis exhibet; sed etiam quia firma in bono, & aduersus peccati illecebras lapidea. Pulchrè Guerricus Abb. serm. 2. in Annunc. *Si ergo petra Christus, vt ait Apostolus: non degenerat à Matre Filius, quando & ipsa petra nomine censetur. An non rectè vocatur petra, quæ & in amorem* INTEGRITATIS PROPOSITO FIRMA, AFFECTV SOLIDA, *sensu quoque ipso aduersus illecebram peccati tota insensibilis erat, & lapidea?*

Petræ Christus comparatur, quia ita dat aquas, vt sit bibentibus firmamentum. Sanctus Ambrosius in Psalm 39. ad hunc locum spectans ait: *Petra, eò quòd sitientes sequatur, confirmet labentes; ne sitientibus aqua desit,* LABENTIBVS FIRMAMENTVM.

Sedit populus manducare & bibere, & surrexerunt ludere.

ET *surrexerunt ludere*, qui ab idololatria Co- 618.
rinthios auocauerat dicens: *Neque idololatræ efficiamini sicut quidam ex ipsis*, rei firmandæ cur locum adducit, in quo stulti lusus mentio videtur fieri? An vt vel hinc à ludis ludicrisq; nos auocet? Sanctus Ephræm Syrus, tract. quod à ludis ludicrisque rebus abstinendum sit Christianis ait: *Apostolus Paulus idololatras* VOCAT LVDENTES *dum ait: Nolite idololatræ fieri sicut scriptum est.* Et luculentius alibi. *Quis talia Christianos edocuit? non sanè hæc eos docuit Petrus,*

non Ioannes, nec quis alius diuino numine afflatus. Verum ista draco antiquus docuit, eorum qui verè sunt Christiani inimicus, magister omnis impuritatis, qui docuit fornicari, docuit etiam cymbalis canere, qui docuit idola colere, docuit etiam ludere. Idcirco Apostolus idololatras ludentes denominauit, dicens: neque Idololatræ efficiamini: sicut quidam ex ipsis, quemadmodum scriptum est. Sedit populus manducare & bibere, & surrexerunt ludere. Audite igitur vos qui luditis, aut potius ludibrio estis, quod inter idololatras vos retulit Paulus. Sic ille in locum Apostoli: In præuaricationem legis.

Sedit populus manducare. Clemens Alexandrinus lib. 1. pædag. cap. 11. ita hunc locum legit & expendit; *Saturati ergo, inquit, surrexerunt ludere. Saturati autem, Græcè est χορτασθέντες quasi dicas, fœno repleti: nempe qui à ratione alienam alimenti plenitudinem hoc est, fœni repletionem, non autem cibum dixerit. Quoniam autem* ABSQVE RATIONE *satiati, absque ratione ludebant, propterea ipsos & lex & timor sequebatur.* Nimirum absque ratione esse videtur, qui totum se carnis deliciis dat.

Neque fornicemur, sicut quidam ex ipsis fornicati sunt, & ceciderunt vna die viginti tria millia.

619. REctè post epulas fornicationis meminit, *quia ciborum, vinique satietas,* ait hîc Estius, LIBIDINEM PROVOCARE *solet,* vt illa potuerit esse causa fœdi lapsus. Licet Sanctus Chrysostomus indicet hîc huius criminis causam suppressam, vt studiosis occasio daretur eam inquirendi, *Vide, inquit, Pauli prudentiam. Dixit peccatum, dixit causam peccati, dixit pœnam peccato debitam: per ea nos erudiens, vt illorum fugiamus mores, non imitando. Causa peccati, gula. Sedit enim, ait, populus, vt ederet & biberet. Peccatum ipsum, ludus: deinde pœna, prostratio in deserto. Iterum ait, Ne scortemur, quemadmodum illorum quidam scortati sunt. Ibi scortationis causam non posuit, sed pœnam. Qualem autem? Ceciderunt in die vna viginti tria millia. Quare autem non posuit occasionem vnde orta scortatio? Studiosis hoc reliquit,* VT HISTORIAM INQVIRERENT, ET *inde eius radicem discerent.* Hactenus ille serm. 20. de diuersis noui testamenti locis.

Neque tentemus Christum, sicut quidam eorum tentauerunt, & à serpentibus perierunt.

620. SEd quem tentauerunt? Verborum ordo requirit, vt id de Christo intelligatur, quem scilicet referebat Angelus, qui duxit filios Israël per desertum: adeò vt, aduersùs illum gesta, contra Christum gesta censeantur; cùm in Deum resiliat, quod in eos fit, qui eius personam REPRÆSENTANT.

Et à serpentibus perierunt. Addit S. Ambrosius lib. 3. de Spiritu Sancto cap. 9. *Iusta vindicta, vt aduersarij venena sentirent, qui non venerabantur autorem.*

Neque murmuraueritis, sicut quidam eorum murmurauerunt, & perierunt ab exterminatore.

NEque murmurauerìtis. Non explicat contra quem, quasi in idem recidat aliquem contra Deum ipsum murmurare, ac contra homines, quos Deus præficit hominibus. *Murmuratio,* inquit Estius, CONTRA HOMINES VOBIS PRÆFECTOS, IN DEVM REDVNDAT, *protestante Moyse: Non contra nos est murmur vestrum, sed contra Dominum.* Cum superior Dei personam suo munere referat. 621.

In quos fines seculorum deuenerunt.

NVmquid Christi aduentu finita sunt secula? *Sunt in nobis finita,* inquit Vgo Victorinus quæst. 83. *quia cum diuersi status præcesserunt vita, in quibus omnibus variatio, & quædam expectatio aduentus Christi fuit, nos verò alium vitæ statum non expectamus, quia inter hanc vitam & futuram nihil est medium, his autem, qui adhuc Messiam expectant, nondum fines sæculorum aduenit, vt miseris Iudæis.* Sanctus Hieronymus legit: *In quos fines seculorum decurrerunt.* Sicque locum istum versat epist. 11. quæ est ad Ageruchiam: *In quos fines sæculorum decurrerunt, quibus dicitur; tempus breue est, & iam securis ad radices arborum posita est, quæ Syluam legis, & nuptiarum, euangelica Castitate succidat;* simplicior loci huius sensus est: Vltimam mundi ætatem significari, quæ ab aduentu Christi vsque ad seculi consummationem protenditur.

Itaque, qui se existimat stare, videat, ne cadat.

LIcet aliquis iustus sit, à iustitiæ tamen suggestu potest cadere; vt nullus de sua firmitate sit securus. *Dicente Apostolo,* inquit S. Leo de Quadrages. *Qui stat, videat ne cadat, nemo est tanta* FIRMITATE SVFFVLTVS, VT DE STABILITATE SVA DEBEAT ESSE SECVRVS. 622.

Videat ne cadat. Nisi quod plerumque iam cecidit, qui se stare præsumit, & nuda præsumptio lapsus quidam est. Petrus Blesensis epist. 118. *Qui stat,* inquit, *videat ne cadat, aut potius* NE IAM CECIDERIT. Intuta hic præsumptuosa securitas est, quæ aliquando cecidit, antequam se casuram præuiderit.

Qui se existimat stare, videat, ne cadat. Nimirum nulla sublimitas in securitate nos ponit, vt timere non debeat, qui in sublimi perfectionis gradu reperitur. Benè Richardus Victorinus lib. 1. de erudit. homin. interior. cap. 23. *Qui stat, ait Apostolus, videat, ne cadat. De quantumlibet* CELSO FASTIGIO FACILE POTEST IN IMA CORRVI, *vel in profundum demergi: immò proculdubiò, quanto gradus altior, tantò casus deterior. Debet nos semper istud Nabuchodonosor somnium & cautos reddere, & solicitos efficere. Vide obsecro visionis eius statuam: vide, inquam, in quanta sublimitate incipiat, & in qualem tandem finem deducitur. Habet sanè caput aureum, & finem testeum. Quid auro carius? Quid testa vilius? Attende & illud, quomodò gradatim ad deteriora vergit, & quandoque in fœdissimo fine finem facit.*

Videat,

623. *Videat, ne cadat.* Hoc ipso quis cadit, quòd se videt stare; dúmque erigit se, labitur. Hinc illud Primasij hîc: *Per hoc ipsum, quod se* PVTAT STARE, *cadit,* DVM SVPERBIT, *& de se præsumit.*

Tentatio vos non apprehendat, nisi humana.

HVmanum est ab humana tentatione apprehendi: dæmoniacum à dæmoniaca. Sistenda hîc verba Sancti Gregorij libro 21. Moral. capite 3. *Egregius Prædicator dicit: Tentatio vos non apprehendat nisi humana.* HVMANA *quippe tentatio est, qua plerumque in turpi cogitatione tangimur etiam nolentes; quia, vt nonnunquam & illicita ad animum veniant. Hoc vtique in nobismetipsis ex humanitatis corruptibilis pondere habemus. Iam verò Dæmoniaca est, & non humana tentatio, quum ad hoc, quod carnis corruptibilitas suggerit, per consensum se animus astringit.*

Fidelis autem Deus est, qui non patietur vos tentari supra id, quod potestis: sed faciet etiam cum tentatione prouentum, vt possitis sustinere.

624. NOn *patietur vos tentari supra id quod potestis.* Non penitus suos Deus à tentatione liberat, cùm possit: sinit eos tentari, vt probentur. *Non dixit*, inquit S. August. in Psal. 69. *Non tentemini.* QVI ENIM NON TENTATVR NON PROBATVR: *& qui non probatur, non proficit. Quid ergo optauit? Fidelis Deus, qui non vos, sinat tentari suprà quàm potestis.*

Non patietur vos tentari supra id, quod potestis. Non ab omni prorsus tentatione suos eximit: patitur tentari, sed non supra id, quod possunt ferre; vt reficiantur, dum tentationibus exercentur. *Attende Apostolum*, inquit Sanctus Chrysost. in Psal. 94. *Fidelis Deus, qui non vos sinet tentari supra quàm potestis ferre; sed faciet cum tentatione etiam exitum, vt possitis sustinere. Non ait: Non vos sinet tentari omninò, si enim recusares tentationem, recusares refectionem. Ergo reficeris: &, si reficeris, in manibus artificis es: aliquid tibi tollit: aliquid corrigit, aliquid complanat, aliquid mundat. Agit quibusdam ferramentis suis: ipsa sunt scandala huius seculi. Tu tantùm de manu artificis noli cadere. Nihil tentationis accidet vltra vires tuas.* HOC PERMITTIT DEVS AD VTILITATEM TVAM, *vnde tu possis proficere.*

Videte Israël secundùm carnem.

625. AC si diceret, vos quibus tanquam prudentioribus loquor, videte Israëlem id est populum secundùm carnem ex Israële progenitum, & attendite quæ apud eos sunt, apud eos fiunt. Signatè autem addidit secundùm carnem, vt noueris esse etiam Israëlitas secundùm spiritum. Hinc illud Sancti Hieronymi in Ieremiam lib. 6. cap. 31. *Apostolus scribit videte Israel secundùm carnem. Ex quo* DOCET ESSE ALIVM ISRAEL SECVNDVM SPIRITVM. *Ille igitur Israel est, qui mente cernit Deum, siue rectissimus Domini est, & huiuscemodi Israël erit populus Dei.*

Non potestis calicem Domini bibere, & calicem dæmoniorum: non potestis mensæ Domini, participes esse & mensæ dæmoniorum.

QVinam præcipuè ex dæmoniorum calice bibat, explicat Guarricus Abbas serm. 1. in die Pentecost. *An non tibi videtur, vt non modo potatus, sed & inebriatus* CALICE DÆMONIORVM, *qui libidinis, iræ, impatientiæ aut similium raptatur furore passionum? Ego (vt loquar de his, quæ iam magis in vsu, quàm in crimine sunt) puto, quod & ille mensæ dæmoniorum particeps sit, & pascens eos pascatur ab eis, cuius os abundat malitia, lingua concinnat dolos, sedens aduersus fratrem suum loquitur, & aduersus filium matris suæ ponit scandalum; qui etiam, si non detrahit, detrahentem libenter audit; qui scurrilitate stultiloquij cachinnantes dissoluit.*

Omnia mihi licent, sed non omnia ædificant.

SEd *non omnia ædificant.* Vt videas quàm alienus à suis commodis Paulus esset, quam totus in aliena salute, profectuque quærendo esset. Scitè Sanctus Chrysostomus homil. 7. in Genesim; *Omnia mihi licent sed non omnia ædificant, vides Apostolicam sapientiam? etiamsi liceat, inquit, mihi aliquid facere, nihilque hinc mihi damni accedat: sed quia hoc non facit ad proximi ædificationem, nequaquam hoc facere sustinuerim; vides animam suauiter nos amantem* QVOMODO NVSQVAM QVOD SVVM EST QVÆRIT, *sed omnibus modis ostendit, virtutum longè maximam esse, magnam curam gerere quomodo proximus ædificetur?* 626.

Sed non omnia ædificant. Ea quoque vereri debemus, quæ licent vt cautiùs vitemus, quæ non licent. Benè Tertullianus de cultu fœminarum cap. 10. *Sic igitur & Apostolus; Omnia, inquit, licent sed non omnia ædificant.* QVANTO FACILIVS ILLICITA TIMEBIT, *qui licita verebitur.*

Nemo, quod suum est, quærat; sed, quod alterius.

SVa quærit qui priuatis commodis, & vtilitati studet, neglecto communi multitudinis bono; sed hoc alienum à charitate est aliena non curare, cum possis; quia in eo quod quis quærit quæ sunt alterius, sua inuenit, sibi consulit: Perpensè S. Chrysostomus in Psal. 49. vbi ait: *Ne mihi dixeris illud verbum, quod magno stupore plenum est: quid mihi cura est? curo ego mea:* TVM ENIM TVA MAXIME CVRABIS, QVANDO TVA QVÆRES IN EO QVOD EST VTILE PROXIMO. *Et ideò dicebat Paulus: nemo quod suum est quærat, sed quod alterius; vt inuenias, inquit, quod tuum est, quære quod est alterius.* Eodem spectabat idem Sanctus Pater homilia 5. aduersus Iudæos, ait quippe: NEMO SVVM IPSIVS NEGOTIVM RECTE GERERE POTEST, NEGLECTA PROXIMI DILECTIONE *& salute; propter hoc & Paulus ait: nemo quod suum est quærat, sed quisque quod alterius: sciens quòd sua cuiusque vtilitas in proximi vtilitate sita est.* 627.

Siue ergo manducatis siue bibitis, siue aliud quid facitis, omnia in gloriam Dei facite.

628. **S***iue ergo manducatis siue bibitis.* Vtile ex his verbis monitum exculpebat, & dignum quod omnium mentibus insculpatur, Sanctus Ambrosius serm. 43. *Qui est vtilis Christianus*, inquit, *semper debet Patri ac Domino suo laudes dicere, & in eius gloriam omnia procurare, sicut ait B. Apostolus dicens: siue manducatis, siue bibitis, siue aliud quid facitis, omnia in gloriam Dei. Videte, quale viri Christiani Apostolus voluit esse conuiuium; vt magis fides Christi, quàm prandij sagina comedatur; & plus reficiat hominem Dominici nominis frequens inuocatio, quàm epularum multiplex & copiosa collatio; meliusque pascat esurientem religio, quàm sagina. Omnia, inquit, in gloriam Dei. Omnes ergo actus nostros Christo vult socio, vel teste compleri hac scilicet ratione; vt bona ipso autore faciamus, mala propter ipsius contubernium declinemus.* ERVBESCIT ENIM MALA FACERE, *qui scit Christum se habere participem.*

Omnia si ad Dei gloriam fiant, omnia vim laudis obtinebunt. Hinc illud S. Basilij in Psal. 33. *Potest quiuis bonarum rerum studiosus* CVNCTA FACERE AD DEI GLORIAM, *ita vt facta dictaque ipsius omnia, omnisque spiritualis operatio vim laudis habeant. Siue enim bibat iustus, siue edat, omnia ad Dei gloriam facit. Talis etiam quum dormit, cor vigilat, iuxta verbum dicentis in Cantico canticorum.*

629. *Siue manducatis, siue bibitis.* Etiam cum dormimus laudem gloriamque Deo dare possumus. Scitè Sanctus Augustinus in Psalm. 102. *Cum cibum capis, vide quod ait Apostolus. Siue manducatis siue bibitis, omnia in gloriam Dei facite. Audeo dicere,* CVM DORMIS, BENEDICAT ANIMA TVA DOMINVM. *Non te excitet cogitatio flagitij, non te excitet dispositio furti: non te excitet condicta forte corruptio. Innocentia tua etiam indormiente vox est animæ tuæ.*

Siue manducatis, siue bibitis. Quî cibo nostro, ac potu laudare Deum possimus docet idem Sanctus Augustinus in Psalm. 146. *Siue manducatis, siue bibitis, siue quid facitis, omnia in gloriam Dei facite. Si ergo bene agis, & quòd manducas & bibis, & ad refectionem corporis sumis reparationémque membrorum, gratias agens ei qui tibi præbuit mortali & fragili ista supplementorum solatia:* & CIBVS TVVS ET POTVS TVVS LAVDAT DEVM. *Si verò modum naturæ debitum immoderatione voracitatis excedas, & vinolentia te ingurgites: quantaslibet laudes Dei lingua tua sonet, vita blasphemat.*

630. *Siue aliud quid facitis.* Non est alienum, hæc verba de coniugij vsu accipere, vt alibi notabam. Nunc rei firmandæ obiicitur Origenes, qui homil. 5. in Genes. ita loquitur: *Sed vos, ô populus Dei, qui Christum amatis in incorruptione, intelligite Apostoli sermonem, quo ait: siue manducatis, siue bibitis, siue aliud quid facitis, omnia in gloriam Dei facite. Quod enim post manducare & bibere dicit, siue aliud quid facitis,* INVERECVNDA CONIVGII NEGOTIA VERECVNDO SERMONE SIGNAVIT; *ostendens etiam ipsa ad Dei gloriam geri, si posteritatis solius contemplatione procurentur.*

Sine offensione estote Iudæis & Gentibus, & Ecclesiæ Dei; sicut, & ego per omnia omnibus placeo, non quærens, quod mihi vtile est; sed, quod multis, vt salui fiant.

P*Er omnia omnibus placeo.* Et quî nunc dicit se omnibus placere: qui ad Galat. cap. 1. 631.
10. dicebat; *Si adhuc hominibus placerem, Christi seruus non essem?* Nodum in verbis Apostoli ex verbis ipsius Apostoli sic soluit Sanctus Augustinus serm. 2. de Verb. Dom. *Attendite Apostolum, cùm dixisset: Placete omnibus per omnia, sicut & ego omnibus per omnia placeo. Quomodo non ibi remansit, quasi ibi constituerit finem intentionis suæ, vt placeret hominibus (alioquin falsum dixisset: Si adhuc hominibus placerem, Christi seruus non essem) sed statim subiunxit, quare hominibus placeret. Non quærens, inquit, quod mihi vtile est; sed quod multis, vt salui fiant. Ita &* NON PLACEBAT HOMINIBVS PROPTER SVAM VTILITATEM, *ne Christi seruus non esset; &* PLACEBAT HOMINIBVS PROPTER ILLORVM SALVTEM; *vt Christi esset dispensator idoneus: quia & illi coram Deo conscientia sufficiebat; & de illa coram hominibus, quod imitaremur, illucebat.* Hactenus ille, qui lib. de ouibus cap. 11. hæc duo loca in concordiam pariter vocans ita scribebat: *Expone mihi quomodo intelligam diuersa atque contraria hæc dicentem Apostolum, si hominibus placere vellem, Christi seruus non essem: ac dicentem, placete omnibus per omnia, sicut & ego omnibus per omnia placeo: ac dicentem Gloria nostra hæc est testimonium conscientiæ nostræ: ac dicentem, prouidemus bona non solum coram Deo, Sed etiam coram hominibus. Si tranquillus audias, si tibi ipsi aquam tuæ mentis non perturbes, quantum potero fortassis exponam. Sunt homines temerarij iudices, detractores, susurrones, murmuratores, quærentes suspicari quod non vident, quærentes etiam iactare quod nec suspicantur, contra tales quid remanet, nisi testimonium conscientiæ nostræ? neque enim fratres etiam in illis* IN QVIBVS PLACERE VOLVMVS, *gloriam nostram quærimus, aut gloriam nostram quærere debemus, sed illorum salutem, vt si bene ambulamus, nos sequendo non errent, imitatores nostri sint, sicut & nos Christi, Si autem nos non Christi, imitatores sint Christi,* NON ERGO VTILITATEM NOSTRAM QVÆRIMVS QVANDO HOMINIBVS PLACERE VOLVMVS. *Sed gaudemus eis placere quod bonum est, propter ipsorum vtilitatem, non propter nostram dignitatem. Contra quos autem dixerit Apostolus, si hominibus placere vellem, Christi seruus non essem, manifestum est: & propter quod dixerit, placete omnibus per omnia sicut & ego omnibus placeo per omnia, manifestum est vtrumque, dilucidum vtrumque tranquillum.*

CAPVT XI.

CAPVT XI.

EPISTOLÆ PRIMÆ ad Corinthios expenditur & illustratur.

SECTIO I.

632 *Subditi in eo superiores debent imitari, in quo hi Christum imitantur.*

Christi imitatione vt Paulus gloriaretur magis quàm carnali cognatione.

633 *Vir, mulieris exemplar, & via dux.*

Carnis regimen & custodia.

634 *Dei gloria non est occultanda, sed hominis.*

Iniuria homini facta vt in Deum resiliat.

635 *Cur viro præcipuè tribuatur imaginem Dei esse.*

Et vir & mulier imago Dei sunt.

636 *Virgo, Dei sui gloria.*

Angelos revereri vbique debemus.

637 *Hæretici, gloriæ & contentionis cupidi.*

Dissensiones, multorum vitiorum fontes.

638 *Non omnia, quæ referuntur, superior credat.*

Boni inter malos illustrius elucent.

639 *Ecclesiam contemnere videtur, qui fratrem iniuria afficit.*

Christi charitas in Eucharistia.

640 *Extremorum mala timenda, cùm Diuina negliguntur.*

641 *Gratias cur egerit Christus ante institutum Eucharistiæ Sacramentum.*

642 *Fides in Eucharistiæ Sacramento qua verborum formula confirmata.*

Solo corpore sint fideles distincti, dilectione vnum sint.

Imitatores mei estote, sicut & ego Christi.

632. AD sui imitationem omnes Apostolus inuitat, par est discipulos imitari magistrum, & filios patrem. Poterat ad imitationem sui omnes vocare, cuius conscientiam nullum mordebat crimen; nullius sibi criminis erat conscius, nec malo exemplo quempiam læserat; *sicut & ego Christi.* In eo solo subditi imitari superiores debent, in quo superiores imitatores sunt Christi; errant qui superiorum errores ebibunt, & illorum exempla mala sequuntur: *Est autem notandum,* inquit hîc Sanctus Thomas, *quod non simpliciter dicit, imitatores mei estote, sed addit, sicut & ego Christi, quia scilicet* SVBDITI PRÆLATOS SVOS IMITARI NON DEBENT IN OMNIBVS, SED IN QVIBVS ILLI CHRISTVM IMITANTVR, *qui est indeficiens sanctitatis exemplar.*

Sicut & ego Christi; Hæc vera nobilitas, & veræ magnitudinis character Christi vestigia premere, moribus mores Christi, quantum in nobis est exprimere. *Quam ob causam dixit,* inquit Sanctus Isidorus Pelusiota, *Imitatores mei estote sicut & ego sum Christi. Quasi diceret, imitatione* MAGIS GLORIOR CHRISTI, QVAM CARNALI COGNATIONE. Sic ille lib. 4. epist. 46.

Omnis viri caput Christus est: caput autem mulieris vir: caput verò Christi, Deus:

CApu*t autem mulieris vir.* Sit ergo, quod dicitur. In bono præeat, vt infirmiorem sequentem habeat. Præclarè Sanctus Augustinus serm. 18. ex 40. nuper editis: *Tu vir es? ostende, quoniam vir à virtute, vel virtus à viro. Habes ergo virtutem? vince libidinem. Mulieris, inquit* (Apostolus) *caput vir. Si caput es, duc, & sequatur. Sed vide, quo ducas.* CAPVT ES? DVC, QVO SEQVATVR. *Sed noli ire, quò non vis, vt sequatur. Ne in præcipitium ruas, vide, vt recto tramite gradiaris.* 633.

Hæc verba ad carnis regimen, ac custodiam ita transfert Beatus Laurentius Iustinianus de interiori conflictu cap. 7. *Apostolum audi. Caput, inquit, mulieris vir: caput viri, Christus: caput verò Christi, Deus. Nempe, mulier hæc, sensualitas tua, quæ* RATIONIS REGIMINE INDIGET; QVONIAM NON VALET PER SE. HVIVS TV CONSTITVTVS ES CAPVT, VT PER TE INSTRVATVR, PER TE DVCATVR, PER TE COHIBEATVR AB IIS, QVÆ NON LICENT SIBI, ET DOMINI LEGE PROHIBENTVR. *Hæc habet appetitus suos, qui Diuinæ voluntati aduersantur: hos comprimere debes, & propter hoc principatum super illam adeptus es, tanquam in corpore caput: alioquin abuteris dono, tuaque dignitate priuaris. Ascende igitur super tribunal tuum rationale, & inordinatis carnis desideriis impone legem, quam te iubente, te custodiente, præterire non audeant. Hanc vtique si errare non vis, disce à superiore tuo, & à capite tuo, vt mulier dignetur audire abs te: Christum, Dei virtutem, & Dei sapientiam in mente tua habeto, & in teipso tanquam in propria sede residcat.*

Vir quidem non debet velare caput suum, quoniam imago & gloria Dei est; mulier autem gloria viri est.

QV*oniam imago & gloria Dei est.* Mulier igitur velare caput suum debet, quia gloria est viri: 634.

viri : vir verò non debet velare, quia gloria est Dei. Nimirum, *quia gloria Dei* (inquit hîc Estius) *non est* OCCVLTANDA ; HOMINIS AVTEM GLORIA OCCVLTANDA *iuxta celebrem Psalmi.* 113. *versiculum.* 1. *Non nobis Domine, non nobis; sed nomini tuo da gloriam. Velanda est ergo mulier, quæ gloria viri est; non vir, qui gloria Dei.*

Imago & gloria Dei est. Dei ergo imaginem, & quod est consequens, Deum ipsum lædunt, qui iniuriam homini faciunt. Grauiter Sanctus Chrysostomus : *Quot Dei imagines non tantum deiecerunt, sed & conculcauerint? Cum enim reum agis, cum dispolies, cum trahas, cum deiicias*, DEI IMAGINEM CONCVLCAS. *Audi certè Paulum dicentem, quòd homo non debet operire caput, imago enim & gloria Dei est.* Sic ille hom. 3. ad Populum.

635. *Quoniam imago, & gloria Dei est.* Cur viro tribuitur tanquam proprium, quod conuenit etiam mulieri? nonne & mulier Dei imago est, sicut est vir? *Dicens*, inquit hîc Estius, *virum esse Dei imaginem non id omnino negat de muliere, sed significare voluit* PERFECTIVS, ET PRINCIPALIVS ID VIRO COMPETERE, *cum propter rationem naturaliter in eo magis vigentem, non propter dominium quod viro competit amplius, atque vniuersalius, quàm mulieri;* Par igitur esset, vt etiam perfectione, ac sanctitate Dei imaginem perfectius vir repræsentaret, quàm mulier.

Mulier autem gloria viri est. Comparatio exigere videbatur vt diceret esse, etiam imaginem, cum virum Dei appellasset imaginem; cur igitur istuc omisit? Nodum soluit Sanctus Thomas hîc : *De viro, inquit, dixit, quod vir imago & gloria Dei est : de muliere autem non dixit, quod esset imago & gloria viri, sed solùm, quod est gloria viri, ne detur intelligi*, QVOD ESSE IMAGINEM DEI, COMMVNE EST VIRO ET MVLIERI : *esse autem gloria Dei immediatè proprium est viri.*

636. Vxor viri sui gloria est, virgo erit Christi sui, cuius est sponsa; *Si gloria viri est mulier*, ait Tertullianus lib. de velandis Virginibus c. 7. *quantò magis* VIRGO, QVÆ ET GLORIA *sibi est?* Gloria sibi, gloria suis, & quod grandius, gloria Deo, à quo in sponsam electa.

Ideo debet mulier potestatem habere super caput propter Angelos.

PRopter *Angelos*; Sed quid capitis velamen ad Angelos? *vt videatur*, inquit Isidurus Clarius, ANGELOS REVERERI *qui vbique præsentes sunt, & quæ aguntur cernunt.*

Si quis autem videtur contentiosus esse, nos talem consuetudinem non habemus.

637. SI *quis autem videtur contentiosus esse.* Ad quæ verba hæc habet Catharinus : *Vocat hic contentiosum* (φιλόνεικον, *Græcè legitur*) *idest amatorem & cupidum victoriæ. Tales sunt heretici, qui gloriam suam pro fine statuunt suæ* CONTENTIONIS : *quo fit, vt nihil à veritate moueantur, etiamsi illam perspicuè nouerint ; immocontra agnitam veritatem perpetuò* CONTENDANT *sola ea ratione, qua apud ignaros vicisse videri possint.*

Audio scissuras esse inter vos, & ex parte credo.

A*Vdio scissuras esse.* Vos inter vos dissentire. *Erat dissensio*, inquit B. Dionysius hîc, *ex qua multa* VITIA NASCEBANTVR. Quæ, licet non exprimat, indicat tamen, dum vitiorum fontem, contentionem manifestat, & damnat.

Et ex parte credo. Proba superioris nota est, omnia, quæ referuntur, audire; sed non facilè omnia credere, si mala. Accidit plerumque, vt grandiora illis subditorum errata ferantur, quàm sint, aut plures dicantur infici, quàm reuera inficiantur. Sanctus Chrysostomus serm. 21. de diuersis noui Testamenti locis hunc Apostoli locum ita expendebat : *Vides quomodo iterum prudenter correctionem adhibet? non dixit, non credo: neque dixit; credo, sed medio verbo vsus est. Aliqua ex parte etiam credo*, NON OMNINO CREDO, NEQVE OMNINO FIDEM NON HABEO *hoc vel illud omnibus modis contigisse Caterum in vestra potestate planè situm est hoc vel illud. Nam si quidem emendati fueritis, non credo : Sin ita perseuerauerîtis, credo. Igitur non accusauit, & accusauit tamen. Non accusauit perfectè, vt legitimam ipsis pœnitentiæ correctionisque spem daret. Non reliquit absque reprehensione, vt ne manerent in ignauia sua.* 638.

Nam oportet & hæreses esse vt & qui probati sunt manifesti fiant in vobis.

VT hinc videas bonos inter malos magis elucere. Ita Sanctus Chrysostomus: *Oportet, inquit Apostolus, hæreses in vobis esse, vt qui probati sunt, manifesti fiant in vobis, itaque etiam improbos vt malos in medio reliquit :* VT BONI EO ILLVSTRIVS INTER EOS ELVCEANT. Sic ille serm. contra Ignat.

Aut Ecclesiam Dei contemnitis?

A*Vt Ecclesiam Dei contemnitis?* Vt innueret in totam Ecclesiam resilire iniuriam quæ vni fratri fit; quod expendens Sanctus Chrysostomus serm. 21. de diuersis noui Testamenti locis, ait : *Tu quidem putas te fratrem solum iniuria afficere, redundat autem iniuria in locum illum*, ECCLESIAM ENIM TOTAM CONTEMNIS. 639.

Quoniam Dominus Iesus, in qua nocte tradebatur, accepit panem, & gratias agens, fregit & dixit : Accipite & manducate : hoc est corpus meum.

DE Eucharistica cœna agens Apostolus, cuius proditionis Christi meminit? *Vt eius charitatem commendet* (inquit Estius) *qui in proximo expectatione tanta iniuria, quam ab hominibus accepturus erat, symbola* SVMMI AMORIS HOMINIBVS TRADIDERIT. Sic ad mortem tradendus, in amoris signum se tradidit. Habes vindictæ diuinæ

diuinæ exemplum, qua scilicet summum beneficium in eos confertur, qui summas nobis iniurias fabricant.

640. *In qua nocte tradebatur*; tunc panem azymum accepit, in quo Sacramentum Dominici corporis instituit; sed cur cum tempus comedendi Pascha esset, id Iudæi non præstiterunt? Quia apud Caipham pernoctantes, & cupiditate interficiendi Christum legis violationem neglexerunt, quod tetigit Sanctus Chrysostomus homil. 85. in Matth. TEMPVS, inquit, PASCHÆ TRANSPOSVERVNT, *vt ardentes cæde animos suos explerent.* Pontifices verò illam noctem transegerunt consiliis aduersus Iesum agitandis, testibus conquirendis; nimirum EXTREMORVM MALA TIMENDA SVNT CVM DIVINA NEGLIGVNTVR, & Dei leges violantur passionum nostratum causa.

641. *Et gratias agens.* Aliqui vertunt: *& gratiis actis*, adeo vt gratiarum actio panis fractionem præcesserit; sed cui gratias Christus egit? haud dubium quin egerit Patri, & quidem pro beneficiis ab ipso vel in sua persona acceptis, vel collatis in humanum genus; nec distinguit, tanquam videretur ipse accipere quæ in homines conferebantur, ob ingentem amorem, quo nos amplectebatur. Censent plerique gratias speciatim egisse pro beneficio Sacramenti Eucharistici; quod si quis dicat, illud nondum exhibuerat, cur igitur gratiarum agendarum tempus anteuertit? Licet re ipsa non esset institutum; sciebat tamen certò instituendum, idque à Patre promissum, qua ratione materia erat gratiarum actionis. Nos vix acceptis beneficiis gratias agimus; Christus egit antequam accepisset reipsa.

642. *Accipite, & manducate*; Vtique discipulis suis dixit, hos quippe solos huius epuli conuiuas habuit; præcepit aut potius inuitauit vt acciperent & comederent. *Hoc est corpus meum*; cur non imperantis modo dixit: *Hoc sit* aut, *fiat corpus meum*, sicut in mundi molitione dixit: *fiat lux?* Poterat hoc sermone vti sed noluit; *ad confirmandam*, vt ait Estius FIDEM *eorum, qui sumpturi erant hoc Sacramentum* AFFIRMATIVO SERMONE, *eoque præsentis temporis vti maluit*; licet adhuc aliqui sint adeo pernicaces, vt sacramenti huius veritatem tam apertis verbis significatam & expressam, impiè audeant negare.

Gratias agens, fregit. Panem ita fregit, vt tamen singulis totum se ipsum daret, nos quoque licet extimè diuersi, atque distincti vnum quid in Dei dilectione debemus esse. Peritè B. Bruno hîc: *Gratias agens fregit illud, quod vnum & inseparabile durat in æternum. Sed fregit, cum singulis totum dedit, vt per hoc insinuaret, nos qui personis diuersi sumus, debere vnum fieri in dilectione Dei.* Vt solo corpore simus distincti, vnum sit omnium cor, vna anima.

SECTIO II.

643 *Christi passio & mors mori in nobis non debet.*
Huic sæculo moriatur, qui in Eucharistica mensa mortem Domini ritè annunciare vult.

644 *Ad honores & suauitates post Christi mortem non facilè Christianus rapiatur.*
Dominicæ resurrectionis memoria cur nobis in Eucharistici epuli esu iniuncta, non miraculorum Christi.
Iudicis & iudicij memoria Eucharisticam mensam obsepit.

645 *Perstricti, qui indignè ad Eucharistiam accedunt.*
Verum corpus Christi in Eucharistia delitescere vnde collectum.

646 *Sordidæ conscientiæ linteo Christi corpus minimè inuolendum.*

647 *Reatus damnationis, ab indignitate Christum suscipientis in Eucharistia, non ex natura mysteriorum.*

648 *Iudicium qui sibi manducare dicatur, qui indignè Christum suscipit in Eucharistia.*
Quò maius est bonum, quod quis in Eucharistia excipit, eò maius sibi damnum accersit, indignè suscipiens.

649 *In Eucharistiæ sumptione etiam exterioris hominis habenda ratio.*
Quæ in Eucharistia expendenda & cogitanda.

650 *Indignè ad Eucharistiam accedentes, cur etiam temporaliter puniti.*
Aliquorum pœna, aliorum cautio fit.

651 *Immatura aliquorum mors à multitudine peccatorum, & signatè ab indigna Eucharistiæ sumptione accidere solet.*
Qui seipsum condemnat, vt duplici ratione Deum placet.

652 *Temporalia flagella ad euadenda æterna supplicia valent.*

Quotiescunque enim manducabitis panem hunc, & calicem bibetis, mortem Domini annunciabitis donec veniat.

CVR mortem potiùs annunciandam dicit, quàm Christi incarnationem, natiuitatem, aut resurrectionem? Vt operis huius magnitudinem indicaret: ne facilè in nobis Christi Passio, Christi mors moreretur. Præclarè Petrus Cluniacensis epist. contra Petrum Bruf. *Quare mortem Domini? Quare non similiter dixisti, Apostole,* INCARNATIONEM DOMINI, NATIVITATEM, *vel (quod maius videretur)* RESVRRECTIONEM *Domini,* ASCENSIONEM *Domini, quomodo dixisti,* 643.

sti, mortem Domini? Quare illa, quæ gloriosa videntur, dimisisti; & , QVOD ERAT IGNOMINIOSIVS ELEGISTI? VT OSTENDEREM, INQVIT, ISTVD OPVS PRÆPONDERARE OMNIBVS OPERIBVS EIVS.

Manducaturus panem, & calicem Eucharisticum bibiturus, annunciare Domini mortem debet. Sed qui? Ritè annuntiabit, si huic sæculo moriatur & sibi. Præclarè Sanctus Paschasius lib. de corp. & sanguin. Dom. cap. 21. *Quem calicem,* inquit, *quum bibimus, quid aliud, quàm mortem Domini annunciamus?* IDCIRCO NECESSE ESSE VNVSQVISQVE PRIOR MORIATVR HVIC SÆCVLO: *quia, sicut nemo, nisi sepultus, mortem nunciat, ita nemo exinde vitam sumit, nisi resurgens in nouitate vitæ ambulet, & iam in Christo maneat.*

644. *Mortem Domini annunciabitis.* Cur non magis iubet Diuinitatem eius, aut eius magnitudinem annunciari? *Ne* AD SOLOS HONORES, ET SVAVITATES (inquit scitus ille autor) RESPARENTVR CHRISTIANI, *hoc curat, vt & infirma Dei, & mortalia annuncient, & præ oculis habeant;* & mortis Dominicæ cogitatione, suæ minimè obliuiscantur.

Mortem Domini annunciabitis. Cur in Diuinis hisce mysteriis, Passionis mortisque Dominicæ memoria indicitur, & non potiùs miraculorum? An, quia Christi Passio, & mors magis ad nostram salutem gloriamque facit? Præclarè Nicolaus Cabasila in Liturg. exposit. cap. 8. *Cum dixisset: Hoc est corpus meum: Hic est sanguis meus, non adiecit eis miracula dicens: Quod* MORTVOS SVSCITAVIT, QVOD LEPROSOS MVNDAVIT. *Sed quid? Passionem solum & mortem. Quod pro vobis traditur: Quod pro vobis effundetur. Et quænam est ratio, quod non miraculorum, sed passionum meminit? Quoniam hæ sunt illis tantò magis necessaria,* QVOD HÆ QVIDEM SVNT NOSTRÆ SALVTIS EFFICIENTES, *& sine his minimè homo possit resurgere.*

Donec veniat; Nimirum donec ipse Dominus ad iudicium venerit gloriosus; sed cur istuc adiecit? an vt, IVDICIS IVDICIIQVE MEMORIA APTIORES, PARATIORESQVE SE REDDERENT qui eucharistici erant Sacramenti participes futuri? An *vt intelligatur,* inquit Sanctus Thomas, *quod hic ritus Ecclesiæ non cessabit vsque ad finem mundi.* Doctissimus noster Antonius Caracciolus in suis sacris decuriis nondum editis n. 48. hunc locum hac donat explicatione; *Mortem Domini annunciabitis donec veniat, donec, scilicet absorbeatur mors à victoria, hoc est eandiu esca immortali vescimur, quousque vincatur in nobis per Christi carnem mortis venenum.*

Itaque quicunque manducauerit panem hunc, vel biberit calicem Domini indignè, reus erit corporis, & sanguinis Domini.

645. REctè hunc locum vrget Sanctus Augustinus in eos, qui polluta conscientia ad Eucharistiam accedunt. Sic ille loquitur serm. 244. de Temp. *Cum nullus homo velit cum tunica sordibus plena ad Ecclesiam conuenire, nescio qua conscientia, cum anima per luxuriam sit inquinata, præsumit ad altare accedere, non timens illud, quod Apostolus dixit: Qui enim manducat corpus & sumit sanguinem Domini indignè, reus erit corporis, & sanguinis Domini. Si erubescimus ac timemus Eucharistiam manibus sordidis tangere, plus debemus timere* IPSAM EVCHARISTIAM IN ANIMA POLLVTA SVSCIPERE.

Reus erit corporis. Verum Christi corpus in Eucharistia delitescere, & verum sanguinem, ex his verbis ita deducebat Caietanus: *Non dicit: Reus erit tanquam corporis & sanguinis Domini. Sed dicit: Reus erit corporis & sanguinis Domini, vt intelligant Christiani, verè reum esse corporis & sanguinis Domini, quia verè, quamuis indignè,* SVMIT CORPVS ET SANGVINEM DOMINI: *& confutentur haretici dicentes, non esse nisi signum corporis & sanguinis Domini.*

Probet autem seipsum homo, & sic de pane illo edat, & de calice bibat.

HOmo, id est vnusquisque, vnde etiam aliqui hanc lectionem habent, sensus igitur est, quisque semetipsum examinet, se discutiat, exploret conscientiam suam, videatque num talis sit, qualem eum esse mensa ista, & cibus iste requirit. *Probet se,* non explicat in quo se quisque probare debeat, vt in omnibus id faciat; *se* dixit, non *sua*, & quæ circa ipsum, cum illius præcipuè habenda ratio, quod est præcipuum; probet quisque se ipsum, nec enim illius est munus probare alios, alios excutere, aliorum ventilare mores, nisi alioquin esset illorum pastor, corde excipiendus, vt Christus Ioseph ab Arimathia exemplo docebat Sanctus Gregorius Nyssenus orat. 1. in Christi Resurrectionem, ait enim: 646.
Probet seipsum homo, quum porro Nobilis ille Senator Ioseph, fratres, ab Arimathea non est nobis silentio prætereundus, qui cum immaculati sanctique illius corporis munus accepisset, sindone munda illum inuoluit, & in monumento nouo ac puro collocauit, quod ab honesto hoc Senatore gestum est; nobis sit tanquam lex, vt idem quoque præstemus cum illud corporis munus suscipimus, NE ID SORDIDO CONSCIENTIÆ LINTEO INVOLVAMVS: *neue in cordis monumento, mortuorum ossibus, omnique immunditia pleno reponamus. Sed vnusquisque, vt scribit Apostolus, seipsum probet,* NE MVNVS INDIGNE SVSCIPIENTI *sit in iudicium.*

Qui enim manducat & bibit indignè, iudicium sibi manducat & bibit, non diiudicans corpus Domini.

CVr potius dixit eum qui, indignè manducat aut bibit, iudicium sibi *manducare*, ac 647.
bibere, quàm potius iudicio obnoxium esse? Iudicium pro condemnatione posuit; & quia, vt bonus ille auctor ait, *talis reatum damnationis incurrit non ex* NATVRA MYSTERIORVM, *quæ viuifica sunt, sed per* SVAM INDIGNITATEM, *ideo dictum est iudicium sibi manducat & bibit.*

Iustè sibi manducat iudicium, qui indignè manducat: contra, gratiam sibi manducat & bibit, qui dignè manducat corpus Domini, & eius

eius ſanguinem bibit. Signatè autem dictum eſt *ſibi*, ne quis crederet aliis damnum creari ab indigna ſumptione. Pulchrè rem tetigit Sanctus Auguſtinus libr. 2. epiſt. contra Parmenian. *Sacrificium*, inquit, *tale cuique fit, quali corde ad accipiendum acceſſerit: qui enim manducat & bibit indignè, iudicium ſibi manducat & bibit.* NON AIT ALIIS; SED SIBI. *Qui ergo manducat dignè & bibit, gratiam ſibi manducat & bibit.* Idem vrget idem Sanctus Pater lib. adu. Donatiſt. poſt collat. *Quum autem dicit, Iudicium ſibi manducat; ſatis oſtendit, quia non alteri iudicium manducat, ſed ſibi. Hoc nos egimus & oſtendimus, & obtinuimus; quia communio malorum non maculat aliquem participatione ſacramentorum, ſed conſenſione factorum. Nam, ſi in factis malis non eis quiſque conſentiat, portat malus* CAVSAM SVAM ET PERSONAM SVAM, NEC PRÆIVDICAT ALTERI, *quem in conſenſione mali operis non habet ſocium criminis.*

Iudicium ſibi manducat. Sed cur? *Quia magis iudicem, quàm Saluatorem manducat* (inquit Balduinus in Alleg.) *non diiudicans corpus Domini.* Addit Sanctus Pacianus in Paræneſi: EVIGILA, *peccator: time in viſceribus tuis præſens iudicium, ſi quid tale feciſti.*

648. *Iudicium ſibi manducat.* Nimirum, quo maius bonum eſt, quod edit; eò maius ſibi malum creat, quia benè non excipit, non excipit bonus. Rem grauiter vrget Beatus Laurentius Iuſtinianus de caſto connub. cap. vigeſimoquarto. *Væ quicunque pollutis manibus, & maculato corpore ſacramenta ſancta tractare præſumit: Non enim irreuerenter ad altare Domini accedendum eſt, neque cum mortalis delicti macula. Si enim impunè non tranſiit, qui arcam Domini inclinatam præſumpſit erigere: quomodo Diuinam poterit euadere vltionem, quiſquis in mortali conſtitutus, temerario auſu myſteria Cæleſtia manducare voluerit? Qui enim (teſte Apoſtolo) manducat & bibit indignè, iudicium ſibi manducat & bibit, non diiudicans corpus Domini.* MALVS NANQVE, BONVM MANDVCANDO, MALE FACIT, *non quia malum ſit manducare bonum, ſed quia malum eſt bonum non manducare benè. Res quidem ſancta ſicut iuſtis in adiutorium, ita iniuſtis, & peccatoribus vertitur in iudicium. Solis lumen ſanis oculis delectabile eſt, ægris verè odioſum: corpus Dominicum innocentibus ſalutis medicamentum eſt, ſceleſtis autem anima mors.*

649. *Non diiudicans corpus Domini.* Non à communibus tantùm cibis diiudicandum corpus Domini eſt quò ad interiorem diſpoſitionem; *ſed etiam* (vt bonus ille autor habet) *quo ad* EXTERIOREM SVMENDI MODVM. Vt non ſolum puritas intus niteat; ſed & modeſtia extimè eluceat, nimius corporis ornatus vitetur.

Non diiudicans corpus Domini. Hoc eſt (vt ait Sanctus Chryſoſtomus hîc) *non examinans non cogitans, vt oportet magnitudinem eorum,* QVÆ SVNT PROPOSITA, NON REPVTANS, *quanti momenti & ponderis ſit donum. Nam, ſi exactè didiceris, quiſnam ſit, qui eſt propoſitus; & quiſnam ſit, qui dat ſeipſum, & cui det; nulla alia egebis oratione: ſed hoc tibi ſufficiet ad omnem ſobrietatem, niſi animo valdè concideris.*

Nouatin. in Epiſt. Paul.

Ideo inter vos multi infirmi, & imbecilles, & dormiunt multi.

AC ſi diceret, ideo multi inter vos corpore 650.
infirmi ſunt & mala valetudine affecti, quia indignè ad ea myſteria acceſſerunt Deo videlicet eos etiam temporaliter puniente, *in* SIGNVM, vt ait Sanctus Thomas, FVTVRI IVDICII, vtque cæteri illorum pœna territi indignè non accedant.

Et dormiunt multi. Apoſtolus *dormire* hîc poſuit pro è vita migrare, Sanctus Auguſtinus pro *multi* legit *ſufficientes*, & Græca vox ἱκανοὶ hanc lectionem fert; additque ad explicatum *ſufficientes, id eſt quantum ſufficit ad* DISCIPLINAM IMPONENDAM *multi in rebus dormiant*; vt videas aliquotum pœnam in cæterorum cautionem à Deo dirigi, & Deum aliquos punire, vt alij erudiantur.

Dormiunt multi. His verbis indicat ſæpe 651.
multorum mortes immaturè accidere ob grauia illorum ſcelera, & præcipuè ob indignam auguſtiſſimæ Euchariſtię ſumptionem. Sanctus Chryſoſtomus ſerm. 18. de diuerſis noui Teſtamenti locis: *Et verè Paulum poſſumus hoc dicentem audire, ſæpe* IMMATVRAS MORTES A MVLTITVDINE PECCATORVM ALLATAS ESSE. *Ideò enim, inquit, inter vos multi infirmi, & imbecilles, & dormiunt multi.*

Quod ſi noſmetipſos diiudicaremus, non vtique iudicaremur.

QVod ſi noſmetipſos diiudicaremus. Præclarè hæc verba hîc expendebat Sanctus Chryſoſtomus: *Non dixit, ſi caſtigaremus nos ipſos, ſi puniremus; ſed ſolùm, ſi vellemus agnoſcere peccata, ſi nos ipſos condemnare, ſi de delictis ferre ſententiam, liberaremur ab eo, quod & hîc & illic eſt ſupplicio.* NAM, QVI SEIPSVM CONDEMNAVIT, DVPLICI RATIONE DEVM PLACAT: *& quod peccata agnouerit, & quod in futurum ſit tardior.*

Dum iudicamur autem, à Domino corripimur, vt non cum hoc Mundo damnemur.

COrripit nos Dominus vt emendet, hinc 652.
Græcè pro corripimur eſt verbum παιδευόμεθα, *caſtigamur*, vt pueri à patre, à magiſtro: vnde addit ſtatim *vt non cum hoc mundo damnemur*, vbi Eſtius: *Oſtendit hic locus* TEMPORALIA FLAGELLA VALERE AD EVADENDA SVPPLICIA ÆTERNA: *ſi tamen illis vtamur vt flagellis paternis ad emendationem noſtram, & peccatorum caſtigationem: vt credibile eſt vſos fuiſſe de quibus dixit Apoſtolus, & dormiunt multi, & proinde damnationem æternam euaſiſſe.*

***

O CAPVT XII.

CAPVT XII.

EPISTOLÆ PRIMÆ ad Corinthios expenditur & illustratur.

SECTIO I.

653 *Quàm magnis donis post susceptam Christi religionem ditati fideles sint.*

654 *Etiam apud innocentes damnanda peccata, vt esse perseuerent, quod sunt.*

655 *Dei spiritus colligit dispersa, non dispergit vnita.*

656 *Dicere quid significet apud Paulum.*

657 *Iesu nomen quis dignè pronunciet.*

658 *Dei dona ad ostentationem & vanitatem minimè dantur, sed ad aliorum dignitatem.*

Dona spiritualia cæteris communicanda.

659 *Diuidere sua bona cui vult, cur dicatur Spiritus Sanctus.*

660 *Spiritus Sanctus nulli subiectus.*

661 *A sui corporis formatione vtilia sumere monita homo debet.*

Nemo aliis inuideat, si minimè præstat, quod alij.

662 *Christi & fidelium vnitas.*

Scitis, quoniam cum gentes essetis ad simulacra muta, prout ducebamini euntes.

653. CVR, veteres illorum errores in medium producit, & illorum memoriam refricat? *Vt ex opposito,* inqoit bonus ille auctor, *declaret ac doceat* QVIBVS DONIS PER SVSCEPTAM CHRISTI RELIGIONEM DITATI SINT, *ac decorati, qui prius muta simulacra colentes, nihil huiusmodi donorum habebant*; sicque magis elucerer præsentis status felicitas, quò maior infelicitas fuerat prioris.

Ad muta simulacra. Præteritorum errorum memoria gignere in nobis salubriora consilia, sanctiora desideria, perfectiores motes debet. *Euntes*; Græcè, *ἀπαγόμενοι abducti*, taoquam pecudes; sicque tanqoam muta animalia, ad muta simulachra ducebantur.

Ideo notum vobis facio, quòd nemo in spiritu Dei loquens, dicit anathema Iesu.

CVr acturus, de Dei donis hoc ab eis, remouet, nimirum dicere anathema Iesum? *Respondeo*, inquit hîc Estius, *hoc à Paulo dici propter Iudaos, qui de spiritu Dei glorian:es Iesu tamen maledicebant, atque eum non solum Christum negabant, sed etiam dicebant anathema; nomen eius penitus extinguere laborantes.* Sed irrito conatu. 654.

Reponat hîc aliquis, cum id apud fideles non fieret, quid est quod illud damnat Apostolus? Vt ab alieno crimine discerent paribus criminibus non inuolui. Nimitum ETIAM APVD INNOCENTES DAMNANDA PECCATA SVNT, VT ESSE PERSEVERENT QVOD SVNT, nec aliorum exemplo nocentes fiant ab aliis bibentes, quod ad sui exitium in animam transmittant.

In spiritu Dei loquens; Scilicet Dei spiritus, & anathema, quod nomen separationem sonat, non cohærent. Dei spiritus colligit dispersa, non dispergit vnita; Audiendus hîc Sanctus Bernardus serm. de septem spiritibus, vbi ita scribit huc spectans: *Nemo (ait Apostolus) loquens in spiritu Dei dicit anathema Iesu. Iesus, saluator siue salus: anathema separatio interpretatur. Qui verò sibi separationem à salute submurmurat: nec Dei spiritus est, nec à Deo:* QVIA SPIRITVS SANCTVS NON DISPERGERE, SED COLLIGERE VENIT; *qui semper reuocat dispersos Israel in terram suam.* 655.

Et nemo potest dicere, Dominus Iesus, nisi in Spiritu Sancto.

N*Emo potest dicere, Dominus Iesus.* Hîc *Dicere* aliud claudit, quàm prima fronte præsefetat. Audiendus S. Augustinus, qui serm. 21. ex 40. nouissimè editis ait: *Videmini vobis dicere, Dominus Iesus; & fortè non intelligentes attenditis ad id, quod Apostolus ait: Nemo dicit Dominus Iesus, nisi in Spiritu Sancto. Sed hoc, quod ait, Dicit, signatè positum est, & proprio quodam modo: nemo enim dicit, Dominus Iesus nisi in Spiritu Sancto.* SED SI DICIT FACTIS, NON SOLIS VERBIS: *nam possunt dicere Dominus Iesus, etiam de quibus ait: Quæ dicunt, facite: quæ autem faciunt, facere nolite. Omnes hæreses, quas vbique etiã vos improbatis, dicunt, Dominus Iesus, nec vtique segregaturus est de regno Cælorum eos, quos inuenerit in Spiritu Sancto, & tamen ait: Non omnis qui dicit mihi, Domine Domine, intrabit in Regnum Cælorum. Sed nemo dicit Dominus Iesus, nisi in Spiritu Sancto. Nemo planè, sed eo modo, quo dictum est, id est factis, vnde sequutus adiunxit: sed is, qui facit voluntatem Patris mei, qui in Cælis est, ipse intrabit in Regnum Cælorum. Dicit enim & de quibusdam idem Apostolus: Confitentur se nosse Deum, factis autem negant. Quemadmodum negatur factis, sic dicitur factis. Hoc modo dicendi nemo dicit Dominus Iesus nisi in Spiritu Sancto.* 656.

Nemo potest dicere Dominus Iesus, nisi in Spiritu Sancto. Dicere hîc plus quàm nudam pronuntiationem significat, nimirum, vt rem ipsam etiam claudit, qood notauit quoque Haymon. *Nemo, inquit, potest dicere, id est corde, & ore confiteri,*

teri, & digna opera fidei exercere, Iesum diligere, & Dominum asserere nisi spiritus sancti gratia fueris intrinsecus edoctus.

657. *Dominus Iesus.* Etiam impiorum plerique Iesum pronunciant, quem Dominum non agnoscunt. S. Epiphanius in Ancorato init. n. 3. *Nemo enim dicere potest, Dominus Iesus, nisi in Spiritu Sancto. Si quidem* IESV NOMEN *etiam Iudas pronunciant; sed nequaquam Dominum arbitrantur. Idem nomen & Ariani proferunt; sed adoptiuum duntaxat Deum, non verum affirmant; quoniam Spiritus Sancti participes non fuerunt: etenim, nisi quis Spiritum Sanctum acceperit, Iesum verè Dominum, verè Deum, aut verè Dei Filium, aut sempiternum verè regem minimè esse dicit.*

Nisi in Spiritu Sancto. Vt scilicet sacrosanctum nomen dignè dicat. *Ille nempe* inquit Sanctus Bernardinus Senensis serm. 2. de Fide cap. 3. *dicit Dominus Iesus in Spiritu Sancto,* QVI CORDE, ORE, ET OPERE DOMINVM IESVM CONFITETVR. Nam nudis illud labiis pronuntiare non est magnum; & satanas quoque non semel Iesu nomen protulit.

Mouere potest, quî, quod habet Apostolus, cohæreat cum illo, quod dixit Christus. Hic Matth. 7. 21. ait: *Non omnis, qui dicit mihi, Domine, Domine, intrabit in Regnum cælorum.* Paulus verò: *Nemo potest dicere, Dominus Iesus, nisi in Spiritu Sancto.* An verè non dicit, qui intellectum & voluntatem non conformat ei, quod ore pronunciat? *Quomodo nemo dicit*, inquit Sanctus Augustinus lib. 2. de serm. Dom. in monte cap. 25. *Dominus Iesus nisi in Spiritu Sancto? nisi quia propriè Apostolus posuit verbum, quod est,* DICIT, VT SIGNIFICET VOLVNTATEM ATQVE INTELLECTVM DICENTIS? *Dominus verò generaliter posuit verbum, quod ait: Non omnis, qui dicit, & reliqua. Videtur enim dicere etiam ille, qui nec vult, nec intelligit, quod dicit: sed ille propriè dicit, qui voluntatem ac mentem suam sono vocis enunciat.*

Vnicuique autem datur manifestatio spiritus ad vtilitatem.

658. SCilicet dona, quibus manifestatur aliquem accepisse Spiritum Sanctum ad vtilitatem dantur; ad vtilitatem Ecclesiæ, populique fidelis, non ad OSTENTATIONEM, inquit Estius, *aut* VANITATEM, *aut quæstum.*

Hæc autem omnia operatur vnus, atque idem spiritus, diuidens singulis prout vult.

DIuidens singulis prout vult. Diuidit dona, non volt tamen diuidi eos, quibus donantur, cum ad aliorum vtilitatem aliis dentur. *Diuidit certè*, inquit B. Laurent. Iustinian. Prolog. ad librum de monast. conuersat. *Ipse spiritus dona sua, non vt lateant, non vt sine fructu sint, sed vt erogata proximis lucrifaciant possidentes. Proinde grauis periculo se ingerunt, qui Dei munera suscipientes nullum ex eis fructum ad Dei gloriam elicere studuerint. Rationes enim positurus Dominus cum seruis suis, fidelibus & solicitis tribuet perennes honores, infidelibus verò & tepidis, immensa supplicia,* AD HOC NAMQVE COMMVNICAT SVA BENEFICIA, VT MVLTIPLICENTVR AD PROFECTVM ILLORVM QVIBVS DONANTVR ET NON IPSIVS. *Bonorum enim mortalium non eget Dominus, cui cuncta ad votum suppetunt, & voluisse perfecisse est. Delectatur tamen, vt mutuo profectus exerceatur amor, & qui abundat, tribuat indigenti, non temporalem substantiam tantùm, sed & spiritualem gratiam, & dona spiritus, quæ prorsus gloria ipsius ministeria sunt. Nil enim sic Deo laudes, & ipsum exhibet laudabilem, sicut donorum spiritualium fraterna, & humilis communicatio.*

Diuidens singulis prout vult. Nulla hîc necessitas, mera libertas est, hoc ad Dei filium transfert Sanctus Ambrosius lib. 2. de Fide cap. 3. *Apostolus dicit, quia omnia operatur vnus atque idem spiritus, diuidens singulis prout vult. Prout vult, inquit, hoc est pro libera voluntatis arbitrio, non pro necessitatis obsequio. Et diuidit spiritus in mediocria, sed quæ Deus consueuit operari, gratiam curationum, & operationem virtutum. Ergo* DIVIDIT SPIRITVS PROVT VVLT, FILIVS DEI NON LIBERAT QVEM VVLT. 659.

Diuidens singulis prout vult. Peritè idem Sanctus Ambrosius lib. 1. epist. 1. *Quod diuidit æquitatis est: quod autem secundùm voluntatem suam diuidit,* POTESTATIS *Vel quia id velit* VNICVIQVE CONFERRE, *quod profuturum nouerit.*

Prout vult. Ne subiectum hîc aliquid esse impius crederet. Sanctus Gaudentius de Exodi lect. tract. 7. *Ex propriæ auctoritatis arbitrio distribuere munera Cælestium gratiarum prædicauit Apostolus dicens: Hæc omnia operatur vnus atque idem Spiritus, diuidens vnicuique, prout vult, & non prout iubetur, ne quis, inimica persuasione deceptus, suspicari audeat, in illa Trinitatis adoranda substantia* ALIQVID ESSE SVBIECTVM, *vel minus potens, vel sibimetipsi contrariam.* Idem tetigit etiam S. Chrysostomus serm. 37. de diuersis noui Testamenti locis: *Prout vult, inquit, non pro vt iubetur, diuidens non diuisus,* AVCTOREM SE PRÆBENS, NON AVCTORITATI *subiectus*, Nulli subiectus est, cui omnia sunt subiecta, quæ infra Deum. 660.

Sicut enim corpus vnum est, & membra habet multa: omnia autem membra corporis, cùm sint multa, vnum tamen corpus sunt, ita & Christus.

COrporis humani similitudine vtitur Apostolus, vt ad mysticum transeat; qua re hoc tectè indicat posse ac debere hominem, à se ipso, SVIQVE CORPORIS FORMATIONE VTILIA MONITA SVMERE, quibus informetur anima, & erudiatur; quod satiatissimè à nobis in quodam opusculo fit, quod Chymiæ spiritualis titulum præfert, in quo docemus, quid discere à suo corpore, ac suis membris homo possit. 661.

Varia corporis membra sunt, vnum corpus est; sic igitur in Ecclesia diuersa sunt ministeria; vt queri non possit, si vnus omnia non potest: nec aliis inuidere si quid præstent, quod præstare ipse non valet. Scitè Sanctus Hieronymus epist. 2. quæ est ad Nepotianum: vbi hæc habet huc spectans: NON OMNIA *possumus omnes. Alius in Ecclesia* OCVLVS *est, alius* LINGVA, *alius* MANVS *alius* PES, AVRIS, VENTER: *& cætera lege*

Pauli Epistolam ad Corinthios, , quomodo diuersa membra vnum corpus efficiunt.

662. *Ita & Christus.* Cur non dixit, *Membra Christi?* Quia nos sine Christo nihil sumus. Membra sine capite nihil valent. S. Aug. huc spectans ad hæc verba in Psal. 30. *Audi*, inquit, *Apostolum: sicut corpus vnum est, & membra habet multa; omnia autem membra corporis cùm sint multa, vnum est corpus: sic & Christus. Loquens de membris Christi, hoc est de fidelibus, non ait: sic & membra Christi, sed totum hoc, quod dixit, Christum appellauit. Sicut enim corpus vnum, & membra habet multa; omnia autem membra corporis cùm sint multa, vnum est corpus: sic & Christus, membra multa, vnum corpus.* ERGO SIMVL OMNES NOS CVM CAPITE NOSTRO CHRISTO, *sine capite nostro nihil valentes.* Eodem spectat illud eiusdem Sancti Doctoris libro 83. Quæst. quæst. 69. vbi expendens cur non dictum, *Ita & Christi*; hæc habet: *Ad Corinthios cùm de charitate diceret, de membris corporis similitudinem ducens: sicut enim corpus vnum est (inquit) & membra habet multa: omnia autem membra corporis cùm sint multa, vnum est corpus: ita & Christus. Non dixit, Ita & Christi; sed, ita & Christus.* OSTENDENS CHRISTVM RECTE APPELLARI ETIAM VNIVERSVM; HOC EST CAPVT CVM CORPORE SVO, QVOD EST ECCLESIA.

Sectio II.

663 *Naturæ opus Deo cur tribuatur.*
Superiores subditos non contemnant.
664 *Actiuæ vitæ, & contemplatiuæ nexus.*
E sui corporis formatione discere homo debet se in aliorum vtilitatem natum.
665 *Proximo vt compatiendum.*
666 *Animarum, quæ purgatricibus flammis expiantur, memoria vt commendata.*
Sancti, qui in cælo regnant, vt nostri meminerint.
667 *In rebus spiritualibus quæ meliora, maiora sunt.*
Charitas via, quæ directè nos in cælum ducit.
668 *Via cur dicta sit charitas.*
Per supereminentem charitatis viam non ambulant nisi humiles.
669 *Tutior omnibus & nobilior via vt sit charitas.*

Nunc autem posuit Deus membra, vnumquodque eorum in corpore, sicut voluit.

663. QVÆ naturæ dicuntur opera, summo tribuit opifici, & naturæ ipsius Authori; vt hinc disceremus, omnia referre in Deum, in omnibus Deum laudare. *Nam, etsi membrorum distinctio*, inquit Sanctus Thomas, *sit opus naturæ hoc tamen agit natura vt* INSTRVMENTVM DIVINÆ PROVIDENTIÆ

Non potest autem oculus dicere manui: Operâ tuâ non indigeo, aut iterum caput pedibus: Non estis mihi necessarij.

CVr duo potiora membra adducit in medium rei quam proposuerat, firmandæ, oculum scilicet & caput, & non potius infima, cum etiam hæc aliorum ministerio indigeant? Fecit istuc, *ne*, vt bonus ille author ait, *qui sublimiore loco in Ecclesia constituti sunt*, INFERIORES PRÆ SE CONTEMNANT, sed modestè se gerant, scientes etiam horum operam sibi totique corpori esse necessariam; nam oculus manus protectione indiget, ne lædatur. Maximè nimirum redditur contemptibilis, qui ceteros quàm infra se positos contemnit.

Non potest oculus dicere manui. Mutuò se iu- 664.
uant, & alterum alteri necessarium membrum est, quod ad vitæ actiuæ & contemplatiuæ nexum probandum egregiè aptat Sanctus Gregorius Nyssenus oratione 13. in Cant. vbi hæc habet: *Diuinus ille Apostolus ait, non posse oculum manui dicere: Non mihi opus est &c. Quibus verbis docere vult, debere corpus Ecclesiæ ab vtroque rectè comparatum esse*, TAM PERSPICIENDI QVAM AGENDI VI INTER SE QVASI *temperata; quippe quòd neque* CONTEMPLATIO *per se animam perficiat, nisi adsint &* OPERA *vitam egregiam absoluentia; neque philosophia occupata in agendo satis sit vtilis, nisi vera pietas eorum, quæ fiunt, dux sit.*

Sed Deus temperauit corpus ei, cui deerat, abundantiorem tribuendo honorem, vt non sit schisma in corpore, sed idipsum pro inuicem solicita sint membra.

TEmperauit. Græcè *συνεκέρασε, contemperauit.* Quod scitus ille author sic explicat? *Ordinatissimè corpus ex membris composuit, velut temperatura quadam, vt* SIBI MVTVO SINT AVXILIO. Vt sui corporis formatione discere hoc quoque homo possit se in aliorum vtilitatem natum.

Et, si quid patitur vnum membrum, compatiuntur omnia membra: siue gloriatur vnum membrum, congaudent omnia membra.

QVod in nostris membris fit, fieri à nobis de- 665.
bet, cum vnum membrum patitur, reliqua compatiuntur; idem nobis præstandũ, cũ calamitate aliqua, aliqua tribulatione vrgeri proximum nostrũ videmus, vt vel ab hoc capite nos probemus vnius Christi capitis nos inuicẽ membra. Et licet membrũ quod patitur sit omniũ postremum omnibus vilius, non ob id tamen nobiliora & longè posita se ab hac condolẽtia eximunt, Nolo hîc desiderari verba S. Aug. qui in Psal. 130. habet.

Nunquid

Nunquid quia in corpore PES *quaſi longè videtur ab oculis, quando forte pes ſpinam calcauerit, deſerunt oculi? & non, ſicut vidimus, totum corpus contrahitur, & ſedet homo curuatus ſpina dorſi, vt quaratur ſpina qua haſit in planta? Omnia membra quicquid poſſunt faciunt, vt de infimo & exiguo loco ſpina qua inhaſerat, educatur.* Hanc eandem Pauli ſimilitudinem idem Sanctus pater in Pſalm. 30. variis Eccleſiis aptabat in hunc modum. SI PATITVR VNVM MEMBRVM *compatiuntur omnia membra: & ſi gloriatur vnum membrum congaudent omnia membra. Aliqua Eccleſia verbi gratia pacem habent, aliqua in tribulatione ſunt: in iſtis qua pacem habent, in ſpatioſo ſunt pedes: illa qua in tribulatione ſunt anguſtias patiuntur. Sed & iſtos contriſtat illorum tribulatio, & illos pax iſtorum conſolatur. Sic eſt enim vnum corpus vt non ſit diſciſſio, non autem facit diſciſſionem niſi diſſenſio. Charitas autem compagem facit, compages complectitur vnitatem, vnitas ſeruat charitatem charitas peruenit ad claritatem.*

666. Denique ex his Pauli verbis aliqui colligunt & Beatos, quos cœleſte excepit regnum orationem pro animabus fundere, quæ purgatricibus flammis expiantur, & idem ab hîc viuentibus debere præſtari; opportunè Eſtius hîc: *Ex hoc loco, vbi docet Apoſtolus eiuſdem corporis membra inuicem eſſe ſollicita, & vno patiente catera compati: bene colligunt Catholici doctores, ſanctorum animas cum Chriſto regnantes, ſuis orationibus nos adiuuare, & nos iiſdem* NOSTRIS SVFFRAGIIS ANIMAS QVÆ SVNT IN POENIS PVRGATORIIS ADIVVARE DEBERE: *vt qui tam cum illis, quàm cum his ſub vno capite Chriſto ſimus eiuſdem corporis, id eſt Eccleſia membra. Compatiuntur autem* BEATI NOSTRIS MALIS, NON DOLORIS AFFECTV, SED AMORIS: *quatenus ex charitate ſtudent à nobis, vt communibus membris, etſi longè infra ſe poſitis, auertere & profligare mala qua patimur.*

Æmulamini autem chariſmata meliora.

667. MEliora; Origenes, & alij legunt, *maiora*, ſed in rebus ſpiritualibus ea quæ maiora ſunt, ſunt etiam meliora, & MAGNITVDO NON A MOLE SVMITVR, SED A PERFECTIONE; Meliora igitur æmulanda, & ea quæ vtiliora Dei Eccleſiæ ſint.

Et adhuc excellentiorem viam vobis demonſtro.

ADhuc excellentiorem viam. Via eſt charitas, per quam ſcilicet, dum hîc ſumus, debemus ſemper incedere, ambulare per eam. De hac via hæc habet Primaſius hîc: *Sicut publica via excelſior eſt reliquis viis ac ſemitis; ita &* CHARITAS VIA EST DIRECTA, PER QVAM AD COELESTEM METROPOLIM TENDITVR. *Si quis reliquas virtutes habuerit, niſi in iſtam viam intrauerit, id eſt, niſi charitatem habuerit, qua eſt excelſior via, non poterit intrare Domini ciuitatem.*

668. *Excellentiorem viam.* Cur *Via* vſus eſt vocabulo? Sanctus Proſper lib. 3. de vita contemplat. cap. 13. *Hac eſt,* inquit, *charitas vera, germana, perfecta, quam excellentiorem viam nominat Sanctus Apoſtolus.* ET VERE IPSA EST VIA, *qua ducit per ſe ambulantes ad patriam: quia, ſicut ſine via peruenit nullus, quò tendit; ita ſine charitate, qua dicta eſt via, non ambulare poſſunt homines, ſed errare.*

Excellentiorem; legunt aliqui, *ſupereminentiorem*; omnibus quippe ſupereminet charitas, excelſior omnibus eſt, ſed, quod mireris per hanc viam ita ſublimem non ambulat niſi qui ſe demittit, qui humiliat ſe. Nobis ſuccinit Sanctus Auguſtinus in Pſalm. 141. vbi ait *Charitatem dixit ſupereminentiorem viam. Magna via iſta, fratres, magnum miraculum habet; hac via certè quia ſupereminentior eſt, excellentior eſt: hoc enim* SVPEREMINET *quòd excelſum eſt: nihil excellentius eſt via Charitatis, &* NON IN ILLA AMBVLANT NISI HVMILES. Longè ab hac via eſt, qui humilis non eſt, & qui ſe non deiicit, hanc tam ſublimem viam non calcat.

Quam ceteris viis excellentior, nobilior, tutiorque via charitas ſit luculenter explicat Vgo Victorinus, vt opportunè hîc eius implantentur verba; ſic ille ſcribit tract. de laude charitatis; 669.
Et quid ſi teipſam viam Dei dixerim? vtique ſic charitas tu via es. Sed non ſicut alia via tu via es: adhuc (inquit Paulus Apoſtolus) excellentiorem viam vobis demonſtrabo, de te enim dixit ô charitas; Tu es namque via ſuperexcellens, via ſupereminens, vias diſtortas dirigens, vias rectas oſtendens. Tu es caput viarum rectarum, omnes via recta à te exeunt, & in te recurrunt. Nam pracepta Dei via ſunt eius, qua omnia à te pendent, & in te conſiſtunt. Tu es plenitudo iuſtitia, perfectio legis, conſummatio virtutis, agnitio veritatis. Via igitur es ô charitas. QVALIS *via? ſuperexcellens, ſuſcipiens, dirigens & perducens. Cuius via? via hominis ad Deum: es via Dei ad homines. O beata via, qua ſola commercium noſtra ſalutis agnoſcis. Tu Deum ad hominem deducis, tu hominem ad Deum dirigis.*

CAPVT XIII.

EPISTOLÆ PRIMÆ ad Corinthios expenditur & illuſtratur.

SECTIO I.

670 *Lingua donum cur cateris pramiſerit Apoſtolus.*

Bona loqui non prodeſt, niſi opere compleantur.

671 *Supremus fidei apex cur diuerſus apud Paulum, & apud Chriſtum.*

Nihil aſtimandum, quod extra Deum, & Diuina gratia limites.

672 *Perfecta abrenunciatio in quo ſita.*

673 *Quàm insigne opus, omnia sua pauperibus distribuere.*
Inanis gloria opera nostra non inficiat.
674 *Elatio in bonis operibus cauenda.*
Charitas, bonorum omnium decor & anima.

Si linguis hominum loquar & Angelorum charitatem autem non habeam, factus sum velut æs sonans, aut cymbalum tinniens.

670. SI *linguis hominum loquar*; Cur linguæ donum ponit primo loco? an quia maximi apud Corinthios fiebat: *inter cætera dona*, inquit Isidorus Clarius hîc, *quæ Corinthij æmulabantur* PRÆCIPVVM ERAT ILLVD LINGVARVM, *propter ea quòd Apostoli primum id accepissent in Pentecoste, ideo nunc ab eo exorditur Apostolus.*

Factus sum velut æs sonans, aut cymbalum tinniens. Talis est, qui vtilia aliis loquitur, quæ audire ille non videtur, cùm perficere negligit. *Benè per Paulum dicitur*, inquit S. Gregorius lib. 32. Moral. cap. 14. *Si linguis hominum loquar & Angelorum, charitatem autem non habeam, factus sum velut æs sonans, aut cymbalum tinniens.* BONA QVIPPE LOQVENS, SED PER AMOREM EADEM NON SEQVENS, *velut æs aut cymbalum sonitum reddit; quia ipse non sentit verba, quæ ipse facit.*

Et si habuero omnem fidem, ita vt montes transferam, charitatem autem non habuero, nihil sum.

671. ITa *vt montes transferam.* Mirum, quod Apostolo supremus fidei apex est, hoc Christo minimæ fidei signum. Nodum vidit, nodum soluit Sanctus Chrysostomus hîc: *Et quomodò dixit Christus, minimam fidei partem esse, montes transferre? nam tanquam minimam dicens sic posuit: Si habetis fidem tanquam granum sinapis, dicetis monti huic: Transi, & transibit. Paulus autem omnem fidem hanc esse dicit. Quid ergo sibi vult? Quoniam hoc erat magnum, montes transmouere, propterea eius etiam meminit:* NON TANQVAM HOC SOLVM POSSET TOTA FIDES; SED QVONIAM HOC VIDEBATVR ESSE MAGNVM CRASSIORIBVS PROPTER MOLEM CORPORIS; *hinc quoque extollit & magnificat propositum. Hoc est autem, quod dicit: si habeam omnem fidem, & si possim montes transmouere, charitatem autem non habeam, nil sum.* Sic plerique ex mole rerum perfectionem metiuntur. *Nihil sum.* Scilicet apud Deum, licet me esse aliquid homines existimaturi sint, videntes miracula. *Nihil sum secundum esse gratiæ*, inquit Sanctus Thomas, vel *in esse diuini consortij*, vt ait Caietanus; quæ omnia eodem recidunt, & indicant NIHIL ÆSTIMANDVM QVOD EXTRA DEVM; ET EXTRA DIVINÆ GRATIÆ LIMITES: magnitudo quælibet sine Dei gratia, summa vilitas est, imo verè nihil est.

Et si distribuero in cibos pauperum omnes facultates meas, & si tradidero corpus meum, ita vt ardeam, charitatem autem non habuero, nihil mihi prodest.

OMnes *facultates meas.* Aliqui vertunt, 672.
omnia mea; nec enim de alterius bonis facienda eleemosyna est. Præterea non satis est aliquem sua relinquere, nisi charitate plenus inter relinquenda numeret etiam se. Præclarè totum istum locum viget Ioannes Cassianus contra illos, qui non plenè sæculo, sæculique vitiis renunciant; sic ille scribit collat. 3. cap. 7. *De illa renunciatione corporali, quam diximus, ita pronunciauit Apostolus: Si distribuero omnes facultates meas in cibos pauperum, & tradidero corpus meum, vt ardeam, Charitatem autem non habuero nihil mihi prodest, quod Beatus Apostolus nunquam dixisset, nisi quia futurum spiritu prauidebat, vt aliqui* FACVLTATIBVS VNIVERSIS IN PAVPERVM ALIMENTA DISPERSIS, *ad perfectionem euangelicam, & charitatis arduum culmen peruenire non possent; quia scilicet pristina vitia morumque incontinentiam, vel superbia, vel impatientia dominante, in suis sordibus retinentes, nequaquam se ab illis expurgare curarent, & ob id ad charitatem Dei, quæ nunquam cadit, minimè peruenirent, qui vtique inferiores effecti, hoc secundo renuntiationis gradu, multò minus illum tertium qui proculdubio est sublimior, apprehendent; diligentius tamen etiam hoc mente perpendite quòd non simpliciter dixerit: si distribuero facultates meas, videretur enim de illo fortè dixisse qui necdum euangelicum implens mandatum, adhuc sibi ex eis, sicut nonnulli tepidorum faciunt, aliquid reseruasset; sed, si distribuero, inquit,* OMNES FACVLTATES MEAS *in cibos pauperum, idest, etiamsi perfectò abrenuntiauero diuitiis istis terrenis.*

Quàm insigne opus, & præclarum sit facinus 673.
omnia sua pauperibus erogare, vel hinc conijcias, quod Paulus hîc collocat: *Si habuero omnem fidem, ita vt montes transferam,* & istuc, *& si tradidero corpus ita vt ardeat*; Scitè hîc Estius: *Porrò quod dixit de distribuendis in pauperes omnibus facultatibus, adduxit pro* EXEMPLO OPERIS IN SPECIEM VALDE PRÆCLARI; *quia magni solet hoc æstimari ab hominibus: sicut & id, quod sequitur.*

Et si tradidero. Non grata est victima, quam charitas non animat; & quò maiora sunt nostra obsequia, eò diligentius cauenda inanis gloria, ne totum amittatur. Appositè ad hunc locum Sanctus Augustinus. *Prorsus in ipsa Ecclesia dicam Catholica, putatis Catholicos defuisse, aut deesse posse qui causa humanæ gloriæ paterentur? Si non essent huiusmodi homines, non diceret Apostolus. Si tradidero corpus meum vt ardeam, Charitatem autem non habeam nihil mihi prodest. Sciebat ergo esse posse* QVOSDAM, QVI HOC IACTATIONE FACERENT, NON DILECTIONE. *Ideo obscurum est; Deus hoc solum videt, nos non possumus.* Sic ille in Psalm. 43.

Nihil

674. *Nihil mihi prodeſt.* Nimirum ſi non adſit charitas nihil cetera proſunt licet in ſpecie magna. Vtile hinc elicit monitum Sanctus Leo ſerm. 2. de ieiunio Pentecoſtes: *Cum dicat Apoſtolus, nullas ſibi virtutes ſine charitate prodeſſe, idemque dicat, charitatem diffuſam eſſe in cordibus noſtris per Spiritum Sanctum, qui datus eſt nobis: cauendum eſt*, NE BONA, QVÆ FACERE SINE BONITATE NON POSSVMVS, ELATIONE PERDAMVS: *Nam omnis ſe meritò laude diſpoliat, qui de ſtudiis induſtria ſua in ſe magis, quam in Domino gloriatur.*

Nihil mihi prodeſt; quia charitas deeſt, quæ eſt bonorum operum non ſolùm color ac decor, ſed etiam vita & anima. *Venitur ad paſſionem*, inquit Sanctus Auguſtinus ſerm. 50. de Verb. Dom. *& tamen nihil prodeſt; quia charitas deeſt. Adde charitatem, proſunt omnia:* DETRAHE CHARITATEM, NIHIL PROSVNT CÆTERA.

SECTIO II.

675 *Patientia, & charitatis nexus.*
Dilectio, Chriſtiani nominis theſaurus.
Charitatis proprietates explicata.
676 *Charitas cur patiens & benigna dicatur.*
Quos amat charitas, ex patientia tolerat.
677 *Charitatis officia vt explicata.*
678 *Charitatis laudes recenſita.*
679 *Charitas ſine patientia non ſit, nec ſine benignitate.*
Patientia nexus & charitatis.
680 *Vera magnanimitatis indicium, mala patienter ferre.*
681 *Inuidia à ſuperbia vt originem habeat.*
Charitas omnes virtutes fulcit, ac nutrit, ac omnium exercet actus.
Superbia inflationi comparata; quia non ſolidam magnitudinem, ſed apparentem habet.
682 *Æmulatio vt ab inflatione, & tumore oriatur.*
683 *Ambitioſi nihil non agunt vt potiantur dignitate, quam ambiunt.*
Facilè figuras mutat qui dignitates ambit.
684 *Vera charitas in iniuriis adeò vindictam non expetit, vt nec iniurias reputet, quæ ſunt.*
Charitas non tantùm malum non operatur, ſed nec cogitat aut ſuſpicatur.
Charitas apud Deum nec quærit, quæ ſua ſunt.
685 *Charitas duros homines tolerans firmior fit.*

Charitas patiens eſt, benigna eſt: charitas non æmulatur, non agit perperam, non inflatur, non eſt ambitioſa, non quærit quæ ſua ſunt, non irritatur non cogitat malum.

MAGNVS charitatis nexus & patientiæ. 675.
Tertullianus pro *Patiens eſt*, legit, *Magnanimus eſt*, ſicque, & dilectionem & patientiam efferebat lib. de Patient. cap 12. *Dilectio, ſummum fidei ſacramentum*, CHRISTIANI NOMINIS THESAVRVS (*quam Apoſtolus totis viribus Sancti Spiritus commendat*) *cuius niſi patientiæ diſciplinis eruditur? Dilectio, inquit, magnanimis eſt, ita patientiam ſumit. Benefica eſt, malum patientia non facit. Non æmulatur; id quidem patientiæ proprium eſt.*

Patiens eſt; Quæ hic de charitate dicuntur ſic explicabat Beatus Laurentius Iuſtinianus c. 5. de charit. *Conſeruat poſſidentem laudanda charitas a fraterna æmulatione: quia non æmulatur: a praua actione, quia non agit perperam: à tumida inflatione, quia non inflatur: ab elata ambitione, quia non eſt ambitioſa: à priuata affectione, quia non quærit quæ ſua ſunt: à maligna cogitatione, quia non gaudet iniquitate. Ipſa eſt mors criminum, virtus pugnantium, palma victorum, concordia mentium, ſocietas electorum, quam fides concipit, ad quam currit ſpes, & cui profectus omnium bonorum ſeruit.*

Patiens eſt. Totum hunc locum ita verſat Beatus Thomas à Villanoua conc. in Dom. 4. 676.
Quadrag. CHARITAS, *vt ait Apoſtolus, patiens eſt, ſcilicet, ad portanda onera: benigna eſt, ad dona communicanda: non æmulatur, non irritatur, non eſt ambitioſa ad perſoluenda debita; non agit perperam ad inferenda nocumenta: non quærit quæ ſua ſunt, ad temporalia diſtribuenda.*

Patiens eſt; Et patiens eſſe debet charitas & benigna vt amet, quos tolerat; quod experiens Sanctus Gregorius 3. part. Paſtoralis curæ admonit. 10. ita ſcribit; *Paulus cum diceret: charitas patiens eſt, illicò adiunxit, benigna eſt videlicet oſtendens*, QVIA QVOS EX PATIENTIA TOLERAT, *amare etiam ex benignitate non ceſſat.*

Patiens eſt. Peritè hæc, quæ de charitate di- 677.
cuntur explicabat; & expendebat Sanctus Ambroſius in Lucam lib. 5. cap. 7. *Quia* CHARITAS *patiens eſt, benigna eſt, non æmulatur, non inflatur; in his præceptis conſummatum videmus. Si patiens eſt, debet patientiam verberanti: ſi benigna eſt, non debet reſpondere maledictis: ſi non quærit quæ ſua ſunt, non debet reſiſtere diripienti: ſi non æmulatur, odiſſe non debet inimicum.* Hactenus ille; & Petrus Bleſenſis de charit. Proximi c. 31. adhuc luculentius rem verſat; ait quippè: CHARITAS *patiens eſt, benigna eſt, in quibus obedientia commendatur non agit perperam: quia nihil contra conſcientiam ſuam facit, non inflatur bene-*

ficiis Dei, non est ambitiosa, quia omnem respuit Dominatum: non quærit quæ sua sunt, sed quæ Christi, vel sui proximi, immò etiam ablata non repetit, non irritatur, ad iracundiam subaudi. Non cogitat malum, vt malum pro malo refundat, non gaudet super iniquitate, subintellige, alterius, eius enim iniquitas nulla est. Omnia suffert patienter, omnia credit, omnia sperat dicta vel promissa à Deo, omnia sustinet obediendo humiliter.

678. Charitatis hîc laudes conglomerat Apostolus: succinit Sanctus Augustinus serm. 46. de Temp. *Quis exigeret tanta de Deo nostro, fratres, pro nostra salute ac redemptione, nisi charitas, quæ nunquam cadit? O* CHARITAS, QVAM MAGNAS VIRES HABES! *De Cælo Deum deposuisti. O cara sanctitas, ô sancta ac vera charitas: quæ tanta es in terris, quanta eris in Cælis! Quæ tantum potes in hac pugna mortalitatis adhuc solicita, quantum poteris in illa perfecta pace secura? Euigila itaque, omnis anima Christiana: & si in te eminet virtus charitatis, quæ omnia sustinet, Domini tui imitare vestigia.* Omni laude superior est charitas vt non mirum, si adeò eam efferat Apostolus. Trithemius quoque in cap. 4. Regulæ S. Benedicti inquit: *Charitas est* ANIMA LITTERARVM, *philosophia* VIRTVS, *scientia* STABILIMENTVM, DIVITIÆ *pauperum*, PAX *cordium*, LÆTITIA *mentium*, VESTIS *electorum*, RADIX *omnium bonorum.*

679. *Charitas patiens est, benigna est.* Nisi charitatem patientia & benignitas animet; esse non potest, quod esse dicitur. *Paulus ait*, inquit Sanctus Gregorius lib. 8. cap. 1. *Charitas patiens est, benigna est. Cum verò vnum ex vtroque desuerit, charitas non est; si videlicet malos aut* ABSQVE BENIGNITATE *tolerans non amat, aut rursum, sese* SINE PATIENTIA *exhibens, negligit tolerare, quos amat. Vt ergo à nobis charitas vera teneatur, necesse est, quatenus & benignitati patientia, & rursum patientia benignitas suffragetur; vt, magnum quoddam in corde nostro ædificium construens, & benignitatis arcem patientia solidet, & patientiæ fundata ædificia benignitas exornet.*

Magnus patientiæ nexus & charitatis. *Vbi est charitas*, inquit B. Laurentius Iustinianus de Casto connub. cap. 18. *ibi* PATIENTIÆ CONSTANTIA, *Charitas ait Apostolus, patiens est, nescit turbari, nescit inflari, suique Conditoris flagella æquo fert animo.*

Charitas patiens est. Inter charitatis elogia hoc præcipuum, quòd patiens sit, omnia ferat, omnia sustineat. Frustra sibi de charitatis nomine blanditur, qui patientia destituitur. *Tolle charitati patientiam*, inquit Sanctus Cyprianus tract. de Patient. *& desolata non durat*; non est quod dicitur charitas, si patientiam comitem non habeat. *Patiens est.* Addit Sanctus Gregorius 3. part. Curæ pastor. admonit. 10. *Igitur quum minimè est patiens, charitas non est. Per hoc quoque* IMPATIENTIÆ VITIVM, *ipsa virtutum nutrix doctrina dissipatur; scriptum namque est: Doctrina viri per patientiam noscitur. Tanto ergo minùs quis ostenditur doctus, quantò minus conuincitur patiens.*

680. Patiens est charitas alienis malis sustinendis, benigna bonis suis exhibendis. *Teste Paulo*, inquit Sanctus Gregorius lib. 21. Moral. cap. 8. *charitas* PATIENS & BENIGNA *describitur. Per patientiam aliena mala æquanimiter tolerat: per benignitatem quoque bona misericorditer impendit sua.* Idem ferè habet idem Sanctus Doctor homil. 21. in Ezechiel. *De dilectione scriptum est: Charitas patiens est, benigna est. Patiens scilicet, vt illata à proximis mala æquanimiter portet: benigna autem, vt sua bona proximis desiderabiliter impendat.*

Charitas patiens est. Sanctus Augustinus serm. 29. de Temp. legit: *Charitas magnanima est.* vt ab harum lectionum nexu colligas, VERÆ MAGNANIMITATIS INDICIVM ESSE, dura quæque pati, aduersa quælibet sustinere.

Non æmulatur. Non inuidentiæ corripitur lue: gaudio potiùs afficitur in aliorum bonis. Ritè subdit: *Non inflatur.* Qui superbia non corripitur, reliquum est, vt nec inuidentiæ laboret vitio, cum à superbia originem inuidia & liuor habeat. Pulchrè de hoc & verborum & vitiorum nexu Sanctus Augustinus lib. de Sanct. virginit. cap. 31. *Cùm dictum esset: Charitas non æmulatur, veluti si causam quæreremus, vnde fiat, vt non æmuletur, subdidit: Non inflatur. Tanquam diceret:* IDEO NON HABET INVIDENTIAM, QVIA NEC SVPERBIAM. 681.

Non æmulatur. Parum est cæteris virtutibus præstare charitatem, etiam præstat quod cæteræ virtutes, vt non tam præ omnibus sit quam pro omnibus. Pulchrè totum hunc locum versat Ioannes Eusebius, dum ait: *Ideo charitas non æmulatur, quia pro misericordia est: non agit perperam, quia pro iustitia est: non inflatur, quia pro humilitate est: non ambitiosa est, quia pro temperantia est: non quærit quæ sua sunt, quia pro liberalitate est: non irritatur quia pro mansuetudine est: non cogitat malum quia pro fidelitate est, non gaudet super iniquitate, quia pro pœnitentia est: in summâ cùm dicat Apostolus charitas patiens est, & iterum omnia sustinet, pro patientia est quæ omnes virtutes fulcit & nutrit.*

Non inflatur. Superbiæ est inflari, non charitatis. *Rectè*, inquit hîc Sanctus Thomas, SVPERBIA INFLATIONI COMPARATVR: *nam id, quod inflatur, non habet solidam magnitudinem, sed apparentem: ita superbi videntur quidem esse sibi magni, cùm tamen vera magnitudine careant, quæ non potest esse absque ordine Diuino.*

Non inflatur: Quin inflationem coërcet; 682.
sed cur hoc priùs posuit Apostolus, cùm rectus ordo exigere videretur, vt prius diceretur *non inflari*, ac postea *non æmulari*; si enim superbia vitiorum est caput, & charitas illud prius dici debebat exercere, quod euertit id quod est primum. Et verò non sine mysterio seruasse Apostolum ordinem quem seruauit notabat Sanctus Augustinus serm. 54. de verbis Domini; vbi ait: *Cùm in ordine prior sit superbia, sequatur autem inuidia, Apostolus in laudibus Charitatis noluit dicere prius, non inflatur & postea non æmulatur, sed prius dixit, non æmulatur, postea non inflatur; quare hoc? quia cùm dixisset non æmulatur quasi quæsituris erat causam,* QVARE NON ÆMVLATVR, *Subdidit non inflatur; ergo si ideo non æmulatur, quia non inflatur: si inflaretur, æmularetur, hoc vobis crescat &* ANIMA SOLIDATVR QVIA NON INFLATVR.

Non est ambitiosa. Ex Græco aliqui legunt: 683.
Non pudesit. aut: *Non facit pudenda*, vt est

nos

mos AMBITIOSORVM, QVI NIHIL NON AGVNT, VT POTIANTVR DIGNITATE, quam ambiunt; adeò vt ſeruilia priùs præſtent, quàm impetrent. Non eſt ambitioſa. Syrus vertit: *Non patrat, quod pudendum eſt.* Clemens Alexandrinus: *Non indecorè ſe gerit.* Cohærent hæ verſiones; quia, qui ambitioni litat, indecorè ſe gerit, & patrat, quæ pudenda; vt ſcilicet eò euadat, quò eum eius ambitio vocat.

Non eſt ambitioſa. Aliqui legunt: *Charitas non mutat figuras*, vt idem ſit (inquit bonus ille autor) DIGNITATES ambire, & FIGVRAS MVTARE.

684. *Non cogitat malum*; non verſat animo malas cogitationes, vel non ſuſpicatur malum de proximo; ex Græco verti poteſt; *non imputat malum*; cuius eſt ſenſus, authore Theodoreto; Qui charitatem habet etiamſi læſus ab aliquo fuerit, NON TAMEN IMPVTAT INIVRIAM neque vindictam expetit, ſed diſſimulat, excuſat, ignoſcit, & adeo malum pro malo non reponit, vt nec reputet malum.

Non cogitat malum. Parum eſt malum non non operari: nec etiam cogitat. *Neque dixit*, inquit hìc Sanctus Chryſoſtomus: *Non operatur malum; ſed, Ne cogitat quidem, nihil enim mali non modò comparat aduerſum eum, qui diligitur; ſed ne* SVSPICATVR QVIDEM. *Quomodo ergo fuerit operata aut quomodo fuerit irritata, quæ nec tolerat quidem malam ſuſcipere ſuſpicionem, unde eſt fons iræ?* & Sanctus Hieronymus: *Non ſolum*, inquit, *non facit*, SED NEC COGITAT *quidem*; quid melius excogitari poteſt, quàm nec malum cogitare, etiam ſi malum inferatur?

Charitas non quærit quæ ſua ſunt. Hoc ad diuinas quoque perſonas transferebat Petrus Bleſenſis lib. 2. de charitate proximi cap. 35. *Charitas non quærit quæ ſua ſunt: ſed quæ Ieſu Chriſti aut in Ieſu Chriſto proximi ſui, vides oculo fidei, quod in illa ſacratiſſima Trinitate, vna eſt virtus, vna eſt eſſentia, quæ tribus perſonis communis eſt, perſona enim à perſona propria notatione diſcernitur, & beneficium communis, aut potius vnionis impedit, quod ſolus pater eſt pater, vel ſolus filius, filius eſt, pater enim non ſibi, ſed filio, cui de ſua ſubſtantia genito dedit vitam habere in ſemetipſo, facit ergo charitas, vt omnia ſint inter proximos communia: & tamen ſingulis propter proprias neceſſitates propria ſunt conferenda ſubſidia.*

SECTIO III.

685 *Dilectio Chriſtiana, verorum bonorum dilectio, non apparentium.*

Nuda figmenta, terrena omnia bona.

Charitas duros homines tolerans, firmior fit.

686 *Omnia credere vt charitas dicatur.*

687 *Ambitio charitatis ſimia vt charitatem æmuletur.*

688 *Deſtruenda cur ſcientia dicatur.*

689 *Verus ſapiens ſcientiam ſuam vt extenuet.*

Caro, vt ſpeculi cuiuſdam vitre nobis ſeruiat.

690 *Cognitio noſtra quàm hîc exilis.*

Plura nobis Deus exhiberet, ſi capere poſſemus.

691 *Fides, ſpes, charitas inter ſe collata.*

Maior fide & ſpe cur charitas dicatur.

692 *Fides, ſpes, charitas, alæ ſpirituales, quibus in cælum euolamus.*

Congaudet autem veritati: omnia ſuffert, omnia credit, omnia ſperat, omnia ſuſtinet.

Congaudet autem veritati. Cur cùm ſuperius dixiſſet: *Non gaudet ſuper iniquitate*; non adiecit? *Congaudet autem iuſtitiæ, aut ſanctitati.* Nodum vidit, & ita ſoluit Caietanus, dum ait: *Expectabas, vt diceret: Congaudet autem iuſtitiæ Non hoc dixit, ſed quod amplius eſt: Congaudet autem veritati. Et propriiſſimè dixit, vt intelligeremus, quod charitas ſeu dilectio hæc, de qua eſt ſermo, eſt dilectio non vanitatis, ſed veritatis. Amori cuique reſpondet ſua delectatio, & è conuerſo. Amori carnali delectatio carnalis reſpondet, & è conuerſo, & ſic de aliis. Quo fit, vt delectatio veritatis reſpondeat amori charitatis, & è conuerſo. Dilectio Chriſtiana eſt dilectio veritatis, non figmentorum*: EST DILECTIO VERORVM BONORVM, NON VANORVM, QVÆ APPARENT BONA: *eſt dilectio veritatis, etiamſi dilectionem honoris proprij ſonet, ſi priuationem corporalis vitæ inducat, & propterea congaudet veritati vita, doctrina, & iuſtitia.* 685.

Omnia ſuffert. Græcè pro *ſuffert*, eſt στέγει, ideſt *fulcit, ſuſtinet*, inſtar trabis, vel tigni; adeo vt ſicut trabs, quæ pondus impoſitum ſuſtinet firmior redditur, ſic charitas dura, & aduerſa dum fert, duroſque homines tolerat firmitatem ſuam adeo non amittit, vt augeat.

Omnia credit. Itáne omnia? Omnia, ſed quæ neceſſaria ſunt ad ſalutem: nam quæcunque aut à veritate deuiantia, aut à verorum bonorum ſoliditate abeuntia, pro nihilo habet, qui charitatem habet. Præclarè Sanctus Bernardinus Senenſis ſerm. 6. fer. 5. poſt cineres art. 3. cap. 1. *Charitas omnia credit, ideſt vera & neceſſaria ad ſalutem*: NAM ERRORES, ET FALSA A LVMINE FIDEI VIVÆ, QVASI EXTRA OMNIA ALIA EXISTENTIA, PRO NIHILO REPVTANTVR, ATQVE DESPICIVNTVR; *& tanquàm tenebræ, quæ palpantur, habentur horrore.* Addit idem S. Pater de fide ſerm. 2. cap. 3. *Credit omnia, licet non omnibus credat; ſed tantùm his, quæ veritas ipſa ſuadet.* Solius veritatis vocem nouit, nulli ſe credit niſi veritati. 686.

Omnia credit. Omnia credere leuitatis eſt, ſi nimirum omnia credantur, quæ ſunt à quocunque,

que, nam si credantur, vt dicuntur à Deo, hoc est charitatis, non leuitatis. Pulchrè S. Augustinus lib. de Spiritu & litt. cap. 31. *Ipsa charitas, quæ omnia credit, non omni spiritui credit;* AC PER HOC OMNIA QVIDEM CREDIT; SED DEO; *quia non dictum est: Omnibus credit.*

Omnia sperat, Charitas omnia sperat, non ab omnibus, non ab hominibus, sed à Deo, omnia scilicet quæ Deus promisit aut speranda proposuit; alioquin in charitatis laude non est ponendum in hominibus spem locare.

687. Quæ hîc de charitate, charitatisque commendatione Apostolus protulit, festiuè aptauit ambitioni, quæ eius est simia Petrus Blesensis epist. 14. nequeo hîc eius verba supprimere, & sunt ista. AMBITIO EST QVÆDAM SIMIA CHARITATIS. *Charitas enim patiens est pro æternis: ambitio patitur omnia pro caducis, charitas benigna est pauperibus: ambitio diuitibus, charitas omnia suffert pro veritate: ambitio pro vanitate, vtraque omnia credit, omnia sperat, sed longè dissimili modo: hæc ad gloriam huius vitæ, illa ad gloriam sine fine, nam in igne aliter se habet aurum rutilans, & aliter palea fumans, charitas numquam excidit: ambitio numquam surgit.*

Charitas nunquam excidit, siue prophetiæ euacuabuntur, siue linguæ cessabunt, siue scientia destruetur.

SIue linguæ cessabunt. Acutè hîc Caietanus: *Non dicit, quòd cessabit lingua, sed cessabunt linguæ; quoniam non cessabit sensibilis loquutio, sed cessabit diuersitas idiomatum: erit enim labium omnium vnum multò magis, quàm fuerit olim antè confusionem linguarum.*

688. *Siue scientia destruetur.* Et cur destruenda scientia dicitur, cum nihil habeat, quòd felici Patriæ statui repugnet? An destructam iri dicit Apostolus scientiam; quia ex imperfecta, qualis nunc est, perfecta fiet? An destruetur quò ad vsum, quia tunc nullus aderit informandus? Estius ita rem versat: *Aliis videtur huius loci germanior expositio,* SECVNDVM QVAM SCIENTIA DESTRVENDA DICITVR; *quia donum scientiæ (de quo dictum est cap. superiori, Aliis datur sermo scientiæ, & rursum hoc cap. si habuero omnem scientiam) non habebit vsum ad proximos in futuro sæculo. Ad hoc enim datum est, vt doctrina Christiana per ea, quæ sunt humanæ cognitionis aut experientiæ, vel persuadeatur iis, qui nondum credunt; vel ab iis, qui iam credunt, tenacius, firmiusque retineatur, quale nihil agetur in futuro sæculo, quando, fide in speciem conuersa, perfectè adimplebitur illud Ieremiæ 31. Non docebit vltrà vir proximum suum: omnes enim cognoscent à minimo eorum vsque ad maximum. Hic sensus admodum probabilis est: congruit enim cum iis, quæ præcedunt de cessaturis Prophetiis & linguis, Atque eum tradunt OEcumenius in Commentar. & Vgo Victorin. in quæst. huius loci, itemque ex Neotericis quidam.*

Videmus nunc per speculum in ænigmate, tunc autem facie ad faciem.

689. HÆc veri sapientis consignatio est, sapientiam suam extenuare, non efferre. Fecit istuc Sanctus Paulus, & hæc verba eius mentem indicant. Scitè Elias Cretensis in orat. 1. Sancti Gregor. Nazianz. *Cum Diuina sapientia perfectè instructus esset, per speculum tamen nunc duntaxat videre se aiebat; tunc autem facie ad faciem. Quibus verbis illud significabat, obscuram quandam,* ET EXILEM NVNC NOBIS SCIENTIAM ESSE; *tum autem pleniorem, ac splendidiorem fore, quod quidem per faciei vocabulum indicauit; non autem quod Deus corpoream, aut in sensum cadentem faciem habeat. Quoniam porro speculum conspectæ rei simulachrum euidentius refert, hac de causa adiunxit in ænigmate; vt scilicet illud demonstraret, cognitionem eam, ac scientiam, quæ nunc perfectissima videtur, ea quoque effigie, quæ in speculo conspicitur obscuriorem & exiliorem esse.*

Videmus nunc per speculum. Carnem hîc speculum referre, tanquam speculum nobis deseruire sic explicabat Sanctus Zeno Veronensis Episcopus serm. de Resurrectione. CARO, FRATRES, QVASI QVODDAM EST SPECVLVM *intuentis plenitudine grauidatum: quod non tam imaginem suam, quam eius, cuius est in vsibus gerit, Denique tot efficit vultus, quot ille intrinsecus tristes, seu hilares suos fecerit motus: hanc rationem docente nos Paulo: videmus inquit, autem modò per speculum in ænigmate: tunc autem facie ad faciem erit. Vnde dubium non est in corporibus nostris, dum mortis lege seminantur, non substantiam, non imaginem, sed illud tantùm, quod inutile est, aiscuti, quod teritur, demutari.*

Nunc cognosco ex parte.

EX parte cognoscere se dicit Paulus, qui in tertium cælum raptus fuerat, vbi arcana verba audiuit, quis ergo se totum capere posse putet? Bene Sanctus Ambrosius. *Si enim Paulus* EX PARTE COGNOVIT; *quid ego possum cognoscere, qui Paulo quantùm vita, tantùm etiam verbo inferior sum?* Sic ille in Euangelium Lucæ lib. 5. cap. 6. Et iustius hæc sibi quisque occinat, qui non Paulo tantùm inferior, sed & Ambrosio. 690.

Nunc cognosco ex parte. Nihil nobis Deus inuidet, quod ex parte cognoscimus à nostra imbecillitate est, plura Deus exhiberet si possemus capere; id quod innuebat Sanctus Isidorus Pelusiota lib. 2. epist. 56. vbi ad hunc locum spectans, ait: *Nunc cognosco ex parte, inquit Apostolus: illud videlicet exploratum habens, Deum hîc quoque exuberantem sapientiæ suæ copiam demonstraturum fuisse, si id quod accepturum erat, cognitionem eam,* QVÆ NVNC PERCIPI NON POTEST *(percipietur autem quantum fas erit, in futuro æuo) accipere potuisset.*

Nunc autem manent fides, spes, charitas. Tria hæc: maior autem horum est charitas.

TRes has virtutes ita inter se confert, & ceteris præfert charitatem S. Ioannes Climacos grad. 30. *Post omnia nunc explicata, manent hæc tria, fides, spes, charitas: quibus omnia arctissimo vinculi nodo constringuntur, & continentur. Maior autem omnium horum est charitas, quippè quæ Deus nominatur. Enimuero ego primam harum vt solis radium, alteram vt lumen, tertiam vt plenum orbem* 691.

or[illegible] ſeu circulum contemplor. Ex quibus omnibus vnus ſplendor, & charitas refulget. Etenim fides omnia facere, & moliri poteſt, ſpem Dei miſericordia vallat, & munit, nec confundi permittit. Charitas verò neque cadit, neque conſiſtit vnquam à curſu; neque charitate vulneratum à beata inſania vnquam quieſcere ſinit. Qui de charitate Deo loqui inſtituit, de ipſo Deo agere aggreditur.

Maior autem horum eſt charitas. Sanctus Paſchaſius Ratbertus lib. 1. in Euang. Matth. expendens hæc verba ſubdit: ET CVR MAIOR? *niſi quia cum finitum fuerit, quod ex parte eſt, ſola charitate fruituri, quod perfectum eſt, contemplabimur, illam ſapientiam, quæ Deus eſt; atque ita cum illa, & per illam beatè viuentes, ipſi etiam beati erimus? Propter quam nimirum ſeruit omnis religioſus, & deſudat fortiter in agone, huius deſiderans nimiam pulchritudinem ſi quandoque mereatur attingere illud viſum principium, & in eo feliciter delectari.*

692. *Fides ſpes, charitas.* Præclarè has tres virtutes extulit Sanctus Bernardinus Senenſis de Euangel. æter. ſerm. procem. art. 1. cap. 3. *Fides, ſpes, charitas: tria, hæc: maior horum eſt charitas. Hæ ſiquidem ſunt* SICVT ALÆ SPIRITVALES, *Diuina bonitatis artificio ordinata, & quibus dignationis ſuæ beneplacitum fiunt, appoſita atque inſita ad volandum non ſolum in ſublime beatitudinis, & gloriæ ſuæ, verùm etiam ad viuendum ita ſublimiter ac nobiliter, vt ad hanc vitam honeſtatis naturalis ambulatio: hic verò volatus ad illam meritò nominetur & comparetur. Vita enim, quæ nihil habet perfectionis aut decoris, niſi à parte virtutum conſuetudinalium,* NEC VOLATVS EST, *nec ambulatio recta; ſed quædam nugatoria mixta ex aliqua parte ambulationis & alterius motus, lignipedibus eius, aut aliis huiuſmodi ſuſtentaculis non ſolum non volatur, ſed nec rectè etiam ambulatur.*

CAPVT XIV.

EPISTOLÆ PRIMÆ ad Corinthios expenditur & illuſtratur.

SECTIO I.

693 *Cur ſemper poſt charitatem currendum nobis ſit.*
Æmulationi charitas ſubſternenda.
694 *Prophetiæ donum non niſi propter vſum expetendum.*
Non eſt cuiuſlibet alios ſermone ædificare.
695 *Proprius loquutionis vſus qualis.*
Cordis affectus, ſermonis veluti anima.
Verbis etiam non intellectis orare, & laudare Deum poſſumus.
696 *Omnibus linguarum donum cur optauerit Paulus.*
Præcipuè ſpectandum, quod Eccleſiæ vtile.
697 *Affectus orationem ipſam animet.*
Spiritus Sanctus operationes noſtras dirigat.

Sectamini charitatem.

PRÆCIPVVM ſtudium virtus exigit, quæ inter cæteras præcipua eſt; Græcè eſt *διώκετε Perſequimini*, ſicut & Primaſius legit, Syrus, *currite poſt charitatem*, torpor hîc omnis excutiendus, excutienda omnis ſegnities. Opponat hîc aliquis, demus ſectandam charitatem, & poſt eam currendum, antequam charitatem apprehenderit, quid cum apprehenſa ſit? Nunquam eò quis debet euadere, vt ſe putet charitatem apprehendiſſe; CVRRENDVM IGITVR SEMPER POST ILLAM EST, quia nulli conſtat an verè apprehenderit; & licet conſtaret, ſemper ex ea aliquid remanet quod acquiratur in amoris curſu, qui deficit, indignus amoris poſſeſſione eſt, charitatem igitur ſectare, nam ſemper tibi aliquid deerit, quod acquires. 693.

Æmulamini ſpiritualia.

TVta æmulatio eſt, cui charitas ſubſternitur; iure igitur ad ſpiritualium chariſmatum æmulationem Corinthios vocaturus Apoſtolus, ſectandam charitatem præmiſit, ac ſi diceret, inquit hîc Eſtius, *id volo vos facere cum iudicio, &* CHARITATE, *non excellendi ſtudio, ſed ædificandi;* alioquin licet in bonis æmulatio ſit, non erit ipſa bona.

Magis autem vt prophetetis.

CVr dixit, *vt prophetetis*, non verò vt *donum prophetiæ habeatis?* An vt doceret hæc chariſmata non eſſe expetenda niſi propter vſum, aliorumque vtilitatem? *Vtitur verbo*, verba ſunt Eſtij in hunc locum, *actum ſignificante, vt innuat* DONA NON EXPETENDA NISI PROPTER VSVM. 694.

Donum porrò prophetiæ, quod hîc commendat Apoſtolus, non in nuda futurorum notitia, ac prædictione eſt ſitum, ſed conſiſtit etiam in doctrina, & in exhortatione, inde & ſubdit Apoſtolus; *nam qui prophetat hominibus loquitur ad ædificationem, & exhortationem, & conſolationem*, vt vel hinc colligatur NON ESSE CVIVSLIBET ALIOS SERMONE ÆDIFICARE, SERMONE alios ad bonum inhortari, alios corrigere, ſed Spiritus Sancti opem huic muneri neceſſariam, ſicut & prophetandi muneri exercendo.

Qui enim loquitur lingua, non hominibus loquitur, ſed Deo.

SEnſus eſt, qui lingua peregrina vtitur tantùm, Deo loquitur non hominibus, ita nimirum, vt intelligatur, qui proprius locutionis vſus eſt; ſic Deo tantùm loquitur, *qui non ſolum* 695.

INTELLI

INTELLIGIT VERBA LOQVENTIS, inquit hîc Estius, *sed etiam* INSPICIT AFFECTVM CORDIS, qui sermonis ipsius anima, & vita est.

Qui loquitur lingua semetipsum adificat.

696. HÆc sententia hunc habet sensum; qui loquitur lingua peregrina se ipsum ædificat, sibi ipsi proficit, vni sibi prodest, non quia intelligat ea quæ loquitur, nam sic posset interpretari, *sed quia per Spiritum Sanctum, à quo mouetur ad loquendum etiam affectus eius excitatur ad laudem*, vt notabat Estius hîc ex quo infert; *Non igitur inutile est aut orare*; aut LAVDARE DEVM VERBIS NON INTELLECTIS; & ferè videmus idiotas maiori affectu sacra verba recitare, quàm docti faciant, & ea quæ efferunt intelligentes.

Volo autem omnes vos loqui linguis.

NEque enim Apostolus quamuis in se erat aliquod donum alicui inuidebat, sed quatenus expediebat omnibus optabat omnia; omnes loqui linguis cupiebat, vt est donum Spiritus Sancti, neque enim super alios efferri DONI SINGVLARITATE OPTABAT; nisi quòd omnes omnibus linguis loqui, omnes prophetare non expediebat, & confusionem inter mystica Christi membra istuc pepetisset; vnde alibi dixit: *Nunquid omnes propheta, nunquid omnes linguis loquuntur?*

Nam maior est qui prophetat, quàm qui loquitur linguis.

LIcet in pluribus prophetiæ donum dono linguarum præstet, hîc tamen præcipuè maiorem vocat eum qui prophetat, *quia maiorem* ECCLESIÆ PRÆSTAT VTILITATEM; vt notabat Estius, eum prophetia ad ædificationem, ad exhortationem, ad consolationem, vt superiùs innuebat, ordinetur; nimirum vera magnitudo non a populi tantùm laude sumenda, sed ab ea, quæ in aliis producitur, vtilitate.

Orabo spiritu, orabo & mente.

697. SEnsus horum verborum est; operam dabo, vt non solùm spiritu, idest cum deuotionis affectu Deum orem, verùm vt etiam orationis verba intellectu percipiam, quò maiorem ex oratione fructum colligam; Præmittit, quod præcipuum, *orabo spiritu*, sola enim mente orare parum prodest, nisi AFFECTVS ORATIONEM IPSAM ANIMET.

Orabo spiritu, orabo & mente. Vt spiritus præcedat mentem. Sanctus Ambrosius hunc verborum ordinem expendens epist. 23. hæc habet: *Quis post Christum doceret, nisi Spiritus eius, quem ipse misit*, VT DOCERET, ET DIRIGERET NOSTRAS ORATIONES? *Oramus enim spiritu, oramus & mente. Vt benè mens possit orare, præcedit spiritus; & deducit eam in viam rectam, ne obrepant carnalia, ne minora, ne etiam maiora viribus; vnicuique enim datur manifestatio spiritus ad vtilitatem.* Sed primus sensus litteræ cohærentior est.

SECTIO II.

698 *Homines ferè deprimunt, quod non habent.*
Elegantia ac nitore sermonis cur minimè vsi Apostoli.
Cum sermonis breuitate tradenda populo salutis doctrina.
699 *Perstricti, qui terrena & peritura quærunt.*
Puerilem mentem circumferunt, qui mortem timent.
700 *Qui mortibus referre paruulos quis possit.*
701 *Nullus adeò perfectus doctor, cui non sit opus alios audire.*
Vbi dissensio ac contentio, ibi confusio & rerum quædam subuersio est.
702 *Silere cur in Ecclesia mulieres debeant.*
703 *Virginis sermo parcior.*
704 *Mulierum verecundia fouenda.*
Tales sint viri, vt suarum vxorum magistri esse queant.
705 *Nimia loquacitas, & inanis loquentia vt damnata.*

Gratias ago Deo meo, quòd omnium vestrum lingua loquor.

CVM linguarum donum non nihil depressisset, hoc consultò subdidit, se linguarum donatum dono, ne hominum more, QVI DEPRIMVNT QVOD NON HABENT, videretur deminisse charisma quo carebat; poterat omnium linguis loqui, vt non ab inuidia fuerit, quod donum istuc minimè extulerit. 698.

Omnium callebat linguas Apostolus, & cum eo etiam cæteri, quo dono vtebantur ad libitum; notant aliqui hoc donum non effecisse, vt omnia purè, & propriè eloquerentur; *alioquin*, inquit Estius hîc, *vsi fuissent* ELEGANTIA AC NITORE SERMONIS *attraxisse homines ad fidem Christi, magis, quàm virtute Dei.*

Sed in Ecclesia volo quinque verba sensu meo loqui.

VOlo pro *malo* posuit, aut *potius* subintelligitur; quod in diuinis litteris non est insolens; *verba*, Græcè λόγυς, vt verti potuerit, *sermones, sententias.* Quinque autem dixit pro paucis, quo loquendi modo innuit Apostolus quod notabat Liranus, CVM BREVITATE SERMONIS TRADENDAM ESSE POPVLO DOCTRINAM SALVTIS, ne laciniosis excursibus nimis delassetur, & tædio affectus auditor, doctrinæ vim, vtilitatemque retundat.

Fratres

Fratres nolite pueri effici sensibus, sed malitiâ paruuli estote.

699. INcrepat, & monet, ne puerili sensu ducerentur; sed in quo mentem puerilem ostendebant? *consectantes*, ait Estius, MINORA BONA *posthabitis melioribus, & linguas præ dono prophetiæ.* Quàm iustius hoc in illos iaciatur, qui neglectis rebus spiritualibus, ac diuinis, sola terrena, & peritura quærunt?

Nolite pueri effici sensibus. Puerilem illi quoque mentem circumferunt, qui mortis timore consternantur, nec peccatum timent, quod omnibus horribilius est; Sanctus Chrysostomus hom. 5. ad populum, ita scribit: *Fratres, ne pueri efficiamini sensibus, sed malitiâ infantes sitis. Etenim* PVERILEM TIMEMVS PAVOREM, MORTEM TIMENTES, *pueri enim parui laruas quidem timent, ignem verò non timent: sed si ad lucernam lumen habentem portari contingat, inconsideratè manum immittunt lucernæ, & flammæ: & contemnentiam quidem laruam horrescunt, at verè timendum ignem non timent: sic quidem & nos timemus mortem, quæ est larua contemptu digna: peccatum verò non timemus, quod est verè timendum, & ignis more conscientiam comedit.*

700. *Sed malitiâ paruuli estote.* Qui motibus referre quis paruulos possit, periré docet Sanctus Leo serm. 7. in solemnit. Epiph. *In puerilem gradum qua nobis imitatione redeundum sit, doceat nos Beatus Paulus, & dicat: Nolite pueri effici sensibus; sed malitia paruuli estote.* NON ERGO AD LVBRICA INFANTIÆ ET IMPERFECTA NOBIS PRIMORDIA REDEVNDVM EST: *sed aliquid, quod etiam graues annos deceat, inde sumendum est: velox ad commotionem transitus, citus ad pacem recursus: nulla sit memoria offensionis, nulla cupiditas dignitatis: amor socia dilectionis, æqualitas naturalis. Magnum enim bonum est nocere non nosse, & ad maligna non sapere; quia inferre ac referre iniuriam, Mundi huius prudentia est: nemini autem malum pro malo reddere, Christiana est æquanimitatis infantia.*

Vt omnes discant, & omnes exhortentur.

701. ITane omnes discere debent, omnes exhortationem accipere? omnes, etiam qui alioquin aliorum Doctores sunt, aliisque monita exhibent: *Ostendit hic locus*, ait Estius, *nullum esse* DOCTOREM *in Ecclesia tam perfectum*, CVI NON SIT OPVS ALIOS AVDIRE, *quorum vel doctrinâ proficiat, vel monitis ad officium stimuletur*; ineptus Doctor est, qui Doctoris tantùm titulum vult efferre, non discentis.

Non enim est dissensionis Deus, sed pacis.

DIssensionis; Græcè est ἀκαταστασίας, quæ vox propriè confusionem sonat, ac turbatum rerum ordinem, vt in tumultu, ac seditione. Tertullianus legit, *euersionis*; cohærent hæ notiones, nam vbi DISSENSSIO, CONTENTIO, CONFVSIO, IBI RERVM EVERSIO QVÆDAM EST.

Mulieres in Ecclesiis taceant; non enim permittitur eis loqui, sed subditas esse.

TAcere in Ecclesia mulieres debent, vere- 702.
cundo silentio plus doctrinæ exhibituræ, quàm sermone. Sanctus Paulinus epist. 4. ad Seuerum, DOCERE, inquit, *in Ecclesia prohibentur, ne exaltato spiritu decreta sapientiæ audeant tueri, & scientia inflatæ dissiliant. Profectò enim valet ad confusionem malorum, si videant mulierem sensus suos, ignorantiæ specie, per silentium tegere; disciplinam intellectus sui verecundo habitu confiteri; vt non audeat serpens tentandam rursus aggredi, desperatione capienda. Non frustra autem hoc eo potissimùm tempore fieri debere Apostolus docet, cùm aut oret mulier, aut prophetet; tunc enim venit in spiritus conceptionem: & ideo tunc magis excitat* TENTATORIS INVIDIAM, *quum, in virum perfectum aspirans, exit terminos infirmitatis suæ.*

Quod de mulieribus vniuersè hîc dicitur, ad 703.
virgines coërcet in hunc modum Sanctus Ambrosius lib. 3. de Virgin. *Deesse* SERMONEM VIRGINI, *quàm superesse malo: nam, si mulieres etiam de rebus Diuinis in Ecclesia iubentur tacere, domi viros suos interrogare; de virginibus, quid cautum putamus, in quibus pudor ornat ætatem, taciturnitas commendat pudorem?* Et multis interiectis istuc idem ad viduas quoque transfert: *Si enim mulieres in Ecclesia taceant; quantò magis non decet patere virginis ianuam*, NON DECET VIDVÆ PATERE FORES? *Citò insidiator pudoris obrepit, citò verbum excidit, quod reuocare desideret. Si Euæ clausa fuisset ianua, nec Adam deceptus fuisset, nec respondisset interrogata serpenti. Introiuit mors per fenestram, hoc est per Euæ ostium.*

Si quid autem volunt discere, domi viros suos interrogent.

DOmi viros suos interrogent. Vt scilicet earum 704.
verecundiæ consulatur; quod tetigit quoque Sanctus Thomas hîc: *Domi viros suos interrogent.* IN MVLIERIBVS ENIM COMMENDATVR VERECVNDIA: *si ergo in publico quærerent & disputarent, signum esset inuerecundiæ.*

Domi viros suos interrogent. Docere prohibentur mulieres, non discere. Doceri debent, idque à viris suis, vt magistri munus possit exercere, qui est maritus. *Notandum*, inquit Primasius hîc, *quòd & viri tam docti debeant esse, vt* VXORES SVAS DOCERE DEBEANT, *& de fidei veritate instruere.*

Et loqui linguis nolite prohibere.

NOn dixit, *æmulamini loqui linguis*, sicut dixe- 705.
rat, *æmulamini prophetare*, vt linguarum donum postponeret prophetiæ; opportunè autem admonet, non esse prohibendum linguis loqui; *Ne propter ea, quæ ad depressionem linguarum dixerat*, inquit Estius, *existimet aliquis illud donum abijciendum.* Depressit linguarum donum Apostolus, quod à Spiritu Sancto est, quis ferat aliquem nimis efferre donum, aut nimiùm dono efferri, (si tamen hunc titulum meretur) quo humanæ ELOQVENTIÆ INANITATE intumescit, & quadam noxiæ LOQVACITATIS volubilitate gaudet?

CAPVT XV.

EPISTOLÆ PRIMÆ ad Corinthios expenditur & illustratur.

SECTIO I.

Christus mortuus est pro peccatis nostris secundùm scripturas, & quia sepultus est, & quia resurrexit tertia die secundùm scripturas.

706. SECVNDVM *scripturas*: Scilicet propheticas, & alias veteris Testamenti, vt nimis coërceant, qui de scripturis noui Testamenti hæc verba interpretantur. Mortuum fuisse Christum dicit, & sepultum; sed cur meminit sepulturæ? *Vt doceat*, inquit Estius, *etiam* SEPVLTOS RESVRRECTVROS, *vel ideo potius, vt declaret* VERITATEM MORTIS CHRISTI, *& ex ea veritatem resurrectionis; non enim sepelitur, nisi qui verè mortuus est.*

Deinde visus est plusquam quingentis fratribus simul.

CVr virorum tantum meminit, non mulierum? Sanctus Thomas hîc: *Apostolus vult ex ratione confutare infideles; & ideo noluit ponere testimonia nisi authentica, & ideo* TACVIT APPARITIONES MVLIERIBVS FACTAS. Vt vel hinc discas mulierum visiones non facilè producere, & in testimonium citare, illarum præsertim sanctitati probandæ.

Deinde visus est Iacobo, deinde Apostolis omnibus.

VIsus est Iacobo. Cùm resurrectionis Christi testes producat Apostolus, cur non & mulierum meminit, quibus Christus apparuit? Guilliadus, *Non meminit*, inquir, *hîc Paulus mulierum, quibus apparuit Christus; quòd harum* TESTIMONIVM SIT FRIGIDVM, *& ad testimonium non satis aptum.* Estius quoque: *Non meminit*, inquir, *apparitionum, quæ factæ sunt mulieribus, eo quòd muliebre testimonium in re tam ardua* PARVM PONDERIS ESSET HABITVRVM *apud contradicentes, & ad credendum tardiores.* Addit statim aliam rationem: *Fortè etiam idcirco ne facere videretur contra suum ipsius præceptum paulo ante datum de silentio mulierum in Ecclesia, si earum testimonia velut authentica referret in scriptum publicè in Ecclesia legendum.* 707.

Nouißimè autem omnium tanquam abortiuo visus est & mihi.

ABortiuum tanquam cæteris Apostolis imperfectiorem, nec cum illis conferendum se vocat; hac eadem mente tanquam quodam diademate posse quemlibet se exornare indicat Sanctus Isidorus Pelusiota lib. 3. epist. 198. vbi cuiusdam humilem mentem efferens, ait; *Ego verò humilitatem tuam admiratus, quódque maxima Pauli prærogatiua, non secus* AC DIADEMATE QVODAM *caput tuum cinxisti (nam & ille abortiuum se esse asserebat, cum tamen ipse abortiuos fœtus, qui diuinas notas minimè seruauerant, refingeret, ac denuò parturiret) ad quæstionis explicationem breuiter me conferam.* 708.

Visus est & mihi. Testem se quoque Dominicæ Resurrectionis Paulus producit. Sed cur statim peccata sua prodit, & se Ecclesiam Dei fatetur persequutum? An, vt fides ei maior adhibeatur? quod etiam tetigit Guilliadus hîc.

Ego enim sum minimus Apostolorum, qui non sum dignus vocari Apostolus.

E*Go enim sum minimus Apostolorum.* Mirum, cur hîc adeo se demittat Apostolus; cum potiùs efferre se deberet, vt fide se dignum, dignum cui crederetur ostenderet. An humilitas, & modestia maiorem meretur fidem? Meretur. *Quid sibi volunt*, inquit Sanctus Chrysost. ad hæc verba, *hæc verba humilitatis? aut quamnam habent occasionem? Nam, si vult se esse fide dignum, & referri in numerum testium Resurrectionis, contrarium facit eius, quod volebat: oporteret enim se extollere, & ostendere esse magnum. Quod sæpe facit, quum tempus postulat.* 709.

Propterea

Propterea enim hic quoque MODESTE *loquitur quoniam hoc erat facturus.* Et paucis interiectis addit: *Hæc omnia dicebat, vt lubentius exciperetur efficiens. Nam, ſi, cùm acceſſiſſet, dixiſſet: Debetis mihi credere, quòd Christus reſurrexerit: vidi enim ipſum, & ſum omnium fide digniſſimus, vt qui plus laborauerim. Etiam offendiſſet eos, qui audiebant id, quod dicebatur. Nunc autem, cùm in rebus humilibus, & abiectis primum eſſet verſatus, & in qua cadebat reprehenſio; & einſmodi narrationis amputauit aſperitatem,* ET VIAM MVNIIT AD FACIENDAM FIDEM TESTIMONII. *Propterea neque ſolùm (vt dixi) ſe pronunciat eſſe vltimum, & indignum, qui appelletur Apoſtolus: ſed affert cauſam dicens. Quoniam perſequutus ſum Eccleſiam. Atqui omnia illa fuerant remiſſa: ſed tamen ipſe nunquam eſt eorum oblitus, volens oſtendere gratiæ magnitudinem.*

710. *Et non ſum dignus vocari Apoſtolus.* Præteritæ vitæ conſideratio hæc à Pauli mente exſculpſit verba, decet vt ſe demittat, qui commiſit quæ non decebant. Sanctus Auguſtinus ſerm. 93. de diuerſis, hæc Apoſtoli verba ita tractabat: *Non ſum dignus dici Apoſtolus: quia perſequutus ſum Eccleſiam Dei.* NON SVM DIGNVS, DIGNVS DICIT, *quare non es dignus? pœnas pati, intrare in gehennas, pro meis meritis cruciari, hoc eram dignus. Apoſtolus, non eram dignus, vnde hoc tibi quòd non eras dignus? Secutus eſt: ſed gratia Dei ſum id quod ſum, malo meo fui, quod fui: dono Dei ſum, quod ſum.*

Hinc Pauli exemplum, hæc meus ita humilitatis ſpiritum ingenerare in nobis debet, vt etiam fiduciam excitet, & erigat, qui ceciderunt. Præiuit S. Bernardus qui ſerm. 3. in die Apoſt. Petri & Pauli ita ſcribit: *Hoc ergo apud beatum Paulum fiducia & conſolationis accipite fratres, vt ad Dominum iam conuerſos non nimis cruciet præteritorum conſcientia delictorum: ſed tantùm humiliet vos ſicut & ipſum. Ego ſum, inquit, minimus Apoſtolorum: qui nō ſum dignus vocari Apoſtolus, quia perſequutus ſum Eccleſiam Dei.* ITA ET NOS HVMILIEMVR SVB POTENTI MANV DEI: ET FIDVCIAM HABEAMVS, *quia & nos miſericordiam conſequuti ſumus, abluti ſumus, ſanctificati ſumus.*

711. Apoſtolorum maximus, Apoſtolorum ſe minimum dixit, aliorum innocentiam reſpiciens, non ſuos labores attendens, ſed in ſua præterita crimina oculos flectens. Richardus Victorinus part. 2. in Canticum canticorum. cap. 3. *Paulus quòd plus omnibus Apoſtolis in prædicando laboraſſet non attendit,* SED ALIORVM INNOCENTIAM RESPICIT, *& quia ipſe Eccleſiam Dei perſequutus fuerat, ipſe minimum ſe Apoſtolorum dicit:* Hac ratione ſi noſtra mala reſpiciamus, bonorum noſtrorum obliti, & aliena bona, aliorum peccatis omiſſis, non erit quòd alicui nos præferamus, nóſque efferamus ſuper alios. Alioquin *primum in meritis* Paulum vocat S. Hieron. epiſt. 13. quæ eſt ad Paulinum, vbi ait: *Paulus Apoſtolus, & vas electionis, de perſequutore mutatus, nouiſſimus in ordine,* PRIMVS IN MERITIS *eſt, quia, extremus licet, plus omnibus laborauit.*

712. Tam de ſe humiliter ſentit Paulus, vt in vltimum ſe locum reiiciat, idque poſt tot egregia facinora; quod non adeo mirum ſi ante illa hæc dixiſſet. Perpensè in Pauli laudem ſummus Pauli cultor Chryſoſtomus: *Ego ſum Ieſus, qui reſurrexit, Ego ſum Ieſus, qui ſedes a dextris ei: ſed ego ſum Ieſus, quem tu perſequeris; vt perſtringeret eius mentem, vt compungeret eius animam. Audi ergo Paulum poſt multa tempora, plurimáque bona opera hoc lamentantem: Ego enim ſum, ait, minimus Apoſtolorum, qui non ſum dignus vt vocer Apoſtolus, eo quòd perſequutus ſum Eccleſiam Dei. Igitur qui poſt* MVLTA BONA OPERA, ET TANTA OPERA *hoc lugebat, quid veriſimile eſt ipſum per id temporis paſſum, quo nullum bonum opus habebat, & conſcius perſecutionis, vocem illam audiebat.* Sic ille ſerm. 13. de diuerſis noui Teſtamenti locis.

Licèt ſe adeò demiſerit Apoſtolus, vt Apoſtoli ſe nomine indignum dixerit & putauerit; nihil tamen ab eius gloria abraſum eſt, nec apud homines opinionem ſuam imminuit, immò creuit potiùs; quod illis etiam accidit, qui, vt humiliter de ſe ſentiunt, ſic etiam humiliter loquuntur. Peritè S. Gregor. Nyſſ. in Encom. Sancti Ephræm Syri: *Quemadmodum Paulus Prædicator gratiæ, auſpex Eccleſiæ, os Chriſti, licèt de ſe ipſe dixerit: Non ſum dignus vocari Apoſtolus,* NON TAMEN IDEO EFFECIT; CVR MINVS APOSTOLVS VOCARETVR: IMMO, QVANTO IPSE SVBMISSIVS DE SE SENTIT, TANTO MAIOREM CONSEQVVTVS EST GLORIAM: *ſicque magnus noſter hic Pater, quoniam prudenter ac cautè ſe ipſum laudibus indignum cenſuit, ideo deinceps laudibus celebrari promeretur.* 713.

Ego enim ſum minimus Apoſtolorum. Te, magne, demitte: nobis es maior, quò te facis minorem. Addo: vtilior nobis es, quò tu tibi vilior. *Audi Ergo Paulum,* ait Sanctus Auguſtinus ſerm. 24. ex 40. nuper editis: *Ego ſum, inquit, minimus Apoſtolorum. Pro ſus ego ſum minimus Apoſtolorum. Et alio loco: Ego ſum nouiſſimus Apoſtolorum, & minimus. & nouiſſimus tanquam fimbria de veſtimento Domini. Quid tam exiguum, quid tam nouiſſimum, quam fimbria? Hàc tamen tacta mulier à fluxu ſanguinis ſanata eſt. In modico iſto erat magnus, in minime grandis habitabat, & tantò minus a ſe magnum excludebat, quantò magis minor erat.* 714.

Ego enim ſum minimus Apoſtolorum. Has voces ſpectata in aliis Apoſtolis innocentia elicere ab Apoſtolo potuit; tanti refert ea bona cogitare, quæ ſplendent in aliis, & quibus alij lucent. Opportune Sanctus Gregor. hom. 11. in Ezech. *Videamus Paulum, quomodo Apoſtolorum exemplis tactus, atque ad pœnitentiam excitatus fuerat, qui mala præterita perſecutionis ſuæ, ad Apoſtolorum innocentem vitam, conſiderans, dicebat: Ego enim ſum minimus Apoſtolorum, qui non ſum dignus vocari Apoſtolus; quia perſequutus ſum Eccleſiam Dei.* CONSIDERAVIT QVIPPE APOSTOLORVM INNOCENTIAM, *& propter præcedentem malitiam vilis in eius oculis facta eſt omnis, quam exhibebat in Eccleſia, ſolicitudo ſua. Et quam multos ex accepto intellectu præcederet non attendit; quia, illorum innocentiam penſans, perſequutorem aliquando fuiſſe ſe doluit.*

Quoniam perſequutus ſum Eccleſiam Dei.

NImirum non nudis ſe verbis demiſit (quod etiam hypocritæ falſo humilitatis velamine plerunque faciunt) ſed rationem reddidit, VT ALIIS PERSVADERET, quod de ſe dicebat, quod veræ humilitatis genus, verus character, nec notha nota eſt. 715.

NOSTRORVM PVTATVR QVAOAM MACIE AVT EXILITATE TENVARI: *gratunc non ſuis mentibus aſtimatur fluere, quatiò de eius curſibus aviditas noſtra vena nil recipit.*

In me vacua non fuit. Hæc verba de Apoſtolatus monere plerique accipiunt in hunc ſenſum; Gratia Apoſtolici muneris ad quod me vocauit, non fuit inanis, rantum beneficium non ſum paſſus apud me otioſum reſidere, ac inutile. *Vacua non fuit:* feſtiue Albertus Magnus atuodinis ſimilitudine rem explicabat in hunc modum. ARVNDO *videtur exterius ſolida, ſed intùs eſt vacua; ſicut ſunt quidam homines, qui habent arundineas gratias: vipote corporis pulchritudinem, membrorum ſanam fortitudinem, linguæ facundiam, & huius ſæculi ſapientiam, & cætera huiuſmodi quibus rarò merentur, ſæpius demerentur* 1. ad Cor. 15 *Gratia Dei ſum id quod ſum, & gratia eius in me vacua non fuit; quaſi dicat: Non habui* GRATIAM ARVNOINEAM. ſic ille ſerm. in Dom. 3. Aduentus.

Sed abundantius illis omnibus laboraui. Non ego autem, ſed gratia Dei mecum.

718. LAbores ſuos extulit, non merita: nec enim ſempet merita ſecundùm laborem æſtimantur. Plerunque aliqui plus laborant, & minus merentur. Quòd plus ſe laboraſſe dicit, non arrogantis eſt; ſed Dei gratiam extollentis, & ſuo teſtimonio authoritatem conciliantis. Sed cur plus laborauit? Quoniam plus ei dimiſſum fuiſſe cogitabat.

Abundantius illis omnibus laboraui. Laboris meminit, non fructûs. Peritè rem verſat S. Bernard. in Allegor. Tilm. ad hunc locum: NON AIT, PLVS OMNIBVS PROFECI, AVT FRVCTIFICAVI; VERBVM INSOLENS RELIGIOSISSIME VITANS: *nouerat enim homo quem docuit Deus, quòd vnuſquiſque ſecundùm ſuum laborem accipiet, non ſecundùm prouentum; & ob hoc in laboribus potius, quàm in profectibus gaudendum putauit, ſicut alibi dicit: in laboribus plurimis. Denique & alibi legis. Curam illius habe. Curam igitur exigeris, non curationem.*

A Dei gratia fuit, quòd plus omnibus in Dei gloriam Apoſtolus laborauerit. Sed cur gratiæ ſuæ vim, ac virtutem in Paulo oſtendere præcipuè Deus voluit? quia in hoc Apoſtolo, qui fuerat Eccleſiæ perſequutor, diſtinctius ac clarius apparere poterat id quod Dei, & diuinæ gratiæ erat. Hioc illud Sancti Auguſtini enarrat. in Pſalm. 130. *Paulus*, inquit, *Apoſtolus ex perſequutore factus Prædicator, abundantiorem gratiam conſequutus eſt in omni labore Apoſtolico, quàm cæteri Apoſtoli;* VT MAGIS DEVS OSTENDERET SVVM ESSE, QVOD DAT, NON HOMINIS; *quomodo ſolent Medici potentiam ſuæ artis in deſperatis oſtendere.*

Abundantius illis omnibus laboraui. Vide, Paule, ne tibi pluſquam par ſit tribuas, te in laboribus cæteris dum præfers: *Obſerua*, inquit Sanctus Auguſtinus hom. 17. ex 50. *erigere te cœpiſti; Vbi es, Paule? certè modicus eras. Plus omnibus illis laboraui Dic inde. Quid enim habes quod non accepiſti? Statim reſpexit. Et cum dixiſſet. Plus omnibus illis laboraui, quaſi exponit ad verba ſua: & mox ſubiecit ſe humilem Paulum. Non autem ego, ſed gratia Dei mecum.*

Abundantius illis omnibus laboraui. Labores ſuos commendaturus Apoſtolus ſe priùs deiecit, & in poſtremo ſe loco poſuit, minimum Apoſtolorum ſe dixit, Eccleſiæ perſequutorem ſe vocauit. indignitatem ſuam profeſſus, rantæ humilitati laborum ſuorum narrationem potuit adiungere; & laudis ædificium, iactantiæ caſum pertimeſcere non debet, cui tam eximia humilitas velut quoddam fundamentum ſubſternitur. Denique dicens ſe plus omnibus laboraſſe, non ſua merita efferre voluit, ſed Dei dona.

Plus ſe laboraſſe aſſerit Paulus, quàm ſinguli Apoſtolorum laborauerint; non arroganter hoc 719.
dicit, ſed ad ſtabiliendam ſui teſtimonij authoritatem vtiliter ac neceſſariò. Librum Actuum Apoſtolorum volve, & magnam illius libri partem in Pauli laboribus explicandis conſumptam deprehendes; aliqui hoc ad abundantiorem eius laborem referunt, quòd plures ſcripſit Epiſtolas, quàm omnes cæteri; ſed cohærentius hoc referatur ad labores, ac moleſtias, quas Euangelij causâ tulit, nullus quippè tot loca percurrit, tot aduerſitates ſuſtinuit, ſicut Paulus; vt laborum appendix multarum Epiſtolarum ſcriptio fuerit, præſertim cùm ſciret ſe illarum cauſa multa paſſurum, multóſque habiturum contradictores. Sanctus Auguſtinus lib. 14. de Ciuit. c. 9. laborem de quo hîc Apoſtolus loquitur, ab Epiſtolarum ſcriptione diſcriminat; *Qui & plus omnibus ſuis coapoſtolis laborauit, &* PLVRIBVS EPISTOLIS *populos Dei, non eos tantum qui præſentes ab illo videbantur, verùm etiam illos qui futuri præuidebantur,* INSTRVXIT.

Abundantius illis omnibus laboraui. Sed in quo ſe plus aliis laboraſſe aſſerit Paulus? In munere Apoſtolico obeundo; nam alienum fuiſſet, ſi relicto quod erat illi præcipuè demandatum, alteri rei laborem ſuum addixiſſet. Vt digni reprehenſione illi ſint, qui ea negligunt, quæ officij ſui ſunt, ET CIRCA EA LABORANT, QVÆ EXTRA MVNERIS PROPRII LIMITES FERVNTVR.

Non ego autem, ſed gratia Dei mecum. Et non 720.
hoc ex illis verbis quæ priùs dixerat, *Gratia Dei ſum id quod ſum*, apertè colligebatur? cur igitur diuinæ gratiæ etiam meminit, cum de ſuis laboribus loqueretur? An vt innueret diuina gratia nos indigere non ſolùm vt ſimus iuſti, ſed etiam vt quæ ſunt iuſta præſtemus? S. Gregorius cenſuit hæc verba Paulum addidiſſe, ne ſibi labores ſuos adſcribere videretur; ſic ille ſcribit: *Paulus cum diceret, abundantius illis omnibus laboraui,* NE LABORES SVOS SIBI TRIBVISSE VIDERETVR, *illicò adiunxit: Non autem ego, ſed gratia Dei mecum. Quia enim præuenientem Dei gratiam, etiam ipſe per liberum arbitrium fuerat ſubſecutus, aptè ſubiungit, mecum, vt & diuino muneri non eſſet ingratus, & tamen à merito liberi arbitrij non remaneret extraneus.* Hactenus ille lib. 24. Moral. cap. 6.

Cum mecum potius dixerit, quàm *per me*, expendebat hiſce verbis Sanctus Bernardus tract. de Gratia, & libero arbitrio: *Paulus cum bona plurima, quæ Deus per ipſum fecerat, enarraſſet: Non autem ego, ait, ſed gratia Dei mecum.* POTVIT DICERE, PER ME, SED QVIA MINVS ERAT, MALVIT DICERE, MECVM: *præſumens ſe non ſolum operis eſſe miniſtrum per effectum, ſed & operantis, quodammodo ſocium per conſenſum.*

Si in hac vita tantùm in Christo sperantes sumus, miserabiliores sumus omnibus hominibus.

SEnsus est: si spes nostra, quam in Christo habemus, vltra vitæ huius limites non porrigitur, id est, si ab eo non expectamus futuri seculi bona, sed præsentis tantùm, omnium hominum sumus infelicissimi ac miserrimi, quia nimium & dura, asperaque hîc sustinemus, vitæ huius voluptatibus nos priuamus, & futura mercede careremus, hac spe sublatâ. Signatè *miserabiliores* dicit, non *peiores*, quia etiamsi futura non essemus felicitate donandi, adhuc tamen à recta rationis regula deflectendum non esset: Appositè Estius hic: *Nota*, inquit, *Apostolum non dicere, peiores sumus omnibus hominibus, sed miserabiliores: nam sublatâ spe felicitatis futuræ post hanc vitam, vana quidem esset fides, ac Religio Christiana:* NON TAMEN CESSARET NECESSITAS VIVENDI SECVNDVM RECTAM RATIONEM, *quomodo viuunt boni Christiani. Vnde præclarè scribit Augustinus lib. 21. de ciuit. Dei cap. 14. Si, quod absit, illius tanti boni spes nulla esset: magis deberemus in huius conflictationis molestia remanere, quàm vitiis in nos dominationem non eis resistendo, permittere.* Sic ille.

Nunc autem Christus resurrexit à mortuis, primitiæ dormientium.

721. PRimitiæ dormientium dici Christus non posset, si nos post ipsum non resurgeremus. Scitè Sanctus Gregorius: PRIMITIÆ DORMIENTIVM CHRISTVS. *Si enim nos à mortis somno non surgimus, quomodo Resurrectionem Dominicam primitias habemus?* sic ille lib. 2. hom. 19. in Ezechielem.

Cum tradiderit Regnum Deo, & Patri.

NOn quòd amplius ipse non esset regnaturus, cuius Regnum æternum est, sed perfectè tunc hostibus omnibus deuictis, Regnoque potitus, non sibi victoriam arrogabit, *nec ingentem illam, & ineffabilem gloriam sui Regni iam omni ex parte parati sibi vendicabit*, vt notabat Estius, *vt ferè solent Reges terræ victorias, ac Regni felicitatem virtuti suæ ascribere. Non ita Christus Dominus Rex noster; sed tradet Regnum Deo, & Patri, id est, cum subiectione, & gratiarum actione gloriosum illud Regnum suum Deo Patri suo offeret,* PROFITENS VNIVERSAM REGNI SVI GLORIAM ILLI AVTHORI SE ACCEPTAM REFERRE. Et nos si quid boni cum Dei gratia præstiterimus, totum Deo non tribuemus? Non spectat ad hoc Regnum qui id non præstat.

Deo, & Patri. Id est Deo, qui idem & Pater eius est. Dedit Christus Deo Patri Regnum, vt tamen à Regni possessione minimè deiiceretur. *Videamus*, inquit Sanctus Hilarius 11. de Trinitate, *an traditio Regni defectio sit intelligenda regnandi, vt quod tradidit Filius Patri, tradendo non teneat. Quòd si quis contendet, fateatur necesse est, Patrem cum tradidit omnia Filio, amisisse tradendo, si tradentem traditis egere significet.* Nihil amittitur cum Deo offertur quod suum, sed illius possessio magis stabilitur.

Cum euacuauerit omnem Principatum, potestatem, & virtutem.

EVacuauerit. Græcè: καταργήσῃ *absoluerit.* Quia scilicet post omnium resurrectionem huiusmodi Præfecturis non erit opus; licet enim remansuri hi ordines sint quantùm ad gloriæ eminentiam, non tamen remanebunt, quantùm ad executionem potestatis, aut officij circa homines; vt notauit Sanctus Thomas in Commentario. Sunt qui ad aduersarias potestates, id est, dæmones hæc verba restringant. Nam quamuis in damnatos æternùm sæuituri sint, eosque sub sua potestate habituri, abolendi tamen dicuntur, quia in electos sæuire ampliùs non poterunt, nec vllum illis damnum inferre, de tali quippè potestatis abolitione hic sermo est. NIMIRVM NIHIL POSSE, NIHIL ESSE SATANÆ VIDETVR, SI NIHIL IN DEI SERVOS POSSIT, NIHIL ELECTIS NOCERE PERMITTATVR.

Vt sit Deus omnia in omnibus.

SCilicet tunc palàm fiet, Deum esse Principem, & Authorem omnium bonorum. *Tunc manifestabitur*, ait S. Thomas, *quòd quicquid boni habemus, est à Deo, atque adeò in omnibus Deus laudabitur. Quamuis Sancti*, ait hîc Estius, *& electi Dei verè sint laudabiles; attamen omnis* EORVM LAVS TVNC QVODAMMODO RESOLVETVR & COLLIQVESCET IN LAVDEM VNIVS DEI, *qui erit omnia in omnibus; adeò vt de statu Beatorum loquens Sanctus Bernardus serm. 5. de Omnib. Sanct. dicat, quòd ibi non* VICISSIM ALTER ALTERVM LAVDAT; *quia, in laudem Conditoris intenti & extenti (in quo toto eis repositu est beatitudo) mutuis nunquam vacare laudibus possunt, dicente Propheta: Beati, qui habitant in domo tua, Domine: in sæcula sæculorum laudabunt te.* 722.

Erit Deus omnia in omnibus: sed vnus omnia erit: in vno habebimus omnia. Peritè Sanctus Augustinus serm. 4. de Verb. Domin. *Erit tunc Deus omnia in omnibus: nec erit vlla infelicitas, quæ nos exerceat: sed felicitas sola quæ pascat. Ipse autem Pater noster, Deus noster: ipse potus noster, Deus noster: honor noster, Deus noster: diuitiæ nostræ, Deus noster. Quæcunque* HIC VARIA QVÆRIS, IPSE TIBI VNVS OMNIA ERIT.

Vt sit Deus omnia in omnibus. Nihil erit, quod extra Deum quæras, cùm sit omnia Deus. *Quid est omnia?* inquit Sanctus Augustinus ad hæc verba serm. 16. de Verb. Apost. *Quidquid hic quærebas, quicquid hic pro magno habebas, ipse tibi erit. Quid hic volebas, quid hic amabas, manducare & bibere, ipse tibi erit cibus, ipse erit tibi potus. Quid hic volebas, sanitatem corporis fragilem, transeuntem, ipse tibi immortalitas erit. Quid hic quærebas? Diuitias amabas,* AVARE QVID ENIM TIBI SVFFICIT, SI DEVS IPSE NON SVFFICIT? *Sed quid amabas? Gloriam? honores? Deus tibi erit gloria.*

Quotidiè morior per vestram gloriam, fratres, quam habeo in Christo Iesu Domino nostro.

QVotidiè morior. Perfectam vitam aget, & à peccati morte alienam, qui quotidie cogitat se moriturum. Sanctus Athanasius in 723.

vita

Antonij, *Ne simus*, inquit, *negligentiores, dictum illud Apostoli meditari conuenit: Quotidie morior. Si enim & nos sic vixerimus*, TANQVAM IN DIES MORITVRI, NON *peccabimus. Quod ita intelligendum: vt è lectulo surrecturi, quotidie existimemus, non ad vesperam vsque nos victuros esse: & dormitum ituri existimemus nos non esse surrecturos, cum vita nostra natura sit incerta, quam in dies prouidentia* (Diuina) *metitur. Ità affecti itaque, nullo non die victuri, neque peccabimus, neque vllius rei desiderio tenebimur, neque vlli succensebimus, neque thesaurum in terris congeremus: sed propter quotidianam veluti mortis expectationem non possidebimus quicquam, omnia omnibus ignoscemus: mulieris verò, aut alterius voluptatis sordida cupiditate nunquam incendemur; sed vt caducam auersabimur, metu anxij, diémque praeuidendo Iudicij.*

724. Sed quì quotidie Sanctus Paulus moriebatur, quì viuebat, cùm hæc scriberet? *Verè* (inquit Sanctus Ambrosius in Psal. 45.) *quotidiè Paulus moriebatur secundum carnem, in ieiuniis, in naufragiis, in diuersis periculis, in miseriis constitutus. Sed non totus moriebatur:* MORIEBATVR HOMO EIVS EXTERIOR, SED RENOVABATVR INTERIOR: *& ideo non deficiebat, cùm tot periculis vrgeretur; quia, etsi exterior homo eius corrumpebatur, interior renouabatur de die in diem.*

Moriebatur quotidiè proposito moriendi. Paulum imitabitur qui morbo correptus, artibus illicitis sanitatem pollicentibus aures vacuas non dabit, mortem magis eligens, quàm aliquid quod nexum cum impietate habeat; hunc *perfectum martyrem* vocabat Sanctus Chrysostomus homil. 6. aduersus: *Quemadmodum inquit Paulus, quotidie morior, atqui non mortuus est, sed proposito tantum perpessus est mortem. Sic & tu si repuleris incantamenta, veneficia vt magicas artes, etiamsi morbo moriaris*, MARTYR PERFECTVS FVERIS; *eo quòd aliis pollicentibus morbi leuationem cum impietate, praeoptâris mortem cum pietate.* Hactenus Sanctus hìc.

725. Ille etiam quotidie mori dicitur, qui semper paratus ad mortem est. Sanctus Isidorus Pelusiota lib. 3. epist. 399. *Quotidie morior, ideò dixit Apostolus, quòd* AD ID PARATVS ESSET. *nam qui ad aliquid paratus est, etsi reipsa id non sufferat, expectatione tamen, animique promptitudine id suffert.* Paratus quisque ad mortem semper sit, sempérque se ad mortem præparet, dum viuit, vt vita apparatus quidam ad mortem sit.

Mortis memoriâ se munit semper, qui quotidiè moritur, & mortem discit contemnere, qui assidua cogitatione facit eam sibi familiarem; vix egregium aliquod facinus ab eo speres, qui mortem timet; Chrysostomus homil. 5. ad Populum; ad hæc Pauli verba spectans, hæc monita offerebat: *Mortem semper ante oculos habeamus, sic vt & Paulus quotidie moriebatur, & mortem deridebat, præsentémque vitam contemnebat; es enim miles, & semper in acie constitutus es:* MILES VERO MORTEM TIMENS, NVMQVAM GENEROSE SE GERET: *Sic igitur neque Christianus bono pericula timens magnum quid & admirabile exhibebit, immò facilè expugnabilis erit: intrepidus autem & magnanimus, inexpugnatus manet, & inuictus.*

726. *Quotidie morior*; hoc Apostoli dictum præferebat Sanctus Hieronymus illi sententiæ Platonis, qua dicebat sapientis vitam esse meditationem mortis; sic ille scribit epist. 3. quæ est ad Heliodorum; *Ex vna domo duplex Pontificatus egressa est dignitas; dum in altero gratulatio est, quòd senuerit; in altero mœror, quòd raptus sit, ne teneret. Platonis sententia est, omnem sapientium vitam, meditationem esse mortis. Laudant hoc Philosophi, & in cœlum vsque ferunt.* SED MVLTO FORTIVS APOSTOLVS: *quotidie, inquit, morior per gloriam vestram. aliud est enim conari, aliud agere; aliud viuere moriturum, aliud mori victurum, ille moriturus est ex gloria, iste moritur semper ad gloriam* Et Sanctus Ambrosius orat. de Fide resurrect. *Quotidie morior, Apostolus dicit, meliùs vtique quam illi, qui meditationem mortis Philosophiam esse dixerunt:* ILLI ENIM STVDIVM PRÆDICARVNT; HIC VSVM MORTIS EXERCVIT. *Et illi quidem propter se: Paulus autem ipse perfectus moriebatur non propter suam, sed propter nostram infirmitatem.*

Quam habeo in Christo Iesu, Gloria, quæ extra Iesum, ingloria est. Gloriam, mercedémque in Christo Euangelicus habet Concionator: qua non destituitur, etiamsi illi, quibus Euangelium prædicat, fructu destituantur. *Ego habeo* MERCEDEM LABORIS, inquit hìc Primasius, *etiamsi vos* PROFICERE *non velitis. Non derogat Doctoris labori auditorum torpor, & negligentia.* 727.

Manducemus, & bibamus, cràs enim moriemur.

MAnducemus, & bibamus. Qua id ratione suades? *Cràs enim moriemur.* Itanè, quia moriendum, cibo, ventri indulgendum? Contrarium potiùs erat efferendum. Opportunè Sanctus Augustinus in Psalm. 79. *Manducemus, & bibamus, cràs enim moriemur. Quid ais? Repete. Manducemus, inquit & bibamus. Age; quid posteà dixisti? Cràs enim moriemur. Terruisti, non seduxisti. Planè hoc ipso, quod posteà dixisti, incussisti mihi timorem, ne tibi consentiam. Cràs enim moriemur, dixisti; & præcessit, Manducemus & bibamus: cum enim dixisses, Manducemus & bibamus, adiunxisti, Cràs enim moriemur. Audi contra à me:* IMMO IEIVNEMVS ET OREMVS, CRAS ENIM MORIEMVR.

Cùm epulas sequatur mors, qui epulis inhiant, mortem quoquè expectent, & interitum. Aptè rem vrget Sanctus Hieronymus lib. 2. aduers. Iouinian. vbi ait: *Manducemus, & bibamus, cràs enim moriemur.* MANDVCET ET BIBAT, QVI POST CIBOS EXPECTAT INTERITVM: *Qui cum Epicuro dicit: Post mortem nihil est; & mors ipsa nihil est. Nos Paulo credimus intonanti: Esca ventri, & venter escis. Deus autem & hunc, & illam destruet.*

Cràs enim moriemur. Nimiùm differs. Iam mortuus est, qui cadauerosa hæc verba emittit. Aduocari hùc potest Clemens Alexandrinus, qui lib. 3. Pædagog. cap. 11. àit: *Comedamus, & bibamus, cràs enim moriemur. Si autem non cràs verè*, SED IAM MORTVI SVNT, *sepelientes suos mortuos, hoc est se ipsos in mortem infodientes.* 728.

Corrumpunt mores bonos colloquia mala.

COrrumpunt mores bonos colloquia mala. Quid mali facient mores praui, si tàm magnum

malum creant colloquia mala? Præclarè rem vrget Sanctus Bernardinus Senensis serm. 2. de Iust. Christiana, art. 2. cap. 3. vbi ait: *Magni periculi res est, ac pestiferum animarum virus, præbere exemplum malum: nam secundum Apostolum, 1. Corinth. 15.* SI CORRVMPVNT BONOS MORES COLLOQVIA MALA, QVANTO MAGIS IO EFFICIVNT OPERA PRAVA? *Exempla bona facilè homines imitantur: mala autem, multitudo auida cupiditate sectatur; modicus quippe ignis inflammat citiùs magnam materiam siccam, quam magnus modicam humidam. Si citiùs corrumpunt modica mala exempla, quàm ædificent magna bona: crudelis igitur fera, & impia vipera in animas Christi sanguine redemptas est omnis, qui proximo suo scandalum præbet.*

729. *Corrumpunt mores bonos colloquia mala.* Vtile monitum hinc elicit Beatus Bernardinus epistol. 352. *Corrumpunt*, inquit, *bonos mores colloquia mala. Propterea, quantùm poteris, fi"* CONFABVLATIONES *hospitum declinato; quæ, dùm* AVREM IMPLENT, EVACVANT MENTEM.

Si tantum mali colloquia mala faciunt, quid credendum facturam malorum consuetudinem? Rem opportunè vrget Tertullianus lib. 2. ad vxorem cap. 3. *Bonos*, inquit, *corrumpunt mores confabulationes malæ,* QVANTO MAGIS CONVICTVS, ET INDIVIDVVS VSVS? Tam noxia bonis malorum verba; plus erunt facta ipsa, inficit loquutio; nocentius, efficaciusque inficiet conuersatio, quæ loquutione ipsa efficacior est, vitus suum vi maiori iactat, altius ferit quem petit.

Euigilate iusti.

E*Vigilate iusti.* Gothica versio habet, *Iustè*; nam etiam mali euigilant sæpè, sed vt mala faciant; Isti iustè non euigilant dùm quæ iusta sunt, non operantur. Plerumque ad malum vigilantiores mali sunt, quàm ad bonum sint boni.

SECTIO III.

730 *Varij in electis perfectionis gradus. Qui ad supremum peruenire non potest, vel inferiores apprehendat.*

730 *Luna cur stellis prælata.*

731 *Ex seminibus terræ commissis, ad resurrectionem mens flectenda.*

731 *Seminandi verbo cur nostra mors circumscripta.*

732 *Corpus post resurrectionem cur spiritale dicatur.*

732 *Christi imago quì à nobis repræsentetur.*

733 *In hac quoque vita Christi imaginem portare debemus.*

734 *Caro & sanguis Regnum Dei non possidere cur dicantur.*

734 *Non substantia carnis, sed opera condemnantur.*

735 *Caro, exuta corruptione, Regnum Dei possidebit.*

736 *Lac ex Pauli ceruice effusus eum regnaturum significare potuit.*

736 *In resurrectione cur solùm electi immutari dicantur, non reprobi.*

737 *Celeritas, & facilitas resurrectionis vt significata.*

738 *Quàm celeriter corda nostra illuminare Deus possit.*

738 *Motus celeritas in corporibus beatis.*

739 *Idem resurget, qui cecidit, in extremo Iudicij die.*

739 *Induendi verbo cur vsus Apostolus fuerit; corporum resurrectionem significans.*

740 *Amplius mors non vincit, sed victoriæ nobis est occasio.*

741 *Morte sua nos à morte Christus liberauit.*

741 *Mortis vis & virus, peccatum.*

742 *Auget prohibitio desiderium.*

742 *Negata res cupiditatem auget.*

Alia claritas Solis, alia claritas Lunæ, & alia claritas Stellarum.

SIgnificat Apostolus varios esse in electis perfectionis gradus, diuersos meritorum, diuersos & gloriæ; plures autem numerat, vt qui Sol esse non potest, sit Luna, sit Stella. Opportunè Sanctus Chrysostomus in psal. 44. *Alia claritas Solis, & alia claritas Lunæ, & alia claritas Stellarum, non potes esse* SOL? ESTO LVNA; *non potes esse Luna? esto Stella; non potes esse eximia quadam ac præillustris Stella? esto vel vna de minoribus; tantùm sis in cœlo.* 730.

Alia claritas Solis, alia claritas Lunæ; cur Lunam Stellis præfert, cùm constet stellas aliquas maiores Luna esse? Respondet Estius: *De gloria Lunæ loquitur Apostolus secundùm quod hominum aspectibus apparet, & vsibus seruit; qua ratione, & Moyses Gen. 1. Stellis eam præponit, & alteram facit magnorum luminarium. Alioquin constat iuxta veram Astronomiam omnibus penè Stellis Lunam esse minorem.* Sanctus Chrysostomus lib. 3. aduersus vituperatores vitæ Monasticæ, totum hunc Apostoli locum ita excutiebat, ita versabat: *Paulus sub distinctione quadam idem loquitur, sic scribens: alia claritas Solis, alia Lunæ, & alia Stellarum: Stelláque item à Stella differt in claritate; quod autem dicit, eiusmodi est: alij quidem fulgebunt sicut Sol, alij vt Luna, & alij vt Stellæ; nec ista differentiâ contentus, maiorem longè varietatem immisit, tantámque, quantam in tanto Stellarum numero contingere par est. Stella enim, inquit, à Stella differt in claritate: diligenter igitur perpende, per quot dignitatum, ac meritorum gradus descendes, si à Solis* MAGNITVDINE AD VLTIMAM, ET MINIMAM STELLARVM DEVOLVARIS.

Seminatur in corruptione, ſurget in incorruptione.

731. SEminatur corpus mortale, immortale reſurget. Signatè hoc verbo eſt vſus, vt ex ſeminibus, quæ terræ commiſſa naſcuntur, ad reſurrectionem animum flecteremus. *Quòd autem futura ſit*, inquit Sanctus Iſidorus Pelufiota lib. 1. epiſt. 284. *& quonam pacto futura* SIT RESVRRECTIO, ET EORVM, QVÆ SEMINANTVR, ARCANVM TE DOCEBIT, *& ſtirpium omnium motus hyeme morientium, & vere ad vitam redeuntium.*

Seminatur in corruptione; quia ſcilicet rurſum pullulabit. *Noſtrum mori*, inquit hic Caietanus, *appellat*, SEMINARI, *ad differentiam mortis aliorum animalium, quorum mori eſt totaliter ſibi mori. Noſtrum autem mori, non eſt mori nobis ipſis totaliter; ſed eſt mori ad* SIMILITVDINEM MORTIS SEMINVM, *quæ, quatenus ſemina ſunt, & exercent ſeminum officia, moriuntur ſic, vt ſibi ipſis vitam meliori modo acquirant.*

Seminatur corpus animale, ſurget corpus ſpiritale.

732. SEd quì corpus ſpiritale dici poteſt cùm corpus ſit, nec eſſe deſinat, quod eſt; licèt fiat perfectius; Nodum ſoluit S. Auguſt. lib. 13. de Ciuit. Dei cap. 20. *Sicut ſpiritus carni ſeruiens non incongruè carnalis, ita caro ſpiritui ſeruiens rectè* APPELLABITVR SPIRITALIS; *non quia in ſpiritum conuertetur, ſicut nonnulli putant, eò quòd ſcriptum eſt: Seminatur corpus animale, reſurgit corpus ſpiritale. Sed quia ſpiritui ſumma & mirabili obtemperandi facilitate ſubdetur vſque ad implendam immortalitatis indiſſolubilis ſecuriſſimam voluntatem omni moleſtia ſenſu, omni corruptibilitate, & tarditate detracta.*

Igitur, ſicut portauimus imaginem terreni, portemus & imaginem Cæleſtis.

SEd in quo, & quanam ratione, Cœleſtis imaginem portabimus? Audi docentem S. Bernard. in Meditat. *Oportet id quod ad imaginem eius eſt, cum imagine conuenire, & non in vacuum nomen imaginis participare.* REPRÆSENTEMVS *ergo* IN NOBIS IMAGINEM EIVS *in appetitu pacis, in intuitu veritatis, & in amore charitatis.*

733. Quinam ſint qui Cœleſtis hominis, ideſt Chriſti imaginem portent, hiſce verbis docet Sanctus Cyprianus de Diſcipl. & hab. virg. *Quomodo portauimus imaginem eius, qui de limo eſt; portemus & imaginem eius, qui de Cœlo eſt. Hanc* IMAGINEM VIRGINITAS *portat, & veritas; Portant* DISCIPLINÆ DEI MEMORES, *iuſtitiam cum religione retinentes*, STABILES IN FIDE, HVMILES IN TIMORE, *ad omnem tolerantiam fortes, ad ſuſtinendam iniuriam mites, ad faciendam miſericordiam faciles, fraterna pace vnanimes, atque concordes.*

Portemus; cur; *portemus* dixerit, non *portabimus*, hanc reddit rationem Tertullianus lib. 5. aduerſus Marcionem cap. 10. *Ideò iam ad exhortationem ſpei cœleſtis, ſicut portauimus, inquit, imaginem terreni, portemus & imaginem cœleſtis, non ad ſubſtantiam vllam referens reſurrectionis, ſed* AD PRÆSENTIS TEMPORIS DISCIPLINAM. PORTEMVS, *enim inquit, non portabimus, præceptiuè, non promiſſiuè volens nos ſicut ipſe inceſſit, ita incedere, & à terreni, id eſt, veteris hominis imagine abſcedere, quæ eſt carnalis operatio.*

Caro, & ſanguis Regnum Dei poſſidere non poſſunt.

QVaſi dicat: in illa Regni fœlicitate, patriæ- 734.
que cœleſtis gloria, corpora iam non erũt, vt in hoc ſæculo morti, & corruptioni obnoxia; mortalitas omnis abſorbebitur, omnis corruptio. Aliqui per carnem, & ſanguinem intelligũt animalem vitam, quæ ciborum vſum exigit, ne deficiat, generis propagationi ſeruit, ne tota finiatur. Nonnulli affectiones carnales interpretantur. Hinc illud Sancti Antiochi homil. 6. quæ eſt de Temperantia, vbi ait: *Carnem & Sanguinem dixit Apoſtolus* CARNALES AFFECTIONES *quæ mentem proliciunt, & pertrahunt, ad earum cogitationes ſenſuſque; & eo dixit; quia caro & ſanguis Regnum Dei non poſſunt poſſidere. Caro eiuſmodi pabulum Dæmonum eſt: dum enim appropiant aduerſum me nocentes, vt edant carnes meas; itaque quiſquis macerat carnes, & ad tabem nititur virtute abſtinentiæ perducere, vtique Dæmones fame enecat, & ad procinctum conferendi aduerſum ſe reddit multò imbecilliores.* Idem prorſus habet Ioannes Carpath in capit. Hortat. vt alter ab altero verba mutuauerit, ac mentem; *Carnem, & Sanguinem Apoſtolus appellauit* CARNALES AFFECTVS, *& prudentiam carnis, mentem ad hæc prouocantem, cùm dixit. Caro & Sanguis Regnum Dei non poſſidebunt, & prudentia carnis mors eſt; ipſa igitur caro quoddam nutrimentum eſt Dæmonum. Dum appropiant ſuper me nocentes, inquit, vt edant carnes meas; qui ergo per virtutem carnes, & de quibus loquimur, macerat, ac tabefacit, Dæmones fame occidit, & ad arma ſibi inferenda imbecilliores reddit.* Sanctus Hieronymus per carnem, non ſubſtantiam carnis intelligit, ſed opera carnis lib. 3. in Ezechielem cap. 10. *Nota carnes appellari in ſupernis virtutibus, vt quando legimus: Caro & Sanguis Regnum Dei non poſſidebunt, neque corruptio incorruptionem: Sciamus* NON SVBSTANTIAM CARNIS: SED OPERA CONDEMNARI. 735.

Caro & ſanguis Regnum Dei poſſidere non poſſunt. Et non etiam vera caro, & verus ſanguis in Regnum Dei euehentur? Euehentur. Sed aliter ſe illa, aliter ſe iſte habebit: vtrunque corruptionẽ exuet. Præiuit Sanctus Auguſtinus, qui aliũ quoque explicatu hunc locum donat lib. 2. contra Aduerſar. leg. cap. 6. *Aut carnis, & ſanguinis nomine corruptionem carnis, & ſanguinis nuncupauit, quæ in reſurrectione non erit: aut carnem & ſanguinem, homines ad omnes illecebras ſæcularium voluptatum carni & ſanguini deditos, qui Regnum Dei non poſſidebunt. Totus autem ille locus Apoſtolici ſermonis, vbi ſcriptum eſt: Caro & ſanguis Regnum Dei non poſſidebunt, ſi conſideretur diligentius, magis perſuadebit corruptionem carnis, ſicut nunc eſt, his eum vocabulis appellare voluiſſe; atque ad exponendum, quid diceret adiunxiſſe: Neque corruptio incorruptionem poſſidebit. Quia, cum facta fuerit, quæ in reſurrectione ſperatur, illa mutatio, non vtique remanebit vlla corruptio.* Et S. Gregorius apud Ioannem Diaconum: *Quod Paulus Apoſtolus di-*

cit

cem, quæ Sanctus iſte Doctor habet ſerm. 37. ex. 40. nouiſſime editis. *Dedit*, inquit, *ſe morti, occident mortem: morte quippe ſua mortem occidit, non morte occiſus eſt: & morte occiſa*, LIBERAVIT NOS A MORTE. *Viuebat enim, morientibus nobis mors: morietur, viuentibus nobis, quando ei dicetur: Vbi eſt, mors, contentio tua?*

Mortis ſtimulus cum peccatum ſit, tota vis, totum virus mortis in peccato eſt ſitum. Pulchrè rem explicat Elias Cretenſis in orat. 1. Sancti Gregorij Nazianz. *mortis ſtimulus, , vt ait Apoſtolus, peccatum erat, non ſecus videlicet, ac Scorpio perexiguo animali* VIS OMNIS IN ACVLEO POSITA EST. *Cæterum nullum in Domino peccatum nacta*, INFIRMA, ET IMBECILLIS DEPREHENSA EST, *atque iners remanſit; ſicque Domini mors mortem necauit.*

Virtus verò peccati, lex.

741. SEd qui peccati virtus lex eſt, quæ à peccato auocat; Quæ peccatum inhibet & damnat, peccati virtus eſt? Eſt, non ſui naturâ, ſed noſtro vſu; cum homines ferè auidiùs ferantur in ea, quæ inhibentur. *Apoſtolus*, inquit Sanctus Auguſtinus lib. 13. de Ciuit. Dei cap. 5. *cùm vellet oſtendere, quantùm peccatum, gratia non ſubueniente, ad nocendum valeret; etiam ipſam legem, qua prohibetur peccatum, non dubitauit dicere, Virtutem eſſe peccati. Aculeus, inquit, mortis eſt peccatum: virtus autem peccati, lex. Veriſſimè omnino:* AVGET ENIM PROHIBITIO DESIDERIVM OPERIS ILLICITI, *quandò iuſtitia non ſic diligitur, vt peccandi cupiditas eius delectatione vincatur. Vt autem diligatur, & delectet vera iuſtitia, non niſi Diuina ſubuenit gratia. Sed, ne propterea lex putaretur malum, quoniam virtus eſt dicta peccati; ideo ipſe, alio loco verſans huiuſmodi quæſtionem, ita inquit: lex quidem ſancta, & mandatum ſanctum, & iuſtum, & bonum.*

Virtus peccati lex; Nimirum cupiditatem inhibitio auget, vehementius enim deſideratur, quod lege prohibetur; ſic peccati virtus lex dicitur. Idem Sanctus Auguſtinus ſerm. 4. de verbis Apoſtoli ita ſcribit: *Virtus autem peccati lex: quid ſubintrauit, inquit, lex vt abundaret delictum? quia vbi gratia non erat*, AVXIT PROHIBITIO DESIDERIVM: *& cum quaſi propria præſumitur virtute, factum eſt grande vitium.*

CAPVT XVI.

EPISTOLÆ PRIMÆ ad Corinthios expenditur & illuſtratur.

743 *Paupertatis, & ſanctitatis nexus.*
744 *Aliorum exemplum promptiores nos ad bonum debet reddere.*
745 *Extremi Iudicij memoria vt ad beneficentiam vrgere nos debeat.*
745 *Nihil terrena æſtimabit, qui futuram vitam cogitat.*
746 *E re largientium eſt promptè eleemoſynam elargiri.*
746 *Dies Dominicus aptus eleemoſyna exhibenda.*
747 *Neceſſitatis prætextu ſæpè homines in proprios vſus conuertunt, quæ Deo erant deſtinata.*
747 *Sacra pecunia vt dicatur, quæ pauperibus conſeruatur: & domus, Eccleſia fiat.*
748 *De iuſto lucro totius hebdomadæ portio aliqua in eleemoſynas ſeponenda.*
749 *Cur gratiæ nomine eleemoſyna circumſcripta.*
749 *Euangelicus Doctor ab omni terrenarum rerum affectu immunis.*
750 *Pauli amor in ſuos expenditur.*
751 *Magnorum exempla ad magna vocare alios poſſunt.*
751 *Apoſtolorum doctrina, oſtium cur dicta.*
752 *Timendum maximè illis, qui iuſtis timoris occaſio ſunt.*
753 *Terrena omnia nihili æſtimanda iis, qui Dei miniſteria obeunt.*
753 *Extra fidem fluctuare quis poteſt, non ſtare.*
753 *Muliebris omnis inconſtantia putanda.*
754. *Etiam aſperæ correctiones cum charitate.*
754 *Oſculum cur ſanctum dictum.*
755 *Dignus morte eſt, qui Chriſto recuſat viuere.*
755 *Singulare frequentatis amoris exemplum.*
755 *Amoris Chriſti vtilitates.*
755 *Cauendum ne amor proximi inficiatur.*

De collectis autem, quæ fiunt in ſanctos, ſicut ordinaui Eccleſiis Galatiæ, ita & vos facite.

OPportunè ſub Epiſtolæ finem exhortationem de colligenda pecunia in pauperum auxilium ſubiicit, vt hac exhortatione velut Epiſtolam obſignet. *De collectis.* 743. Aliqui vertunt, *de collectione*, vt hic Apoſtolicorum verborum ſit ſenſus: Quo ad collectionem pecuniæ faciendam pro ſuſtentatione ſanctorum, ideſt Chriſtianorum egentium, ſicut conſtitui fieri ab Eccleſiis Galatiæ, ita & vos facite. *In ſanctos.* Hoc titulo fideles pauperes donat vt nouerint paupertatem ſanctitatis non eſſe nouercam, ſed ſociam, & egenos poſſe theſauris ſpiritualibus diuites eſſe; idcirco non dixit, *in mendicos*, aut *in pauperes*, ſed *in ſanctos*; quod notabat S. Chryſoſtomus, ſerm. 22. de diuerſis noui Teſtamenti locis, vbi ait: *Primùm autem non dicit, de collatione in pauperes, neque in mendicos,*

mendicos, sed in sanctos: vt erudiret auditores etiam pauperes, SI PIE VIVANT, AOMIRATIONE OIGNOS; ET OIVITES, SI VIRTVTEM DESPICIANT, ESSE CONTEMPTIBILES.

744. *Sicut ordinaui Ecclesiis Galatiæ.* Multùm aliorum exemplum ad bonum potest, & quod aliqui præstant, præstare facilius alij illorum exemplo prouocati; denique via, multorum trita vestigiis minus grauis iter facientibus est. *Ecclesiis Galatiæ*, non vnius Ecclesiæ meminit, sed multarum, vt promptiores redderentur æmulandi cupiditate. Benè productus Auctor loco producto; *De collatione hac in sanctos: adiunxit, sicut ordinaui Ecclesiis Galatiæ, sic & vos facite. Cuius gratia hoc facit, & non vnius, neque trium meminit ciuitatum, sed totius gentis? Certè vt* PROMPTIORES EOS REOOERET, *essétque eis materia & occasio æmulandi aliorum laudes.*

745. Non casu factum est, vt cum superiùs Apostolus extremi Iudicij memoriâ Corinthios terruerit, hîc nunc de eleemosynæ largitione agat; primò, quia eleemosyna contra supremum Iudicem nos munit; deinde quia extremi Iudicij cogitatio ad rerum terrenarum neglectum vocare nos debet.

Nec Iudicij tantùm memoria, sed & incorruptionis ac immortalitatis, quâ post hanc vitam vestiemur, ad beneficentiæ in pauperes commendationem aditum sibi fecit, vt promptiores ad illum, vberiores in illa essent; Nolo hîc desiderari Sancti Chrysostomi verba, qui eodem sermone hæc in hanc sententiam habet: *Animaduerte prudentiam, et ingenium Apostoli, quàm tempestiuè ad hanc admonitionem accedit. Cum enim meminit futuri Iudicij, terribilisque illius sedis, & gloriæ, quâ vestiendi sumus, modo rectè viuamus, & immortalis vitæ, tum de hoc reliquum sermonem infert, vt auditor spe bona refocillatus, facilior sit ac benignior, atque ita maiori ipsum* ALACRITATE SVSCIPIAT, *vtpote adhuc Iudicij terrore contremiscens, & repositorum animæ bonorum expectatione gestiens. Etenim quisquis de resurrectione philosophari potest, & ad futuram vitam se totum confert,* NIHILI ÆSTIMABIT PRÆSENTIA, VEL DIVITIAS, VEL ABVNDANTIAM, *vel aurum, vel argentum, vel sumptuosas vestes, vel delicias, vel mensæ luxum, vel aliquid tale. Et qui hæc nihili faciunt, haud difficilè pauperum suscipient curam. Et hac de causa admonitionem hanc aptè sermoni de resurrectione subiunxit.*

746. Volebat igitur Apostolus non pauperum tantùm indigentiæ consulere, sed & iis, qui eleemosynam erant exhibituri, in quorum vtilitatem maximè resiliebat, si non darent tantum, sed promptè, alacritérque id facerent, quod idem S. Doctor obseruabat subiiciens: *Nam si pauperum duntaxat habuisset rationem, nihil aliud præcepisset, quàm vt necessaria eis daremur, nec dantium* PROMPTITVDINEM REQVISIVISSET: *at nunc videre licet Apostolum hoc potissimùm agere; & ordinare, vt gaudentes & hilares sint largitores. Et alicubi dicit, Ne ex tristitia, vel ex necessitate: hilarem enim datorem diligit Deus.*

Per vnam Sabbati vnusquisque vestrûm apud se seponat, recondens, quod ei benè placuerit.

PEr vnam sabbati. Aptus colligendæ pecuniæ dies Dominicus; vt tunc maximè terrena indigentibus exhibeantur, quum Christi resurrectio resurrectionis memoriam excitat, & quærenda cælestia ac perennatura tacitè inclamat. *Est facto conueniens,* inquit Theodoretus, OIES QVOQVE DOMINICVS, *qui est Resurrectione honoratus.* Luculentius rem versat S. Chrysostomus serm. 22. de diuersis noui Testamenti locis, vbi ita scribit: *Vnam sabbatorum Dominicam vocat. Et quamobrem hunc diem oblationi deputat? cur non dixit, secunda sabbatorum, vel aliis sabbatis? Profectò nec hoc temerè, nec absque causa dictum. Nam à temporis opportunitate ansam capit, quò alacriores reddat offerentes. Et quid commodi habet eius diei tempus,* QVO FACILIVS DETVR ELEEMOSYNA? *Ecce, quoniam tum à labore omni cessatur, relaxationéque & feriis alacrior fit animus, & quod multò maius est, innumeris eo die bonis potiti sumus. Nam eo die destructus est & Infernus, extinctum maledictum, disparuit peccatum, confractæ Inferorum portæ, captiuus factus est Diabolus, diuturnum bellum diremptum, conciliati Deo homines, nostrúmque genus ad pristinam, imo ad maiorem rediit dignitatem, viditque Sol inopinatum & admirabile illud spectaculum, quòd homo factus est immortalis.*

Recondens quod ei benè placuerit. Plerique cen- 747.
sent Paulum vel pecuniam cuiusque quam conferre cogitaret, sepositam ab eodem seruandam, ac custodiendam, donec vniuersa mittenda Ierosolymam esset. Sed incommoda hæc aliis expositio est visa, quia parum prudenter pecunia vnicuique seruanda relinqueretur, quam prius in eleemosynam destinasset, nam interim variæ possent occurrere occasiones, aut necessitates eam expendendi. Vult igitur Apostolus collectas priùs fieri particulatim per dies Dominicos, vt quum venerit, paratos eos inueniat, sicque summa ex his conflanda statim mitti Ierosolymam possit. Ex quo interim discis malè pecuniæ pauperibus destinatæ custodem vnumquemque esse, & tutius apud alios custodiri, præsertim quod NECESSITATIS PRÆTEXTV SÆPE IN PROPRIOS VSVS HOMINES CONVERTVNT, QVÆ OEO ERANT DESTINATA.

Apud se seponat. Petitè hæc verba expendebat B. Chrysost. hîc, dum ait. *Non dixit: Ferant in Ecclesiam; ne propter paucitatem erubescant. Sed: cum, quæ paulatim fiunt, collectionibus auxerit, collationem, cum accessero, ostendat. Interim autem (inquit) apud te sepone, &* DOMVM TVAM FAC ECCLESIAM, *arculam, gazophylacium.* ESTO CVSTOS SACRÆ PECVNIÆ, *à te ipso ordinatus dispensator pauperum. Benignitas, & humanitas dat tibi hoc sacerdotium.*

Quod ei benè placuerit. Aliqui legunt: *Quod sibi videbitur.* S. Chrysostomus hîc, *Considera,* inquit, *hinc quoque. quàm non sit hoc graue, & molestum. Non dixit, Tantum, vel tantum; sed, quod videatur, & rectè habeat, ostendens à Deo esse suppeditationem. Non hac autem solùm ratione, sed etiam, eò quod vno tempore totum iubeat pendere,*

consilium

consilium reddit facile : eo enim quòd paulatim colligatur, insensibilis est sumptus, & suppeditatio. Propterea nec statim iubet in medium adducere, sed dat longum tempus constitutum.

748. *Quod ei bene placuerit.* Nonnulli ex Græco, *quod ei successerit.* Estius : *Græci verbi*, inquit, *propria significatio est prosperari in viis suis, idest actionibus suis prosperè agere. Itaque sensus est: Prout cuique benedixerit Deus, ac prouentum prosperauerit, pro modo facultatum, seu lucri hebdomadarij quisque seponat, & cumulum faciat tribuendum in collectam publicam.* Addit statim : *Locus moralis ad exhortandum simili modo plebem*, VT DE IVSTO LVCRO TOTIVS HEBDOMADÆ PORTIONEM ALIQVAM SEPONANT IN ELEEMOSYNAS PAVPERVM; *eòque pacto sua peccata redimere studeant apud Deum.*

Hos mittam perferre gratiam vestram in Ierusalem.

749. P*Erferre gratiam vestram* Cur gratiæ nomine eleemosynam circumscribit? *Non dixit*, inquit hic S. Chrysostomus: *Eos mittam, vt vestram deferant* ELEEMOSYNAM SED, VESTRAM GRATIAM, *vt ostendat eos lucrari. Alicubi autem appellat, Benedictionem, & Communicationem: illud quidem, ne redderet pigriores, hoc vero, ne nimis efferret, nusquam quidem certè nominauit eleemosynam.*

Quod, si dignum fuerit, vt & ego eam, mecum ibunt.

M*Ecum ibunt.* Ii scilicet, qui, ferendis pecuniis, eligentur à vobis. Sed cur non dixit, se pecuniam, indigentibus dandam, laturum? An, ne suspicionis aliquam occasionem præberet? Doctor Euangelicus adeò ab omni terrenarum rerum affectu debet esse immunis, vt vmbram quoque vitet. *Non dixit*, inquit hic Theodoretus: *Eas feram sed: Mecum ibunt Quod enim aliis præcipit*, PRIMVS FACIT, *& est absque vlla offensione, & Iudæis, & Græcis, & Ecclesiæ Dei.*

Veniam autem ad vos cum Macedoniam pertransiero; nam Macedoniam pertransibo: apud vos autem forsitam manebo, vel etiam hyemabo.

750. V*Nus pluribus se exhibet, in pluribus diuiditur, qui omnes in Domino diligebat, se velut in multos diducit, vt vnus in Deu multos ducat ad Deum; *Pauli amorem*, inquit Beatus Petrus Damianus opusc. 35. cap. 2. *melius cognoscimus, si eius adhuc ad Corinthios verba pensamus. Ait enim: veniam ad vos cùm Macedoniam pertransiero. Nam Macedoniam pertransibo, apud vos autem forsitam manebo, vel etiam hyemabo. Quid est, quod eam anxiè per tot loca partitur? nisi quod circa omnes vna charitate constringitur? Charitas enim, quæ diuisa vnire consueuit*, VNVM COR PAVLI DIVIDI PER MVLTA COMPELLIT. *Quod tamen tantò ardentius in Deo colligit, quanto latius per sancta desideria spargit. Prædicando igitur Paulus vult simul omnia dicere, amando vult simul omnes videre: quia & in carne permanendo vult omnibus viuere, & de carne transeundo per sacrificium Fidei vult omnibus prodesse.*

Ostium enim mihi apertum est magnum, & euidens, & aduersarij multi.

A C si diceret; Opportuna se se mihi occa- 751.
sio obtulit, magnus aditus apertus ad Dei Euangelium seminandum, & plures ad Deum conuertendi. Caietanus suspicatur magni alicuius, seu Principis, seu Philosophi conuersionem significari, cuius exemplum multos alios sequuturos speraret; facilè enim à cæteris fit, quod ab aliquo, seu dignitate, seu sapientiâ super alios posito fieri alij viderint. Nonnulli hanc occasionem fuisse putant ipsius loci opportunitatem, erat enim Ephesus totius Asiæ minoris primaria ciuitas, eadémque celeberrima, & maximè frequentata, tùm propter Templum Dianæ toto Orbe celeberrimum, tū quòd illic Asiæ Proconsul resideret, & ius diceret. Fuere qui per ostium doctrinam interpretati sunt. Isychius: *Quod autem* OSTIVM APOSTOLORVM DOCTRINA EST, *apertissimè Paulus ostendit, dicens. Ostiū enim apertum est magnum & euidens, & aduersarij multi; ostium, doctrinam quæ ducit ad scientiam Dei, dicens, cui omnimodo qui diuersa docent, obuiant. Nihil autem mirum est, si cum ostium Dominus sit appellatus, similiter appelletur, quam ipse impertitur, Apostolorum doctrina.* Sic ille in Leuiticum lib. 1. sed primos sensus cohærentior est.

Si autem venerit Timotheus, videte, vt sine timore sit apud vos: opus enim Domini operatur sicut & ego.

V*Idete, vt sine timore sit apud vos.* Non Timo- 752.
thei causâ hæc dicta, sed Corinthiorum. Timendum illis, qui timoris occasio iustis sunt, dùm temerè in illos insurgunt. *Existimet fortasiè quispiam*, inquit hîc Sanctus Chrysostomus, *hanc exhortationem esse indignam magni & excelsi animi, virtute Timothei. Sed non hoc dictum est propter Timotheum, sed propter audientes; ne per eas, quæ ipsi fierent, insidias, seipsos læderent. Ille enim semper erat procliuis ac propensus ad adeunda pericula: nam tanquam filius patri mecum seruiit, inquit, in Euangelio. Sed, ne ex audacia in discipulum ad magistrum quoque procederent, & fierent deteriores, eos eminus comprimit & coercet dicens: Vt sine timore sit apud vos. hoc est*: NE QVISPIAM EX IIS, QVI SVNT DEPLORATI, IN EVM INSVRGAT. *Erat enim fortasse eos increpaturus de iis, quæ scribebat Paulus.*

Opus enim Domini operatur. Expectabas, vt à 753.
diuitiis, vt à nobilitate eum commendaret? Nihil hæc omnia sunt optimo rerum æstimatori. *A ministerio*, inquit hîc Sanctus Chrysostomus, *eum facit fide dignum, dicens; Opus enim Domini operatur. Ne hoc spectes, inquit, si non sit* DIVES, *si non* ERVDITVS, *si non senex: sed, quid iustus sit, quid efficiat. Opus enim Domini operatur.*

Vigilate, state in fide, viriliter agite.

V*Igilate, state in fide.* Dormit non vigilat, qui in fide non stat, Extra fidem ferri, & iactari quis potest, non stare. *State in fide*, inquit Sanctus Chrysostomus humil. 44. in hanc Epist.

non in externa sapientia : non EST ENIM ILLIC STARE, SED FERRI ; *sicut quidem certè stare, in fide.*

Viriliter agite. Rectè postquàm dixerat standum, monet, vt viriliter agerent : MVLIEBRIS *enim* (inquit hîc Sanctus Ambrosius) OMNIS INCONSTANTIA *& varietas indicatur.*

Omnia vestra in charitate fiant.

IN *charitate fiant.* Sanctus Augustinus legit, *cum charitate*. Quod ad correptiones etiam extendit : sic enim ille scribit lib. de Grat. & libero arbitr. cap. 6. *Ad Corinthios dicit : Omnia vestra cum charitate fiant. Satis ostendit etiam* IPSAS CORREPTIONES, QVAS ASPERAS ET AMARAS SENTIVNT, *qui corripiuntur, cum charitate esse faciendas.*

Salutate inuicem in osculo sancto.

754. IN *osculo sancto.* Iure *Sanctum* adiecit, quia osculum quoque datur, quo sanctitas inficitur; nam (vt ait Hugo Victorinus hîc quæst. 146.) *est* OSCVLVM LASCIVIÆ ; *est osculum proditionis ; est osculum sanctitatis, de hoc dicit, vt cætera excludat.*

In osculo sancto. Cur hîc osculi sancti Apostolus meminit? An, quia lites & contentiones inter illos erant? *Hoc*, inquit hîc Sanctus Chrysostomus, *sancti osculum hîc solum ponit additamentum. Quamobrem? Valdè inter se dissidebant, quòd alius quidem esuriret, alius verò esset ebrius: eo quòd haberent pugnas, & æmulationes, & lites, ac iudicia ; & ex bonis magna erat inuidia, magna superbia, & arrogantia. Postquàm ergo eos coniunxit per exhortationem*, MERITO ETIAM IVBET CONIVNGI PER OSCVLVM SANCTVM ; HOC ENIM VNIT, ET VNVM CORPVS FACIT. *Hoc est sanctum, quod non est cum dolo, & simulatione.*

Si quis non amat Dominum nostrum Iesum Christum, sit anathema.

755. QVàm ardenter amabat, qui hæc in non amantes intorquet? Qui verè Christum amat, amat & ab aliis amari. O quilibet occinat sibi illud amore æstuantis Sancti Bernardi, qui serm. 20. in Cant. ita Christum alloquebatur: *Qui non amat Dominum Iesum, anathema sit. Valdè omnino mihi amandus est, per quem sum, viuo, & sapio. Si ingratus sum, & indignus.* DIGNVS PLANE EST MORTE, QVI TIBI DOMINE IESV RECVSAT VIVERE, *& mortuus est : & qui tibi non sapit, desipit : & qui curat esse nisi propter te, pro nihilo est, & nihil est.* Qui sapiet, dixerit hæc eadem sibi, eadem indixerit sibi.

Sit anathema. Hac adiuratione non indiguit bonus ille Pater, de quo scribit Ioannes Eusebius lib. 2. de Adorat. c. 2. *Pater Didacus Martinus vsque* AD QVATVOR MILLE ACTVS AMORIS DEI QVOTIDIE FACIEBAT *cum summa diligentia, & ratione.* O idem à nobis fieret, vt assiduo amoris exercitio, amor semper cresceret, firmioresque in nobis radices figeret? *Felix homo*, inquit Trithemius hom. 23. *in cuius corde præter amorem Christi nulla colligatio terrenæ dilectionis inhabitat, qui ad nullius hominis memoriam suspirat, in cuius conscientia puritas residet, & diuinus amor semper ardentissimè feruet ; amate illum, ô fratres mei, qui amore vestri descendit in Virginis vterum.* Pergit, & amoris huius vtilitates recenset. *Amor Christi facit hominem contra omnes Dæmonum insultus esse fortissimum, & non minùs in aduersis, quàm in prosperis longanimem simul, atque tranquillum. Amor Christi docet mundum veraciter contemnere, & omnes delicias eius ; carnisque solatia cuncta pro nihilo reputare. Amor Christi motus carnis illicitos citò deprimit, & menti castitatem purissimam inducit. Amor Christi mentem ad cælestia cum desiderio dulciter eleuat, & segregatum à terrenis in spirituali exercitio conseruat.* Succinit Idiota cap. 1. de amore diuino : *Amor confracta solidat, depressa subleuat, nutantem animum constantem reddit. Amor docet, & addiscit, & inimicum nescit. Amor laudat, amor reprehendit ; amor prauâ suspicione caret. Vbi amor defuerit, nihil valet quidquid agitur, contra omnia valent quæ cum amore aguntur. Amor hominem lætificat, & à terrenis subleuat.* Et cap. 4. amoris æstu correptus, vt credi potest idem Auctor, amorem efferens inclamat in hunc modum : *O amor præceps, amor flagrans, amor vehemens, amor in te intra te cohibere non valens, qui præter te aliud cogitare non finis, fastidis cætera, contemnis omnia præter te, dulciter capis, strenuè stringis, sapienter erudis, gloriosè illaqueas, oneras delectabiliter, feliciter vris, in dicto expectaris, nec consilio temperaris, nec pudore refrænaris, quæ rationi subiiceris : affectu es desiderabilis, experientiâ dulcis, iucunditate plenus, fruitione æternus, satians, & reficiens, nunquam fastidium generans.* Quàm fatuus, quàm delirus, qui amoris huius amore non tenetur, non ei postponit omnes alios amores, vt puro amore in puritatis feratur auctorem!

Amandus Deus est; quòd si amandus est proximus, id propter Deum fiat, quin eò ferri desiderium nostrum debet, vt amari ab aliis nisi propter Deũ nolimus, nam amor in homines nimis inficitur, si in hominibus sistat, nec in Deum pergat. Lubet cum pio illo Auctore inclamare: *Concede ô amor amorum, vt omnes amẽ sicut tu amasti me, & amasti illos : concede vt omnes amem propter te, & nullus me amet propter me. Mallem, si fieri sine peccato posset, vt omnes me odissent, quàm quòd me amarent,* SI PROPTER ME AMARENT, *nam si omnes odissent, haberem quod est meum ; si propter me amarent, vsurparem quod est tuum. Impurus est omnis amor, qui non fit propter Deum ; solum amor Dei sincerus est, & defæcatus, cum non permisceat, nec compatiatur secum mixtionem contrarij affectus.* Iunge vota, idem senti, idem clama, vt desinas esse quòd fueris, incipias esse quod non fuisti.

Finis Epistolæ primæ ad Corinthios expensæ, & illustratæ.

CAPVT PRIMVM EPISTOLÆ SECVNDÆ AD CORINTHIOS EXPENDITVR ET ILLVSTRATVR.

SECTIO I.

756 *Secundam Epistolam ad Corinthios cur scripserit Paulus.*

757 *Serui titulum cur omiserit in secunda ad Corinthios Apostolus.*

758 *Inuidè aliorum mala opera referenda non sunt.*

759 *Lenius corripiendi, qui meliorem mentem induunt.*

759 *Vera charitas omnibus studet consulere.*

760 *Gratia bonorum omnium origo: pax, finis, & consummatio.*

761 *Consolatio, quæ extra Deum, nudum consolationis nomen habet sine re.*

761 *Ad benedicendum Deum omnes alios inuitare debemus.*

761 *Deus benedicere quando dicatur.*

761 *Ex Dei visceribus, Dei misericordia.*

762 *Pater misericordiarum cur Deus dictus, & non misericordiæ.*

763 *Deus Pater misericordiarum dictus, non vltionum.*

763 *Innatum Deo misereri, & parcere.*

763 *Pauli humilitas expensa.*

764 *Deus solus nos consolatur in omnibus malis.*

764 *Explere voluntatem solus Deus potest.*

756. CVr secundam ad Corinthios Epistolam misit Paulus, cùm prima satis esse videretur? *Quia multum temporis*, inquit S Chrysost. *intercesserat, nec tamen ad eos se contulerat. Quin potiùs cum præstitutum tempus iam fluxisset, adhuc tamen cunctabatur, ac moras trahebat, quòd scilicet Spiritus eum in aliis longè magis necessariis negotiis retineret*, HAC DE CAVSA SECVNDAM EPISTOLAM SCRIBERE NECESSE HABVIT, *non necesse habiturus, si non multò, quàm promiserat serius accessisset. Nec verò hoc duntaxat nomine, sed ob id etiam, quod ex superiori Epistola meliores redditi fuerant. Nam fornicatorem eum, quem priùs fauore complectebantur, & ob quem insolenter se efferebant, abscinderant, ac prorsus eiecerant.*

Paulus Apostolus Iesu Christi per voluntatem Dei, & Timotheus frater.

PAulus Apostolus. Serui titulum omisit, quem in Epistola ad Romanos Apostoli dignitati substrauerat; non casu id factum, nec sine mysterio. Perpensè Sanctus Thomas hic: *Quare vocat se hic Apostolum, dicens, Paulus Apostolus, cum in Epistola ad Romanos scribit se seruum? Ratio huius est, quia Romanos reprehendit de dissensione, & superbia, quæ est mater dissensionis, quia inter superbos semper iurgia sunt. Vnde vt eos reuocet a dissensione, inducit eos* AD HVMILITATEM, VOCANDO SE SERVVM. *Corinthij verò erant pertinaces & rebelles, & ideo vt reprimat eorum proteruiam, vsus est hic* NOMINE DIGNITATIS, *dicens se Apostolum.* 757.

Paulus Apostolus, præmittit suum nomen, & 758.
cum nomine titulum dignitatis, cur non postponit præmisso eorum nomine ad quos scribit? *Quæritur*, inquit hîc S. Ambrosius, *cur in omnibus Epistolis contra vsum Epistolarum primò* SVVM NOMEN PONAT APOSTOLVS, *quàm eorum, ad quos litera destinantur? Sed hæc auctoritas est Apostolici ordinis, quia minoribus scribit; sicut etiam & iudices sæculi solent ad eos, quos regunt, scripta dirigere.*

Et Timotheus frater. Magnus Timothei honor, quòd eius nomen suo Paulus adiungat, & in Epistolæ huius præfigat fronte. Timotheum ad Corinthios Paulus miserat vt fideles confirmaret, quo persunctus officio ad Paulú reuersus, de eorum statu, ac profectu, atque etiã de pseudoapostolorũ moribus Paulo retulerat; iure igitur hîc eũ nominat, ne aliquis suspicaretur falsa rerũ delatione latere voluisse: *Connumerat autẽ sibi*

Timotheum, inquit S. Thomas, *quia cum ipse transisset per eos, sicut dicit in prima Epistola vltimo cap. possent credere quòd* MALITIOSE RETVLISSET *Apostolo ea, de quibus ipse scribit ad eos.*

759. Cur mitior, leniórque in hac secunda Epistola Apostoli stylus excurrat, quærat hîc iure aliquis. S. Chrysostomos rem, & causam habet hom. 1. *Secundam Epistolam scribis; Etenim par erat, vt quemadmodum illis, cum peccarent, succensebat, sic* ETIAM EOSDEM AD MELIOREM MENTEM REVERSOS COMPROBARET, *ac laudibus afficeret; At proinde nec acrem se ac vehementem per totam Epistolam prabet, sed in paucis dumtaxat sub ipsius finem partibus. Nam & apud eos Iudai quidam erant qui magnificè de se sentirent, ac Paulum, vt vanum, & arrogantem, nulliúsque pretij hominem, in odium, atque inuidiam vocarent.*

Ecclesia Dei, qua est Corinthi cum omnibus sanctis, qui sunt in vniuersa Achaia.

O*Mnibus sanctis, qui sunt in vniuersa Achaia*; Nescit charitatis affectus angustis limitibus coerceri, mirú cur omnibus scribat. An quia vt omnibus consuleret, adiuuaret omnes, cum omnes eodem morbo tenerentur? *Et quid causa est*, inquit hîc S. Chrysostomus *cur ad Metropolim scribens, omnibus per eam scribat, cum id vbique minimè faciat? Si quidem cum ad Thessalonicenses litteras daret, non scilicet ad Macedones quoque scribebat, nec item Ephesiis scribens, vniuersam Asiam vnà complexus est: nec denique Epistola ad Romanos; iis etiam qui in Italia versabantur, missa est? verum hic demum hoc facit, atque item in Epistola ad Galatas. Neque enim illic vni duntaxat, aut duabus, aut tribus ciuitatibus, sed iis qui passim fusi & dispersi erant, scribis, his verbis vtens: Paulus Apostolus non ab hominibus, nec per hominem, sed per Iesum Christum, & Deum Patrem, qui suscitauit eum ex mortuis, & qui mecum sunt omnes fratres Ecclesiis Galatia: Gratia vobis & pax. Quin ad Hebraos quoque vnam generatim Epistolam scripsit, nec eos per Ciuitates distinxit. Quanam igitur huiusce rei causa est? mea quidem sententia, quod communes hîc morbi essent.* AC PROINDE COMMVNEM QVOQVE EPISTOLAM FACIT, QVIA COMMVNI CORRECTIONE INDIGEBANT.

Gratia vobis & pax à Deo Patre nostro, & Domino Iesu Christo.

760. G*Ratia vobis & pax.* Cur bona Corinthijs optans aliorum bonorum non meminit, & virtutes recensuit, quæ verus Christianorum thesaurus? An duo hæc posuit, quia gratia bonorū omnium origo, & fons, pax finis, & consummatio; duo hæc extrema posuit subintelligens media, quæ sunt inter illa. Aptè S. Th. hîc: *Ponit ista duo extrema bona, vt in eis intelligantur media. Primò enim bonum est gratia* QVÆ EST PRINCIPIVM OMNIVM BONORVM. *Nam ante gratiam nihil est nisi diminutum in nobis. Vltimum autem omnium bonorum est pax*, QVIA PAX EST GENERALIS FINIS MENTIS. *Nam qualiscunque pax accipiatur, habet rationem finis, & in gloria aterna, & in regimine, & in conuersatione finis est pax.*

Et Domino Iesu Christo. Patrem recensuit, & Filium, cur Spiritus Sancti nulla hîc mentio fit? *De persona Spiritus Sancti*, ait Sanctus Thomas, *non fit hîc mentio, quia sicut dicit Augustinus, cum sit nexus Patris & Filij, vbicunque ponitur persona Patris, & persona Filij*, INTELLIGITVR PERSONA SPIRITVS SANCTI.

Benedictus Deus, & Pater Domini nostri Iesu Christi, Pater misericordiarum, & Deus totius consolationis.

ITanè totius consolationis Deus, Pater est? 761.
Adeonè aliæ res exsuccæ, vt nullam consolationis emittant guttam? Ita est, & falluntur, qui aliter credunt. Quicquid extra Deum polliceri delectationem aliquam potest, non potest dare. *Deus omnis consolationis*, inquit hîc Isidorus Clarius. *Ergo, qua aliundè comparatur, etiamsi videatur, non est consolatio*, consolationis quædam vmbra summùm est.

Benedictus Deus. Sensus est: benedictus sit Deus, idest à nobis laudetur, & efferatur propter opera suæ bonitatis nobis exhibita. AD DEVM BENEDICENDVM INVITAT ETIAM ALIOS, atque adeo plus dixit, quàm si dixisset, *Benedico Deum.* Scitè hîc S. Thomas notat quàm aliter nos Deum benedicamus, & nos Deus benedicat. *Dicere*, inquit, *Dei est facere, vnde* BENEDICERE DEI EST BONVM FACERE, *& bonum infundere, & sic habet rationem causalitatis. Dicere autem nostrum non est causale, sed recognoscit iuum seu expressiuum; vnde benedicere nostrum idem est, quòd bonum recognoscere.*

Pater misericordiarum, & Deus totius consolationis.

C*Vr, Pater* misericordiarum, dicitur, & non 762.
potiùs *Dominus*? S. Anselmus: *Ipse, dico, Pater misericordiarum, quia* EX VISCERIBVS EIVS PROVENIVNT IN NOS MISERICORDIÆ EIVS; *adeò* (vt loquitur Philo lib. de Mundi opif.) *ad benefaciendum natura est Deus propensus.*

Pater misericordiarum, mirum cur dixerit, *misericordiarum*, non *misericordia*, nec nudæ, *consolationis*, sed *totius consolationis*; id non casu, sed maximo mysterio ab Apostolo factum, nefas est ambigere. B. Bernardus serm. 5. in natali Domini rem egregiè versat. *Quare non Pater misericordia, sed Pater misericordiarum? semel locutus est Deus (ait Propheta) duo hac audiui, quia potestas Dei est, & tibi Domine misericordia. Caterùm Apostolus nobis in vno Verbo, in Filio vno ipsam quoque misericordiam duplicem commendat*, PATREM DICENS NON VNIVS TANTVM MISERICORDIÆ, SED MISERICORDIARVM, *& Deum non vnius, sed totius consolationis, qui consolatur nos non modò in hac, vel in illa, sed in omni tribulatione Misericordia Domini multa, ait quidam, videlicet quia multa tribulationes iustorum & de omnibus his liberabit eos Dominus. Vnus est Dei Filius, vnum Verbum: Sed miseria nostra multiplex, non modo magnam misericordiam, sed & multitudinem quarit miserationum. Fortè tamen propter substantiam duplicem, quâ subsistit humana conditio, cum sit vtraque tam misera, non incongruè duplex hominum dicatur esse miseria, licèt sit multiplex in vtraque. Si quidem, & corporis, & cordis nostri tribulationes multiplicata sunt, sed ab vtrisque necessitatibus eruit, qui totum hominem saluum facit. Cum ergo vnus ille, & vnicus Dei Filius, & iam nunc venerit propter animas, tollere scilicet*

peccata

peccata mundi, & secundò propterea sit venturus, vt ea resuscitet, & configuret corpori claritatis suæ: non incongruum fortassa videbitur, vt in eo quod Patrem misericordiarum benedicimus, duplicem hanc misericordiam confiteamur.

Pater misericordiarum. Vix, aut ne vix quidem repetias dictum Patrem *vltionum*, aut *iudiciorum*; quod obseruans B. Bernardus serm. 5. in Natali Domini ait: *Rectè non* PATER IVOICIORVM, VEL VLTIONVM OICITVR, SEO PATER MISERICOROIARVM: *non modo quod pater videatur misereri potiùs quàm indignari; & quemadmodum pater filiorum misereatur timentium: sed eo magis quòd miserendi causam & originem sumat ex proprio; iudicandi, vel vlciscendi magis ex nostro.* Et serm. 69. in Cantica. *Propter hec nempe non Pater Verbi tantùm, sed & Pater misericordiarum est appellatus, quòd innatum habeat* MISERERI SEMPER ET PARCERE.

Pater misericordiarum. S. Chrysostomus sic expendebat hæc verba. *Paulus incipiens a benignitate & clementia ipsum appellat, Deus misericordiarum, inquiens, hoc est, qui tanta miserationis specimen edidit, vt nos ex ipsis mortis portis eduxerit: Hoc enim maximè Deo proprium ac peculiare est, ipsiúsque naturæ insitum, nimirum ad hunc modum misereri. Ob hanc causam misericordiarum Deum ipsum vocat. Atque hinc* QVOQVE PAVLI HVMILITATEM VELIM CONSIOERES. *Nam quamuis Euangelicæ prædicationis causa periclitaretur, non tamen merito suo, sed per Dei miserationes salutem consecutum se esse ait.*

764. *Deus totius consolationis.* Vt aliquis homo in aliquo consolari alium hominem possit, solus est Deus qui consolari nos possit in omnibus; quod tetigit etiam Sanctus Thomas ad hunc locum: *Licet*, inquit, *in aliquibus malis homo possit in aliquo consolari, & quiescere, & sustentari,* TAMEN SOLVS OEVS EST, QVI NOS CONSOLATVR IN OMNIBVS MALIS, *& ideo dicit, Deus totius consolationis, quia si peccas, consolatur te Deus, quia ipse misericors est. Si affligeris, consolatur te, vel eruendo ab afflictione per potentiam suam, vel iudicando per iustitiam. Si laboras, consolatur te remunerando.*

Deus totius consolationis. Idest, vt inquit Glossa *perfectæ, quantam decet Deum clarere in his qui pro Christo patiuntur.* Lyranos *Est*, inquit, *Deus totius consolationis, conferens nobis bonum totaliter quietatiuum mentis, scilicet seipsum*, nam alioquin nihil infra Deum quietare mentē potest, quia nec potest implere. Solus Deus pat nostræ voluntatis gremio est, nimis exigua cætera sunt.

Sectio II.

765 *Sancti inter tentationes, & aduersitates Paradisum quendam inuenire videntur.*

765 *Patientia in tribulationibus veræ consolationis officina.*

765 *Proprium electorum in æstu tribulationis non relinqui sine refrigerio consolationis.*

766 *Iusti non facilè quærunt à tribulationibus eximi.*

766 *Diuinæ consolationis in aduersis perpetuitas.*

767 *Aptè alios consolatur, qui consolatione, qua indiguit, delibutus est.*

767 *Dei dona in alios deriuanda.*

767 *Quænam vera consolatio sit, & verus alios solandi modus.*

768 *Consolandi officium quàm eximium.*

768 *Apti ad alios consolandos redduntur, qui tribulationibus pressi consolationem à Deo accipiunt.*

769 *Passiones nostræ cur Christi dicantur.*

769 *Exhortatoriam vim ad virtutem suscipiendam tribulationes habent.*

769 *Qui tribulationes forti animo fert, in tribulatione positos, aptè consolari potest.*

770 *Pauli humilitas vt collecta.*

770 *Ad gratiarum actionem omnes excitandi.*

771 *Quàm ingrati beneficiis homines esse soleant.*

771 *Suas passiones Apostolus narrat, vt fortitudinem aliis inhalaret & patientiam.*

772 *Supra virtutem se grauatum, vt dixerit Paulus.*

772 *Quando ab humana spe res desperatæ sunt, tunc affert Deus auxilium.*

773 *Afflictiones ad Deum magis vrgent.*

Qui consolatur nos in omni tribulatione nostra.

IN tribulationibus tanta consolatione afficiebatur, vt oon solùm illam ille sentiret, sed & transfunderet in alios. Diceres in pressuris eum quendam Paradisum iouenisse. *Beatus Paulus*, inquit Sanctus Chrysostomus homil. 1. hìc, *cùm videret, quasi niuis cumulos, tentationes quotidie ingruentes; non aliter, quàm si* IN MEDIO PARADISO *vixisset, ita gaudebat gestiebátque.* 765.

Qui consolatur nos. Pleraque consolationis titulum circumferunt, quæ tamen non consolantur. *Quòd sit Deus consolationis*, ait glossa, *ex hoc patet, Quòd consolatur.* Sed qua ratione id facit? *Aliquando eruendo*, ait Lyranus, *& aliquando præmium promittendo; & aliquando* PATIENTIAM TRIBVENOO, *quod frequenter est melius, & magis expediens, quàm erui a tribulatione temporali.* Sicque patientia veræ consolationis officina est.

Qui consolatur nos. Græcè παρακαλῶν *consolans*; nec dixit qui consolatus est, *Sed significare vult aliquid perpetuum ergo electos*, inquit Estius; *etenim* PROPRIVM EST ELECTORVM IN ÆSTV TRIBVLATIONIS NON RELINQVI SINE REFRIGERIO CONSOLATIONIS DIVINÆ. 766.

In omni tribulatione. Hæc iustorū nota vt satis illis sit, si diuina consolatione in tribulationibus recreentur, NEC QVÆRVNT AB IPSIS TRIBVLATIONIBVS EXIMI, ab ipsis subleuari. Felix tribulatio, & mellea, licèt alioquin amara videatur, si diuinæ consolationis dulcedine cōdiatur.

Felix tribulatio cui comes diuina consolatio sit. *Non dixit*, inquit hic Sanctus Chysostomus: QVI NON SINIT NOS CALAMITATE AFFICI, SED QVI IN CALAMITATE NOS CONSOLATVR. *Nam hoc tum Dei potentiã declarat, tum eorum, qui calamitatibus premuntur, patientiam auget. Tribulatio enim, inquit, patientiam operatur. Id quod Propheta quoque his verbis indicabat. In tribulatione dilatasti me. Non dixit, Non passus es me in tribulationem labi, aut tribulationem confestim submouisti, sed ex manente dilatasti me: hoc est ingentem cordis latitudinem, & voluptatem mihi attulisti. Id quod etiam in tribus pueris contigit, Neque enim, quo minus in fornacem inciderent, prohibuit, nec cùm incidissent, flammam extinxit; verum flagrante fornace latitudinem ipsis præbuit. Hoc autem Deus perpetuò facere consueuit.*

Qui consolatur nos Continuationem quandam prætens hoc verbum insinuat. *Semper*, inquit Athanasius, *in hoc consolandi officio perseuerat. Propterea Paulus nequaquam illud, quod semel nos consolatus est, intulit; sed, Qui consolatur, adiecit, vt* PERPETVITATEM CONSOLATIONIS *ostendat.*

Vt possimus, & ipsi consolari eos, qui in omni pressura sunt, per exhortationem &c.

767. VT *possimus, & ipsi consolari.* Ineptus videtur esse consolator, qui tribulationibus, & pressuris circũseptus non indiget ipse cõsolatore; aptè alios consolatur, qui paria suffert, ac ille, qui consolationis vnguentu liniendus est. Sanctus Thomas hic. QVI NON EST CONSOLATVS, NESCIT, inquit, CONSOLARI; *qui non est tentatus, qualia scit, quæ sunt in qualibet pressura?* Denique maioris sunt ponderis apud afflictum illius verba, quem par afflictio aut corripuerit, aut corripiat; firmius radices figunt in infirmi mente verba, si ab infirmo sint, quam si à sano.

Vt possimus & ipsi consolari. Nimirùm non vult Deus in nobis sua dona claudi, vult in alios deriuari: consolatur nos, vt nos alios consolemur. *Notandum*, est, inquit hic Sanctus Thomas, *quòd in donis diuinis est ordo. Ad hoc enim Deus* DAT ALIQVIBVS SPECIALIA DONA, VT IPSI EFFVNDANT ILLA IN VTILITATEM ALIORVM. *Non enim dat lumen Soli vt sibi soli luceat, sed vt toti mundo. Vnde vult quod de omnibus bonis nostris, siue sint diuitiæ, siue potentia, siue scientia, siue sapientia, accrescat aliqua vtilitas aliis.*

Vt possimus, & ipsi consolari. Scilicet ægrè solari alios potest, qui diuina consolatione non est perfusus; amat Deus in proximi afflicti erectionem eam consolationẽ à nobis exire, QVÆ A DIVINA ST, DIVINAM SAPIAT; *quæ à nuda natura, vt ita loquar*, FODINIS EST, *vix consolationis meretur nomen, & animis erigendis est apta.*

368. *Per exhortationem quâ exhortamur.* Ex Græco verti potest; *per consolationem quâ consolamur.* Sic etiam plerique auctores habent: scilicet ex tribulationibus suis hunc quoque fructum collegit Apostolus, vt in iis dum consolationem à Deo accepit, didicerit alios consolari; vt dicat Sanctus Thomas superiùs aduocatus. *Qui non est consolatus, nescit consolari.*

Per exhortationem. Estius *per consolationem*, additque: *Innuit Paulus ad ministros Euangelij inter cætera* PERTINERE ETIAM CONSOLANDI OFFICIVM, ATQVE AD ID APTOS REDDI *dum, & ipsi tribulationibus pressi consolationem à Deo percipiunt.* Tam eximium est munus afflictos consolandi, vt Apostolos ipsos huic muneri aptare studeat illis consolationibus quibus illorum cor perfundit.

Quoniam, sicut abundant passiones Christi in nobis, ità & per Christum abundat consolatio nostra.

CVr passiones Christi vocat, quas fideles patiuntur? Oecumenius, & alij passiones 769.
Christi interpretantur, quas Christus patitur in membris suis; simplicius passiones Christi dicuntur, quas pro Christo, & eius Euangelio quis patitur; scilicet passiones nostræ dici non debent, nec in nostram vtilitatem sunt, nisi eas pro Christo sustineamus.

Siue autem tribulamur pro vestra exhortatione, & salute &c.

S*Iue autem tribulamur pro vestra exhortatione.* Magnus nexus est tribulationis, exhortationisque: tribulationibus enim premi, nec deprimi, exhortatio quædam est valdè efficax. *Ac si dixerit*, inquit ille: *Non mutæ meæ tribulationes, sed maximè vocales sunt; quippe quæ* EXHORTATORIAM VIM AD VIRTVTEM SVSCIPIENDAM HABENT. Hortantur igitur ad bonum boni, dum patiuntur mala; & altè inclamant cùm etiam altè silent.

Quæ operatur tolerantiam earundem passionum, quas & nos patimur.

Q*Vas & nos patimur.* Suo nimirum exemplo ad patientiam tribulationum inhortatur: *exhortatio enim*, ait hîc Liranus, *quæ fit verbo & facto est efficacior.* Benè in tribulatione positos potest consolari, QVI LÆTVS TRIBVLATIONES SVSTINET, alioquin vt leue est à tribulationibus liberum, tribulatione pressis consolatoria afferre verba, sic non magni ponderis consolatio ista est, nec efficaciter eius mentem subit, qui indiget consolatione.

Sicut socij passionum estis, sic eritis & consolationis.

S*Icut socij passionum estis.* Quam euehit quos tribulatio presserat! Summa hîc Apostoli hu- 770.
militas elucet; quod notabat etiam Sanctus Chrysostomus; *Quidnam est*, inquit, *quod* CVM HAC HVMILITATE COMPARARI POSSIT? *Quippe cum eos, qui tanto internallo ab eo dissiti erant, in eandem patientiæ laudem, dignitatémque subuehat.*

Non enim volumus ignorare vos, fratres de tribulatione nostra, quæ facta est in Asia.

CVr hanc afflictionem suam commemorat Paulus? *Vt ad gratiarum actionem*, inquit hic Estius, *pro beneficio suæ liberationis* DEO REDDENDAM EOS EXCITET. Nimirum licèt pericula

ricula præterierint, liberationis tamen memoria præſens nobis ſemper eſſe debet, vt gratias liberatori demus, & curemus etiam ab aliis pro nobis dari.

Quæ facta eſt in Aſia. Id eſt Epheſi, vt probæ notæ authores obſeruant, adeò vt reſpiciat Paulus ad illud periculum quod ſubiit, Demetrium Argentarium oppugnatorem habens; vt Actorum 19. refert Sanctus Lucas, narrans quæ ibi ſigna Paulus fecerit, quid in illorum ſalutem præſtiterit, vt iure hîc Sanctus Thomas ſcribat: *Hæc tribulatio facta eſt in Aſia, id eſt apud Epheſum, quæ eſt in Aſia,* VBI DEBVISSET MAGIS HONORARI ET CONSOLARI. Hoc nimirum pretio beneficia emere homines ſolent, & benefactores ſuos hoc honore redimire.

Suas paſſiones recenſet Apoſtolus, non vt conſolationem acciperet ab hominibus, ſed vt illis animum adiiceret, fortitudinem inhalaret, & ad paria ferenda prouocaret. Aptè Primaſius hîc: *Suas,* inquit, *verſat paſſiones, vt illi cognoſcant, ſe parua pati, maximè cum illi talia ſint perpeſſi, qui vice Chriſti fuerant deſtinati:* COMPARATIONE MAGISTRI ERVBESCANT DISCIPVLI SVAM DOLERE INIVRIAM, *cum magiſtrum maiora pertuliſſe cognouerint.*

Quoniam ſupra modum grauati ſumus, ſupra virtutem, &c.

772. *SVpra modum grauati ſumus, ſupra virtutem.* Videtur Paulus Paulo contrarius, nam alibi dixerat: *Deus non ſinet vos tentari ſupra id quod poteſtis;* nodum ſoluit Caietanus hîc: *Si obiicitur,* inquit, *quo pacto ſupra vires tam exceſſiuè Paulus deſcribit ſe grauatum, & tamen ipſemet in priore Epiſtola dixit, Fidelis Deus qui non ſinet vos tentari ſupra id quod poteſtis. Solutio eſt, quod hîc eſt ſermo de viribus naturalibus: ibi vero ſermo de potentia omni, tam naturæ quàm gratiæ. Vnde, & Paulus quamuis fuerit afflictus* SVPRA VIRES NATVRÆ *valdè exceſſiuè, non tamen fuit afflictus ſupra id, quod potuit tam ex natura, quam ex gratia.*

Sed ipſi in nobiſmetipſis reſponſum mortis habuimus, vt non ſimus fidentes in nobis; ſed in Deo, qui ſuſcitat mortuos.

VT ſit ſenſus: preſſura tam grauis fuit, vt me crederem moriturum in extremo vitæ periculo poſitum; licèt tunc Deus affuerit, cuius auxilium tunc maximè adeſt, cum res in ſummo periculo ſunt, ſpes omnis humani auxilij periit. Scitè S. Chryſoſtomus. QVANDO ERGO AB HVMANA SPE RES SVNT DESPERATÆ, SVVM TVNC AFFERT AVXILIVM. *Hoc fecit in Goliath: hoc etiam fecit in Apoſtolis. Et ideo dicebat Paulus: ſed ipſi in nobis ipſis iudicium mortis habuimus, vt non confideremus in nobis ipſis, ſed in Deo, qui excitat mortuos.* ſic ille expoſit. in pſal 117.

773. Hoc boni ab afflictionibus colligunt electi, vt diſcant non ſibi fidere, non ſuæ induſtriæ, aut prudentiæ; SED AD DEI AVXILIVM CONFVGIANT. Cum reipſa videant ſe nihil valere, & ſolum Deum auxiliarem manum poſſe admouere. Deus quoque bonis immittit mala, vt meliores reddat, ſibique coniunctiores.

Vt non ſimus fidentes in nobis, ſed in Deo; Nimirum nos in in diſcrimina Deus coniicit, nos afflictionibus exercet, vt ad eum curramus: quod ſcito nutricum exemplo ſic explicabat Iſidorus Clarius hîc: *ergo,* inquit, *hæc afflictionum natura eſt, vt Diuinæ benignitati magis fidentes faciat,* VT CVM NVTRIX PVERVM INCIPIENTEM INGREDI, PERMITTIT INTERDVM SIBI, VT METV LAPSVS ACRIVS NVTRICI ADHÆREAT, *& longius à caſu abſit, quò fuerat vicinior.* 774.

SECTIO III.

774 *Seruari non ſibi, ſed ſuis volebat Apoſtolus.*

774 *Bona conſcientia fiduciam parit impetrandi.*

774 *Notati qui reputant ſe bonos ex hoc quòd ab aliis laudantur.*

775 *Vt ſecura gloriatio ſit, quæ ex teſtimonio propriæ conſcientiæ naſcitur.*

775 *Ab alieni oris teſtimonio gloriandi materia elicienda non eſt.*

775 *Adulantium vocibus minimè credendum, ſed propriæ conſcientiæ.*

776 *Conſcientiæ noſtræ, non alienæ teſtimonio ſtandum.*

776 *Gloria, quæ ab hominibus, vana*

777 *Conſcientiæ propriæ teſtimonium quandò ſit validum.*

777 *Propria bonorum fama obtrectatorum inuidia quantùm noceat.*

778 *De aliorum profectu ſemper benè ſperandum, nec à bono incœpto alij auocandi.*

778 *Indicij cur dies Chriſti dicatur.*

779 *Damnati, qui culpas in alios reiiciunt: ea quæ ad laudem faciunt, ſibi ſolis tribuunt.*

779 *Humana infirmitas ne ſibi aliquid arroget in Dei operibus.*

780 *Cæleſtis præmij magnitudo expenditur.*

780 *Spiritus Sanctus, Pignus cur dicatur.*

781 *In fide ſtare quanti referat.*

Quoniam, & adhùc eripiet.

QVoniam, & adhuc eripiet; Qui eripuit idem eripiet à periculis, quæ Apoſtolo imminebant; ſed numquid Paulus tribulationes adeo vitabat, vt ſubduci ab illis, & cuperet, & ſperaret? Et vero iſtud non ſui cauſa dicebat, ſed ſuorum; ſeruari ſuis volebat non ſibi: *Eripiet in futuro,* inquit B. Dionyſius hîc, *ſimilibus periculis: non quòd Apoſtolus à tribulationibus erui* CONCVPISCIT, QVASI MORTEM PRO CHRISTO PATI IMPARATVS, SED QVIA IN CARNE MANERE NECESSARIVM FVIT PROPTER DISCIPVLOS.

Nam gloria nostra hæc est, testimonium conscientiæ nostræ.

RAtionem affert fiduciæ, de qua superiùs egerat, in hunc sensum, vt ait Estius: *Id de quo glorior, & confido coram Deo, testimonium est conscientia mea; quasi dicat, Propterea spero me liberatum iri à Deo, è pressuris quæ mihi adhuc instant, quia benè mihi conscius sum, ac de eo gloriari possum apud vos;* BONA QVIPPE CONSCIENTIA FIDVCIAM PARIT IMPETRANDI; sicut mala diffidentiam, & manus quodammodo diuinæ beneficentiæ ligat, qui se culpis obligat.

Testimonium conscientiæ nostræ. Quid refert quòd aliena lingua nos efferat, si conscientia nostra nos damnet. *Conscientiæ testimonio*, ait Lytanus, *debet homo magis credere de propria bonitate, quam testimonio hominum, qui vident tantùm exteriora; contra illos, qui reputant se bonos ex hoc* QVOD AB ALIIS LAVDANTVR.

775. Vt secura ista gloriatio sit, quæ ex conscientiæ testimonio nascitur, explicat in hunc modum Sanctus Bernardus serm. 13. in Cantica. *Si gloriandum est, Paulus me docuit vnde, & in quo. Gloria, inquit, nostra hæc est, testimonium conscientiæ nostræ.* SECVRVS GLORIOR, *si teste conscientia de gloria Conditoris nihil mihi vsurpo. Securus planè: quia iam non contra Dominum, sed in Domino.*

Testimonium conscientiæ nostræ. Aduocanda igitur conscientia est, non adulantium vocibus credendum. *Descendas*, inquit Petrus Blesensis epist. 3. *Descendas ad conscientiam tuam, & vide, si qua est tibi materia gloriandi; gloria enim nostra hæc est, testimonium conscientiæ nostræ, non credas adulatoribus, qui te lactant. Certè populus qui te beatificat, in errorem te inducit; ferant autem confestim confusionem suam, qui dicunt tibi, euge, euge. Inimici enim hominis domestici eius.*

Falluntur qui ab oris alieni testimonio gloriandi materiam eliciunt, conscientiâ propria contradicente; Aberat ab hoc errore Paulus; quod expendens S. Gregorius lib. 8. Moral. c. 30. ait. *Gloriam suam Paulus testimonium conscientiæ memorat*, QVIA FAVORES ORIS ALIENI NON APPETENS, *vitæ suæ gaudia extra semetipsum ponere ignorat.*

776. *Testimonium conscientiæ nostræ.* Non standum alienæ conscientiæ testimonio, sed nostræ; illud plerumque decipitur, & decipit, istud nec fallitur, nec fallit: vnde illi quoque errant maximè, qui hoc ipso se bonos putant, quòd alij mali sint. *Notandum*, inquit hîc Sanctus Thomas, *quòd conscientiæ testimonium verum est, quia non decipit. Multi enim exteriùs videntur boni, qui in conscientia sua non sunt boni. Et semper durat.* SED NON DICIT CONSCIENTIÆ ALIORVM, SED NOSTRÆ, QVIA SEMPER HOMO PLVS DEBET STARE TESTIMONIO CONSCIENTIÆ SVÆ DE SE, QVAM TESTIMONIO ALIORVM, *quod non faciunt illi qui reputant se bonos ex hoc, quòd alij sunt mali, non ex hoc quòd ipsi in veritate boni sint, Et illi qui gloriantur de bonitate alicuius boni viri, qui eis aliqua affinitate coniungitur.*

Gloria nostra hæc est. Hæc vera solidáque gloria, alia quæ ab hominibus vana, & inanis. Peritè Sanctus Bernardus serm. 4. de Aduentu Domini: *De gloria*, inquit, *dicit Apostolus: Gloria nostra hæc est testimonium conscientiæ nostræ. Hæc est vtique vera gloria, quæ est à Spiritu veritatis. Ipse enim Spiritus testimonium perhibet spiritui nostro, quòd filij Dei sumus,* GLORIA VERO QVAM AB INVICEM ACCIPIVNT, QVI GLORIAM QVÆ EST A SOLO DEO NON REQVIRVNT, VANA EST; *Quoniam vani filij hominum. Insipiens tu qui merces congregas in saccum pertusum: qui thesaurum tuum alieno in ore constituis: ignoras quod arca ista non clauditur, nec seras habet.*

777. *Testimonium conscientiæ nostræ;* Quod scilicet conscientia potiùs excipit, quam exhibet, vt censuit B. Bernardus serm. 2. in festo omnium Sanctorum. *Sic strenuus ille & fortis miles, cuius, & paulo ante fecimus mentionem. Gloria nostra hæc est, testimonium conscientiæ nostræ.* QVOD CONSCIENTIÆ TESTIMONIVM NON SIC INTELLIGENDVM PVTO, *tamquam ipsa sibi conscientia attestetur: Non enim qui seipsum commendat, ille probatus est, sed quem Deus commendat. Est ergo testimonium conscientiæ, in quo gloriatur Apostolus, non quod perhibet conscientia, sed quod loquitur Spiritus veritatis in ipsa testimonium perhibens spiritui nostro, quod filij Dei sumus: Est enim testimonium conscientiæ non perhibentis, sed percipientis.*

Spero autem, quòd vsque in finem cognoscetis.

S*Pero autem quòd vsque in finem cognoscetis.* Scilicet perfectè, sicut modò ex parte cognouistis; neque enim adhuc plenè Pauli nouerant probitatem, nec honorificè, vt par erat, de suo Apostolo sentiebant, *auscultantes*, vt Estius ait, *æmulis, & obtrectatoribus Pauli;* vt hinc colligas, QVANTVM PROPITIÆ BONORVM FAMÆ OBTRECTATORVM INVIDIA NOCEAT, vt Pauli nomen tot facinoribus nobile inficere nonnihil potuerint malè de Apostolo sentientes Pseudo-Apostoli.

778. *Vsque in finem cognoscetis.* Bonorum vita vt semper fit perfectior, sic perfectius etiam cognoscitur ab his, qui illos obseruant. Vtile est quod hinc colligit Sanctus Thomas; *Cum quis*, inquit, *videt aliquem benè incipere, debet sperare, quod semper bene proficiat;* contra ac illi præstent, qui inuidia tacti, vbi viderint aliquem relicta vita veteri nouam inire, statim prædicunt in eo vitæ instituto non duraturum, & eum addere animos deberent, adimunt.

In die Domini nostri Iesu Christi.

I*N die Domini nostri Iesu Christi.* Et non omnes dies sunt dies Christi, cur igitur hoc titulo donatur extremus? Sanctus Thomas hîc: *In die Domini nostri Iesu Christi; id est,* IN DIE IVDICII, QVI DICITVR CHRISTI, *quia tunc faciet voluntatem suam cum peccatoribus, puniendo eos, qui in hoc mundo fecerunt voluntatem suam peccando.*

Et hac confidentia volui priùs venire ad vos, vt secundam gratiam haberetis.

779. CVm singulari nunc numero loquitur, qui plurali hucusque loquutus fuerat, fecit

illud

iſtud vt modeſtiæ litaret, illud verò, ne aliquem culpæ dilati aduentus participem efficere videretur; contra ac ſoleat a nobis fieri; quæ ad laudem, nobis ſolis tribuimus; quæ ad defectum, alios nobiſcum ſociamus, imo etiam culpam totam in eos reiicimus. Siſtenda hic verba Eſtij. *Cum autem*, inquit, *hactenus plurali numero de ſe locutus fuerit, vtique modeſtiæ cauſa, quod verſaretur in iis commemorandis quæ ad ſuam laudem pertinerent: hic iam vbi de purganda culpa agitur, numerum mutat, ac ſingulariter de ſe loquitur*: NE QVEMQVAM ALIVM INVOLVERE SECVM IN CAVSAM VIDEATVR.

Qui autem confirmat nos vobiſcum in Chriſto.

QVi autem confirmat nos. Vtile eſt, quod hîc affert Primaſius. *Quia*, inquit, *dixerat per nos; modò hoc totum* OSTENDIT DEVM FACERE, *qui in eis iſta omnia operatus eſt: ne ſibi aliquid humana infirmitas arrogaret.*

Et dedit pignus Spiritus in cordibus noſtris.

780 DEdit pignus Spiritus. Præmij, mercedíſque magnitudinem à pignoris, & arrhæ magnitudine conijce: *Omnis arrha*, inquit hîc Primaſius, *ſua pretij magnitudine datur*: QVANTVM ERGO PRÆMIVM EST, *cuius tanta eſt arrha, id eſt gratia Spiritus!*

Et dedit nobis pignus Spiritus. Quid pignus hîc Spiritus referat, explicat in hunc modum S. Thomas: *Dicit*, PIGNVS; *quia pignus debet tantùm valere, quantùm valet res pro qua ponitur: ſed in hoc differt a re pro qua ponitur: quia pleniori iure poſſidetur, quando non habetur, quam pignus: quia res poſſidetur vt quid ſuum, pignus vero ſeruatur, & tenetur quaſi pro certitudine rei habendæ. Ita eſt de Spiritu ſancto: Quia Spiritus ſanctus tantùm valet, quantùm gloria Cæleſtis: ſed differt in modo habendi; quia nunc habemus eum quaſi ad certitudinem conſequendi illam gloriam: in patria verò habebimus vt rem iam noſtram, & à nobis poſſeſſam; tunc enim habebimus perfectè, modo imperfectè. Sic ergo retardatur deſiderium gratiæ à deſiderio naturæ. Sed numquid impeditur? Non, ſed deſiderium gratia vincit.*

Non quia dominemur fidei veſtræ, ſed adiutores ſumus gaudij veſtri.

781 POſtrema verba cum prioribus ita vertit Sanctus Gregorius lib. 26. Moral. cap. 19. *Paulus bene agentibus fratribus prælatum ſe eſſe neſciebat, cum diceret: non quia dominamur fidei veſtræ, ſed adiutores ſumus gaudij veſtri: atque illicò adiunxit: fide enim ſtatis: ac ſi diceret: ideo non dominamur fidei veſtræ, quia fide ſtatis. Æquales enim vobis ſumus*, VBI VOS STARE COGNOSCIMVS; Tantùm refert in fide ſtare. Poſſunt & hoc explicatu hæc verba donari. Quod ad fidem attinet, ſtatis, nec excidiſtis ab ea, quare non eſt quod metuaris ne fidei cauſa poteſtatem Apoſtolicam in vos exerceam; verùm ſunt alia quædam apud vos meritò punienda:

CAPVT II.

EPISTOLÆ SECVNDÆ ad Corinthios expenditur & illuſtratur.

SECTIO I.

Confidens in omnibus vobis, quia meum gaudium, & omnium veſtrûm eſt.

AC ſi diceret, Animo iam concepi quòd me gaudente vos omnes ſitis gauiſuri, adeo vt meum gaudium in vos reſiliat; ſed cur de omnibus id aſſerit? & numquid non poterant eſſe aliqui in tanta multitudine, quibus gaudium Pauli, gaudij non eſſet materia? PRÆSVMENDVM EST BONVM DE OMNIBVS, inquit hîc Caietanus, *ex eo quòd non conſtabat ei contrarium de aliquo*; vel vniuerſe loquitur, totam Corinthiorum Eccleſiam ſignificans, licèt non quantùm ad ſingulos ſine exceptione. 782

Sed vt ſciatis, quam charitatem habeam abundantius in vobis.

VT ſit ſenſus; Scripſi vobis, & vos reprehendi, vt huiuſmodi litteris teſtatum vobis facerem meum erga vos amorem; Corinthios non obiurgauit tantùm Paulus, ſed etiam extulit

lit; & tamen à reprehensione amorem eius in eos vult colligi: *Est autem*, inquit hic Estius, *vera, & magna charitatis argumentum, si quis eorum quos curare debet, peccata non dissimulet*, SED APERTE ET OPPORTVNE CORRIPIAT: *etiam adhibita, si opus sit, duriori increpatione: quamuis nouerit eos inde contristandos.*

Ne fortè abundantiori tristitia absorbeatur, qui eiusmodi est.

783. NImirum in pœnis emendari hominem curare superiores debent, non obrui, ac nimia tristitia perdi: ac si à nimio mœrore plus damni illi, qui peccauerat, Paulus timuerit, quàm à Dæmone ipso, cui illum tradiderat. Aduocanda huc sunt, quæ habet in hanc rem Sanctus Chrysostomus lib. 2. de prouidentia, cap. 1. ait enim: *Non Dæmon est qui mœrorem mouet, sed mœror potius vires Dæmoni administrat, cogitationésque malas suscitat; attestatur huic rationi nostræ Beatissimus Paulus qui cum de lapsu in scelere ruinam Corinthiis scriberet, non Dæmonem aliquem metuere*, SED MOERORIS MAGNITVDINEM TIMERE, *deprehenditur; ne fortè, inquiens, abundantiori tristitiâ absorbeatur qui talis est; Cæterùm vt concedamus Dæmonem acrius instare, pulso ex animo mœrore: quid iam erit ex hoc incommodi, vel detrimenti? quid hic per se solus aut parum, aut magnum possit contra nos? at vero* MOEROR ABSENTE DÆMONE, MVLTA PER SE HORRENDA EFFICIT, *plurimósque eorum qui sibi nexuerunt laqueos, consciuerunt gladios, vel fluuiis se vndis, vel flammis donauerunt, vel alio quouis genere perdidere, seipsos sola doloris, ac mœroris vi ad ita occumbendum impulsos reperiemus.*

784. Quòd si tam noxius nimius mœror illi, tam noxia nimia tristitia erat, qui illa citò indigebat, quid erit illis qui hac non indigent medicina? Ab eodem calamo hæc eadem cautio est. *Adeo est ille acer atque efficax, vt etiam ope sua indigentibus, si plus temporis quàm necesse sit immoretur, maximorum malorum causa sit; quod & B. Paulus metuens, citò illum, postquam fecerat, quod suum erat, auferri iussit, causámque protinus adiecit eam: ne fortè, inquit, absorbeatur abundantiori tristitia*; PORRO SI NIMIVS MOEROR IRRVENS, EOS ETIAM, QVIBVS ERAT NECESSARIVS, SÆPIVS PERDIDIT: *quid illis faciet, qui cum non indigeant, sponte illum sibi consciscunt?* Ita Sanctus Chrysostomus lib. 3. de Prouidentia cap. 15.

Ne fortè abundantiori tristitiâ absorbeatur. Erigit quem correxerat, & punierat: mitius cum peccatore agendum est, cum peccati sui onus sentire ipse incipit. Hoc monitum ex hoc Pauli loco colligebat S. Gregor. Nyssenus de Beatitud. or. 4. *Paulus*, inquit, *eum qui in cubile patris debacchatus erat, tandiu sermone verberat, & castigat, quamdiu peccatum non sentiebat: posteaquam autem obiurgationis medicina motus erat, quasi iam per luctum beatum factum consolari incipit*, NE NIMIO DOLORE, INQVIT, ABSORBEATVR. Grauius cum illis agas, qui peccati sui grauitatem non agnoscunt.

Cui autem aliquid donastis, & ego.

AC si diceret. In eo, ad quod vos hortor, me à vobis non seiungo; quod me hortante feceritis, idem & ego facio; contra ac frequenter accidere solear, vt cùm alter aut donat, aut condonat, alter irascatur. Sistenda hîc quæ habet S. Gregor. lib. 1. hom. 7. in Ezechielem. *Paulus Apostolus, dum cuidam pœnitenti de perpetuo facinore Corinthios prospiceret voluisse misereri, ait: Si cui aliquid donastis, & ego. Nam & ego quod donaui, si quod donaui propter vos in persona Christi, vt non circumueniamur à Sathana; non enim ignoramus cogitationes eius. Si enim parcendum erat, cur se humiliati tantæ voluntatis, discipulorum magister egregius sociat, vt neque ipse à discipulis, neque ab eo discipuli in compassionis causa diuisi viderentur: nisi quia sollicito prouidentiæ oculo attendit, quod* PLERVMQVE DVM ALTER DONAT, ALTER IRASCITVR? *& quale est tam* MISERICORDIÆ SACRIFICIVM, QVOD CVM DISCORDIA PROXIMI OFFERTVR? 785.

Nam & ego quod donaui, si quid donaui, propter vos in persona Christi.

AC si diceret, Si cui graue aliquod delictum condonaui pœnitentiam ineunti, id feci 786.
tanquam Christi minister, cuius in ea re personam refero; *sic autem loquitur*, inquit hic Estius, *vt in seipso, generale proponat exemplum omnibus Ecclesiæ Prælatis imitandum, quò sciant in ligandis, aut soluendis subditis agere se debere*, NON VT DOMINOS, SED VT CHRISTI MINISTROS; *totum quod agunt referentes ad salutem publicam, & Christi gloriam; cuius personam gerunt.*

In persona Christi. Hoc est nomine, ac authoritate Christi, cuius scilicet personam Paulus referebat. Adeo vt sicut superius *in nomine Domini Iesu Christi*, hominem Satanæ tradiderat; sic in eiusdem Christi nomine eum absolueret, & nullum hîc locum affectio haberet, nihil amicitiæ causâ fieret; Vnde, & glossa, quæ inter lineas; *In persona Christi, ac si ipse Christus condonaret, ne irrita videatur huiusmodi* CONDONATIO, QVÆ PROPTER AMICOS. Vtilis illis cautio, qui Ecclesiasticâ auctoritate dispensant, & aut ligant, aut soluunt, vt nihil AMICITIÆ CAVSA faciant, sed quod æquum, & iustum est, spectent.

Vt non circumueniamur à Satana.

VT *non circumueniamur à Satana.* Scilicet non solùm à Satana circumuenitur qui peccat, sed & qui nimiùm rigidus in peccantes est; nimia quippè seueritas, & peccatores in desperationem impellit, & eâ affectos in periculum vocat: *Diabolus*, inquit hîc Sanctus Thomas, *multos decepit; quosdam, scilicet trahendo ad peccatorum perpetrationem*, QVOSDAM VERO AD NIMIAM RIGIDITATEM CONTRA PECCANTES, *vt si non potest eos habere per perpetrationem facinorum, saltem perdat quos iam habet per Prælatorum austeritatem, qui eos non misericorditer tractant, & illos diaboli laqueus includit.*

Vt non circumueniamur. Pacianus legit, *Ne possideamur*; alij, *ne occupemur.* Sensus est, condonationem faciendam lapsis, & pœnitentibus, ne 787.
Diabolus occasione nostræ nimiæ seueritatis illos

illos nobis eripiat, & in ſuam poſſeſſionem vendicet, vt malum quod aliis accidit NOSTRÆ SEVERITATE TRIBVTVM NOSTRVM FIAT, & nos poſſideamur io illo quod à Satana poſſidetur. Sanctus Gregorius paulo alitet hunc locum verſat: *Vt non circumueniamur à Satana; non enim ignoramus cogitationes eius, quia videlicet inde in alterius corde rixa malum ſolet immittere, vnde alterum conſpicit pietatis negotium feciſſe.* Sic ille lib.1.hom.7.in Ezechielem.

Non enim ignoramus cogitationes eius.

COgitationes eius. Tettullianus legit, *iniectiones*; alij *illaqueationes*, alij *aſtutias*. Nec ab re numeroſe loquitur, vt innueret varias eſſe eius technas, ac fraudes. Petrus Bleſenſis in cap.1. Iob. *Sunt* MVLTÆ EIVS ASTVTIÆ, *vt Apoſtolus dicit: Non ignoramus, inquiens, aſtutias Satana.*

SECTIO II.

788 *Oſtium magnum cur dicatur apertum Paulo.*
788 *Spiritui potiùs quàm carni eequies quaeenda.*
789 *Patientia teiumphi genus nobile.*
789 *Triumphus Dei eſt paſſio Martyrum.*
789 *Teiumphare in nobis vt Christus dicatue.*
789 *Diuinæ notitiæ ador peeſequutionibus, & preſſuris aptè dffunditue.*
790 *Chriſti bonus odor ſit, qui Chriſti odorem in alios effundere debet.*
790 *Boni, bonus odor ſunt etiam malis.*
791 *Bonus odor cur peadicatio dicatur.*
791 *Tanquam holocauſtum Deo Dei ſeeuus offertue.*
792 *Bonorum eſt, bonum odoeem exhalare etiam malis.*
793 *Ad bonum odorem perire vt aliqui poſſint.*
794 *Bonus vita odoe iis ad mortem, qui deteahunt, & virtutum opera malè interpretantur.*
795 *Inuidis occaſio mortis eſt, quod vita eſſe debebat.*
795 *Odor mortis, inuidia.*
796 *Vnus odor vt mortem, & vitam ſimul confeeat.*
796 *Adulterari Dei verbum, vt dicatur.*

Et oſtium mihi apertum eſſet in Domino, non habui requiem ſpiritui meo, &c.

288. OSTIVM *mihi apertum eſt.* Et qui oſtium magnum magno Paulo diductum eſt? Caietanus hîc: *ſermone metaphorico deſcribit aditum ſibi ad conuertendum alios apertum, tum magnum, tum efficacem.* FORTE ALIQVEM CONVERTERAT *per quem multitudo magna erat efficaciter conuertenda. Dico autem per quem non prædicantem, ſed cuius imitatione ob illius authoritatem; quum conuertitur enim aliquis Princeps, aut Philoſophus, ianua magna aperitur, quæ tunc eſt efficax, quum multitudo imitari conſpicitur.*

Non habui requiem ſpiritui meo; Alij legunt: *In ſpiritu meo*; Id eſt animo non conquieui, *quia*, vt ait Sanctus Hieronymus, *ſperatam conſolationem inuenire non potui.* Nec illud myſterio vidùum, quòd *ſpiritui meo* potiùs dixit, quàm *carni meæ*, aut *meo corpori*; quod expendens S.Thomas hîc ait: *Apoſtolus* NON DICIT, NON HABVI REQVIEM CARNI MEÆ, VEL CORPORI, SED SPIRITVI MEO, *id eſt voluntati meæ ſpirituali, quæ eſt, vt Chriſtum ſirmem in cordibus hominum. Et impediebar quia videbam corda parata, & diſpoſita, & non poteram prædicare.*

Qui ſemper triumphat nos in Cheiſto Ieſu.

AC ſi diceret: Triumphare nos facit, conſpicuos oos reddit velut triumphum agentes; vt parum Deo ſit victores in omni preſſura ſuos reddere, vt teddat etiam glorioſos, idque per Chriſtum, in quo ſolo, & vincimus, & triumphamus. Et vt non deſit aliud victoriæ genus, elucet in Dei cultoribus patientia. Hinc Lyranus hîc: *De perſequutoribus facit nos* TRIVMPHARE PER PATIENTIAM, *ſecundum illud: nobile vincendi genus eſt patientia, vincit qui patitur, ſi vis vincere diſce pati.* Alioquin iniurias iniuriis repetcutere, non eſt vincere, ſed maxime à victoria excidere. 789.

Triumphat nos. Per nos agit triumphum ſuum Deus, ſed hoc præcipuè facit in Martyribus: Hinc illud Sancti Hieronymi: TRIVMPHVS DEI EST PASSIO MARTYRVM. Numera Martyrum victorias, & Chriſti triumphos numeraueris; niſi quod in vno Martyre pluries triumphat, & in vna victoria pluries vincit.

Semper triumphat. Verbi huius vim aptè expendebat Sanctus Chryſoſtomus hîc. *Quod dedecoris*, inquit, *ſpeciem habet, nimirum quouis tempore vexari, atque exagitari, hoc nos ſummo honori ducimus. Ob idque non dixit: Qui nos conſpicuos reddit, ſed qui* TRIVMPHAT. *Qua voce hoc indicat, huiuſmodi perſecutiones vbique terrarum perpetua aduersùs Diabolum trophæa erigere.*

Et odorem notitiæ ſuæ manifeſtat per nos in omni loco.

SEnſus eſt; ſui notitiam, ac famam velut odorem quendam ſpargit quaquauerſum per me, laboriſque mei ſocios; ſed cur odoris metaphorâ vtitur? quia non prædicabat duntaxat, ſed perſecutionum etiam piſtillis, vt ita loquar, terebatur. Scitè Eſtius: *Non modo prædicamus Chriſtum apud omnes, ſed etiam* PERSECVTIONIBVS, ET PRESSVRIS QVASI PISTILLIS CONTERIMVR, *vt odor notitia Dei, id eſt, fama eius, à nobis quàm longiſſimè diffundatur. Res enim odoriferæ ſi conterantur, vt vehementius olent, ita longius odorem ſpargunt.*

Nimirum qui Chriſti odorem, fragrantiámque 790.

que effundunt in alios, ipsi quoque odot Christi debent effici, vt odorem vitæ tedoleant quem verbis emittunt. Audiendus hîc Sanctus Augustinus, qui serm. 1. in appendice ad 40. nuper editos ait: *Hunc odorem commendat Apostolus Christianis cùm dicit: Deo autem gratias qui triumphat nos in Christo Iesu, & odorem notitiæ suæ manifestat per nos in omni loco, quia Christi bonus odor sumus Deo. Considerate quantùm Apostoli profecerint, sentiendo odorem Christi, & cum prædicationis instantia, & sanctitate vitæ etiam cæteris præferendum,* QVI DVM OOOREM SVAVIFRAGRANTIÆ CHRISTI VBIQVE DIFFVNDVNT, IPSI QVOQVE BONVS DEO ODOR EFFECTI SVNT. *Quod etiam in vobis, fratres dilectissimi, cupimus impleri, vt cùm ipsi bonum odorem Christi notitia ceperitis, suauissimus Deo odor etiam ex vestra vitæ sanctitate conscendat.*

Quia Christi bonus odor sumus Deo, &c.

BOnus odor est bonus etiam malis, vt quod pereant, sibi soli tribuant, non bonis; *Cum diceret*, inquit Sanctus Augustinus lib. 2. quæst. super Exodum: *Christi bonus odor sumus in omni loca. Etiam illud adiunxit, & in iis qui salui fiunt, & in iis qui pereunt. Non dixit, Christi bonum se odorem esse iis qui salui fiunt, malum autem iis, qui pereunt,* SED TANTVM BONVM OOOREM SE DIXIT. *Hi verò tales sunt, vt & bono odore pereant secundùm sui cordis, vt sæpe dictum est, qualitatem, quæ mundanda est bonâ voluntate in Dei gratiam, vt incipiant ei prodesse iudicia Dei, quæ malis corde nocent.*

791. *Christi bonus odor sumus.* Benè de hoc odote Primasius hîc. *Odor notitiæ Dei, per doctrinam, & signa manifestatur. Oder autem ideo, quia sentitur potius, quàm videtur.* BONVS ODOR, PRÆDICATIO SANCTA EST, *& vita bona; qui amant talem, bono odore viuunt: qui inuident, bono odore moriuntur.*

Christi bonus odot Apostolus erat, & debent esse Apostoli imitatores, vt nouerint tanquam holocaustum Deo offerendos in odorem suauitatis. *Loquitur*, inqnit hîc Sanctus Thomas, *ad similitudinem legis, vbi dicitur quòd sacrificium fiat in odorem suauitatis suauissimum Deo, quasi dicat.* NOS SVMVS HOLOCAVSTVM, QVOD OFFERTVR DEO *in oderem suauitatis.* Præstat hæc oblatio veteri illi, quia ibi semel, & stato in loco res offerebatut in holocaustum; hîc sempet offerri debet, & in omni loco.

792. Bonotum est, bonum odorem exhalare etiam malis, licet isti, dum bonis detrahunt, odorem vitæ vertant in odorem mortis. Huc Apostoli hæc verba flectebat Sanctus Augustinus in Psalm. 92. *Audi Paulum Apostolum imitantem Dominum suum, quomodò & ipse habuit decorem, habuit fortitudinem. Christi bonus odor sumus, inquit, in omni loco; & in his qui salui fiunt; & in his, qui pereunt. Quibus enim placet bonum, salui fiunt: qui detrahunt bono, pereunt. Quod suum erat, ille odorem habebat bonum; immò bonus odor erat: sed væ miseris, qui & bono odore moriuntur.* NON ENIM AIT: ILLIS BONVS ODOR SVMVS, ILLIS MALVS ODOR SVMVS. SEO, CHRISTI BONVS OOOR SVMVS, AIT, IN OMNI LOCO; *& in his, qui salui fiunt; & in his, qui pereunt. Subiecit statim: Aliis quidem sumus odor vitæ in vitam, aliis odor mortis in mortem. Quibus enim erat odor vitæ in vitam, decorem induerat: quibus erat odor mortis in mortem, fortitudinem induerat.*

Bouus odot Paulus non bonis tantùm, sed 793.
etiam malis, & iis qui pereunt; sed quî ad bonum odotem petire aliqui potuerunt? quia in bono odote illum emittenti inuidebant. Peritè Sanctus Augustinus in Psalm. 44. *Audi Paulum dicentem: Christi bonus odor sumus in omni loco, & in iis, qui salui fiunt, & in iis qui pereunt. Non dixit bonus odor in iis qui salui fiũt, & malus odor in iis, qui pereunt, sed quod ad nos attinet, bonus odor sumus, & in iis, qui salui fiunt, & in iis qui pereunt. Saluum fieri hominem bono odore non est improbabile, neque incredibile.* PERIRE AVTEM HOMINEM BONO ODORE, QVÆ RATIO EST? *Magna vis, magna veritas: & si capi non potest, ita est. Nam vt noueritis quia difficilè capitur, statim subiecit: Et ad hæc quis idoneus? quid est? adhuc quis idoneus? Quis intelligat homines mori bono odore? Tamen aliquid dicam fratres. Ecce ipse Paulus prædicabat Euangelium, multi illum amabant prædicatorem Euangelij, multi inuidebant, bono adore peribant. Ideo & pereuntibus non malus odor, sed bonus odor, ideo enim magis illi inuidebant, quia tam bona in illo gratia prævalebat: nemo enim inuidet misero.*

Nimirum etiam bonus odot ad mortem illis 794.
est, qui bonis detrahunt, nec bene interptetantur, quod bonum est. Audiendus hîc Beatus Laurentius Iustinianus, de Institutione Prælatorum cap. 12. *Paulus ait: Christi bonus odor sumus Deo in omni loco. Non autem pariformiter: nam aliis ador vitæ ad vitam, aliis odor mortis ad mortem. Vitæ, inquam, iis qui ædificantur, glorificant Deum, & salui fiunt.* MORTIS VERO IIS, QVI PEREVNT, QVI SCANDALIZANTVR, DETRAHVNT, VIRTVTVMQVE OPERA INTERPRETANTVR NON RECTE, ET VNDE OEBVERANT REFORMARI AO BONVM, INOE DETERIORES FIVNT. *Vide quæso odorem fragrantissimum, factum vtique Iudæis, aliis odorem vitæ ad vitam, aliis odorem mortis ad mortem, Dominum dico nostrum Iesum Christum. Miracula faciebat, loquebatur cœlestia, & tamen alij dicebant, quia bonus est, alij verò non, sed seducit turbas. Nec mirum si hoc Iudæis contigit, qui carnales erant, & secundùm carnem de Christo sapiebant, quando etiam discipulis id legitur accidisse. Quum enim ipse Dominus Corpus suum in cibum ad manducandum, & Sanguinem suum in potum ad bibendum, sub specie panis, & vini se daturum pollliceretur, multáque de ipso Sacramento altaris loqueretur, quæ spiritualiter intelligenda erant, nonnulli eorum, qui audiebant, & secundùm carnem sapientes non credebant, scandalizabantur, sicut scriptum est. Ex hoc, inquit Euangelista, multi discipulorum abierunt retrò, & iam cum illo non ambulabant. Odor namque bonus istis non credentibus, factus odor mortis ad mortem, credentibus autem hic odor fuit odor vitæ ad vitam.*

Aliis odor mortis in mortem: Christi b nus 795.
odot erat Paulus? cur igitur se aliquibus odorem in mortem esse fatetur? *Apostolus*, inquit Hugo Victorinus hîc quæst. 4. *non erat nisi odor bonus, & tamen hoc odore bono alij moriebantur, id est,* OCCASIONEM PER INVIOIAM SVMEBANT; nimirum, quod solet esse vitale, lethale inuidis erat.

Aliis odor mortis in mortem, Et quinam est iste odot mottis? *Odor mortis*, inquit hîc Sanctus Thomas,

Thomas, *id est*, INVIDIÆ, *& malitiæ occasionaliter ducentes eos in mortem æternam, illis scilicet, qui inuidebant bona famæ Apostoli.*

796. *Aliis odor mortis.* Pulchrè hîc Primasius: *Vnus* ODOR QVOMODO, ET VITAM, ET MORTEM *confert. Sicut enim Solis aspectus sanis oculis claritatem, lippientibus adfert cæcitatem: ita doctrina Christi obedientibus vita, contradicentibus mors est.*

Non enim sumus, vt plurimi, adulterantes verbum Dei.

ILle præcipuè Dei verbum adulteratur, qui non fructum ex eo quærit, sed humanam laudem: S. Gregorius lib. 22 moral. c. 12. ADVLTERARI *verbum Dei, est aut aliter de illo sentire quàm est; aut ex eo non spirituales fructus, sed adulterinos fœtus quærere laudis humanæ.*

CAPVT III.

EPISTOLÆ SECVNDÆ ad Corinthios expenditur & illustratur.

797 *Quod à Spiritus sancti gratiâ in nobis scriptum, cauendum, ne peccatis nostris deleatur.*

798 *Carnale cor ob tractabilitatem, & obedientiam maximè commendatur.*

798 *Cogitationes non videntur esse apud Deum, quæ merito carent.*

798 *De nobis omninò debemus diffidere: confidere in Deo.*

799 *Lex vt occidere dicatur.*

799 *Littera vt reos nos faciat.*

800 *Mariæ splendor.*

800 *Euangelij ministerium quàm nobilius Mosaïco.*

801 *Diù non stat, nec perseuerat, quod solo timore fit.*

801 *Doctoris est, liberè loqui.*

801 *Difficilis, & paucorum plena ad Deum conuersio.*

802 *Qui sacras litteras tractant, sacrare se totos Deo debent.*

802 *Vera libertas à passionibus liberari.*

Epistola nostra vos estis scripta in cordibus nostris, quæ scitur, & legitur ab omnibus hominibus.

797. AC si diceret, Abundè nos commendat, & vobis; & aliis fides vestra, vestri mores, in vobis legitur, quid præstitum à nobis sit; *Quare*, inquit Estius, *quemadmodum opus commendat opificem, & sigillum facit certam fidem rei signatæ; ita vos estis mihi loco epistolæ commendatitiæ per vosmetipsos obsignatæ.*

Scripta non atramento, sed spiritu Dei viui; non in tabulis lapideis, sed in tabulis cordis carnalibus.

TAntùm quod à supero Spiritu in nobis est scriptum, cauendum est, ne culpis deleatur. Vtile est quod ad hæc verba habet S. Ambrosius in Psalm. 1. vbi ita scribit huc spectans: *Epistola nostra vos estis, inscripta non atramento, sed Spiritu Dei viui: non in tabulis lapideis, sed in tabulis cordis carnalibus. Sunt ergo tabulæ cordis inscriptæ Spiritu sancto: istæ recitabuntur. Si bene egeris manebit scriptura, vide ne tollas Spiritus sancti gratiam:* VIDE NE DELEAS, ET SCRIBAS ATRAMENTO FLAGITIA TVA, *ne veniat dies Iudicij, & dicat Iudex: recitentur libri, recitentur tabulæ gestorum eius, & dicat tibi. Ego scripsi tabulas tuas; cur delêsti apices meos? Ego scripsi dona mea, quomodo delêsti munera mea, & scripsisti opprobria tua?*

In tabulis cordis carnalibus. Carnale hîc non sumitur, vt opponitur spirituali, sed vt opponitur duro. Benè Lyranus. *Carnalibus, id est,* TRACTABILIBVS PER OBEDIENTIAM *promptam.* Et interlinearis Glossa; *carnalibus*, id est, *mollibus per affectum implendi.* Maximè spiritualis est carneum in hunc sensum cor habere. Omni spiritus vigore viduus est, qui corde carneo destituitur, caro alioquin non prodest quicquam, carneum cor tantùm prodest, & sine illo vix prosunt cætera, aut ne vix quidem. 798.

Non quòd sufficientes simus cogitare aliquid à nobis, quasi ex nobis: sed sufficientia nostra ex Deo est.

ET non mala quis sufficit ex se cogitare, cum possit, & ex se facere? Potest; sed Apostolus hîc loquitur de ea cogitatione, déque *bonis illis*, vt ait etiam Hugo Victorinus hîc, QVÆ MERITVM *habent apud Deum*, ac si esse non videantur, quæ carent merito, nec Deo grata sunt.

Sufficientia nostra ex Deo est. Maximè deficit qui se sibi putat sufficere, & sufficientiam à se habere. *Porrò*, addit Beatus Laurentius serm. in Epiphania Domini, *si nostra sufficientia ex Deo est, & non ex nobis,* DE NOBIS OMNINO DIFFIDERE DEBEMVS, CONFIDERE AVTEM IN DEO, *qui singulis singula impertitur dona virtutum.*

Littera enim occidit: Spiritus autem viuificat.

L*ittera enim occidit*; Si nimirum nuda littera sit, & legatur lex duntaxat, non adimpleatur: *Inde est, & illud*, inquit Sanctus Augustinus lib. 1. ad Simplicianum, quæst. 1. *Littera occidit, spiritus autem viuificat*; LEX ENIM TANTVMMODO LECTA, ET NON INTELLECTA, VEL NON IMPLETA, VTIQVE OCCIDIT, TVNC ENIM APPELLATVR LITTERA. *Spiritus autem viuificat, quia plenitudo legis est charitas, quæ fusa est in cordibus nostris per Spiritum sanctum, qui datus est nobis.* 799.

Littera enim occidit, non quia mala, sed quia sola, *sola littera*, inquit S. August. serm. 22. ex tom. nouissimè editis, *reum facit: gratia & à peccato liberat, & litteram donat impleri. Vnde fit per gratiam remissio omnium peccatorum, & fides quæ per dilectionem operatur. Nolite ergo putare damnatam esse litteram, quia dictum est, littera occidit:* HOC EST ENIM LITTERA REOS FACIT. *Datur præceptum, non adiuuaris gratia, continuò te inuenis non solùm non operatorem legis; sed etiam reum præuaricationis. Vbi enim non est lex, nec præuaricatio. Non ergo reprehensa est lex cum dictum est. Littera occidit, spiritus autem viuificat, quasi illam condemnaret, & istam laudaret, sed littera occidit, sola littera sine gratia. Exemplum accipite, hac locutione dictum est; scientia inflat, quid est scientia inflat? scientia damnata est, si inflat melius imperiti remanebimus. Sed quoniam adiunxit charitas verò ædificat, quomodo vbi adiunxit, spiritus autem viuificat, dedit intelligi, littera sine spiritu occidit, cum spiritu viuificat, & impleri litteram facit, sic scientia sine charitate inflat, charitas cum scientia ædificat.*

Ita vt non possent intendere filij Israël in faciem Moysi propter gloriam vultus eius.

800. QVod de Moyse hîc legitur, iure ad Dei Matrem transfert Richardus à S. Laurentio lib 5. de Laudib. Virgin. vbi ait: *Legitur de Moyse, quod non poterant filij Israel respicere in faciem Moysis propter gloriam vultus eius; quia cornuta apparebat facies eius ex consortio sermonis Diuini; quid existimas* DE FACIE MATRIS IPSIVS VERBI?

Nam nec glorificatum est, quod claruit in hac parte propter excellentem gloriam.

QVi *non glorificatum* dicit, quod tanta est gloria comitata, vt non possent filij Israël in Moysis vultum intendere? si fiat comparatio ad Euangelij ministerium, tam inferius est Mosaicum, vt licet alioquin gloriosum inglorium sit. S. Hieronymus in cap. 11. Ecclesiastes ita scribit; *Legimus in Exodo glorificatum vultum Moysis in tantùm, vt filij Israel in eum aspicere non possent; quam gloriam Paulus Apostolus* AD COMPARATIONEM EVANGELICÆ GLORIÆ DICIT ESSE NON GLORIAM. *Nam nec glorificatum est, inquit, quod glorificatum fuit in hac parte, propter excellentem gloriam.*

Si enim, quod euacuatur per gloriam est: multo magis, quod manet, in gloria est.

801. PEr gloriam scilicet vultus Moysis, quæ euacuatur, significatum fuit ipsum eius ministerium, legémque, quam ferebat abolendam esse; non poterat diù lex stare, quæ cum timore exhibita; lex Euangelica diù durat, quia innititur amori; S. Augustinus lib. de spiritu, & littera cap. 18. loquens de veteri, & nouo Testamento sic ait: *Ideo illud euacuatur, quoniam terrens pædagogus auferetur,* CVM TIMORI SVCCESSERIT CHARITAS. Vniuersè diù stare non potest, quod cum timore fit, perseuerat, quod est ab amore.

Ponebat velamen super faciem suam.

POnebat velamen. Vt multæ huius rei reddantur causæ, illa est vtilis, quam affert Cornelius: *Velabat*, inquit, *faciem, vt* COLLOQVII LIBERIORIS DARETVR COPIA. Quæ vera veri Doctoris est nota, ductorisque.

Cùm autem conuersus fuerit ad Dominum, auferetur velamen.

CVm autem conuersus fuerit ad Dominum. In singulari loquitur, qui hucusque in plorali locutus fuerat vt innueret, difficilem ac paucorum esse illorum conuersionem ad Dominum. 802.
Notà, inquit hîc Sanctus Thomas, *quòd cùm ageret de cæcitate, loquitur in plurali. Vnde dicit, super corda eorum: cum vero loquitur de conuersione, loquitur in singulari dicens (cum autem conuersus) vt ostendat eorum* FACILITATEM AD MALVM, ET DIFFICVLTATEM AD BONVM, *quasi pauci conuertantur.*

De Israële hæc aliqui verba exponunt, in hunc modum: cum autem conuersus fuerit Israël ad Dominum, siue totus, vt in fine sæculi; siue aliquis ex eis, tunc auferetur velamen de cordibus eorum. Huic expositioni obstat verbum singularis numeri supposito non respondente, nam præcesserat, plurale *eorum*, vt obseruauit etiam Estius, qui addit: *Si de Iudæorum ad Deum conuersione loqueretur, potiùs è conuerso diceret, Cùm autem ablatum fuerit velamen, tunc conuertentur ad Dominum; etenim ordine natura prius est, vt impedimentum credendi tollatur, quam vt credant; quomodo prius est aperire fenestram domus, quam Solis radios in eam recipi;* Censet igitur probabilius, si illud, *conuersus fuerit ad Dominum*, ad Moysen referatur, vt sit sensus: *Moyses auersus à Domino, & facie velatus, significauit populum veterem Deo contrarium, & cor habentem obscuratum. Idem verò Moyses conuersus ad Dominum, atque retectam habens faciem, typum gessit populi Christiani ad Deum conuersi; & reuelata cordis facie salutis mysteria contemplantis. Sanè notandum est, Græcum verbum περιαιρεῖται, quod Interpretes ferè transferunt passiuè, auferetur, magis habere significationem actiuam auferet, vel potiùs aufert in præsenti: quò magis intelligas Apostolum non de Israële sed de Moyse loqui: de quo legitur in Exodo, quod ipse auferebat velum de facie sua cum Domino locuturus.*

Cum conuersus fuerit ad Dominum, auferetur velamen. Hoc ad eos omnes qui diuinas litteras tractant, aptè transferatur, quò enim plenius, perfectiúsque se quis à terrenis subduxerit, & totus Deo hæserit, difficultatis velamen auferri sentiet, & in rerum diuinarum notitiam feretur. Huc flectebat hæc verba Sanctus Cyrillus Alexandrinus lib. 6. in Leuiticum initio, vbi ait: *Causam quare hæc quæ nobis recitantur intelligi possint, aut non intelligi, breuiter ostendit Apostolus, dicens: eius oculis posse veteris Testamenti velamen auferri, qui conuersus ad Dominum fuerit. Ex quo sciri voluit, quòd quantò minus hæc nobis plana sunt, tantò maior esse debet ad Dominum nostra conuersio. Et ideo omni virtute nitendum est, vt ab occupationibus sæculi, & à mundanis actibus liberi, & ipsas etiam (si fieri potest) superfluas sodalium fabulas relinquentes, verbo Dei operam demus, & in lege*

eius

vius meditemur die ac nocte, vt toto corde conuerſi, reuelatam & apertam Moyſis faciem poſſimus aſpicere: & maximè in iis, quæ nunc recitata ſunt de Sacerdotalibus indumentis, vel de conſecratione Pontificis: in quibus talia quædam dicuntur, vt etiam illum ipſum carnalem Iſrael ab hiſtorica intelligentia penitus excludant: Et ideo nobis ad hæc exponenda non humani ingenij viribus nitendum eſt, ſed orationibus, & precibus ad Deum animi noſtri conuertendi. Igitur qui diuinas litteras tractant, ſacrate ſe Deo totos debent, vt percipiant, quæ tractant.

Vbi autem Spiritus Domini, ibi libertas.

IBi libertas. Verè liber, qui à noxiis paſſionibus, & affectibus eſt immunis: *Quia vbi Spiritus Domini*, inquit Simeon Iunior, orat. 15 *ibi libertas; libertas autem, & ſecuritas à Dæmonibus videlicet, qui odium, triſtitiam, perturbationem, puſillanimitatem, prauitatem morum, nequitiam, incredulitatem, iracundiam, intemperantiam, in anima excitant.* Hæc veræ libertatis nota eſt, alia omnis ſine iſta vera ſeruitus eſt, licèt libertatis nomen circumferat.

CAPVT IV.

EPISTOLÆ SECVNDÆ ad Corinthios expenditur & illuſtratur.

803 *Non verbis, ſed operationibus, ſe quiſque commendabilem reddat.*

803 *Dæmon huius mundi Princeps vt dicatur.*

803 *Cæteris maior eſt, qui cæteris humilior.*

804 *Quæ ex ſe fragilia, Dei virtute firmiora redduntur.*

804 *Quando humanum auxilium deficit, adeſt Diuinum.*

804 *Diuitiæ ſpirituales æſtimandæ, contemnenda temporales.*

805 *Nulla corporis pars à mortificatione vacua.*

805 *Modeſtia vt ſemper litârit Paulus.*

805 *Qui renouatur ſemper in luce eſt.*

806 *Leue eſt, quod toleras: pondus eſt, quod expectas.*

806 *Siliquam laboris damus, requiem interedibilem accepturi.*

807 *Nimis delicatus, qui tribulationes huius vitæ longiores, & grauiores putat.*

807 *Æternitatis pondus leue reddit quicquid hic patimur.*

809 *Cæleſtis gloria pondus habet: terrena ſine pondere eſt.*

809 *Abſcondita vt ſit gloria in tribulatione.*

810 *Pœnarum æternitas à peccatis auocare nos debet.*

810 *Sempiterna, audita verba redduntur, ſi in opera conuertantur.*

Ideò habentes adminiſtrationem iuxta quod miſericordiam conſecuti ſumus, non deficimus, ſed abdicamus occulta dedecoris, non ambulantes in aſtutia, neque adulterantes verbum Dei, ſed in manifeſtatione veritatis commendantes noſmetipſos ad omnem conſcientiam hominum coram Deo.

PER manifeſtationem veritatis plerique intelligunt manifeſtam, ac conſpicuam rei veritatem, quod ad vitæ conuerſationem attinet; tacitè indicans Apoſtolus, ſe ab illorum more abire, qui aliud videri volunt, aliud verò ex vero ſunt. Peritè hîc Lyranus: NON COMMENDAMVS NOS VERBIS, SED EX OPERATIONIBVS, *quas facimus, commendabiles nos reddimus in conſcientiis hominum.* Pergit: *ſed quoniam homines decipi poſſunt, non autem Deus, qui intuetur corda, ideo addit: coram Deo.* Commendatio iſta digna eſt quæ commendetur, & à fidelibus exerceatur; alioqoin nudis ſe verbis commendare, vt facilius ſit, eſt tamen maximè à Dei ſeruis alienum, hoc ipſo commendabiliores, quòd ſe nudis verbis non commendant, ſed operibus ſua laude dignis. 803

In quibus Deus huius ſæculi excæcauit mentes infidelium.

CVm ſæculum addito articulo malè in diuinis litteris audiat, fit vt aptè hæc verba de Diabolo dicantur, qui *Deus huius ſæculi* dicitur, id eſt, vt ait S. Auguſt. *hominum impiorum non niſi in hoc ſæculo florere volentium.* Sic & huius mundi Princeps eſt dictus, quia nimirum, vt notabat Eſtius, *iis* PRINCIPATVR, *qui terrena, ac peritura bona cæleſtibus, atque æternis anteponunt, quales in hoc mundo plurimi ſunt.* Qui ſapit, ſtudeat ne numerum augeat.

Non enim noſmetipſos prædicamus, ſed Ieſum Chriſtum Dominum noſtrum.

NOs autem ſeruos veſtros per Ieſum. Seruum ſe vocat, qui erat maior; vt vel hinc diſcas; illum cæteris eſſe maiorem, qui cæteris eſt humilior. Apud fideles laodabilis contentio de loco poſtremo ſit, non de ſublimiori. Sublimior autem erit cùm ſe aliis demiſerit, & ſubiecerit. Opportunè S. Auguſtinus in Pſalm. 146. ad hunc Pauli locum ſpectans hæc habet: *Paulum attende, Nos autem, inquit, ſeruos veſtros per Ieſum Chriſtum, qui dicebat, ſi nos vobis ſpiritualia ſeminauimus, magnum eſt, ſi veſtra carnalia metamus? ſeruum ſe dixit: ſeruimus enim vobis fratres. Nemo ſe noſtrum dicat quaſi maiorem vobis eſſe,* ERIMVS MAIORES SI FVERIMVS HVMILIORES. Vt magnitudinis menſura deiectio ſit.

Habemus autem thesaurum istum in vasis fictilibus.

804. IN *vasis fictilibus*; vt sit sensus. Apostolos gestare pretiosum, ac lucentem Euangelici ministerij thesaurum in seipsis tanquam in vasis fictilibus, quæ & vilia, & fragilia sunt, vt Dei virtus magis appareat. Sed cũ hæc vasa fictilia Spiritus sancti ignis excoxerit tribulationibus, ac pressuris adeo nõ potuere frangi, vt firmiora, durioraque redderentur. S. Chrysostomus in Ps. 44. ita scribit: *Habentes thesaurum hunc in testaceis vasis, atque aspice, quæ sit testæ illius virtus, non enim igni concocta est, sed spiritu, quonam pacto testaceum? quinquies quadraginta vna minùs accepi, ter virgis cæsus sum, semel lapidatus sum:* NE SIC QVIDEM VAS ILLVD TESTACEVM PERFRACTVM EST. *Nocte & die in profundo maris egi, in profundo egit, nec tamen vas illud testaceum dissolutum est: naufragium est passus, non tamen disperiit thesaurus: nauigium submersum est, & onus nauigij cursum suum tenuit atque enauigauit.* Tantam illis firmitatem diuinus Spiritus confert, quos implet.

In omnibus tribulationem patimur, sed non angustiamur.

VErtunt aliqui: *In omnibus premimur, at non coarctamur.* Sanctus Hilarius: *In omnibus tribulati, sed non angustiati.* Ac si hoc sibi vellet: Quamuis vndique rebus aduersis premamur, non tamen ita in angustum redigimur, vt conteramur penitus, Dei enim ope etiam inter pressuras custodimur. *Ille angustiari dicitur,* ait Lyranus hîc, *propriè, qui non videt sibi patère aliquod remedium in tribulatione; & sic est de confidentibus in hoc mundo; propter quòd angustiantur in tribulationibus,* QVANDO SIBI DEFICIT MVNDANVM REMEDIVM, *sed Sancti non angustiantur, quia in tribulationibus adest eis solatium diuinum.*

Aporiamur, sed non destituimur.

TErtullianus Græcarum vocum paranomasiam seruans, reddidit Latine: *Indigemus, sed non perindigemus.* Græcè ἀπορούμενοι, ἐξαπορούμενοι. Simplex autem verbum apud melioris notæ auctores significat in re difficili inopem consilij esse, prorsusque hærere, ac nescire, quid facto opus sit; compositum verò de eo dicitur, qui euadendi consilio, ac spe destitutus obruitur periculo, & perit. Plerique ad inopiam rerum necessariarum hunc locum referunt: Hinc illud Lyrani. *Aporiamur, id est, depauperamur; sed non destituimur, quia Sancti* PARVM CVRANT DE SVBSTRACTIONE DIVITIARVM, *cum sibi remaneant diuitiæ spirituales, quæ non possunt violenter amoueri.*

Semper mortificationem Iesu in corpore nostro circumferentes.

805. IN *corpore nostro circumferentes.* Non plenè mortificationem circumfert, qui in vno tantùm membro circumfert, non in toto corpore. Aptè rem versat Sanctus Petrus Damianus serm. 35. vbi expendens hæc verba, ait: *Ab eo, quod corpore nostro circumferimus,* NVLLAM CORPORIS PARTEM VACVAM RESERVAMVS. *Ille ergo mortificationem Iesu in corpore suo circumfert,* QVI DE SE SIBI NIHIL RELINQVIT: *qui non sibi, sed Christo in omnibus viuit: qui certè se à voluntatibus proprijs vndique crucifigit.* Iuit in exemplum Christus, qui totum pro nobis corpus passionibus exposuit, in omnibus membris pro nobis est passus.

Et nos cum Iesu suscitabit, & constituet vobiscum.

ET *constituet vobiscum.* Cur non potiùs dixit? *Vos nobiscum constituet.* Vt modestiæ litaret, nec se aliis præferre videretur. MODESTIÆ EIVS EST, inquit Estius, *quod non dixit: Et constituet vos nobiscum. Sed è conuerso: Nos constituet vobiscum, ne sibi plus aliquid in illa gloria Resurrectionis præsumere videretur præ aliis fidelibus, quibus Euangelium ministrârat. Sed vt magis appareat ipsum alios sibi præposuisse. Considerauit enim illos vt causam finalem sui ministerij.*

Is qui natus est renouatur de die in diem.

REnouatur de die in diem. Noctis non meminit, nescit quippè noctem, qui renouatur. S. Ambrosius in Psalm. 43. huc spectans: *Paulus renouabatur de die in diem, nec Apostolus noctem sciebat,* QVIA QVI RENOVATVR, SEMPER IN LVCE EST; sicut in nocte, qui non renouatur.

Id enim, quod in præsenti est momentaneum, & leue tribulationis nostræ, supra modum in sublimitate æternum gloriæ pondus operatur in nobis.

QVod, *in præsenti est momentaneum.* Totum hunc locum appositè expendit S. Petrus Damianus lib. 8. quæst. 6. Nequeo hîc eius verba supprimere: & sunt ista: *Scrutare simpliciter Apostolica verba, & studiosè considera: quia quidquid pateris momentaneum est, & leue: quatenus & quod leue dicitur, æquanimiter feras; & quod momentaneum est, quantocyus euolare confidas. Nec illud etiam te prætereat, quàm congruè, quàm accuratè diuina sibimet verba respondent, vt ad id quod tribulationis momentaneum, & leue præmiserat, mox æternum gloriæ pondus reddendo subiungat. Perpende igitur, & inuicem confer tribulationem, & gloriam, momentaneum, & æternum, leue, & pondus. Gaude ergo, & exulta; quia quod tribulatione sustines, momentaneum est, quod gloria præstolaris, æternum est.* LEVE EST OMNE, QVOD TOLERAS: PONDVS EST, QVOD EXPECTAS. *Gaude inquam, pro tribulatione gloriam, pro leuitate pondus, pro momentaneo recepturus æternum.* Quis deinceps conquetatur, aut labores nimis esse diuturnos, aut tribulationis pondus nimis graue? 806.

Leuis tribulatio est, leuis est labor, pondus gloriæ graue *est*, inquit S. Augustinus in Psal. 93. *Quantum pretium damus, quodammodo vnam siliquam ad accipiendos thesauros.* SILIQVAM LABORIS AD REQVIEM INCREDIBILEM, *secundum quod dictum est, iuxta incredibilem modum æternum gloriæ pondus operatur. Gaudes ad tempus; Noli ibi fidere: tristis es ad tempus, noli desperare.*

Momentaneum, & leue vocat Apostolus, 807.
quod hîc patimur; vt nimiùm sit delicatus, qui tanquàm de diuturno cruciatu, & tanquàm de

graui

graui conquetitur; *Momentaneum hoc*, inquit Beatus Bernardus ferm. de Fallac. præſent.vitæ, *& leue tribulationis noſtra, ſupra modum in ſublimitate æternum gloriæ pondus operatur in nobis.* PERGE ERGO MVRMVRARE, ET DICERE: LONGVM EST, GRAVE EST: *non poſſum tam immania, & tam diuturna portare. Apoſtolus momentaneum, & leue perhibet eſſe, quod toleras; & certè necdum à Iudæis quinquies quadragenas vna minùs accepiſti, necdum nocte, ac die in profundo maris fuiſti, necdum plus omnibus laboraſti, poſtremò, necdum vſque ad ſanguinem reſtitiſti. Vide ergo, quàm non ſunt condignæ ad gloriam paſſiones. Quod tribulationis eſt, momentaneum eſt, & leue: quod gloriæ, æternum eſt, & pondus etiam ſupra modum in ſublimitate.* Magni momenti eſt ſeriò cogitate momentaneum eſſe, quod ſuſtinemus, æternum quod ſperamus.

808. *Momentaneum, & leue:* Diuturnum nobis tempus videatur, quo hîc patimur; ſi æternitati comparetur, adeo contrahitur vt fiat momentaneum. Scilicet æternitatis pondus leue reddit quicquid hîc graue putatur, & æternitatis duratio, quæ numquam finem habebit, diuturnitatem omnem ad momentum redigit. Eleganter totum hunc locum expendit Sanctus Chryſoſtomus lib. 1. de compunct. cordis cap. 5. *Quod in præſenti eſt momentaneum, & leue tribulationis noſtræ, ſupra modum immenſum æternæ gloriæ pondus operatur in nobis. vide ergo etiam quicquid in præſenti eſt, leue eſſe, etiamſi tribulatio ſit; quomodo leue?* QVIA IMMENSVM PONOVS FVTVRÆ GLORIÆ, LEVEM FACIT PRÆSENTIS TEMPORIS TRIBVLATIONEM, ETIAMSI SENSIBVS NOSTRIS GRAVIVS VIOEATVR. *Denique & ipſe cauſas in conſequentibus exponit, vt omne id ducì leue debeat, quicquid paſſio præſentis temporis intulerit, ait enim: non reſpicientibus nobis quæ videntur, ſed quæ non videntur; quæ enim videntur, temporalia ſunt: quæ autem non videntur, æterna ſunt.* Æternis ergo nati ad felicem æternitatem omnia dirigamus, temporalia paruipendamus, æterna verò magni, per illa magni futuri.

809. *Æternum gloriæ pondus.* Superna Dei gloria pondus habet; terrena adeo inanis, vt TAMQVAM FVMVS NVLLIVS SIT PONDERIS, humana omnis gloria ſi appendatur, nullum habere poodus deprehendetur; nimiùm homines ſunt leues, qui tantam leuitatem tanti faciunt, & plerúmque ob inanis gloriæ opinionem, æternum æternæ gloriæ pondus, quantum in illis eſt, vendunt. Proh hominum fatuitas, & amentia non ferenda!

Operatur, cur *operandi* vſus ſit verbo potiùs quam *remunerandi*, feſtiuè exponit Saoctus Bernardus ſerm. 17. in Pſalmum Qui habitat: *Momentaneum hoc & leue tribulationis noſtræ, ſupra modum in ſublimitate æternum pondus gloriæ operatur in nobis. Non dixit, remunerabitur, ſed æternum pondus gloriæ operatur in nobis. Latet gloria, fratres mei,* ABSCONOITA NOBIS EST IN TRIBVLATIONE: *in momentaneo hoc latet æternitas, in hoc leui pondus ſublime, & ſupra modum.* Nimis leuis eſt, qui in hac leuitate hoc pondus non cogitat, & quodam mentis hebetudine non ſentit.

Quæ enim videntur, temporalia ſunt: quæ autem non videntur, æterna ſunt.

CVm de futuris loqueretur Apoſtolus, cur non regni, & gloriæ ſignatè meminit, ſed indiſtinctè dixit, *quæ non videntur, æterna ſunt?* An vt gehennam etiam includeret; ſicque nos præmio alliceret, vt pœnâ terreret? *Non dixit*, inquit Sanctus Chryſoſtomus hom. 9. *Regnum æternum, ſed quæ non videntur æterna ſunt,* SIVE REGNVM SIT, SIVE CRVCIATVS, *vt & illinc nos excitet, & adhortetur, & hinc terrorem nobis iniiciat;* vtrumque à peccatis arceat, vtrumque ad virtutem extimulet. 810.

Verba hæc verbis, quæ in aliorum vtilitatem afferuntur aptat Sanctus Ephræm Syrus tract. de diuina gratia, dum in calce ait: *Quemadmodum ea, quæ videntur caduca ſunt, ita & noſtra ad vos oratio; ſed vos iſtam operibus* PERFICIENTES, SEMPITERNA REDDITE. Vides quanti ſit, audita verba in opera vertere, & facere; quæ ab omnibus excepta fuerant?

CAPVT V.

EPISTOLÆ SECVNDÆ ad Corinthios expenditur & illuſtratur.

SECTIO I.

811 *Tabernaculi nomen quid nos doceat.*
811 *Nulla hîc vera felicitas, dùm peregrinamur à Domino.*
812 *Cui peregrinatio dulcis eſt, Cæleſtem non amat patriam.*
812 *Nimis excruciari non debemus ob charorum mortem.*
813 *In bonis operibus ſemper ambulandum dum hîc ſumus.*
813 *Mali Paſtores perſtricti.*
814 *Manifeſtandi verbo cur vſus Apoſtolus; de Chriſti Tribunali loquens.*
814 *Bonorum operum in extremo Iudicio habebitur ratio, non dignitatum.*
815 *Propria corporis quænam ab Apoſtolo dicantur.*
815 *Perſtricti qui in Eccleſiam ſæuiunt.*
815 *Vitia carnis ſemper punienda: non ſemper facta carnis.*
816 *Gloriæ cupiditas vitanda.*
816 *Pauli modeſtia vnde collecta.*
817 *Sui videtur obliuiſci, qui Dei amore æſtuat.*
818 *Omnia in Dei gloriam, proximorúmque ſalutem dirigenda.*
818 *Magni ſe ſubiicere Chriſti exemplo paruis debent.*

Si terrestris domus nostra huius habitationis dissoluatur.

811. HVIVS *habitationis*: Græcè, huius *tabernaculi*; Sanctus Chrysostomus hîc. TABERNACVLI *nomen plerumque temporarium quiddam, ac breui periturum indicat*; sicque recte nos mortalitatis nostræ, & citò futuræ abitionis monet.

Quoniam, dum sumus in corpore, peregrinamur à Domino.

ET quam sibi hîc felicitatem potest promittere, qui à Domino peregrinatur? Eleganter Sanctus Augustinus Psalm. 83. *Quamdiu sumus in hoc corpore, inquit, peregrinamur à Domino. Si à patre tuo homine peregrinareris, miser esses*: A DOMINO PEREGRINARIS, ET FELIX ES? *ergo sunt qui putant sibi benè esse; qui autem intelligunt in qualibet circumfluentiâ copiarum, & voluptatum, quamuis ad nutum cuncta deseruiant, quamuis nihil molestum irrepat, nihil aduersum terreat, tamen in malo se esse quamdiu peregrinantur à Domino: acutissimo oculo tribulationem, & dolorem inuenerunt, & nomen Domini inuocauerunt.* A veritate peregrinantur, qui censent plenè felices eos esse, qui à Domino peregrinantur.

812. *Peregrinamur.* Peregrini hîc sumus, ad Patriam tendimus, negligere Patriam videtur, qui amat diù differri peregrinationem. Idem Sanctus Pater in Psalm. 85. *Quid*, inquit, *tribulatio est? & quando bene est, vtique tribulatio vnde tribulatio? quia quamdiu in corpore sumus, peregrinamur à Domino; quodlibet hîc abundet, nondum sumus in illa patria quò redire festinamus.* CVI PEREGRINATIO DVLCIS EST, NON AMAT PATRIAM. *Si dulcis est patria, amara est peregrinatio. Si amara peregrinatio, tota die tribulatio; quando non est tribulatio? quando in patria delectatio.* Exilij igitur amaritudines vrgere nos ad patriam debent, & mundi istius tribulationes, ad cœlum exstimulare.

A corpore potiùs peregrinandum, quàm à Domino; atque adeo nimius nos dolor non debet corripere, cum hinc aliquis ex nostris discedit. Benè Elias Cretensis in orat. X. S. Gregorij Nazianzeni: *Si Paulus à corpore peregrinari cupiebat, atque ingenti futuræ vitæ cupiditate inflammabatur, quid tandem causæ est quamobrem nos, ob eos qui ex hac vita discedunt, ita* EXCRVCIEMVR, VT NVLLAM CONSOLATIONEM ADMITTAMVS? *cùm contra læto atque hilari animo nos esse oporteat, quibus malis illi erepti sunt, compertum, & exploratum habentes.* Alioquin inuidere illis videbimur suam felicitatem, & optare mala, à quibus fuere subducti hinc abeuntes.

Per fidem enim ambulamus, non per speciem.

813. PEr *fidem enim ambulamus*; Signatè *ambulandi* verbo est vsus, ne in bonis operibus quis sisteret; verus fidelis semper debet proficere, & dum ambulandi tempus est, ambulare. Peritè Sanctus Prosper lib. 1. de vita contemplat. cap. 6. *Apostolus dixit: Per fidem ambulamus, non per speciem. Fides ergo est per quam ambulatur, & species quæ videtur, quia in hac vitâ vbi per fidem bene viuendo proficimus,* BONORVM OPERVM QVODAMMODO PASSIBVS AMBVLAMVS. IN FVTVRA AVTEM PERVENIENTES AD SPECIEM, IAM NON ERIT QVO VELVT PROFICIENDO VLTERIVS AMBVLEMVS, *sed ipsam speciem ad quam per fidem spiritualiter ambulando peruenimus, insatiabili delectatione videbimus.* Ambulare dum hîc sumus debemus; ambulationis laborem non sentiet, qui profectûs præmium, ac mercedem seriò cogitabit.

Omnes enim nos manifestari oportet ante Tribunal Christi, vt referat vnusquisque propria corporis, prout gessit, siue bonum, siue malum.

TOrqueri in malos Pastores hæc verba possunt, qui non solùm in corpore suo mala gerunt; sed & in corpore Christi, quod est Ecclesia. S. Bern. (si tamen ille author est serm. ad Cler. in Concil. Rhemen.) *Si reddenda*, inquit, *est ratio de his, quæ quisque gessit in corpore suo (heu)* QVID FIET DE HIS, QVÆ QVISQVE GESSIT IN CORPORE CHRISTI, QVOD EST ECCLESIA? Hinc discant quid timere illi Pastores debeant, quorum cum sit prodesse omnibus, omnibus nocent.

814. *Manifestari.* Plus dixit, quàm si sistendi verbo esset vsus, *Non dixit*, inquit hic Theodoretus SISTI, *sed* MANIFESTARI. *Sufficit autem hoc & ad eos qui mala sua non sentiunt, admonendos, vt suorum peccatorum vulneribus medeantur, vt non ea fiant manifesta omnibus.* Sed malum! tunc manifesta mala fient, cum remedij tempus non erit.

Vt referat vnusquisque propria corporis prout gessit siue bonum, siue malum.

SCilicet in iudicio, factorum, & operum habebitur ratio; non diuitiarum, nec dignitatum. *Vnusquisque*, inquit hîc Galfridus in Allegor. Tilm. *recipiet prout gessit: nihil enim* COGNATIO, *nihil* DIVITIÆ, *nihil* GRATIA QVÆLIBET HVMANA *præstabit*, nisi quòd de his quoque reddenda ratio erit, si malè eis vsus quis fuerit, & per ea (licèt non ex se mala) viam sibi strauerit ad mala.

Propria corporis. Sanctus Augustinus legit *secundum ea quæ per corpus gessit.* Addit Beda: *Frustra sibi homo post corpus promittit, quod in hoc corpore comparare neglexit.* Propria corporis dicuntur, quæ hîc fiunt, vt noueris operationi operam dandam esse, sed bonæ, dum viuimus.

815. *Propria corporis*; Tertullianus legit; *Quæ per corpus admisit*; Dicuntur autem *propria corporis*, vt non excludantur ea, quæ propria sunt animæ, sed intelligantur omnia, quæ quisque fecit, dum in suo corpore hîc viueret: Beda ex B. Augustino: *Facienda est ergo*, inquit, *iustitia quæ nobis prosit in posterum, quando recipiet quisque secundum ea, quæ per corpus gessit, siue bonum, siue malum*; PER CORPVS QVIPPE IBI DIXIT APOSTOLVS: *per tempus quo quis vixit in corpore. Neque enim si quis malignâ mente, atque impiâ cogitatione blasphemet, neque id vllis membris corporis operetur, ideo non erit reus: quia non in motu corporis gessit,* cum

cùm hoc per illud tempus geſſerit, quo geſſit & corpus. Sicque omnium reddenda nobis eſt ratio, quæ à nobis fiunt, dum mortale hoc corpus circumferimus.

Vt referat vnuſquiſque propria corporis. Hunc locum egregie vrget Sanctus Bernardus, qui in corpore Chriſti myſtico aliis præſunt: *Si reddenda*, inquit, *eſt ratio de his quæ quiſque geſſit in corpore ſuo, heu, quid fiet de his quæ quiſque geſſit in corpore Chriſti, quod eſt Eccleſia.*

Propria corporis. Sanctus Ambroſius legit: *Facta corporis*; ſed cur non dixit *carnis? Non dixit*, inquit productus auctor, *facta carnis, quia* CARNIS VITIA PVNIENDA SEMPER, SED FACTA NON CORPORIS, *quia aliquando ſpiritaliter, aliquando carnaliter operatur.* Facta carnis in diuinis litteris malè audiunt; non ita facta corporis.

Charitas enim Chriſti vrget nos.

816. ABertare non potuit nec ſe efferens, nec ſe aliorum imbecillitati aptans; cùm à charitate ad vtrumque compelleretur, non ab inanis gloriæ cupiditate; ac ſi diceret interprete Eſtio: *Neque* GLORIÆ CVPIDITAS COGIT NOS INSANIRE, *neque rurſus abiectio, & puſillitas animi ſobrios nos reddit: ſed ad vtrumque nos vrget, & impellit exemplum charitatis Chriſti pro omnibus mortui. Si enim Chriſtus pro omnibus mortuus eſt; quid non facere nos debemus, vt eos, pro quibus ille mortuus eſt, adducamus ad ſalutem?* Nihil eſt adeo durum, nihil adeo graue, ac difficile, quod molle, leue, faciléque non reddatur, ſi hæc quæ pro omnibus fecit, ac paſſus eſt. Chriſtus, ſeriò cogitemus.

Siue enim mente excedimus, Deo; ſiue ſobrij ſumus, vobis.

HOrum verborum hunc ſenſum eſſe, meliores interpretes notant; ſiue de nobis magna prædicamus, in Dei gloriam id facimus: ſiue de nobis humiliter & modeſtè loquamur (quod ſolent homines ſanæ mentis) vobis tales ſumus, id eſt, totum veſtri causâ facimus, imbecillitati veſtræ conſulimus, humilitatis exempla præbentes. Ita ferè Eſtius hîc, vbi addit: *Notanda* PAVLI MODESTIA *vel in eo ipſo, quòd, cùm hæc, quæ ſcribit, in ipſius perſonam potiſſimè competerent, tamen, vt communi nomine multorum ſcribens vtatur numero plurali.* Tanquam plurium eſſent, quæ erant vnius, niſi quod quicquid erat, ad alios extendebat Paulus, vt in aliis facere videretur, quæ faciebat pro aliis. Abeunt ab hoc more, qui in ſe ſtudent contrahere, quæ in aliis lucent; vt luceant ſoli.

817. *Siue mente excedimus.* Paulò aliter legit hunc locum Sanctus Auguſtinus in pſalm. 30. vbi & hunc locum verſans ait. *De hoc mentis exceſſu, id eſt, Paulus cum loqueretur, ſeipſum inſinuans ait, ſiue enim mente exceſſimus Deo, ſiue temperantes ſumus vobis: charitas enim Chriſti compellit nos; Hoc eſt, ſi ea tantùm agere vellemus, & ea tantùm contemplari, quæ mentis exceſſu intuemur, vobiſcum non eſſemus, ſed eſſemus in ſupernis tanquam contemtis vobis. Et quando nos ad illa ſuperiora & interiora infirmo paſſu ſequeremini, niſi rurſus compellente nos charitate Chriſti (qui cùm in forma Dei eſſet, non rapinam arbitratus eſt, eſſe ſe æqualem Deo, ſed ſemetipſum exinaniuit formam ſerui accipiens) nos conſideraremus eſſe ſeruos, & non ingrati ei, a quo accepimus altiora, propter eos qui infirmi ſunt non contemneremus inferiora, & temperaremus nos eis qui non poſſunt nobiſcum videre ſublimia.* Omnibus omnium ſe debet aptare, qui ſuper alios eſt.

Deo mente excedit; ſobrius aliis eſt, quid igitur tibi? An ſui oblitus totus Dei gloriæ mancipatus erat, proximorúmque ſaluti totus addictus? Pulchrè B. Bernardus ſerm. de Sancto Benedicto, vbi hæc habet. *Siue inquit, mente excedimus, Deo, ſiue ſobrij ſumus, vobis.* QVID ERGO TIBI? *Ego inquit, factus ſum tanquam vas perditum. Benè ſeipſum perdit, qui nihil vnquam pro ſe facit:* SED OMNIS EIVS INTENTIO ET OMNE DESIDERIVM, TENDIT AD DEI PLACITVM, ET VTILITATEM FRATRVM SVORVM. *Infelix enim qui ſeminat in carne, quia de carne metet corruptionem.* Se benè lucratur, qui ita ſe perdit, & plenè ſibi conſulit, qui oblitus ſui, Dei ſolius gloriam ſpectat, proximique profectum.

Siue mente excedimus Deo; quid præterea? *ſiue ſobrij ſumus vobis*; & nihil tibi Paule? totum ſe Dei gloriæ, proximorúmque ſaluti addictum indicat, verè ſe & ſua curat, qui ita non curat. 818.
Dixerat, inquit hîc Caietanus, *quod non ad commendationem propriam tendit; & propterea declarat quod nihil pro ſe facit*, SED OMNIA FACIT COMMENSVRATA VEL DEO, VEL PROXIMIS. *Exceſſus enim noſter Deo, ſobrietas verò proximis commenſuratur.* Licèt pro ſe omnia faciat, qui in hunc modum nihil pro ſe facere videtur.

Siue ſobrij ſumus vobis. Sanctus Auguſtinus legit, *ſiue temperantes ſumus vobis*, ſed in quo ſita hæc ſobrietas, iſta temperantia? rem ſic explicat productus Doctor in pſalm. 119. *Vbi*, inquit, *ait, ſiue enim mente exceſſimus Deo: ibi ſtatim addidit, ſiue temperantes ſumus vobis: Quid eſt temperantes ſumus? ſic loquimur vt capere poſſitis: quia & Chriſtus talem ſe fecit naſcendo & patiendo, vt poſſent de illo homines loqui. Quia de homine homo facilè loquitur. De Deo homo quando loquitur ſic, quomodo Deus eſt? Homo autem de homine facilè loquitur.* VT ERGO MAGNI DESCENDERENT AD PARVOS, ET NON ILLIS TAMEN LOQVERENTVR NISI MAGNVM, IPSE QVI MAGNVS ERAT, FACTVS EST PARVVS, *vt de illo magni paruis loquerentur*; adeo, vt ſe paruis aptarent, nec dedignarentur ſe illis demittere, pro quibus tam paruus factus eſt, qui eſt tàm magnus, vt ſit infinitus, & immenſus. Digna res, quæ illorum mentibus inſideat, qui de ſuæ magnitudinis ſuggeſtu deiici ſe credunt, ſi ſe demittant, & ad paruulorum captum, ac indigentiam aptent. Ex quo fit, vt dum ſublimia afferunt, paruuli ieiunent, ac ſame conficiantur, vt locum nunc quoque illud habeat: Paruuli petierunt panem, & non erat, qui frangeret eis.

***

Sectio II.

819 *Se quisque debet reputare vt mortuum.*
819 *Nemo sibi viuat, sed Christo.*
820 *Ea vita instituenda, cuius typus est Resurrectio Christi.*
820 *Neminem secundùm carnem nosse, quid sit.*
821 *De suorum nobilitate nemo intumescat.*
822 *Quantâ vitæ mutatione splendere debeant, qui conuertuntur ad Deum.*
823 *Quædam in iustificato creatio apparet, quia per peccatum homo ad nihilum reducitur.*
824 *Quanto nostræ salutis desiderio Deus teneatur.*
824 *Superiores etiam precibus, sepositis imperiis homines ad Christum vocent.*
824 *Ad nostram salutem etiam nostra cooperatio requiritur.*
825 *Peccatum quo sensu & non nouisse dicatur Christus, & nouisse.*
825 *Peccati memoria non facilè ponenda.*
825 *Qui pœnis afficitur, ad peccatum mentem flectat*
826 *Christi tormenta magis emphaticè exprimi non potuere, quàm peccati nomine.*
826 *Peccata, sacrificia pro peccatis, dicta.*
827 *Veræ iustitiæ nota quænam sit.*
827 *Iusti ad iustitiam alios vocant.*

Æstimantes hoc, quoniam, si vnus pro omnibus mortuus est, ergo omnes mortui sunt.

819. ET quænam hæc consequentia, vt omnes mortui sint ex eo, quòd Christus pro omnibus sit mortuus, cùm vitam à Christi morte mortales hauserint? An mortui omnes dicuntur non Christo; sed sibi, sed vitæ veteri, sed peccatis? *Mortui sunt omnes*, inquit Sanctus Thomas. *Idest, ita se debet quisque reputare*, AC SI MORTVVS ESSET SIBIIPSI. vt nemo suis commodis studeat, nemo quæ sua sunt quærat. Quàm ab hac mente illi abeunt, qui sibi tantùm viuunt, cæteris sunt mortui, aliorum salutem negligunt, toti in venandis voluptatibus, in augendis opibus sunt!

Vt & qui viuunt, iam non sibi viuant; sed ei, qui pro ipsis mortuus est, & resurrexit.

IAm non sibi viuant: Cui igitur viuat quilibet? viuendum illi qui pro nobis mortuus est; indignus vitâ est, qui alteri quàm Christo viuit. *Etsi cætera taceam*, inquit Sanctus Bernardus Epist. 143. *hoc solo certè non immeritò vitam sibi vendicat nostram, quòd pro ea præbuit suam.* NEMO IGITVR SIBI VIVAT, SED EI QVI PRO SE MORTVVS EST. *Cui enim iustius viuam, quàm ei, qui si non moreretur, ego non viuerem? Cui commodius, quàm promittenti vitam æternam? Cui magis ex necessitate, quam flammas perpetuas minitanti?* Vitam non meretur, qui viuere sibi studet, non auctori vitæ.

Cur addidit, *& resurrexit*? Estius: *Addit autem, & resurrexit, siue ad insinuandum beneficium immortalitatis per Christi resurrectionem; velut exemplarem causam omnibus nobis propositum; seu potiùs, vt significet* NOBIS VIVENDVM ESSE CHRISTO EA VITA, CVIVS TYPVS EST RESVRRECTIO CHRISTI, *idest vitâ nouâ: sicut mori debemus nobisipsis ac vitæ veteri, quam mortem typicè denotat mors Christi.* vt mortem Christi referat, qui veteri vitæ mortuus Christo viuit. 820.

Itaque nos ex hoc neminem nouimus secundùm carnem.

ITanè nullum nouerat secundùm carnem Apostolus? Nullum. Nimirum qui Christi minister est, ità se debet gerere, ac si nullum agnoscat, ab omni creaturarum affectu liber, & propinquorum amore. Huc faciunt, quæ ad horum verborum explicatum affert Estius hîc. *Sensus est*, inquit: *Cum itaque nos nouæ legis ministri per Christum mortui simus vitæ veteri, ac nobis ipsis, & in nouam cum Christo vitam transformati; sanè ex eo iam tempore, quo fungimur hoc ministerio*, NEMINEM NOVIMVS SECVNDVM CARNEM, NOTITIA VIDELICET AMORIS, ET PROPENSIORIS AFFECTVS: *idest in nemine gloriamur carnalis propinquitatis causâ, ne quidem in ipso Abraham patre nostro secundùm carnem.* O possent hæc eadem verba verè efferre, qui Ecclesiasticas dignitates sustinent, vt nullum affectum, si carnalem propensionem carnis, ac sanguinis propinquitates spectes, noscant.

Et si cognouimus secundùm carnem Christum, sed nunc iam non nouimus.

INcipit esse inglorius, qui de Christi secundùm carnem cognatione gloriatur. Quid hîc illi, qui de suorum nobilitate adeo sibi blandiuntur? Notat Estius, non Abraham hîc nominatum, sed (quod grandius) Christum. *Poterat*, inquit, *dicere: Nec ipsum Abraham nouimus secundùm carnem. Sed nominare voluit quendam incomparabiliter maiorem. Quin, etsi, inquit, aliquandò magnum & gloriosum putauimus gentilem, & consanguineum esse Christi secundùm carnem; at nunc ità penitus mortui sumus affectibus vitæ veteris*, VT NON AMPLIVS IN HVIVSMODI RE GLORIANDVM NOBIS CENSEAMVS. *Etenim pseudo-apostolos in eo vel inprimis gloriatos fuisse, quòd Christo essent carne & sanguine coniuncti, non est dubitandum; quandoquidem Apostolus Roman. 9. inter prærogatiuas, Iudæorum hoc etiam enumerat, quòd ex iis esset Christus secundùm carnem. Veruntamen, id non esse magnifaciendum, ipse etiam Christus docuit, quando quibusdam, sibi nunciantibus aduentum suæ Matris, & fratrum, respondit:* 821.

dit, Mater mea & fratres mei hi ſunt, qui verbum Dei audiunt & faciunt. Quid hîc illi, qui adeo ſibi de ſuorum nobilitate blandiuntur, & magnos ſe putant, quia ſunt à magnis?

822. *Sed nunc iam non nouimus.* Tali vitæ mutatione ſplendere debent, qui ad Deum redeunt, vt illuc idem de illis dici poſſit; Feſtiuè Petrus Abbas Cellenſis lib. 6. Epiſt. 14. *Sicut in Baptiſmo tam originalium, quàm actualium nulla ſupernat vel reliquia; Sic in Confeſſione illuſtrantur tenebræ, & nox vertitur in diem, vt veraciter conuerſo, & confitenti dicatur, fuiſti aliquando tenebræ, nunc autem lux in Domino; & ſic vt idem Apoſtolus ait de Chriſto, etſi noueramus Chriſtum ſecundum carnem, ſed nunc iam non nouimus:* SIC ET DE ISTO DICATVR, ETSI NOVERAMVS PECCATOREM, *mendacem, homicidam, adulterum, iniuſtum, & impium, liquefactis iniquitatibus omnibus in fornace Confeſſionis, reformetur ad Sanctitatis imaginem, & dicatur bonus, verax, innocens, caſtus, iuſtus, & pius;* vera hæc conuerſionis nota, verus character eſt.

Sed nunc iam non nouimus Hæc verba ſic exponit Sanctus Auguſtinus ſerm. 1. ex 40. nouiſſimè editis: *Dicit in euectione profectus ſui Paulus. Etſi noueramus ſecundum carnem Chriſtum, ſed nunc iam non nouimus: & vetera tranſierunt, & ecce facta ſunt noua; omnia autem ex Deo. Quid eſt? Etſi noueramus ſecundùm carnem Chriſtum, ſed iam nunc non nouimus. Quia, quando eum carnaliter noueramus, non putabamus niſi quia homo erat tantùm: at verò poſtquam gratia eius illuxit nobis, intelleximus Verbum æquale Patri.*

Si qua ergo in Chriſto noua creatura, vetera tranſierunt.

823. NOua creatura. Quædam in iuſtificato creatio datur: vt enim creatio ex nihilo eſt, ità & homo per peccatum ad nihilum redactus erat. Pulchrè Sanctus Thomas hic: *Notandum quòd innouatio per gratiam dicitur creatura: creatio enim eſt motus ex nihilo ad eſſe. Eſt autem duplex eſſe naturæ, & eſſe gratiæ. Oportet ergo eſſe nouam creationem, per quam producerentur in eſſe gratiæ, quæ quidem* CREATIO EST EX NIHILO; QVIA QVI GRATIA CARENT, NIHIL SVNT. Quæ res nos intra nihilitatem noſtram debet continere, adeo vt cum aliquis ſuperbiæ ſpiritus inuadit, huc ſtatim feramur, & vires ab iſto nihilo ſumamus.

Vetera tranſierunt. Hæc verba donat hoc explicato Nicetas in orat. 41. Sancti Gregorij Nazianzeni. *Vetera tranſierunt, ait Apoſtolus, ecce omnia noua facta ſunt, vetera autem intelligimus non ſolùm legalia & adumbrata, quæ ad veritatis ingreſſum præterierunt, ſed ea etiam, quæ cum vitio ſunt coniuncta. Nam cum ſpiritualis vita fulgorem ſuum exerere cœperit, carnali iam vitæ nulla opera datur.*

Obſecramus pro Chriſto, reconciliamini Deo.

814. PRoh mirum! per miniſtros Deus obſecrat, vt ipſi reconciliemur. Tanto noſtræ ſalutis deſiderio tenetur. *Mira Dei bonitas!* inquit hîc Eſtius. *Ipſe eſt, quem homines peccando offenderunt,* ET TAMEN LEGATOS CVM PRECIBVS AD EOS MITTIT PRO RECONCILIATIONE. *Nec minùs ſtupenda malitia mentis humanæ, quæ precum blanditiis ad ea, quæ ſuæ ſalutis ſunt, inuitari debeat;* & quod eſt peius, & Legatos reiiciunt pleriquè, & precum retundunt ſuâ duritie vim.

Obſecramus pro Chriſto. Vicem Chriſti cùm Paulus ſuſtineret, cur *præcipiendi* potius verbo non eſt vſus, quàm *obſecrandi*: Vt Chriſti miniſtri hinc diſcant, ad eorum officium ſpectare, non ſolùm præcipiendo, & increpando, aut admonendo, ſed etiam rogando homines ad Chriſtum allicere. Vt videant, qui curam animarum habent, nihil de eorum auctoritate decedere, nihil ab eorum honore abradi, SI ALIQVANDO SEPOSITIS, MINIS, ET IMPERIIS PRECIBVS VTANTVR.

Reconciliamini Deo. Cùm ſuperiùs dixerit, *qui nos reconciliauit ſibi,* quid erat neceſſe vt adderet, *reconciliamini Deo*? An vt innueret ad noſtram ſalutem requiri etiam cooperationem noſtram? Sanctus Thomas expendens producta verba ait: *Videtur hoc eſſe contrarium ei quod dicit, quòd Deus reconciliauit nos ſibi; Si ergo ipſe reconciliauit, quid neceſſe eſt, vt nos reconciliemus, iam enim reconciliati ſumus? Ad hoc dicendum, quòd Deus reconciliauit nos ſibi: vt cauſa efficiens ſecundum ex parte ſua:* SED VT SIT NOBIS MERITORIA, OPORTET ETIAM QVOD FIAT RECONCILIATIO EX PARTE NOSTRA. *Et hoc quidem in Baptiſmo & in Pœnitentia.*

Eum, qui non nouerat peccatum, pro nobis peccatum fecit.

QVi non nouerat peccatum, Itane non nouerat qui arguebat? Pulchrè nodum ſoluit Sanctus Auguſtinus lib. 1. contra aduerſarium legis c. 14. *Cum laude dictum eſt de Domino Ieſu Chriſto, quia non nouerat peccatum, Non ergo nouerat hoc malum, atque ideo illam vnde Adam prohibitus eſt, boni & mali dignoſcentiam non habebat. Hic ſi quæratur, quomodo non nouerat, & arguebat? neque enim peccata non arguebat? Omnia autem quæ arguuntur, ſicut dicit Apoſtolus, à lumine manifeſtantur. Quomodo igitur à quo ignorabatur, arguebantur? Nonne rectiſſimè reſpondebitur, & nouerat, & non nouerat? Rectiſſimè omnino.* NOVERAT ENIM PER SAPIENTIAM; NON NOVERAT PER EXPERIENTIAM. O vtinam in nobis quoque ignorantia iſta eſſet, eò ſapientiores eſſemus, quò magis ignorantes. 825.

Pro nobis peccatum fecit; Ideſt tanquam peccatorem tractauit eum, cum Pater eum Cruci addixit; aut fecit peccatum ideſt ſacrificium, & hoſtiam pro peccato; vt Chriſti Domini ſupplicia, & tormenta magis emphaticè exprimi non potuerint, quàm peccati nomine, quod omnibus tormentis horribilius, & maius eſt. Sanctus Auguſtinus ſerm. 49. de verbis Domini ita ſcribit: *Vt eſſet ſacrificium pro peccato, dicit idem Apoſtolus alio loco, eum qui non nouerat peccatum, quem qui non nouerat peccatum, pro nobis peccatum fecit, Eum qui non nouerat peccatum, niſi eum, qui dixit, ecce veniet Princeps mundi, & in me nihil inueniet? Eum qui non nouerat peccatum, peccatum pro nobis fecit: Eum ipſum Chriſtum neſcientem peccatum, fecit Deus pro nobis peccatum. quid eſt hoc fratres? Si diceretur, fecit illum peccatum,* 826.

aut

um fecit illum habere peccatum, intolerabile videretur, quomodo toleramus: fecit eum peccatum, vt ipse Christus sit peccatum? qui nouerunt scripturas veteris Testamenti, recognoscunt quod dico. Non enim semel dictum est: sed aliquoties creberrimè, PECCATA DICTA SVNT SACRIFICIA PRO PECCATIS: *offerebatur verbi gratia, pro peccato hircus, aries, quodlibet: ipsa victima, quæ offerebatur pro peccato, peccatum nominabatur, peccatum ergo dicebatur Sacrificium pro peccato; ita vt alicubi dicat lex, Sacerdotem ponere debere manus suas super peccatum: ergo eum qui non nouerat peccatum, fecit pro nobis peccatum, id est sacrificium pro peccato factus est.*

Vt nos efficeremur iustitia Dei in ipso.

827. EFficimur iustitia Dei, *non quâ Deus iustus est,* inquit Sanctus Augustinus, *sed quâ iusti sunt homines, quos gratia sua iustificat.* Prætetea *iustitiam Dei* nonnulli intetpretantur eam, quæ coram Deo iustitia est, vt nimirum hæc sit notatio veræ iustitiæ, nam quæ coram hominibus est iustitia, licèt faciem habeat, à iustitiæ veræ sæpè charactete abit; Sanctus Thomas hæc verba hoc donat explicatu. *Vt nos efficeremur* IVSTITIA, *idest vt nos qui peccatores sumus, efficeremur non solùm iusti, imo ipsa iustitia, idest iustificaremur à Deo; vel iustitia, quia non solùm nos iustificauit, sed etiam voluit, quòd per nos alij iustificarentur;* quæ veri iusti nota est, post suam scilicet, imo & per suam, alienæ quoque saluti cum Dei auxilio consulere.

Vt nos efficeremur iustitia Dei in ipso. Non dixit Apostolus, nos iustos à Deo effectos, aut coram Deo, sed *iustitiam Dei*, vt gratiæ perfectionem, *ac excellentiam*, sic loquitur Theophylactus, *ostenderet*, quâ scilicet quis perfectè iustificatur. Et Lytanus: *Vt nos efficeremur iustitia, idest*, inquit, *perfectè iustificati, ideo dicitur iustitia in abstracto.* Glossa interlinearis; *Non modo iusti, sed per quos alij iusti sint*; vt nouerint qui Dei iustitiâ per Dei gratiam donantur, alios & exemplo, & monitis ad iustitiam allicere, ac prouocare.

CAPVT VI.

EPISTOLÆ SECVNDÆ ad Corinthios expenditur & illustratur.

SECTIO I.

Adiuuantes autem exhortamur, ne in vacuum gratiam Dei recipiatis.

ADiuuantes. Græcè *συνεργοῦντες*, idest *cooperantes*, quo pacto legit etiam Sanctus Augustinus. 828.
Dubium autem est an ad Deum, an potiùs ad homines referendum istuc sit. Estio cum aliis magis placet ad Deum referri tantùm, præsertim cum simili ratione dixerit, ptiore Epistola in c. 3. *Dei adiutores, seu cooperatores sumus.* Sensus igitur erit: Nos Apostoli, quibus à Deo datum est ministerium reconciliationis annunciandæ, & exequendæ, Deo cooperantes, tanquam eius ministri cum obsecratione vos exhortamur, ne tam singulare Dei beneficium in vacuum, & sine fructu reciperetis, & illud in vobis redderetis inutile.

Ecce nunc tempus acceptabile, ecce nunc dies salutis.

ACceptable tempus vocat idest dignum, quod summâ exultatione acceptetur, & suscipiatur, vt potè mundo salutem afferens, vt posteriora verba sint priorum velut exegetica. *Ecce nunc dies salutis.* Et non erant dies salutis etiam ante Christi Aduentum, cum constet plures saluos fuisse: Nodum ita soluit Hugo Victorinus hîc quæst. 17. *Ideo* DIES SALVTIS HOC TEMPVS, GRATIÆ DICITVR, *quia in hoc tempore hostia oblata est, per quam solam introitus patet in Regnum, per quam etiam illi qui præcesserunt, salutem meruerunt, vnde etiam tempus gratia*

gratia dicitur, propter maiores vires nobis datas, per fidei, & manifeſtationem dilectionis, & vires Diaboli ſunt imminutæ, & quia nunc omnia gratis, non causa alicuius terreni commodi fiunt, & quia illa, quæ in aliis temporibus ſunt promiſſa, hoc tempore ſunt adimpleta. Tantùm in ſalutis tempore nullus ſalutem ſuam negligat, alioquin nudum tempus non proderit, ſalutis tempus cum ſit, omnia ad ſalutem dirigantur, in omnibus ſalus ſpectetur, quâ beatæ æternitati præludatur.

Ecce nunc dies ſalutis. Rectè *diem ſalutis* dixit, non *noctem*, vt tectè innueret operi manum admouendam ei, qui ſuæ ſaluti vult conſultum. *Dies autem*, inquit, hîc Primaſius, *dicitur vita hæc*, QVIA APTA EST AD OPERANDVM, *& concluditur nocte iudicij, in quâ nemo poterit operari.* Alioquin diem in noctem vertit, & ſalutem ſuam nihili videtur habere, qui negligit operari.

Nemini dantes vllam offenſionem, vt non vituperetur miniſterium noſtrum.

829. NEmini dantes vllam offenſionem; Hoc maximè Dei miniſtris cauendum, ne aliis aliquam dent offenſionem exemplo ſcilicet malo, quæ omni offenſione nocentior eſt. *Ita conuerſationem noſtram*, inquit hîc Sanctus Anſelmus, CAVTA CIRCVMSPECTIONE CVSTODIAMVS, *& nemini ſimus dantes vllam offenſionem, ideſt, nosipſi faciamus, quæ aliis facienda ſuademus:* NON FACIAMVS, QVÆ PROHIBEMVS; *ne ſi aliter docere, & aliter facere viſi fuerimus, exemplo noſtro cæteros offendere faciamus. Infirmus enim quiſque plus attendit facta Prælati ſui, quàm verba, & putat ſibi licere quidquid illum viderit agere. Et ita Prælatus, qui malè viuit, licet benè doceat, offenſionem ſubditis parat;* qui docentis moribus ſolent magis credere, quam verbis, cum factorum maior ſit vis, quàm dictorum.

Vt non vituperetur miniſterium noſtrum. Nimirum miniſtri defectus reſilit in miniſterium, & incipit officium contemni, cum qui illud exercet, fit contemptibilis; *Occaſionem magnam*, inquit hîc Catharinus, *ad vituperanda miniſteria bona præbent malè adminiſtrantes*, NAM CVM MALVS APPARET MINISTER: ETIAM IPSVM MINISTERIVM, ET OFFICIVM VITVPERANT IDIOTÆ, ET CARNALES. *Et hoc eſt nunc ſcandalum mundi. Heu, heu, væ nobis qui non aperimus oculos. Non autem talis erat Apoſtolus noſter: quem vtinam imitaremur ſeriò monentem, vt poſtulat noſtri muneris obligatio.* Alioqui miniſteria ſacra vituperant, & aliorum vituperationi exponunt, qui vituperabilem agunt vitam.

Sed in omnibus exhibeamus noſmetipſos, ſicut Dei miniſtros in multa patientia, in tribulationibus.

830. IN omnibus exhibeamus. A veris Dei ſeruis iuſtitiæ vera nota quærenda, non nuda virtutis ſimilitudo. *Non dixit*, inquit hîc Sanctus Chryſoſtomus, APPARENTES, *ſed exhibentes, hoc eſt liquidò demonſtrantes.* Vt videant, quàm à ſuo munere abſint qui externâ quadam virtutis ſpecie contenti, intus virtute vidui ſunt.

In multa patientiâ. Quâ ſcilicet omnia æquo fortique animo ferantur. *Non ſimpliciter*, inquit hîc Sanctus Chryſoſtomus, *patientiam dixit, ſed multorum addit*, VT ILLIVS MAGNITVDINEM DECLARARET. *Neque enim vnum aliquod, aut alterum incommodum perferre magnæ laudi ducendum eſt. Itaque denſa tentationum agmina ſubiungit, dicens, in tribulationibus, in inſtabilitatibus.* Et quæ ſequuntur.

In multa patientia. Quia nimirum multa Euangelij miniſtris erant mala perferenda; ſed cur primo loco patientiam ponit: *Quòd hæc virtus*, ait Eſtius, *Euangelij miniſtris ſit in primis neceſſaria, quodque per eam veri miniſtri probentur*, vt ſit velut illorum nota atque character.

In tribulationibus, in neceſſitatibus. Quid longam preſſurarum ſeriem hîc Apoſtolus facit; Quid tribulationum pondus indicat graue? Et non Chriſtus dixit, illius iugum ſuaue eſſe? Eſt. Quæ narrat Apoſtolus *ſunt in ſeipſis* (inquit S. Thomas hîc) *aſpera; ſed propter* AMOREM, ET INTERIOREM FERVOREM SPIRITVS DVLCORANTVR, & quæ grauia redduntur leuia, amara dulcia fiunt ſi amor adſit, facilia euadunt, quæ alioquin erant difficilia. 831.

In ieiuniis.

IN ieiuniis, Quod neceſſitatis erat virtus in virturum cenſu reuocabat. *Aliquando*, inquit hîc Sanctus Ambroſius, VOLVNTARIA, ALIQVANDO NECESSITATIS IEIVNIA PERTVLIT *cauſa penuriæ, & Deo gratias egit ſpiritaliter ſe paſcenti: quia ideo contentus erat, ne ventris cauſa inclinaretur.* Sicque virtutis characterem ieiuniis imprimebat, quo alioquin caruiſſent, ſi in nuda iacuiſſent neceſſitatis lege.

In caſtitate, in ſcientia, in longanimitate, in ſuauitate, in Spiritu Sancto, in charitate non ficta, in verbo veritatis.

INter medias virtutes Spiritum Sanctum locat, vt innueret earum eſſe veluti cor, centrum, vitam, formámque. Peritè Caſſiodorus lib. de Amicit. vbi hunc ordinem expendens, ait, *Propterea Paulus Apoſtolus Spiritum Sanctum interſerit in catalego munerum Dei, dicens: In caſtitate, in ſcientia, in longanimitate, in ſuauitate, in Spiritu Sancto, in charitate non ficta, in verbo veritatis, in virtute Dei, Spiritum Sanctũ ponit in medio quaſi* ARTIFICEM TOTIVS BONÆ VOLVNTATIS *ad Deum, dirigentem actionem, agentem omnia fortiter, & vniuerſa ſuauiter diſponentem.* Iſtud idem & pænè eiſdem verbis habet Petrus Bleſenſis lib. de charit. Dei cap. 3. *Paulus Apoſtolus Spiritum Sanctum interſerit catalogo miniſteriorum Dei dicens: in caſtitate, in ſcientia, in longanimitate, in ſuauitate, in Spiritu Sancto, in charitate non ficta, in verbo veritatis, in virtute Dei.* SPIRITVM SANCTVM PONIT IN MEDIO QVASI ARTIFICEM TOTIVS BONÆ VOLVNTATIS, AD DEVM FORMANTEM AFFECTIONES, DIRIGENTEM ACTIONES, *omnia fortiter, & vniuerſa ſuauiter diſponentem. Spiritus enim eſt, qui viuificat ſpiritum hominis, ipſumque inſtruit, & informat Deum diligere, quærere & inuenire, tenere & frui.* Omnium virtutum chorus iacet, ac prorſus cadit ſi Spiritus Sanctus abit, 832.

absit, qui decorem illis, ac vitam exhibet, illum exhibet se.

In castitate. Rectus ordo, nec mysterio vidius post labores, vigilias, ieiuniáque meminit castitatis, quæ illis tanquam fundamento innititur, quod expendebat etiam Sanctus Thomas. hîc. *Notandum*, inquit, *est, quòd immediatè post multos labores, vigilias, & ieiunia subdit de* CASTITATE, *quia qui vult habere* VIRTVTEM CASTITATIS, *necesse habet laboribus dari, vigiliis insistere, & macerari ieiuniis.* Hunc etiam ordinem vtilia exhibere monita monebat Ioannes Cassianus collat. 14. cap. 16. *Vniuersarum virtutum suarum non solum catalogum texere, verum etiam ordinem vellet exponere, vt quæ quam sequeretur, vel quæ quam parturiret exprimeret, post aliqua intulit, dicens: in vigiliis, in ieiuniis, in castitate, in scientia, in longanimitate, in suauitate, in Spiritu Sancto, in charitate non ficta; in qua coniugatione virtutum euidentissimè nos voluit erudire* DE VIGILIIS, ATQVE IEIVNIIS AD CASTITATEM, *de castitate ad scientiam, de scientia, ad longanimitatem, de longanimitate ad suauitatem, de suauitate ad Spiritum Sanctum, de Spiritu Sancto ad charitatis non fictæ præmia peruenire.* Optimus ordo, nec inuertendus.

833. *In castitate.* Græcè ἐν ἁγνότητι, *in puritate.* Aliqui vertunt, *in sinceritate.* Vox Græca, vt notabat etiam Estius, communis est ad castitatem, & ad eam virtutem, quâ quis à munerum cupiditate est alienus. Vocis huius ratio ad omnia extendenda est, adeo vt puritas in omnibus seruetur, nec sibi aliquis de corporis castitate blandiatur, si mentem impuram rerum terrenarum noxio affectu circumferat.

In scientia. Rectè scientiæ puritatem præmisit, nam qui scientiæ, & doctrinæ vacat, & docet imperitos, ab omni debet carnis impuritate esse alienus, ab omni rerum periturarum cupiditate immunis.

In suauitate. Græcè ἐν χρηστότητι, *in benignitate,* quâ voce significatur hîc comitas, & facilitas, quâ quis quantum licet, aliorum se se moribus, accommodat. Iure autem adiicit *in Spiritu Sancto*, vt adulatricem illam suauitatem, affabilitatémque reiiciat, quæ à sæculi sensu est, qua scilicet quis blanda loquitur, vt commodis suis litet, & eos decipiat, quos suauiter alloquitur; Benè Glossa: *In suauitate habita in Spiritu Sancto, vt secundùm Deum suaues, & affabiles; non vt illi qui per* DVLCES SERMONES SEDVCVNT CORDA INNOCENTIVM; quæ dulcedo omni amarior amaritie est, quæ leuitas omni scabritie asperior est. Sunt qui hæc verba, *in Spiritu Sancto* ad omnia superiora referant, in hunc sensum: Ad ea omnia præstanda, quæ hucusque commemorata sunt, Spiritus Sanctus nobis auxiliator fuit.

834. *In Spiritu Sancto*, Inter medias virtutes iure Spiritum Sanctum collocauit, vt earum virtutem, &, vt verbo dicam, cor. Pulchrè rem versat Sanctus Bernardus tract. de vita solitaria. *In catalogo*, inquit, *Spiritualium exercitiorum Apostolus prudenter interseruit Spiritum Sanctum, dicens: In castitate, in scientia, in longanimitate, in suauitate, in Spiritu Sancto, in charitate non ficta, in verbo veritatis, in virtute Dei. Vide enim, quomodo tanquam omnia facientem, ordinantem, & viuificantem, in medio bonarum virtutum,* SICVT COR IN MEDIO CORPORIS, *constituit Spiritum Sanctum. Ipse est enim omnipotens artifex creans hominis ad Deum bonam voluntatem, Dei ad hominem, faciens propitiationem, formans affectionem, dans virtutem, iuuans operationem, agens omnia fortiter, & disponens omnia suauiter. Ipse viuificat spiritum hominis, & continet in vnum, sicut & ille viuificat, & in vnum continet corpus sum.*

Cur Spiritui Sancto locum primum non dedit? An vt innueret in perfectionis via fidendum quidem superæ gratiæ, sed nostrum esse, ea quæ possumus præstare, &, quæ nostrarum sunt partium cum Dei adiutorio perficere. Præclarè Elias Cretensis in orat. 1. Sancti Gregorij Nazianzeni. *Spiritus Sanctus*, inquit, *iis demum libenter opitulatur, qui virtutem sibi consectandam proposuerunt, & quæ suarum partium sunt, præstant. Vnde etiam ait Apostolus. In patientia multa, in tribulatione, in necessitate, in angustia, in labore, in ieiuniis, in Spiritu Sancto. Videsne quemadmodum Spiritus* SANCTI POTENTIAM TVNC POSVERIT POSTQVAM IPSE PARTES SVAS EXPLEVIT. *Ergo spiritui quidem ipse confidit: sed tamen, quod etiam muneris sui est, præstat, nec corpori habenas laxat, dicens. Castigo corpus meum, & in seruitutem redigo.* Errant, qui otio, & desidia torpent, & totum Deo committunt.

In charitate non ficta.

ALiqui legunt *in charitate non simulata.* Illi charitatem fictam, ac simulatam habent, qui nudis verbis charitatem in alios ostendunt, sed re ipsa se quærunt, & suis sunt commodis intenti. Glossa in *charitate non ficta. Ficta est,* QVÆ DESERIT IN ADVERSITATE, & tunc maximè deficit, cum exerere virtutem suam deberet.

Per arma iustitia à dextris, & à sinistris.

VT sit sensus. Declaramus nos Dei ministros in prosperis, & in aduersis, si in illis fortes simus, in illis humiles; sic enim quæ sinistra sunt, ad dexteram nos constituent. Benè Ioannes Cassianus collat. 6. cap. 9. vbi ad hunc locum spectans, ait *Quæ à sinistris esse dicebit, efficiuntur viro perfecto arma iustitia, si illata sibi magnanimiter sustentauerit, quod videlicet per hæc dimicans, & istis ipsis quibus impugnari putatur aduersis, tamquam armis vtendo, eisque velut arcu, & gladio, scutoque validissimo contra illos, qui hæc ingerunt, communitus, profectum sua patientia, ac virtutis acquirat, gloriosum constantia triumphum ex ipsis quæ lethaliter inferuntur capiens hostium telis,* NEC PROSPERIS DVNTAXAT ELATVS, NEC DEIECTVS ADVERSIS, *sed itinere plano ac via regiâ semper incedens, ab illo tranquillitatis statu nequaquam lætitia superueniente quasi in dexteram motus, nec aduersis ingruentibus, tristitiáque dominante velut ad læuam rursus impulsus.* Alioquin sinistra esse incipiunt, quæ prospera putabantur, si extra modestiæ limites nos ferant. 835.

A dextris, & à sinistris. Beneficentiæ necessitatem, vt commendet vtitur hoc loco Clemens Alexandrinus lib. 6. stromatum: *Per arma iustitia dextera, & sinistra, dicit Apostolus iustum transmitti ad summam hæreditatē, ab his quidem*

munition,

munitum, illis verò etiam agentem. Non enim solum armatum tegumentum, & abstinentia a peccatis, sufficit ad perfectionem, nisi adsumpserit etiam opus iustitiæ, & EAM QVÆ AD BENEFACIENDVM EST OPERATIONEM.

836. Armis quæ à dextris, & quæ à sinistris sunt vtitur, qui hominum vituperationibus, simul & laudibus adeo à bono non retinetur, vt & illis, & istis ad illud vrgeatur. S. Augustinus in psal. 38. ita rem explicabat: *A dextris & à sinistris, habemus arma in quibus militamus: per gloriam, & ignobilitatem, per infamiam, & bonam famam, vt seductores, & veraces: hæc apud Angelos, hæc apud homines: quia & apud Angelos, sunt sancti Angeli, quibus bene viuendo placemus: & sunt præuaricatores Angeli, quibus bene viuendo displicemus, & inter homines sunt sancti viri, quibus placeat vita nostra: sunt nequissimi homines qui irrident bonam vitam nostram, & hæc arma sunt illa dextra, illa sinistra, vtraque tamen arma sunt, vtrisque armis, & dextris, & sinistris vtor:* ET LAVDANTIBVS, ET VITVPERANTIBVS; ET HONOREM DEFERENTIBVS, ET IGNOMINIAM IRROGANTIBVS; IN HIS VTRISQVE ARMIS CONFLIGO CVM DIABOLO, VTRISQVE EVM FERIO: *prosperis si non corrumpor, aduersis si non frangor.* Nam plerunque corrupere prospera, quæ non fregere aduersa, & aliquando fractus in istis est, qui integer in illis stetit.

A dextris, & a sinistris hæc arma habeamus, vt incedamus inter illa medij, discretionis regulâ vbique vtentes; nam huc quoque vocat hæc verba Ioannes Cassianus collat. 2. cap. 16. *Secundùm Apostolum, per arma iustitiæ quæ à dextris sunt, & a sinistris, recto moderamine transeundum est, & ita* INTER VTRASQVE NIMIETATES DISCRETIONIS MODERANTE GRADIENDVM EST, *vt nec à tradito continentiæ tramite acquiescamus abduci, nec rursum remissione noxia, in gulæ ac ventris desideria concidamus.* Mediocritatis via tenenda, extra cuius limites magna timenda sunt damna.

Per gloriam, & ignobilitatem.

837. P*Er gloriam, & ignobilitatem.* Et quid magnum per gloriam ire? Adeo magnum istuc vt maximum sit nimirum per gloriam ire, nec gloriæ amore tangi, nec arrogantiâ corripi. Peritè Sanct. Chrysostomus hom. 12. in epist. 2. ad Corinth. hæc Pauli expendens verba: *Quid,* inquit, *ais Paule? Magnumnè atque amplum ad laudem tibi esse censes gloria frui? Maximè, inquit, quid ita! Nam* IGNOMINIAM QVIDEM FERRE MAGNVM AC PRÆCLARVM EST. *Quid verò? An in gloria versari non fortem, ac strenuum animum requirit! Fortem planè ac perquam ingentem, vt ne is qui ea fruitur, in arrogantiam prorumpat.* Coniice oculos in præterita sæcula, & plerosque gloria deiectos deprehendes, qui firmi inter ignominiæ steterant decora.

Per infamiam, & bonam famam.

VErus Dei minister infamiæ suæ causam nemini dat, si tamen contingat eum infamiæ nota laborare, rectum iustitiæ cursum non deserit. Sanctus Hieronymus epist. 2. quæ est ad Nepotianum hunc locum tangens, ait: *Per bonam famam, & malam a dextris, & à sinistris, Christi miles graditur, nec* LAVDE EXTOLLITVR, NEC VITVPERATIONE FRANGITVR; *non diuitiis tumet, non contrahitur paupertate; & læta contemnit, & tristia: per diem Sol non vrit eum, neque Luna per noctem.* Felix semper incedit, qui inter diuersa it, nec diuersus à se ipso, & iustitiæ regula fit; vnus est, vnam, eandemque circumfert mentem licèt tam variis obsideatur.

Nouat. in. in Epist. Pauli.

Vt seductores, & veraces, sicut qui ignoti, & cogniti, &c.

COmparationis aduerbium, *vt*, vel, sicut, hic, & in sequentibus partibus, apparentiam dũtaxat, non veritatem significat, vt notauit etiam S. Thom. addens ideo Apostolum similitudinis aduerbiis vti, quia in rei veritate non sic erat, sed in hominum opinione. Et ferè ità accidit, vt quæ ad infamiam nostram spectant, ita sint quia talia putantur, non quia ex vero sint. Malorum nostrorum officina opinio est, & miseriarũ nostrarum architectrix. Benè bonus ille auctor: *Quid nos* INIVRIA AFFICIT NISI PVTARI AFFICI? *Nosmetipsi proxima lædimus, sed celata manu. Verissimè quidem Simplicius ait: opinio qua nos iniuria affici putamus, ipsa nos quasi iniuria afficit.* Vt ab hac parte nos nobis calamitates fabricemus, aut ab aliis fabricatas reddamus maiores.

Vt castigati, & non mortificati.

EX Græco verti potest: *Vt qui castigamur, sed non occidimur.* Mirum qui tam durè flagris cædebatur, vt dicere potuerit, se quadam similitudine flagellis cæsum! An supplicia omnia, omnes pœnæ castigationis similitudinem tantùm referunt, si innocens sit ille, qui cæditur: *Videmur castigari*, sic loquentem hîc Paulum Estius facit, *quando flagris cædimur à magistratibus velut malefactores, & publicæ pacis perturbatores. Videmur, quia reuera non castigatur, aut coercetur, qui flagellatur immeritò,* SED TANTVM IBI SIMILITVDO CASTIGATIONIS EST. Ictus oẽs innocentia retũdit, vt videatur nõ pati, qui iustus cũ sit patitur iniustè.

SECTIO II.

838 *Mundana omnia, & temporalia vt apparentia bona sint.*
839 *Qui simul & tristes esse possimus, & gaudere.*
840 *Iustorum tristitia gaudio grauida.*
840 *In pauperes beneficus qui cum esse non possit, studet vt alij sint.*
840 *Gaudium iustorum verum, tristitia apparens tantum.*
841 *Omnia possidet, qui Deo adhæret.*
841 *Verus Christi seruus in diem hic viuere debet.*
842 *Terrena possidentur, quum spernuntur.*
842 *Omnia possidet, qui omnia spernit.*
842 *Charitatis munus, cor dilatare.*
843 *Coangustari vt cor Pauli potuerit.*
844 *Perstricti, qui post Eucharistiæ myste-*

rium, & doctrina spiritualis epulas ad profana spectacula se conferunt.

845 *Quam delirі, qui in se idolum suum constituunt per inanem gloriam.*

845 *Quid ei præstandum, qui Dei templum esse vult.*

846 *Corpori ne nimis indulgeat, qui Dei templum se esse cogitat.*

846 *Dei imago in viuo Dei templo constituenda.*

847 *Hominis dignitas ex eo, quòd Dei templum dicitur*

848 *In suorum cordibus cur deambulare Deus dicatur.*

848 *Quàm magna latitudo charitatis.*

849 *De virtute in virtutem eundum est.*

849 *Summa in vitandis peccatis cautio.*

Quasi tristes, semper autem gaudentes, &c.

838. QVasi tristes. Temporalia omnia siue bona illa sint, siue mala, nudam apparentiam habent, nec verè sunt vt videntur esse; spiritualia verò bona, verè hoc nomen sustinent; quod ex his verbis colligebat Sanctus Thomas hîc: *Nota*, inquit, *circa præmissa, quòd Apostolus vtitur in præmissis miro modo loquendi. Nam ipse quasi semper ponit vnum contra vnum, & temporale contra spirituale, sed tamen in temporalibus semper addidit quandam conditionem, puta, vt, sicut, quasi, tanquam, sed in opposito spirituali nihil addit. Cuius ratio est: quia temporalia siue sint mala, siue bona, sive transmutabilia, & apparentia,* HABENT TAMEN SIMILITVDINEM, VEL BONI, VEL MALI. *Et ideo dicit, vt seductores, & quasi ignoti, quia non erant in rei veritate sic, sed in opinione hominum, & si erant transitoria, erant bona, aut mala, bona autem spiritualia existentia sunt, & vera, & ideo non addit eis conditionem aliquam.* Contra ac mundi homines opinentur, quibus nihil videtur bonum nisi quod spectat ad corpus, sensibus blanditur, & carnem fouet.

839. Sed quì tristes simul esse possumus, & gaudere? nodum ita soluit Sanctus Bernardus serm. in natiu. Sancti Ioannis Baptistæ; *Gaudeamus*, inquit, *intus, & non sub Sole, sed iuxta Apostolum tamquam tristes propter humilitatem, & grauitatem, semper autem gaudentes propter internam consolationem*; intus innatet gaudium, foris grauitas, ac modestia splendeat, quæ ita abscondat gaudium, ac coerceat, vt magis foueat, ac seruet, ne foras prodiens dissipetur. Sanctus Augustinus in psal. 138. scitè hunc locum versat, hæc illius sunt verba: *Attende Apostolum Paulum, habentem intus hoc genus firmitatis, quasi tristes, inquit, semper autem gaudentes, vnde quasi tristes, contumeliis, opprobriis, persecutionibus, flagellis, plagis, carceribus, catenis, lapidationibus. Quis non eos miseros tunc existimaret? nec illi ipsi persecutores sæuirent in eos, nisi putarent eos miseros fieri persecutionibus suis. Illi enim eos ex sua infirmitate coniiciebant, qui non habebant ossium absconditum interius, illi verò qui habebant, hominibus foris* TRISTES VIDEBANTVR, INTVS AVTEM GAVDEBANT DEO. Mundi homines lætitiæ aliquod signum externè exhibent, intus tristitiâ madent; aut certè magnam tristitiæ materiam habent.

Quasi tristes. Iustorum tristitia gaudio est grauida, tristes videntur, sed non sunt, verè gaudent, quasi tristantur. *Tristitia nostra*, inquit Sanctus Augustinus in psal. 48. *habet quasi, gaudium nostrum non habet quasi; quia in spe certa est. Quare tristitia nostra quasi habet? quia sicut somnus transiet, & dominabuntur recti manè. Nouit enim charitas vestra, quia qui somnium indicat, addit quasi. Quasi dicebam, quasi loquebar, quasi prandebam, quasi equitabam, quasi disputabam. Totum quasi, quia cum euigilauerit, non inuenit quod videbat. Quasi thesaurum inueneram, dicit mendicus. Si quasi non esset, mendicus non esset; sed quia quasi erat, mendicus est. Itaque modo qui ad lætitias sæculares oculos aperiunt, & cor claudunt, transit quasi eorum, & venit verum ipsorum. Quasi ipsorum felicitas est sæculi, verum ipsorum pœna est.* NOSTRVM AVTEM QVASI TRISTITIA EST, GAVDIVM NON EST QVASI; *Non enim ait Apostolus: quasi gaudentes; sed, ait, quasi tristes semper autem gaudentes Sicut egeni, & ibi sicut pro quasi posuit.* Eandem rem luculentiùs versat S. Augustinus conc. 2. in Psal. 47. vbi ait: TRISTITIA NOSTRA HABET, QVASI; *quia sicut somnus transiet. Quia somnum indicat, addit, Quasi. Quasi dicebam, quasi loquebar, quasi prãdebam, quasi equitabam, quasi disputabam. Totum quasi; quia, cum euigilaueris, non inuenis, quod videbas. Gaudium nostrum non habet, Quasi; quia spes certa est. Non dicit Apostolus, quasi gaudentes sed, semper gaudentes.* Et quì non gaudeant, cum veri gaudij auctori semper adhæreant? 840.

Sicut egentes, multos autem locupletantes.

VErè egenus esse non potest, qui donis spiritualibus adeo est diues, vt ditare etiam alios possit. 841. *Multos locupletantes*, idest expositore Lyrano, *dona spiritualia ipsis communicantes, quæ tanto sunt meliora, quanto quæ sunt animæ; corporalibus præferuntur.* Quid si de corporalibus quoque bonis, terrenisque diuitiis hæc intelligantur? Scitè Estius: *Putamur esse pauperes, sed falsò, quia multos ditamus vel bonis spiritualibus per ministeriũ verbi; vel bonis temporalibus, quia dum* HORTAMVR AD LARGITATEM *eleemosynarum, bona diuitum facimus pauperum esse communia, qui posterior sensus magis videtur esse litteralis.* Vt videas in pauperes beneficum esse, qui cum ipse non possit, studet vt alij sint, & ad eleemosynarum largitionem alios inhortatur.

Multos autem locupletantes; Nihil habere videbatur, sed habebat omnia, quia omnium Domino adhærebat, sicque multos poterat ditare, Sanctus Augustinus in psal. 48. legit. *Multos autem ditantes*; additque: *Cum hoc diceret, nihil habebat Apostolus. Omnia sua diuiserat, diuitias nullas possidebat. Et quid secutus ait? Quasi nihil habentes, & ipsum nihil habere quasi Apostoli erat. Et omnia possidentes; ibi non dixit quasi. Quasi egebat: non autem quasi; sed verè multos ditabat. Quasi nihil habebat; non autem quasi,* SED OMNIA POSSIDEBAT. VNDE VERE OMNIA POSSIDEBAT? QVIA OMNIVM CREATORI ADHÆREBAT. Non potest non esse diues, qui Deum possidet, à Deo possidetur.

Tā quam

Tanquam nihil habentes, & omnia possidentes.

SCilicet vero Christi seruo seruiunt omnia, totúsque mundus diuitiarum est, si totum contemnat mundum. In dies hîc nos viuere, & futura nobis cogitanda, & expectáda ex his verbis colligebat S. Asterius hom. de Oecooom. ioiquitatis; vbi ait: *Quid & quanti tota illa quam præsides obtinent scena, argenteum vehiculum, & virga aurea? non semper ista à præside habentur, nunquam certè ab eodem, nisi fortè ad exigui temporis vsuram. Sicut enim feretrum aut sandapila alia subinde cadauera suscipit: ita principum virorum insignia vtentes identidem commutant. Vnde & frequentes Apostoli nobis erudiendis in hanc ferè sententiam voces; repræsentat enim huius mundi faciem illud, tanquam nihil habentes, & tamen omnia possidentes; &, vtentes, tanquam non vtentes; hæc enim omnia ad vnum scopum tendunt,* QVOD VELVT IN DIEM HIC VIVERE DEBEAMVS, *sempérque exitus signum ac tesseram expectare.* Sicque benè viuendi sibi regulam indicit, qui iuxta hanc regulam viuit, vt in diem viuat.

842. *Omnia possidentes.* Nihil habent, & omnia possident, quia animi magnitudine contemnunt omnia. Terrena tunc verius possidentur, cum spernuntur, *omnia* POSSIDENTES, ait S. Thomas, *scilicet per* INTERIOREM MAGNITVDINEM CORDIS. Addit, *& hoc ideo est, quia ipsi viuebant non sibi, sed Christo, & ideo omnia, quæ sunt Christi, reputabant vt sua, vnde cum Christo omnia sint subiecta, omnia possidebant, & omnia tendebant in eorum gloriam.* Vera ergo magnitudo est non habere terrena, sed contemnere.

Tanquam nihil habentes, & omnia possidentes. Cum omnia reliquissent, & pauperes erant, & vt tales reputabantur; licèt reuera omnia possiderent, *quia omnium piorum ædes eis patebant*, ait Estius, *omniumque possessiones ad vsum eis cedebant. Vnde Paulus confidenter scribit Philemoni: Para mihi hospitium*, vt videatur alienarum diuitiarum fieri dominus, qui suarum in Christi gratiam contemptor est. Lyranus sic rem explicat; *Et omnia possidentes, quia viuebant Christo, & non sibi ipsis, omnia autem erant Christo subiecta. Matth. vlt. Data est mihi omnis potestas in Cœlo, & in terra. Propter quod* APOSTOLI REPVTABANT SIBI OMNIA SVBIECTA; *in cuius signum insensibiles creaturæ obediebant eis ad nutum.* Nimirum iure iis omnia erant subiecta, qui nullius rei affectui erant subiecti. Burgensis sic exponit: *Tanquam nihil habentes; nam Apostoli licet essent omnino pauperes in effectu, & sic tanquam nihil habentes; tamen in affectu erant omnia possidentes, quia appetitus eorum erat totaliter quietatus, & a bonis terrenis abstractus, ac si omnia temporalia non solùm haberent, sed etiam possiderent.* Ex quo fit vt in nostra potestate sit omnia in nostram potestatem redigere; redigit qui contemnit, & omnia habet, qui contentus est non habere.

Cor nostrum dilatatum est.

COr nostrum dilatatum est; Quo calore? non alio quàm charitatis *Quemadmodum enim*, inquit hîc S. Chrysostomus, *id quod calorem affert, dilatare solet: ita etiam* CHARITATIS MVNVS EST DILATARE. De hac charitatis dilatatione *Nouarin. in Epistola Pauli.* hæc habet Richardus Victorinus, de gradibus charitatis, cap. 4. *Emollitur cor (iuxta B. Pauli doctrinam)* DILATATVR IN CHARITATE, *& à dextris, & à sinistris vsquequaque diffunditur, subueniens pariter hostibus, & amicis, atque grato quodam, & spontaneo cursu omnibus occurrit, congaudens profectibus, vel defectibus condolens proximorum: fluit igitur, sed non effluit, quia sic se deriuat ad alios, vt à se aliquatenus non recedat.*

Cor nostrum dilatatum est. Haud dubium, quin virtute charitatis, cuius *tanta est vis* (inquit S. Chrysostomus homil. 44. in Acta) *vt Cœlo latiorem faciat animam*, & in psal. 41. de charitatis vi, quæ Pauli cor corripiebat, ait: *Ardens est res natura dilectionis, nec potest anima sustinere, vt eam silentio teneat, & ideo amans quoque Paulus dicebat Corinthiis: os nostrum ad vos apertum est, Corinthy, hoc est, non possum continere, & silentio premere* DILECTIONEM, *sed vos semper, & vbique, & in mente, & in lingua circumfero.*

Angustiamini autem in visceribus nostris.

ANgustiamini. Scitè S. Chtysostomus hîc: *Non dixit*, inquit, *Non nos capitis: sed, Angustiamini: Idem nimirum subindicans, sed molliori verbo vtens, ne acrius eos perstringeret*: S. Ambrosius legens *coarctamini in visceribus vestris*, addit ad explicatum in Psal. 118. octon. 6 *Et si corpus angustatum est, cor nostrum dilatatum est, non angustiamini in nobis, coarctamini autem in visceribus vestris* COANGVSTARI *in Paulo non poterant, in quo erat altitudo sapientiæ, & fidei latitudo, quomodo enim poterant coarctari in eo, qui erat vas electionis æternæ? sed coarctabantur in semetipsis: quia improbus in seipso coarctatur, malitiæ suæ laqueis strangulatus. Constitue mihi auarum, villarum quotidie terminos proferentem, excludentem vicinos, vtrum is tibi dilatari, an coangustari videtur, quem terra ipsa non capit?* 843.

Aut quæ societas luci ad tenebras?

HÆc verba in illos torquet Sanctus Chrysostomus, qui post Eucharistiæ mysterium, post doctrinæ diuinæ epulas ad prophana spectacula se conferebant; sic ille inclamat serm. 9. de diuersis noui Testamenti locis: *An non audiunt isti Beatum Paulum Doctorem orbis terrarum dicentem: Quæ societas luci ad tenebras? aut quæ pars fideli cum infideli? Quanta enim condemnatione dignum censendum est, cùm fidelis, qui precum, &* TREMENDORVM MYSTERIORVM QVÆ HIC CELEBRANTVR, AC SPIRITVALIS DOCTRINÆ PARTICEPS FVERIT, *post huius loci sacrificium* SATANICO ILLI SPECTACVLO *cum infideli assideat, cum eo qui in tenebris impietatis aberrat, is qui Solis iustitiæ fuerit radiis illustratus? quâ ratione quæso deinceps poterimus Gentilibus, aut Iudæis os obturare? quâ ratione inducere valebimus, ac persuadere, vt ad pietatis partes transeant, cùm eos videant, qui stant à nobis, in perniciosis illis, omnique sordium genere redundantibus theatris cum illis commisceri?* Sic etiam percelli possunt, qui post Eucharisticam mensam ad Christi se hostes conferunt, & in eorum consortium se dant, quorum consuetudine hoc erant prolapsi, vt a Dei gratia exciderint. 844.

Qui autem consensus templo Dei cum idolis.

845. NVlla Idoli, & templi Dei cohærentia est, qui igitur Dei templum est, idolum omne à se debet reiicere. Quid si se ipsum quis idolum sui constituat, operúmque? Deum sic loquentem facit Bonauentura accuratus in praxi iustitiæ Christianæ: *Quomodo possem tolerare idolum, & abominationem in meo templo, & quod peius est, si te ipsum audeas* CONSTITVERE IDOLVM, CVI OPERA TVA SACRIFICES? te tuaque omnia mactes? superbus, ambitiosus, suique nimiùm amans huc euadit.

Vos enim estis templum Dei viui.

QVid præstandum nobis ex eo, quòd Dei templum sumus, apposite docet S. Leo serm. 5. de Quadrages. vbi ait. *Si* TEMPLVM DEI VIVI, MVLTA NOBIS VIGILANTIA LABORANDVM EST, *vt cordis nostri receptaculum tanto hospite non sit indignum. Et, sicut in domibus manufactis, laudabili diligentia prouidetur, vt si quid aut infusione imbrium, aut turbine procellarum, vel ipsa fuerit antiquitate corruptum, in integrum cura restituat: ita iugi oportet sollicitudine præcaueri, ne quid in nostris animis incompositum, ne quid inueniatur immundum. Quamuis enim ædificium nostrum sine opere sui non subsistat artificis, nec fabrica nostra possit esse incolumis, nisi ei protectio præfuerit conditoris; tamen, quia rationabiles lapides sumus, & viua materies, sic nos auctoris nostri extruit manus, vt cum opifice suo etiam is, qui reparatur operetur.*

846. Non esse nimis in corpus sæuiendum ex eo quòd Spiritus sancti templum est, ab hoc Apostoli loco colligebat B. Laurentius Iustinianus de discipli. monast. conuers. cap. 23. *Crudelis sibi efficitur, & Deo censendus est aduersarius, quisquis prudentiâ carens, vitam sibi abstulisse conuincitur, quoniam instrumentum per quod peccata delere, & merita augere poterat, imprudenter amisit, & conditoris opus dissipauit. Teste quippe Apostolo, humana corpora Spiritus Sancti* SVNT TEMPLVM, QVÆ OB ILLIVS REVERENTIAM, CVIVS FVTVRA SVNT, NON POLLVENDA, VEL EXTINGVENDA SVNT, SED MVNDANDA, ET CVSTODIENDA; *Non mediocris etenim criminis rei iudicandi sunt, quicunque Dei plasma temerare, aut necare præsumpserint.*

Dei imago vt in viuo Dei templo custodienda sit, ita explicabat S. Ephræmus Syrus tract. de virg. *Cupis esse castum, & immaculatum templum Dei? imaginem eius in corde tuo semper habeto: imaginem, inquam, non colorum varietate in ligno, aliâue materia deformatam, verùm illam, quæ per bona opera, vti ieiunia, vigilias, honestas actiones, continentiam, & orationes mirabili quodam modo, purè iugitérque depingitur in anima:* COLORES VERO IMAGINIS ILLIVS COELESTIS DOMINI, *rectè facta sunt, & cogitationes mundæ, ac terrenarum rerum nuditas, cum lenitate ac vita sanctâ omni tempore.*

847. *Templum Dei viui.* Hominis hinc dignitatem colligebat S. Chrysostomus, Iudæorum templum cum isto titulo, quo seruus Dei templum dicitur, conferens, ait Estius: *Considera ô homo* QVANTAM DIGNITATEM *assequeris, & cùm tu ipse quoque* TEMPLVM *factus sis, quanta à te iure sit præstanda puritas, quomodo autem præstiteris, puritatem? Si omnem malam cogitationem expuleris, si feceris, vt ad mentis prædium diabolicis actionibus nullus pateat aditus: si tanquam in sanctis adytis perpetuò tuum animum exornes. Si enim in Templo Iudaico non licebat omnibus quemuis locum ingredi: sed erant multa, & varia discrimina, & erat hic quidem locus præstitus proselytis, ille verò Iudæis qui fuerant ab initio, alius autem Sacerdotibus, alius verò Pontifici soli, idque non semper, sed semel in anno: cogita apud te quantâ tibi sanctitate opus sit, qui signa multò maiora acceperis, quàm qui Sancta Sanctorum tunc acceperint. Neque enim Cherubim, sed ipsorum Cherubim Dominum habes inhabitantem; neque vrnam, & manna, & tabulas lapideas, & virgam Aaron, sed Corpus, & Sanguinem Dominicum, & spiritum pro litera, & gratiam, quæ superat humanam cogitationem, & donum inenarrabile.* Sic ille in psal. 134. quæ licet pluscula, nihil elidere volui, ne aliquid ponderis, aut venustatis deperiret.

Inhabitabo in illis, & inambulabo inter eos.

ITanè, cui angusta domus est Mundus, in suorum cordibus ambulat? Quis huiusce domus 848.
capacitatem non admiretur: *Quid magnificentius*, inquit Sanctus Ambrosius in Psalm. 118. octon. 8. *hospite Cælesti? quid beatius possessione Diuina? Alij queruntur de sui ruris angustiis: in se, Deo est ampla possessio,* IN QVO DEAMBVLARE SE DIXIT; *laxe spatia habitationis inueniens, qui terram includit manu. Cui Mundus angustus est, ei ampla est domus.* Tantum qui iam latus est, non se in terrena extendat, quò enim magis cupiditatis fines extenderis hoc angustior locus Deo fies.

Et inambulabo. Maximâ opus latitudine est, vt in nobis Deus deambulet: nulla maior latitudo, quàm charitatis, quàm amoris. *Deambulat in nobis*, inquit Sanctus Augustinus serm. 3. de verbis Apostoli; *præsentia Maiestatis, si latitudinem inuenerit charitatis. Ad hoc nos exhortans Apostolus ait, dilatamini, ne sitis iugum ducentes cum infidelibus. Si dilatemur, deambulat in nobis Deus:* SED VT DILATEMVR, OPERETVR IPSE DEVS. *Si enim* LATITVDINEM CHARITAS FACIT, QVÆ NON NOVIT ANGVSTIAS, VIDETE QVIA DEVS SIBI IN NOBIS LATITVDINEM FACIT, *ipso dicente Apostolo, charitas Dei diffusa est in cordibus nostris, per Spiritum Sanctum, qui datus est nobis, Propter hanc latitudinem, inquam, in nobis deambulat Deus.*

Inambulabo; In suis Deus deambulat, cum 849.
deambulare suos facit, vt vnius virtutis actus gradus ad alium sit: *Inambulabo*, inquit B. Dionysius, *id est in corde eorum quasi in paradiso voluptatis conuersabor; inambulabo autem, id est, faciam eos ambulare* DE VIRTVTE IN VIRTVTEM. Vt nunquam in bono sistat, qui boni titulum amat.

Immundum ne tetigeritis.

SCilicèt immunda non facienda tantùm, sed nec tangenda quidem. Quod si ad peccatorum immunditiam transferatur, summâ ab illa cautionem hinc colliges. Hanc phrasim expendens S. Chrysostomus hic homil. 13. ait: *Non dixit: Immunda* NE FACIATIS. *sed, accuratiorem & exactiorem virtutem requirens. Ne attingatis quidem, nec appropinquetis.*

CAPVT

CAPVT VII.

EPISTOLÆ SECVNDÆ ad Corinthios expenditur & illustratur.

SECTIO I.

Has ergo habentes promissiones, charissimi, mundemus nos ab omni inquinamento carnis, & spiritus.

850. MVndemus nos; se quoque includit Apostolus, quare *ostendit*, inquit hîc Estius, *ne perfectos quidem, quales erant Apostoli, ita prorsus mundos esse*, VT AMPLIVS MVNDATIONE NON EGEANT; vel hoc ipso immundum se probat, qui putat dum hîc est mundatione non indigere. Inter mundandos se Paulus numeret, & eximet se, qui longissime à Pauli sanctitate distat?

Mundemus nos? scilicet tanquam Dei templum, quod ab omni immunditia immune esse debet; signatè ab *omni inquinamẽto* dixit, ne de dimidiata puritate sibi aliquis blandiretur. Totum Euangelium volve, nunquam reperies SEMIPLENE aliquem à Christo curatum; in Dei cultu nos quoque præstemus, quod præstitit ipse in morborum nostrorum curatione.

851. *Carnis & spiritus*; Vtriusque mundities est necessaria. Imperfecta si vnius tantùm; *Quid dicit Apostolus?* inquit S. Augustinus serm. 12. ex 40. nuper editis, *Mundemus nos ab omni coinquinatione carnis, & spiritus, vt quomodo te temperas à malis factis*, SIC TEMPERES TE A MALA VOLVNTATE, A MALIS COGITATIONIBVS, A MALO FACTO CONTINE, *& mundes te à coinquinatione carnis, à mala voluntate abstine, & mundes te à coinquinatione spiritus. Sequitur, perficientes sanctificationem in timore Dei. Magnifice addidit in timore Dei. Ecce quia non perficit homo sanctificationem nisi in timore Dei, quæ est perfecta sanctificatio, & corporis, & spiritus.*

Perficientes sanctificationem in timore Dei.

ADeo vt inchoatâ sanctitate sistere nullus debeat. QVOTIDIANO PROFECTV, vt ille ait, PERFICERE SANCTITATEM *debemus, quam in baptismo inchoauimus*; adeo vt producłior vita nouis sit semper virtutum gradibus cumulacior.

Capite nos.

ALiqui verba hæc hoc donant explicatu. Re- 852.
cipite intra vos exhortationẽ meam; verba mea descendant in animum vestrum, NEC IN SOLIS AVRIBVS SISTANT; Sanctus Thomas exponit, *Capite nos* per imitationem.

Neminem læsimus.

GRæcè est, *neminem iniuriâ affecimus*, vel vt alij vertunt, *nemini nocuimus*; ac si diceret; meritò à vobis exigimus charitatem, vel obedientiam, qui sincerè, & innoxiè vobis Euangelium prædicauimus; scilicet qui alios ad probæ vitæ culmen vocat, cauere debet, NE EOS FACILE LÆDAT.

Neminem læsimus, qui omnes iuuabat, omnes erigebat, omnibus fiebat omnia, apertè testatur se neminem læsisse, sæpè enim accidit, vt iniuria se affici plerique hominum putent, dum iuuantur, & lædi se dicant, dum monentur.

Neminem læsimus; se nullum læsisse asserit, non 853.
ait se ab aliquo læsum; Sanctorum virorum est, magis CVRARE, NE ALIOS LÆDANT, QVAM NE AB ALIIS LÆDANTVR; facilè iniurias omnes deuorant, ac citò altâ obliuione sepeliunt.

Neminem corrupimus.

HOc aliqui ad doctrinæ corruptelam referunt. Sanctus Thomas corruptionem intelligit, quæ fit per malæ vitæ exempla, quam maximè vitare Euangelicus doctor debet. Hæc porrò, & alia vitia à se Apostolus summouet, vt tacitè, & velut ex obliquo pseudo apostolos perstringeret. Postquam dixerat se neminem læsisse, adiicit SE VITÆ MALÆ EXEMPLO CORRVPISSE NEMINEM, quod grauius, quod nocentius aperta iniuria est.

Neminem corrupimus. Ad doctrinæ corrupte- 854.
lam aliqui hoc referant, potest tamen & ad corruptionem referri, quæ malæ vitæ exemplo fit; FACILE ALIOS INFICIT, QVI MALVM FACIT, PRÆSERTIM SI SVPER ALIOS SIT, si enim vt idem Paulus testatur, *corrumpunt bonos mores colloquia praua*, multo efficacius bonos mores corrumpunt mores corrupti, maior quippè factorum, quam verborum est vis.

Neminem circumuenimus.

NEminem circumuenimus. Græcum verbum πλεονεκτῶν significat plus iusto possidere, & occupare quod alienum est, aliena appetere. Verum quoniam illi, QVI ALIENA APPETVNT, ETIAM FRAVDVLENTI, ET VIOLENTI ESSE SOLENT, hinc factum; vt hoc verbum aliquando capiatur pro fraudare, circumuenire, item pro extorquere, ac rapaciter agere, facili enim transitu ab illo ad ista itur. Porrò Apostoli prudentiam admirare, qui à se hæc & alia vitia remouet, vt velut ex obliquo eos perstringat, qui huiusmodi vitiis corripiebantur.

Non ad condemnationem vestram dico.

855. ET cur Pauli excusatio in Corinthiorum damnationem iret? An sensus est; non vos tacitè accuso, quòd talia de nobis suspicemini, adeo vt suspicio vestra huc me adegerit, & ad excusationem mei me adduxerit; hoc enim explicatu plerique hæc verba donant, vt videas, quam grauiter noceant sibi, QVI LEVITER AC TEMERE MALA DE ALIIS SVSPICANTVR.

Multa mihi fiducia est apud vos.

PRo *fiducia*, Græcè est παῤῥησία, quæ vox propriè sermonis libertatem notat, & cum fiducia cohæret: liberè enim loquimur cum iis, apud quos magna nobis fiducia est.

Multa mihi gloriatio pro vobis.

ALiqui legũt, *de vobis*; sed hîc cur in Corinthiorum laudem excurrit; Ne contristandi studio, tanquam seuerus obiurgator ea scripsisse videatur, quibus illorum vitia notauerat.

SECTIO II.

856 *Grauior omnibus aduersariis nobis nostra culpa.*
856 *Spiritûs quies quærenda potiùs quàm carnis.*
857 *Etiam Sancti timent, dùm infirmitatem suam considerant.*
857 *Aliis potiùs Paulus timebat, quàm sibi.*
858 *Ab hypocritis & simulatoribus maximè timendum.*
858 *Quàm graue certamen, quod est intra hominem.*
859 *Vera consolatio à Deo, non ab hominibus.*
859 *Dei serui ob aliorum potiùs correctionem, quàm propter sua commoda, consolatione perfunduntur.*
860 *Non facilè referenda, quæ in bonos mali faciunt, aut dicunt.*
860 *Fletum quanam elicere à nobis debeant.*
861 *Post monentis reprehensionem non facilè quis in risum prorumpat.*
861 *Pœnitentia & correctio, gaudij, non tristitia materia.*
862 *Vera pœnitentia nota.*
862 *Pœnitentia vera vitæ principium.*
862 *Quæ impuritatem sonant, cautè nominanda.*
862 *Malo exemplo non contaminari, quam sit magnum.*
862 *Quanti sit meriti peccatores punire.*
863 *Errantium emendatio; doctorum recreatio est.*
863 *Refectio Prælatorum suorum profectus.*

Nam & cum venissemus in Macedoniam, nullam requiem habuit caro nostra: sed omnem tribulationem passi sumus, &c.

NVllam requiem habuit caro nostra. Hæc, & quæ sequuntur verba ad Macedonum peccata refert Sanctus Ambrosius, colligitque hinc, quàm aliena mens illius sit, qui peccatum in animam admisit; hæc eius verba in psalm. 37. *Gentium Doctor doctus dicit: Nam & cum venissemus in Macedoniam, nullam requiem habuit caro nostra, sed in omnibus sumus afflicti: foris pugna, intus timores. Illum Macedonum peccata vexabant: quantò magis propria vnumquemque nostrûm peccata perturbant, vt requies nobis esse non possit?* GRAVIOR AOVERSARIVS NOBIS CVLPA EST NOSTRA, *quæ solicitat otiosos, affligit sanos, contristat lætos, inquietat placidos, exagitat mites, excitat dormientes. Rei sumus sine accusante, sine tortore cruciamur, sine vinculis adstringimur, sine venditore vendimur.* Tanta secum mala culpa vehit, si animam ipsam subeat. 856.

Nullam requiem habuit caro nostra. Non habuit caro, sed habuit spiritus, qui in viris perfectis perfectè quiescit, etiamsi caro non quiescat: *Dicit autem,* inquit hîc Sanctus Thomas, *(nullam requiem habuit caro nostra) & non dicit, spiritus noster: quia Sancti semper* HABENT PACEM SPIRITVS, *cùm etiam in aduersis, anima quæ in corpore patitur, spe futuri præmij quiescat, quamquam multa sustineat affectui carnis contraria.* Et Sanctus Gregorius lib. 31. moral. c. 14. huc spectans hæc habet: *Paulus cum duris in Macedonia fuisset persecutionibus pressus, in eo quòd se afflictum insinuat, etiam incundatum demonstrat, dicens: Nam cũ venissemus in Macedoniam, nullam requiem habuit caro nostra, ac si apertè diceret;* QVIA SPIRITVE REQVIEM HABVIT, DVM PER PROFECTVM ANIMÆ PERSECVTIONVM SVPPLICIA CARO TOLERAVIT. Et Litanus: *Non dicit spiritus noster, quia* CONSOLABATVR IN MENTE. Mentis autem consolationi adeò carnis inquietudo non officit, vt eam augeat.

Foris pugna, intus timores.

ACsi diceret, exteriùs nobis erat pugnandum cum hostibus Euangelij, interiùs vero id est in animo patiebamur timores nouarum persecutionum. Mirum; tam magnus, tam magnis 857.

Athleta

Athleta timori ſubiacet, & quod notandũ, ipſe, timores ſuos fateri non veretur. *Non mirum*, inquit Eſtius, SI PAVLVS TIMORES SVOS CONFITEATVR, *quando & Chriſtus Dominus timorem paſſionis, & mortis in ſe ſuſcipere dignatus eſt*; etiam Sancti timent, quia infirmitatem ſuam conſiderant; eique timendum eſt, qui ſibi non timet.

Intus timores. Et quî Pauli pectus ſubire timor potuit, qui omnia tanquam nihil timens, ad certamen prouocabat? At non timebat ſibi, timebat aliis. TIMOR HIC, inquit Sanctus Ambroſius, PROPTER EOS ERAT, QVI CREDIDERANT, *ne paſſione eius ſcandalizarentur. Nam ſibi quid iam timeret, qui patiebatur? Præterea cum dicat in Actis Apoſtolorum, non ſolum ligari, ſed & mori paratum ſe pro nomine Ieſu Chriſti.*

858. *Foris pugnæ*, parum eſt foris eſſe pugnas, ſunt etiam intus; ad hypocritas hoc transferebat Sanctus Bonifacius martyr epiſt. 3. *Sunt nobis iuxta decretum Apoſtoli, non ſolum foris pugnæ, & intus timores: Sed etiam intus pugnæ ſimul cum timore maxime ſemper per falſos Sacerdotes &* HYPOCRITAS, *qui & Deo aduerſantur, & ſibi perduntur, & populum per plurima ſcandala & varios errores ſeducunt.*

Foris pugnæ, intus timores. Vt & foris, & intus pugnandum ſit, nullibi hoſtis deeſt, aut victoriæ materia; faciunt ad hunc locum, quæ habet S. Ambroſius in Pſalm. 118. oct. 10. vbi ait: *Multi in perſecutione publica coronati, occulta hac perſecutione ceciderunt, foris, inquit, pugnæ, intus timores.* ADVERTIS QVAM GRAVE CERTAMEN SIT, QVOD EST INTRA HOMINEM, *vt ſecum ipſe confligat, cum ſuis cupiditatibus præliet ur?* Si rectè res penſetur, timorem potius ingenerare ea debent quæ ſunt intus, quam quæ ſunt extrà.

Sed, qui conſolatur humiles, conſolatus eſt nos Deus, &c.

859. DEi hæc eſt periphraſis, Deus afflictorum, & humilium conſolator eſt. Dicat hîc aliquis, & non etiam homines poſſunt conſolari? vix, aut ne vix quidem AB HOMINIBVS VERAM CONSOLATIONEM SPERES; à Deo expectanda eſt; & ſolus hoc titulo gaudet, vt dicatur, *Humilium conſolator.*

Sed etiam in conſolatione, qua conſolatus eſt in vobis, &c.

COnſolatione affectum fuiſſe Titum aſſerit Apoſtolus, non quòd prolixè exceptus à Corinthiis fuerit, ſed quòd Corinthios reſipuiſſe, correctóſque fuiſſe deprehenderit: *Ipſe Titus*, verba ſunt Eſtij ad hæc Pauli verba, *qui prius contriſtatus fuerat ob diſſenſiones & alia peccata quæ de vobis audierat*, CORRECTOS VOS INVENIENS, CONSOLATIONEM ACCEPIT. Hæc vera ſeruorum Dei conſignatio, vt ſua commoda aliorum ſaluti poſtponant.

Referens nobis veſtrum deſiderium, veſtrum fletum, &c.

860. VT ſit ſenſus: Cum referret, & annunciaret vobis, quanto mei deſiderio afficeremini, quámque auidè aduentum meum deſideraretis; ſed aliqui etiam Apoſtoli aduentum formidabant, atque adeo Pauli præſentiam abhorrebant. Demus aliquos fuiſſe, at maior, & melior pars aduentum Pauli deſiderabat. Titus autem retulit quod ad laudem Corinthiorum faciebat, & quod probi cupiebant, ſuppreſſit illud quod mali; vt hinc diſcas ea NON FACILE REFERRE, QVÆ IN BONOS MALI FACIVNT, aut etiam dicunt, præſertim cum nihil vtilitatis allatura manifeſtatio ſit.

Veſtrum fletum. Græcè: ὀδυρμὸν, quod aliqui vertunt *luctum*; adeo vt non lachrymæ ſimpliciter ſignificentur, ſed amarus luctus, *quem habebant Corinthij*, inquit hîc Eſtius, *de eo quod Paulus ipſorum* CAVSA, ET CVLPA CONTRISTATVS FVISSET; nec enim diuitiarum iactura, rerúmque periturarum damna, aut tribulationum magnitudo elicere à Dei cultorum oculis fletum aut luctum debet.

Veſtrum fletum. Corinthiorum fletum à Paulo 861.
Titus annunciauit, non riſum; vera hæc veri pœnitentis, veréque reſipiſcentis nota, vt poſt acrem monentis reprehenſionem NON FACILE ERVMPAT IN RISVM, ſed potius fletu luctúque corripi ſe ſinat, ne ruſus in pœnitenda labatur, dum ſtatim poſt correptionem riſu diffluit.

Videns, quòd epiſtola illa (etſi ad horam) vos contriſtauit.

AD horam & per breue tempus epiſtola Pauli contriſtauit Corinthios; ſed cur triſtitiam tam citò poſuerunt? QVIA POENITENTIA AC CORRECTIO SEQVVTA STATIM, quæ triſtitiam omnem abolet, & veluti abſumit; triſtitia reprehenſionis abit ſi is, qui reprehenditur pœnitentiam init, vt triſtitia in gaudium vertatur, ſi conuertatur qui redarguitur.

Nunc gaudeo, non quia contriſtati; ſed quia contriſtati eſtis ad pœnitentiam.

AC ſi diceret, Non gaudeo de triſtitia veſtra, ſed de ipſo triſtitiæ fructu, qui eſt pœnitentia. Addit ſtatim: *contriſtati enim eſtis ſecundum Deum*; ſ. triſtitia procedente ex amore Dei, adeo vt qualis amor eſt, talis triſtitia ſit. Vides triſtitiam ad pœnitentiam ſecundum Deum eſſe, quia ex Dei amore, diuinæque iuſtitiæ elicitur.

Quæ enim ſecundùm Deum triſtitia eſt, pœnitentiam in ſalutem ſtabilem operatur.

REponat hîc aliquis, quomodo triſtitia quæ 862.
ſecundùm Deum pœnitentiam operetur, cum pœnitentia ſit ipſa triſtitia, quâ de peccato ſecundùm Deum quis dolet? Variè hîc ſolet nodus ſolui; ſolutionem iſtam cæteris præfert Eſtius, dum ait. *Triſtitiæ fructum eſſe pœnitentiam, hoc eſt correctionem; itaque triſtitia quæ ſecundùm Deum eſt, operatur* POENITENTIAM, *quia parat, & ſecum adducit* CORRECTIONEM HOMINIS CONTRISTATI, *tanquam effectum, & fructum ſuum.* Vt plenè obire pœnitentiam non videatur, qui ſe non corrigit a peccatis, quibus fuerat infectus, & non reſipiſcit.

Semetipsos dederunt primum Domino.

865. S*Emetipsos dederunt primum Domino.* Parum est sua aliis dare, nisi & se quisque Deo exhibeat, quantus, quantus est. *Perpende*, inquit Sanctus Chrysostomus, *quomodo hic quoque eorum intentissimum quod iam pietatis studium ostendat, dicens; Semetipsos dederunt Domino. Non, inquit, partim Deo, partim mundo obedierunt: sed omnia Deo,* ATQVE ETIAM SEIPSOS TOTOS EI DEDERVNT. *Neque enim ob piam largitionem fastu, atque arrogantia elati sunt: verùm cùm ingentem prius humilitatem, ingentem obedientiam, ingentem honorem, ingentem philosophiam exhibuissent, ita demum ad eleemosynæ colendæ studium incubuerunt.* Et quando se ipsos totos Deo exhibebunt, qui rerum suarum partem ob Dei amorem pauperibus timent porrigere?

Scitis enim gratiam Domini nostri Iesu Christi, quoniam propter vos egenus factus est, cum esset diues, vt illius inopiâ vos diuites essetis.

ITane egenus pro nobis factus est Christus, & qui egenus fieri potest, qui omnes ditat? An laborare inopiâ cepit Deus, cum in Sacramento se ipsum exhibuit non habens ampliùs quid maius daret? Benè Bonus ille auctor. *Aptissimè exponi hic locus potest de Sacramento Corporis Christi, quod per antonomasiam εὐχαριστία appellatur, hoc est bona gratia, nam cum per eam gratiam nobis donatam* ET NOS DIVITES, ET CHRISTVM SE EGENVM FECISSE APOSTOLVS ASSERAT, *quid aliud tam magnum munus esse poterit, quam Christus ipse homo scilicet & Deus nobis in cibum datus?*

Pauper est factus cum esset diues, vt emere cum omnes possent, posset ipse omnes locupletare. Sanctus Ambrosius de institut. Virg. cap. 13. *Ideo* PAVPER *factus est Dominus cum diues esset, vt eum* OMNES EMANT, *& egenos præcipuè suâ paupertate locupletet.*

866. *Cum diues esset.* Signatè *cum esset*, dixit non *cùm fuisset*, licèt enim pauper pro nobis esset factus, nunquam tamen desiit esse diues. Egregiè totum hunc locum illustrat Sanctus Augustinus serm. 212. de tempore, vbi ait. *Pauper pro nobis factus est, cùm esset diues. Sed si ille solus, quid profuit? Vide quid sequitur: Vt illius paupertate vos ditaremini. Puto quia* PAVPERTAS CHRISTI NON NOBIS ATTVLIT PECVNIAM, SED IVSTITIAM. *Paupertas autem illius vnde? Quia mortalis effectus est. Ergo diuitiæ veræ, immortalitas. Ibi enim vera copia, vbi nulla indigentia. Quia ergo nos immortales fieri non possemus nisi pro nobis Christus mortalis esset effectus. Ideo pauper factus est, cum esset diues: & non ait, pauper factus est cum diues esset: paupertatem assumpsit, & diuitias non amisit. Intus diues, foris pauper. Latens Deus in diuitiis, apparens homo in paupertate.* Contra ac homines præstent, plerique enim student vt foris fulgeant, niteant, diuites appareant, quod vero intus anima squaleat, & summa laboret indigentiâ, bonis sit omnibus destituta, nihil curant, imo nihil cogitant.

Sua nos inopiâ Christus ditat, quid præstabit diuitiis suis? Aptè rem vrget Sanctus Ambrosius lib. de benedictionibus Patriarcharum cap. 9. *Quis*, inquit, *diues nisi Dominus Iesus, qui abundat semper, & nunquam deficit? Pauper venit in hunc mundum, & omnibus abundauit, vniuersos repleuit.* QVANTVS EST IN DIVITIIS QVI PAVPERTATE SVA OMNES DIVITES FECIT? *Sed pauper propter nos, diues cum Patre. Pauper ille, vt nos ab inopiâ vendicaret, sicut Apostolus docet, dicens: Quia propter vos pauper factus est, cum diues esset, vt illius inopiâ vos ditaremini. Cuius inopiâ ditat, sanat fimbria, fames satiat, mors viuificat, sepultura resuscitat.*

Hæc verba hoc sensu donari ab Interpretibus solent; vt Christi paupertate in temporalibus, vos diuites in spiritualibus efficeremini, neque enim verè diuites essemus, nisi veras possideremus diuitias, quales sunt spirituales; terrenæ extra diuitiarum nomen non feruntur; Diuites nos verè fecit Deus, quia diuites effecit ipsa diuinitate. Scitè Sanctus Ioannes Damascenus orat. quæ adhuc inedita est, in occursu Domini; 867.
Quam plurima habemus, quæ nos ad nostram trahant salutem; tenemus in primis ineffabilem illam Dei misericordiam, propter quam cùm diues esset, egenus pro nobis factus est; Et quidnam per hoc sibi voluit? VT NOS PLANE SVA DIVINITATE DIVITES FACERET? *quocirca teneamus tanti muneris gratiam, nec eam contemnamus;* Mente egenus est, qui obliuione insepelit, quod egenus pro ipso sit Dei Filius factus.

Tanta nobis bona inopia & paupertas parturiit, cur ergo timeatur? Paupertatis nescit diuitias qui eam fugit; *Dicit Apostolus*, inquit Sanctus Ambrosius lib. de Tobia, cap. 16. *Pauper factus est, cum diues esset, vt illius inopia vos ditaremini.* BONA INOPIA QVÆ LARGITVR DIVITIAS; NOLITE ERGO PAVPERTATEM TIMERE, VT SITIS DIVITES. *Date otiosam pecuniam, & recipietis fructuosam gratiam; & pauperum subueniesis necessitatibus, & vobis custodia sollicitudo minuetur. Non peribit quod pauper acceperit, & vobis, quod dederitis inopi, sine custode seruabitur;* imo pauper ipse custos erit. 868.

Vt illius inopiâ vos diuites essetis. Ditauit nos sua paupertate Christus, factus est ipse pauper, vt ipsi diuites euaderemus. QVANTAS DIVITIAS HABET, inquit Sanctus Augustinus in Psalm. 68. hæc Apostoli tangens verba, VT DE SVA PAVPERTATE NOS DIVITES FACERET? *Quales nos facturus est de diuitiis suis, quos diuites facit de paupertate sua?* Quid suis in Cœlo faciet, vbi diuitias suas diues ostendet, qui tanta illis fecit sub paupertatis tegmine?

Qui non solùm facere, sed & velle cœpistis ab anno priore: nunc verò & facto perficite.

S*Ed etiam velle*; Ex hoc loco aliqui colligunt pluris faciendum esse aliquid velle, quàm nudè aliquid facere. S. Gregorius lib. 20. Moral. cap. 16. *Quisquis perfectè indigenti compatitur, minus æstimat omne quod dat, nisi emendantis manum bona voluntas vinceret, eiusdem prædicator egregius, discipulis non dixisset: qui non solùm facere, sed & velle cœpistis ab anno priori.* Alij hoc sensu accipiunt hæc verba. Quod nunc facere cœpistis, id non repentino animi motu, sed ex matura vestra voluntate prodiit, quæ initium ab anno superiore sumpsit. 869.

Licet

Licet & latenter etiam reprehendat, quod scilicet distulerint opere complere, quod diu ante voluerant. *Vt sub laude*, inquit hic Estius, *subsit occulta reprehensio tarditatis ad perficiendum*; id quod tetigit etiam S. Gregorius, his verbis. *Notandum nobis est, quia habet improperium hac ipsa consolatio, cùm dicitur ab anno priore; bonum quippè, sed tardè fecerant, atque ideò hoc magister* NON SINE REPREHENSIONE LAVDAT. *Medicus quippè est qui medicamentum vulneri apponit, quod & ea quæ purgata sunt, refouet, & ea quæ putrida inueniuntur, mordet.* sic ille lib. 2. hom. 18. in Ezechielem. In qua re ostenditur, veri legitimique Doctoris esse ita suos efferre, & laudare vt reprehendat si aliquid reprehensione dignum ab illis fiat.

Vestra abundantia illorum inopiam suppleat, vt & illorum abundantia vestræ inopiæ sit supplementum.

870. VIdes accepturos à pauperibus, qui sua pauperibus largiuntur, & (quod est maius) maiora? Peritè rem versat S. Gregorius lib. 21. Moral. cap. 14. *Patronis potiùs munera offerimus, quàm egenis dona largimur. Hinc per Paulum dicitur: Vestra abundantia illorum inopiam suppleat, vt & illorum abundantia vestræ inopiæ sit supplementum, vt videlicet solliciè perpendamus; quia eos, quos nunc inopes cernimus, abundantes quandoque videbimus; &, qui abundantes aspicimur, si largiri negligimus, quandoque inopes erimus. Qui itaque nunc temporale subsidium pauperi tribuit*, AB EO POSTMODVM PERPETVA RECEPTVRVS *(vt ita dicam) quasi ad frugem terram excolit, quæ, quod acceperit, vberius reddit.* Qui igitur auaram circumfert mentem, opes suas distribuat, non vt perdat, sed vt augeat.

Hic locus eos damnat, qui egenorum inopià abundantiam suam conantur augere, Apostolique sententiam dum inuertunt, euertunt se; *Cum Sanctus Paulus dicat*, inquit Sanctus Marcus Eremita, de pœnitentia. *Vestra abundantia illorum inopiam suppleat, nos contra facimus*, DVM EGENORVM INOPIAM ABRIPIENTES, ADIVNGIMVS ABVNDANTIÆ NOSTRÆ, *quodquidem etiam citra vllam pecuniarum direptionem peragimus, quando aliquam ob rem delinquimus in fratrem, non modo non sanatum illum dimisimus, sed etiam ab illo defensionem, quam debemus tyrannicè extorquemus, nihil aliud agentes (quam vt antea dictum est) inopiam illorum accumulantes abundantia nostra, reluctantes, vt ita dicam, Scripturæ.*

Qui multum, non abundauit: & qui modicum, non minorauit.

871. SIc contigit in manna auiditati coërcendæ; *Nam & qui amplius*, inquit hîc Sanctus Chrysostomus, *& qui minus collegerant, eandem mensuram habere comperiebantur; credo quod Deus hac ratione intemperantiam*, ET INEXPLEBILEM AVIDITATEM COERCERET. *Hoc porrò eò dicebat Apostolus Paulus tum vt ob ea, quæ tum cōtigerunt Corinthiis metum iniiceret: tum vt eos dehortaretur, ne plus habendi cupiditate vsquam tenerentur, nec ob id quod minus quam alij, haberent, angerentur, atque hoc nunc quoque in fluxis, & tempore perituris rebus locum habere an non in manna solo cernere est? Nam cum omnes tantummodo ventrem expleamus, vnum vitæ cursum conficiamus, & vno tantùm corpore cooperiamur, nihil profectò, nec amplius diuiti, ex opum affluentia, nec minus pauperi ex egestate futurum est.* Tolle cupiditatem, & sine vlla opum additione ditior fies; nam si cupiditas adiiciatur, semper pauperior eris, licet semper diuitias diuitiis addas, & opibus opes.

Ne quis nos vituperet in hac plenitudine, quæ ministratur à nobis.

NImirùm pecuniæ contrectatio magnam hominis exigit integritatem, summam fidem. *Sensus est*, inquit hîc Estius: *Ideo misimus viros tam integros, & extra omnem suspicionem positos, Titum & alterum fratrem, cuius laus est in Euangelio; ne quis malè de nobis loquatur, aut malè suspicetur, quasi non satis fideliter & castè pecunia tam larga nostro ministerio collecta, à nobis tractetur; nam vt pecuniæ cupido latissimè grassatur, ita eiusdem* TRACTATIO SVMMAM FIDEM EXIGIT; *ac perfacilè in eo genere vel peccatur, vel peccari existimatur.* Vt non sit omnium pecunias tangere, & non suspicionis aliquam occasionem præbere.

Prouidemus enim bona non solùm coram Deo, sed etiam coram hominibus.

NImirum non solùm nobis curæ esse debet, 872.
ea facere, quæ recta Deo teste sint, sed etiam quæ ab hominibus probentur; nam vt ait Beda ex B. Augustini mente. *Duæ res sunt conscientia & fama, propter nos, conscientia nostra sufficit nobis, propter alios fama necessaria est, conscientia, tibi, fama, proximo tuo. Qui fidens conscientiæ suæ*, NEGLIGIT FAMAM SVAM, *crudelis est in proximum.* Sicut qui de sola fama sollicitus conscientiam suam negligit, nimis sæuus in se est.

Apostoli ecclesiarum, Gloria Christi.

SCilicet ab Ecclesiis missi, & electi ad hoc munus colligendæ, & perferendæ pecuniæ: vnde alij verterunt, *legati Ecclesiarum*, ad differentiam eorum qui à Christo missi fuerunt.

Cur Christi gloria dicuntur? *Vocantur*, inquit Estius, *fratres illi* GLORIA CHRISTI, *quòd tales essent vita, & moribus, vt in iis Christus glorificaretur, quomodo & filius sapiens dicitur gloria Patris.* Gloria Christi non est, qui gloriam suam quærit, Christi gloriâ neglecta.

CAPVT IX.

EPISTOLÆ SECVNDÆ ad Corinthios expenditur & illustratur.

873 *Bonorum exemplum quantas vires habeat.*

874. *Eleemo*

Et vestra æmulatio prouocauit plurimos.

873. QVANTAS ad bonum, bonorum exemplum vires habet? Licèt se ad eleemosynam largiendam promptos paratósque tantum exhibuerint Corinthij, necdum eam reipsa exhibuerint, ad æmulationem tamen excitare alios potuerunt. Hinc Estius hîc: *Et vestra æmulatio prouocauit plurimos. Græcè, &, quæ ex vobis est, æmulatio, prouocauit plures siue complures. Id est,* VESTRVM EXEMPLVM MVLTOS AD PIAM ÆMVLATIONEM, QVA SIMILITER FACERE VELLENT, CONCITAVIT. *Exemplum intelligit promptitudinis, quâ iam ante annum se paratos declarauerant Corinthij; nullam enim adhuc miserant pecuniam.* Sola promptitudo excitare alios ad paria potuit.

Vestra æmulatio prouocauit plurimos. Magna exempli vis. *Æquum est autem*, inquit, hîc Theodoretus, *vti Diuinum Apostolum admiremur, eius spiritalem contemplantes sapientiam, per Corinthios enim Macedones: per Macedones verò, Corinthios ad* BONVM OPVS ADHORTATVS EST.

Necessarium ergo existimaui rogare fratres, vt perueniant ad vos, & præparent repromissam benedictionem, &c.

874. ET *præparent repromissam benedictionem*; Beneficentiam *Benedictionem* vocat, qoia bona verba comitari eam debent, nam mala eius pulchritudinem inficiunt, eius pretium minuunt: Scitè Caietanus hîc: *Eleemosynam appellat benedictionem, eo quòd suaptè natura eleemosyna debet esse non solùm beneficentia, sed benedicentia. Debet enim constare non solùm ex* BENEFACTO, SED EX BENEDICTO: *Debent siquidem adesse cum bonis factis bona verba*; quæ benefacta efferant & exornent.

Benedictionem hanc paratam esse quasi benedictionem, non tanquam auaritiam.

CVr eleemosynam *Benedictionem*, vocat? An, quia larga & effusa esse debet saltem quoad eam largientis mentem? nam benedictio in Diuinis Litteris abundantiam significat. Scitè Estius hîc: *Hanc paratam esse sic quasi benedictionem. Id est, Vt ea in aduentum nostrum parata sit sic tanquam* BENEDICTIO *sine quæ mereatur nomen benedictionis, nam benedictio largitatem significat in Scripturis saltem quoad animum dantis, vt qui studeat satis dare ad tollendam inopiam.* Hinc statim Apostolus, *qui seminat in benedictionibus, de benedictionibus & metet*, opponit hanc formulam isti; *Qui parcè seminat*: Igitur qui eleemosynam largitur, largiter eam faciat, saltem quoad animum, si re ipsa non potest; alioquin eius eleemosyna benedictio dici non poterit, si copiosa ab aliquo capite non sit.

Qui parcè seminat, parcè & metet.

SEd qui parcè metere potest, qui cælesti gloria donatur, quæ adeò magna ac copiosa cuique, vt nequeat explicari? *Planè*, inquit Beatus Petrus Damianus serm. 37. ad hæc verba, *qui vitam æternam accipit, non parcè sed multum metit. Quid est ergo, quod dicit, qui parcè seminat, parcè & metet; nisi tanquam manifestè denuntiet,* QVIA QVI PARCE IN BONIS OPERIBVS CONTENTVS EST SEMINARE, VITÆ ÆTERNÆ PRÆMIVM NVLLATENVS MERETVR ACCIPERE? *Sicut itaque fratres mei, quisquis secundùm transitoria huius vitæ ordinem aptè vult viuere, non vno cuiuslibet messis contentus est genere, sed diuersarum genere frugum satagit abundare. Ita profectò quicumque ad terram viuentium, quicumque ad illud promptuarium cæleste festinat, necesse est, vt per multos sibonorum operum labores exerceat, omniumque intra conscientiæ suæ cellarium virtutum germina congregare contendat.* 875

Parcè & metet: Et qui parcè, cùm det omnibus Deus affluenter, & mensuram bonam ac superefluentem, magnam quisque simpliciter mercedem accipiat? sed eius comparatione, qui largius seminauerit parcè dicitur accipere, qui parcè seminat.

Qui parcè seminat, parcè & metet. Vt vel hinc colligas, in nostram vtilitatem resilire, quod copiosè damus. *Audite Apostolum dicentem*, inquit Sanctus Valerianus hom. 8. *Qui parcè seminat, parcè & metet.* PROFECTO NOBIS PRÆSTAMVS, QVOTIESCVMQVE MISERIS SVBVENIMVS: *lucrum nostrum est, vestrarum erogatio facultatum.*

Qui parcè seminat, parcè & metet; ergo qui nihil seminat nihil metet, quid igitur de pauperibus qui non habent quod seminent, non 876.

habent

habeut quod dent? At Deus animum potius spectat quam rem, satis dare pauper potest, si auidè dare cupiat, *Non parcè seminat ille*, inquit Hugo Victorinus hîc quæst. 13. *qui parum largitur* SI ANIMVS SIT PROMPTVS DARE SI PLVS HABERET; dat apud Deum, qui dare cupit, si non habeat quod exhibeat.

Qui parcè seminat. Præclarè Sanctus Chrysostomus hîc: *Non dixit*, inquit, *ieiunè, sed mitiore vocabulo vtens, parcè.* QVIN SEMEN QVOQVE HANC REM APPELLAVIT, *vt statim tibi ob oculos se se merces obiiciat: ac messem cogitans, plura te dare quàm accipere intelligas. Proinde non dixit: qui dat, sed, qui seminat.* Multiplici fœnore recepturum innuens, qui in pauperes eleemosynæ semen sparserit; Egenorum enim, & indigentium terra hoc ipso fœcundior erit, quo maiori laborauerint inopia.

877. *Qui parcè seminat*; sed in quam terram iaciendum semen est? quid si aliquis non habeat quod terræ committat? Sanctus Augustinus ad vtrumque respondet in Psalm. 126. vbi de hac re ita philosophatur: *Loquens de eleemosynis quid ait? hoc autem dico: qui parcè seminat, parcè & metet, ergo qui multum seminat, multùm metet: qui parcè seminat, parcè & metet: & qui nihil seminat, nihil metet, quare desideratis latos fundos vbi multa semina seminetis? Latior vobis non est, vbi seminetis quam Christus, qui in se voluit seminari.* TERRA VESTRA ECCLESIA EST, *seminate quantùm potestis. Sed parum habes vnde facias.* HABES VOLVNTATEM? *quomodo nihil esset quod habes, si non adesset bona voluntas: sic & quia non habes, noli esse tristis, si est tibi bona voluntas, quid enim seminas? misericordiam, & quid metes? pacem.* Multùm potest hîc seminare qui multùm vult, licet multa non habeat, quæ spargat! copiosa largitio ab animo potius pendet, quàm à censu.

878. *Et metet*; Non ad futurum tantùm tempus id coarctant aliqui, sed & ad præsens extendunt, vt non cœlum tantùm messis istius sit locus, sed & terra, Sanctus Bernardinus Senensis serm. 2. in Dom. Quinquag. art. 1. cap. 3. ita loquitur: *Qui seminat in benedictionibus, id est, dat eleemosynam multis, de benedictionibus, & metet, scilicet* GRATIÆ, CHARITATIS, *& regnum æternæ fælicitatis:* SEMEN ENIM NON TANTVM PROIICITVR IN VNO LOCO, QVIA MARCESCERET, ET SIC FRVCTVM NON FACERET. In multos spargenda eleemosyna est, non in vnum tantùm, vt fructum ferat, nec marcescat.

Vnusquisque, provt destinauit in corde suo, non ex tristitia, aut ex necessitate; hilarem enim datorem diligit Deus.

Hilarem datorem Dominus diligit, potius quàm datum, dantis hilaritas donum nobilitat, & gratius reddit; quod si in corporalis rei oblatione valet, valebit potiùs in potiori, scilicet in spiritualis. Scitè Sanctus Augustinus de Catechizandis rudibus cap. 2. *Si in pecunia corporali,* QVANTO MAGIS IN SPIRITALI HILAREM DATOREM DILIGIT DEVS?

Hilaris dator Deo placet, displicet qui cum tristitia offert. Sanctus Bernardus serm. 71. in Cantica ad hunc locum spectans ita scribebat:
Sicut è regione si ex tristitia, & velut ex necessitate 879.
quis tribuat, non candidum planè, sed tetrum præfert manu & fronte colorem. Et ideo hilarem datorem diligit Deus. NVNQVID ET TRISTEM? *Profectò qui respexit ad Abel ob alacritatis candorem, auertit faciem à Cain, quia conciderat facies eius, vtique, à tristitia, & liuore. Aduerte qualis* COLOR TRISTITIÆ SEV INVIDIÆ SIT, *qui Dei à se auertit aspectum.*

Hilarem datorem Deus diligit, non dixit diuitem, aut liberalem, vt noueris dantis potius animum illum respicere, quàm quod datur: *Hilarem datorem*, docti auctoris sunt verba, *diligit Deus, & quidem ita diligit, vt multo gratior illi sit hilaritas munerantis, quam muneris amplitudo.*

Potens est autem Deus omnem gratiam abundare facere in vobis.

Nimirum in illos maximè liberalis est Deus, & effusus, qui effusi in alios, & liberales sunt. Petitè Estius hæc verba exponit: *Occurrit tacitæ cogitationi metuentium sibi inopiam, si copiosius tribuerent; docetque* QVICQVID DEDERINT, AD IPSOS CVM FOENORE REDITVRVM. *Gratiam, vocat beneficentiam, siue eleemosynam, sicut aliquoties capite superiori. Deus, inquit, potens est efficere, vt totum hoc beneficium, ad quod vos exhortor, in vosipsos exuberet, id est cum affluentia redundet; atque adeo sperandum est, quod facturus sit.*

Vt, in omnibus semper omnem sufficientiam habentes, abundetis in omne opus bonum.

Cvr, *sufficientiam*, potiùs dicit; quàm, *Abundantiam*? præsertim cum dixerit, *Abundetis in omne opus bonum.* An, quia in bonis operi- 880.
bus abundantia laude est digna; non item in temporalibus bonis cumulandis? Opportunè Estius hîc: *sensus est, vt vndequaque plenam rerum temporalium, quibus contenti sitis, sufficientiam habentes, etiam largiter vtamini iis ad varia pietatis, & misericordiæ opera; loquitur enim de bonis operibus, in quibus exercendis materiam prebent temporalia bona, quum ad abundantiam sufficiunt. Non tamen in iis nominat abundantiam, sed sufficientiam; quia desiderium suum vltra hanc extendere, effectus auaritiæ est.* CÆTERVM BONIS OPERIBVS SEMPER AMPLIVS ABVNDARE VELLE, *ac nunquam dicere, sufficit, ad officium pertinet hominis Christiani: ideo de iis loquens abundantia meminit.*

Abundètis in omne opus bonum. Ad varia pietatis opera Corinthios inhortatur Apostolus, sed mirum ab iis quos sufficientiam habere dixerat in diuitiis, abundantiam bonorum operum exigit. Aliqui de Beneficentia hæc accipiunt. Sed qui abundare in eleemosynæ largitione potest, qui diuitiis non abundat? Plus scilicet quis tribuere potest, quàm habeat si censum animus dandi superet. *Licet enim*, ait hîc Glossa, *exiguum sit quod parum habens tribuit, abundat tamen, quia recto indicio fit; quia non quæritur de quanto,* SED QVO ANIMO DETVR, adeò vt plusquam habeat possit aliquis tribuere, si facultatem vota non exæquent tantùm, sed vincant.

Abundetis

Abundetis in omne opus bonum. Hinc vt sufficientia temporalium vrgere fideles debeat ad bona spiritualia. *Illud obseruandum*, inquit Estius, *temporalium quidem bonorum sufficientiam Corinthiis Paulum quodammodo permittere, si liberaliter tribuant; sed hoc ipsum statim referre (sicut oportet)* AD FINEM SPIRITVALEM.

CAPVT X.

EPISTOLÆ SECVNDÆ ad Corinthios expenditur & illustratur.

Ipse autem ego Paulus obsecro vos per mansuetudinem, & modestiam Christi.

881. MANSVETVDO magis ad animum pertinet, modestia magis ad exteriorem conuersationem; plerique modestiam extimè præferunt, intus comitate, ac benignitate destituuntur. MANSVETVDINEM PRÆMITTIT MODESTIÆ, QVIA ILLA HVIC VELVT FVNDAMENTVM SVBSTERNENDA; adeò vt modestia externa ab interna comitate nascatur, vt vera, & legitima, atque adeo diuturna sit.

Sed cur mansuetudinis Christi potius meminit, quàm alterius virtutis? *Quia cupiebat*, inquit Estius, *non prouocari ad seueritatem vindictæ quasi diceret: Oro vos per Christi* MANSVETVDINEM *ne me cogatis irasci.* Sola mansuetudinis Christi mentio efficere debet, vt vindictæ memoria, & multo magis cupiditas aboleatur.

Nouarin. in Epist. Pauli.

Rogo autem vos ne præsens audeam, &c.

NE *præsens audeam*, hoc est audacter, & intrepidè potestatem meam exerceam. Hugo Carensis: *Ne audeam, idest ne audacter vos corrigam, quia timebant de illo ne traderet eos Satanæ*, SICVT FORNICATOREM. Ex quo colligas vnius improbi punitionem vtilem cæteris esse, & timere multos si vnus castigetur. 882

In carne enim ambulantes non secundùm carnem militamus.

IN carne erat Paulus, sed non viuebat secundùm carnem, carnis desideria perficiens; non militabat secundùm carnem, cuius caro fere in spiritum immigrauerat, & nihil nisi spiritum sapiebat; SVI HOSTIS EST, QVI SECVNDVM CARNEM MILITAT, & carnales sequitur affectus. Hac loquendi metaphora indicat Apostolus, eos qui carnalibus inclinationibus acquiescunt, licet vitam sibi tutam maximéque securam, & à tumultibus alienam polliceantur, bellicis, hostilibusque motibus subiacere; & vt alij hostes desint, incipit caro ipsa dum fouetur, in nos sæuire, & sæuissimi hostis instar se habere.

Nam arma iustitiæ nostræ non carnalia sunt, sed potentia Deo.

POtentia arma vocat, non vocat se fortem, ne aliquid lacertis suis videretur tribuere. *Animaduerte*, inquit magnus ille Auctor, QVAM IPSE FASTVS OMNIS SIT EXPERS. *Non enim dixit, nos potentes sumus, sed arma nostra Deo potentia sunt. Non nos ea talia condidimus: sed Deus ipse.* 883

Potentia arma sunt, quia sunt spiritualia, quibus alia comparata maximè imbecillia sunt. Benè Sanctus Augustinus in psal. 102. *Arma militiæ nostræ non carnalia, sed potentia Deo. Vnde ergo potentia nisi quia spiritualia?* Cum spiritualia sint arma, & milites debent esse spirituales, spiritu regi; alioquin ineptus gestandis hisce armis, qui totus caro, & totus carnis illecebris addictus.

In promptu habentes vlcisci omnem inobedientiam, cùm impleta fuerit vestra obedientia.

NOn ferreo gladio, sed spirituali in inobedientes ac contumaces sæuire Apostolorum ac successorum est, plerique de excommunicandi potestate, hæc verba interpretantur. Lyranus vniuersè *per hoc*, inquit, *quod Apostoli* OBEDIEBANT DEO, *in omnibus assistebat eis Diuina virtus ad libitum in punitione inobedientium.* 884

Cùm impleta fuerit vestra obedientia: Et quid plena Corinthiorum obedientia faciebat ad hoc vt Paulus contumaces, & impœnitentes vlcisceretur, & in inobedientes animaduerteret, cum potiùs aliquorum obedientia flectere superiorẽ possit ne in cæteros sæuiat, Hunc nodum soluunt verba Sancti Augustini lib. tertio cõtra Epistolam Parmeniani; *Quidquid sceleris & iniquitatis inebriat* MVLTITVDINEM, *amittit examinis veritatem*; & iterum. *Si contagio peccati multitudinem inuaserit, diuinæ disciplinæ seuera misericordia necessaria est, nam consilia separationis*, hoc

eſt, vt ait Eſtius, excommunicationis, & inania ſunt, & perniciosa, videlicet ob periculum ſchiſmatis rebellionis. *Igitur*, ſubdit Eſtius, *Apoſtolus hoc loco prius vult multitudinem ſanari (id enim eſt quod dicit, cùm impleta fuerit veſtra obedientia, id eſt, cum multo maxima pars veſtrûm, ac ferme omnes, ad obedientiam legis Chriſtianæ reuocati fueritis) ac deinde in paucos permanentes in peccatis, vindicare iuxta ſeueritatem Eccleſiaſticæ diſciplinæ, ſicut iam ante in vnum inceſtuoſum illum fecerat. Nam quod apud Corinthios adhuc grauia peccata regnabant, ex prima Epiſtola ſatis intelligitur; tum manifeſtius id conſtat ex fine capitis duodecimi huius Epiſtolæ, quo etiam loco, ac deinceps pluribus verbis minatur ſe, cum venerit, non parciturum iis quos inuenerit priſtinis peccatis adhuc inuolutos. De his ergo videtur omnino accipienda præſens comminatio. Quanquam quæ ſunt iſto verſu ſexto, poſſunt etiam ſic accipi, quum vos ſeparaueritis à vobis fratres inordinatè ambulantes, ſicut præcepi in priore Epiſtola, tunc ego vindicabo, mea authoritate veſtrum factum approbans, & confirmans.*

Quam dedit nobis Dominus in ædificationem, & non in deſtructionem veſtram.

OPponat hîc nobis aliquis locum Ieremiæ cap. 1. *Conſtitui te hodie ſuper gentes, & regna, vt euellas, & deſtruas.* Reſpondet Hogo Cirenſis vt nodum ſoluat, ſenſus eſſe Prophetæ: *Vt euellas, & DESTRVAS VITIA, & ædifices mores*; deſtructio autem vitiorum ædificatio quædam eſt.

In ædificationem; Spiritualis poteſtas ad ſpiritualem ædificationem tendit; ſe videtur deſtruere, quæ in aliorum deſtructionem tendit: ſed cur illud adiecit Apoſtolus? *Ne poteſtatis* COMMEMORATIO, ait hîc Eſtius, MOLESTA SIT, *addit in ædificationem, & non in deſtructionem veſtram*: Hic legitimus vſus poteſtatis, vt in ſalutem exeratur, non in perniciem.

Et non in deſtructionem. Et non etiam in de-
885. ſtroctionem gladius ſpiritualis nudari poteſt, cum ſcilicet peccantis contumacia confodienda eſt? Poteſt, ſed *tunc deſtructio non eſt ad deſtructionem, ſed ad ædificationem*, vt loqoitur Eſtius hîc, vbi ſubdit: *nam* EXCOMMVNICATIO DESTRVCTIO QVÆDAM EST, *quâ membrum à corpore præſcinditur, quæ tamen non eſt ad deſtructionem, ſed ad ædificationem, quando præciſio illa fit, vti fieri debet, pro ſalute, & præſeruatione totius corporis; imo & (quatenus poſſibile eſt) pro curatione, & reſtitutione membri præciſi.* Alioqui vnius improbi deiectio aliorum erectio eſt.

Non enim, qui ſe ipſum commendat, ille probatus eſt, ſed quem Deus commendat.

886. QVi ſe commendat, hoc ipſo minùs commendabilem ſe facit; verè ille probatus eſt, quem commendat Deus, hoc eſt commendabilem ex iis, quæ per eum operatur, facit. Sed aliquis hîc opponat: Paulo Paulus aduerſatur cùm ſuperiùs cap. 4. dixerit, *ſed in manifeſtatione veritatis commendantes noſmetipſos coram Deo.* Videtur Apoſtolus doctrinæ ſuæ contraire, & euertere quod docet; verò non contrait, nec euertit; *nam*, verba ſunt Eſtij ad hunc modum, *Addendo in manifeſtatione veritatis, & coram Deo, ſatis ſignificauit ita ſe commendaſſe ſemetipſum hominibus, vt* A DOMINO DEO COMMENDARETVR; nimirum ægrè commendatio ſui eum manifeſtatione cohæret veritatis, & qui coram Deo commendat ſe, ita Deum ſpectat, vt hominum iudicia nihili faciat.

Præterea ſuos Deus commendat cum ſuos 887.
corripit, & tribulationibus exercet. Præclarè in hunc ſenſum Beatus Bernardus ſerm. de verbis Apoſtoli: ſic enim ſcribit melleus iſte Doctor. *Sed quid ſibi vult quod ait, Non enim qui ſeipſum commendat, ille probatus eſt, ſed quem Deus commendat! Quomodo commendabit veritas eum qui adhuc reprehenſibilis inuenitur? Denique ego, inquit, quos amo, arguo & caſtigo. Haccine commendatio eſt tota? Prorſus, quantùm mihi videtur, ipſa eſt.* QVÆ EST ENIM MELIOR, ET EFFICACIOR COMMENDATIO, *quàm diuina erga nos teſtatio charitatis? Teſtimonium verò amoris eius nullum credibilius, nullum certius in hac vita, quàm quod deſiderat Propheta, vbi ait: Corripiet me iuſtus in miſericordia, & increpabit me. Hæc namque increpatio, quâ iugiter nobis ſuggerit in occulto Spiritus veritatis quid deſit nobis: ſuperbiam, negligentiam, ingratitudinémque repellit.*

Quem Deus commendat, Et quâ ratione nos commendat Deus? Lyranus: *ſed quem Deus commendat, id eſt*, inquit, *commendabilem facit virtutibus, & ſignis.* Gloſſa ſic explicat: *Illum Deus* COMMENDAT *& probatus eſt, quem dignum habet ac mittit, vt prædicet domum eius; quem non mittit, non illum commendat, quia non miſſus prædicat.*

CAPVT XI.

EPISTOLÆ SECVNDÆ ad Corinthios expenditur & illuſtratur.

SECTIO I.

888 *Summa ſapientia, ſcire, ſtultitiam eſſe, ſe ſe prædicare.*
889 *Spiritualium nuptiarum dona.*
889 *Nuptiarum ſpiritualium vis.*
890 *Animorum vnitas commendata.*
890 *Eccleſia virgo eſt, quia Chriſto nupſit.*
891 *Eccleſia in omnibus ſuis membris vt ſit virgo.*
891 *Virgini maximè Diabolus cauendus.*
892 *Alij non facilè deprimendi.*
892 *Prædicandi fiducia non in verborum ſplendore ponenda, ſed in virtute operum.*
893 *Parum boni ab auaris ſperes, ſi quid ab illis bonorum exſculpas.*
894 *Satanæ imitatores, mali homines vt ſint.*

894 *Simula*

894 *Simulatores vt in Angelum lucis se transfigurent.*
895 *Miraculis omissis, quæ mala sit perpessus Paulus enumerat.*
895 *Iactantia omnis euertenda.*
896 *In mortibus frequenter vt esset Paulus.*
896 *Quæ laude digna, non facilè efferenda.*
897 *Aliena salus propriis commodis præferenda.*
897 *Mare vt Paulum custodierit populorum prædicationibus operam daturum.*
898 *Quid boni retulerit Ecclesia ex his, quæ Paulus pertulit.*

Vtinam sustineretis modicum quid insipientiæ meæ.

888. VTINAM *sustineretis modicum quid insipientiæ meæ* Etiam ab hac parte summam sapientiam ostendit Paulus, dum insipientiæ indicat esse, se, & sua prædicare; S. Chrysostomus hom. in hæc verba: *Sic hoc*, inquit, *eum laudo maximè, & admiror pronuncióq; o sapientissimum*, QVOD REM STVLTAM EXISTIMAVIT SE SE PRÆDICARE, *& extollere. Quòd si ille quum necessitatem adesse videt, appellans hoc insipientiam, quâ veniâ, qua excusatione digni sunt, qui de se præter necessitatem eximia iactant, aut aliis vt ipsos apud auditores efferant, iniungunt?*

Despondi enim vos vni viro virginem castam exhibere Christo.

PRo *despondi* Græcè est, *aptaui*, & sic legit etiam Sanctus Augustinus; sensus igitur est; ego tanquam spiritualium nuptiarum pronubus aptaui vos vni viro, id est, Christo, *vni* dixit non multis viris: mens quæ multis nubit, desponderi Christo non potest qui vnus, & solus animarum est sponsus.

889. Quænam in his spiritualibus nuptiis sponsalia dona sint, explicat S. Chrysostomus in Psalm. 44. vbi hæc habet; *Arrham accipe confirmandis nuptiis accommodam, ob hoc Paulus dicit, despondi enim vos; Deus enim præsentia dona*, VICE SPONSALIVM MVNERVM NOBIS CONTVLIT. *Quæ enim in præsenti gratuitò exhibentur, vicem obtinent sponsalium, arrhabo sunt futurarum nuptiarum, tota enim dos illic reposita est.*

Virginem castam; Nimirum ij quoque Virgines euadunt, qui fornicatione, & idolorum cultu de virginitatis suggestu ceciderant, si Deo copulentur; Præclarè Sanctus Hieronymus in cap. 2. comment. in Oseam: *Deus etiam* MERETRICIBVS COPVLATVS EAS MVTAT IN VIRGINES. *Vnde & Apostolus post fornicationem, & idolorum cultum credentibus Corinthiis loquitur: despondi enim vos vni viro, virginem castam exhibere Christo.*

890. *Virginem castam*; cur *virginem* dicit, non potius virgines cùm Corinthios omnes alloquatur, præsertim quod dixit, *despondi vos*? An quia Corinthiorum Ecclesiam alloquitur, quæ licèt esset ex multis personis collecta, vna tamen erat fidei vnitate? Hugo Carensis; *singulariter dixit, virginem, quia omnes sunt vna virgo propter* VNITATEM *integræ fidei, solidæ spei, sinceræ charitatis*; Denique hoc quoque indicatur, eum qui nubere tanquam sponso Christo quærit, ANIMORVM VNITATEM debere colere, adeo vt multorum cor vnum, & anima vna sit.

Nonarin. in Epist. Pauli.

Virginem castam exhibere Christo. Verè virgo non esset Ecclesia, nisi Christo exhiberetur, contra, ac accidat in humanis: *humano quippe coniugio* (verba sunt Sancti Augustini ad hæc verba serm. 21. de Temp) *sponso fœmina traditur, vt virgo iam non sit*: ECCLESIA VERO, VIRGO ESSE NON POSSET, *nisi sponsum, cui traderetur, Filium Virginis inuenisset.*

Virginem castam exhibere; Pulchrè ad hunc locum Sanctus Thomas. *Nota*, inquit, *quod à plurali, & (exhibere virginem) in singulari volens ostendere, quod ex omnibus fidelibus sit vnum corpus, & vna Ecclesia*, QVÆ DEBET ESSE VIRGO IN OMNIBVS MEMBRIS SVIS. 891.

Timeo autem, ne, sicut serpens Euam seduxit astutiâ sua, ita corrumpantur sensus vestri.

TImeo autem ne sicut serpens. Vix de virginitate loquutus fuerat, cum statim serpentis fit mentio, quia nimirum ille maximè, & spirituali, & corporali virginitati struit insidias. Pulchrè Sanctus Augustinus serm. 23. de verbis Domini, hunc horum verborum nexum expendens ait: *Apostolum audi dicentem: desponsaui vos vni viro virginem castam exhibere Christo.* ET QVIA HVIVS VIRGINITATIS CORRVPTOR, DIABOLVS CAVENDVS EST, *continuò ipse Apostolus cum dixisset, desponsaui vos vni viro virginem castam exhibere Christo: adiunxit & ait. Timeo autem: ne sicut serpens Euam seduxit versutiâ sua sic & vestri sensus corrumpantur à castitate quæ est in Christo.*

Nam, etsi imperitus sermone, sed non scientiâ.

ETsi imperitus sermone; cum de Apostolis loquutus fuisset, cur non dixit idiotas eos, & illiteratos fuisse? quia id ad rem nihil erat, erat si de se loqueretur. *Poterat quidem*, inquit hic Theodoretus, DICERE APOSTOLORVM PRINCIPES ESSE IDIOTAS, *sed de illis nihil dixit; De seipso autem dixit, linguam quidem habere ineruditam.* Nimirum alij non facilè deprimendi. 892.

Etsi imperitus sermone. Vtile est quod hinc colligit Sanctus Prosper lib. 1. de vita contemplatiua cap. 23. *Dicit Apostolus: Etsi imperitus sermone, sed non scientia. Vnde datur intelligi, quòd non se debeat Ecclesiæ doctor de accurati sermonis ostentatione iactare, ne videatur Ecclesiam Dei non velle ædificare, sed magis se quantæ sit eruditionis ostendere.* NON EGITVR IN VERBORVM SPLENDORE, SED IN OPERVM VIRTVTE TOTAM PRÆDICANDI FIDVCIAM PONAT; *non vocibus delectetur populi acclamantis sibi, sed fletibus, nec plausum a populo studeat expectare, sed gemitum.*

Accipiens stipendium ad ministerium vestrum.

893. A*Ccipiens stipendium ad ministerium vestrum.* Cur non potiùs se dixit propriis manibus sibi victum comparasse,& non quòd ab Ecclesiis stipendium accepisset? An quia, vt ait Caietanus, hoc pseudo-apostoli crimini Paulo dabant, quòd propriis manibus operaretur, tanquam non haberet potestatem sicut cæteri Apostoli stipendia accipiendi sui ministerij? An etiam vt aliarum Ecclesiarum exemplo Corinthios diuites, sed auaros, ad æmulationem prouocaret. Sed cur à Corinthiis non accepit? S. Thomas in epist. 2. ad Corinth. cap. 1. *Quia* AVARI ERANT, *vnde ne contristaret eos, noluit ab eis recipere sumptus*; sic enim fructus spiritualis, quem ab illis sperabat, fuisset magna ex parte imminutus; parum boni ab auaris speres si quicquid ab illis bonorum exsculpas.

Ipse enim Satanas transfigurat se in Angelum lucis.

894. AC si diceret: Non est mirum quòd homines se in Apostolos Christi transfigurent, cùm eorum magister Satanas personam boni Angeli assumat, vt nos decipiat. Satanæ nimirum imitatores mali homines sunt, & facilè faciunt, quod vident ab eo fieri. De hoc Satanæ, & ministrorum eius nexu hæc habet S. Dorotheus Abb. doctrina 10. *Sæpe virtutem laudat vt aliquem ad se alliciat: neque enim vna malitia est, vna conditio, diabolus ipse non potest interdum* FALLERE NISI VIRTVTEM ADVMBRET, *nisi (vt ait Apostolus) transfiguret se in Angelum lucis; haud mirum igitur, si & ministri eius transfigurant se in ministros iustitiæ.* Illi quoque se in Angelum lucis transfigurant, qui simulatæ pietatis veste iniquos mores, verèque Satanicos tegunt. S. Hieronymus epist. 48. quæ est ad Sabinianum, ita loquitur: *At tu infelix transfigurabas te in Angelum lucis; & minister Satanæ*, MINISTRVM IVSTITIÆ SIMVLABAS. *Sub vestitu ouium latebas lupus, & post adulterium hominis adulter Christi esse cupiebas.*

In quo quis audet (in insipientia dico) audeo & ego.

895. I*N insipientia dico.* Infirmum se facit, vt sanet infirmos. S. Ambrosius hîc legens. *In insipientiam*, addit. *In insipientiam ergo dicit audere se in eo quod audent ij qui se iactant, eo quòd sint filij Abrahæ, vt gloriam eorum inaniat, imprudentem se pronunciat, ne illi prudentes viderentur in hac parte, aut nobiles.*

In insipientia dico. Verba iactantiæ euertendæ apta. *Considera*, inquit S. Chrysostomus hom. 11. in Genesim; *piam animam, non solùm audet, sed & insipientiam rem eam vocat: docens & nos ne vnquam citra necessitatem; & nullo vrgente, quæ à nobis facta* SVNT EVVLGEMVS, *siquidem aliqui ex nobis inueniantur, qui bonum aliquod sunt operati.*

Ministri Christi sunt, vt minùs sapiens dico, plus ego.

NOn producit in medium Paulus miracula, quæ fecerat, mortuos quos suscitauerat egregia quæ præstiterat facinora, sed his omissis, quæ mala sit perpessus recenset, tanquam in his magis gloriaretur quam in illis. Eleganter S. Chrysost. epist. 3. *Paulus se iactans, non ob id tantùm gloriatur, quòd boni aliquid ac præclari gesserit, sed etiam quòd malis affectus sit. Cùm enim dixisset, Ministri Christi sunt (vt minus sapiẽs loquor) plus ego, atque quanto eis superior, ac præstantior esset, ex comparatione demonstrare studeret, non dixit, tot & tot hominibus Dei verbum prædicaui* VERVM OMISSIS IIS, QVÆ EX VIRTVTE GESSERAT, MALA EA, QVÆ PERPESSVS EST, *enumerat, his verbis vtens: in laboribus abundantiùs, in plagis supra modum, in carceribus abundantiùs, in mortibus frequenter; vidésne perpessionum seriem, ac gloriandi occasiones?*

In mortibus frequenter.

I*N mortibus frequenter.* Itane frequent? ecquid semel solutum morti tributum, iterum solui potest? An mortes vocat moriendi pericula, aut etiam proposita? S. Chrysost. hom. 11. in Genesim: *In mortibus frequenter; quid dicis? Est hoc rarum, & admirabile, quod a te dicitur, estne possibile, vt quis sæpe moriatur? etiam, inquit, quamuis non mortis experientiâ*, ATTAMEN MORIENDI PROPOSITO, *docens nos, quòd subinde se illis exposuerit mortiferis periculis, ob prædicationem, sed Dei gratia in mediis periculis athletam seruauit, quò discipulis magis prodesset.* 896.

A Iudæis quinquies, quadragenas vna minus accepi.

QVinquies se flagellis cæsum Hebræorum asserit Apostolus. Sed cur Lucas, qui res Pauli recensebat, nullius meminit flagellationis? *Ideo videlicet*, inquit Estius hîc, *quod de Paulo ferè ea sola, quibus ipse præsens fuit, sigillatim recenseat; alia verò vel silentio pertranseat, vel summatim ac breuiter referat; vt interdum tribus verbis complurium mensium atque etiam annorum res gestas perstringat.* Addit statim quod in exemplum ire debet: *Qua in re notanda humilitas Pauli, qui suas tot &* TAM GRAVES PRO CHRISTO PASSIONES LVCÆ COMITI SVO NON APERVERIT, *ne hîc quidem recitaturus, nisi coegisset eum amor salutis Corinthiorum.*

Ter virgis cæsus sum.

ROmano scilicet more, quorum erat nocentes virgis cædere. Sed cur non se ciuem Romanum Paulus dixit, vt se à virgarum ictibus eximeret? *Respondetur potest* (inquit hîc Estius) *quòd id non putauit faciendum, nisi gloria Dei, & salutis Ecclesiæ hoc videretur postulare: nam vtique Act. 16. virgis cædi se permisit, nec Romanum se declarauit, nisi posterâ die, quando Magistratus iubebat eum dimitti. Quòd si initio dixisset se ciuem Romanum, non fuisset* OCCASIO CONVERTENDI AD FIDEM CHRISTI CVSTODEM CARCERIS CVM TOTA DOMO. Vt videas alienam salutem propriis commodis prætulisse. 897.

Nocte, & die in profundo maris fui.

IN profundo maris se fuisse Apostolus asserit. Petrum contra, supra maris vndas scimus ambulasse.

ambulasse. In hac re vix Petrum Paulo prætulerim, non minùs apud Deum pro Deo maris fluctus pati, quàm diuina potestate maris vndas calcare. *Petrus*, inquit Sanctus Augustinus serm. 19. de Sanctis, *ambulare super aquas debitâ soli Deo potestate præsumpsit, & rerum obstante naturâ, per insueti itineris nouas vias pendulum inferens gressum, tumentia maris dorsa calcauit: sed non minor Paulus, qui sicut ipse de se dicit, nocte, & die in profundo maris fui. Non minor inquam, Paulus, quem velut noui Testamenti Ionam, die ac nocte per maris profunda iactatum absorbuit fluctus, & reddidit, quasi sacrum depositum violare non audens*, QVIA FAMVLATRIX EVM VNDA CVSTODIENS ILLÆSVM POPVLORVM PRÆDICATIONIBVS RESERVABAT.

898. Ex his quæ Paulus pertulit malis, quid boni retulerit Ecclesia Dei, quis dignè explicet? Cadunt hîc optimè quæ habet S. Ambrosius in Psalm. 43. *Multa Sanctus Paulus, & cæteri Apostoli pertulerunt, cùm cæderentur virgis, cùm lapidarentur, cùm in carceres traderentur. Illâ enim tolerantiâ iniuriarum, & vsu periculorum Domini fundatus est populus*, ET ECCLESIA INCREMENTVM EST CONSECVTA, *cum cæteri ad martyrium festinarent, videntes per illas passiones nihil Apostolorum decessisse virtutibus, sed etiam propter hanc breuem vitam immortalitatem illis esse quæsitam.* Sicque factum vt maior esset Ecclesiæ nitor, quò fœdius in illa, in illius gloriam Dei cultores cædebantur.

SECTIO II.

899 *Diaboli in Paulum sæuities malorum hominum ministerio.*

899 *Latronum pericula cur recensuerit Paulus diuitiis destitutus.*

899 *Pericula à falsis fratribus quàm magna.*

900 *Periculis obseptus, Paulus vbique victor.*

900 *Beata Pauli anima, quæ omnium miserias suas fecerat.*

901 *Quantò maior charitas, tantò grauius aliena peccata fert.*

901 *Pauli feruor expenditur.*

901 *Compassio correctionis zelo substernenda.*

901 *Quàm vtile ob aliena peccata dolere.*

902 *Perfectorum est, perfectè aliorum dolores sentire.*

903 *Verbi vrendi vis expenditur.*

904 *Non mortem timuit Paulus, sed nouis laboribus, & lucris se reseruauit.*

905 *Fugâ se Ecclesiæ seruauit Paulus, Euangelium Dei in toto Orbe prædicaturus.*

906 *Ob animarum lucra, nulla pericula timenda.*

907 *Humanum auxilium contemnendum minimè est, quando ordinatè, & congruè haberi potest.*

908 *Nostræ imbecillitatis reminisci vt Deus quærat.*

Nouarin. in Epist. Pauli.

Periculis latronum, periculis ex genere, periculis ex gentibus, &c.

PERICVLIS *latronum*. Qui vacuus incedebat, timere latrones non poterat; sed Diabolus contra illum illos excitabat. *Cùm in ciuitate*, inquit hîc S. Ambrosius, *diabolus eum occidere non posset*, LATRONES ILLI EXCITABAT IN VIA, *cum nihil ferret quæ latrones cuperent.* 899.

Periculis latronum. Et quì latrones timere poterat, qui vacuus omninò erat, terrenisque diuitiis destitutus? pericula à latronibus illis imminent qui auro, & argento onusti sunt, & terrenis opibus obruti sunt. Tu, Paule, solis illis diuitiis plenus, quæ auferri non possunt: Quid nobis latronum pericula narras? Latrones non timebat Paulus, quòd opibus, & marsupio timeret, sed quia infestos latrones habuit in Euangelij prædicatione, quæ illi omni thesauro ditior erat: *Periculis latronum*, inquit Lyranus, *Diabolo eos incitante vt prædicationem eius impediret*, paulo aliter Estius hîc dum ait: *Periculis latronum, in quos inciderat iter faciens. Horum meminit, non quòd latrones ipsum inuaserint, propterea quod Christum prædicaret, nam nec mare, aut flumina ei nauiganti infesta fuerunt propter Euangelium: sed ideò eos hæc commemorat, inquit post Chrysostomum Theophylactus, quia Euangelij causâ molestias, & periculosas profectiones susceperat, vt proinde meritò gloriaretur se hæc omnia prò Christi ministerio pertulisse, seque per ea declarari verum, & insignem Christi ministrum.*

Periculis in falsis fratribus. Postremo hoc periculum loco posuit, quod magnitudine numeres inter prima. Certè difficilius caueri potest, nec citò transit, vt alia. Scitè S. Anselmus: *Cætera pericula quiescere possunt:* PERICVLA VERO A FALSIS FRATRIBVS *quiescere vsque in finem sæculi non nouerunt.* Desint aliorum periculorum causæ, vix desinunt pericula, quæ a falsis fratribus sunt.

Variis agitatum se periculis asserit Paulus, sed in nullis fuit victus, vbique victor fuit, vnde iure illum efferebat S. Chrysostomus hom. 25. in epist. 2. ad Cor. *Quemadmodum si scintilla ignis quædam, qui extingui nequeat, in mare prolapsa, incursantibus multis fluctibus pessum eat, rursusque splêdida emergat; ad eundem quoque modum Beatus Paulus nunc quidem periculis velut conflabatur, nunc vero ex ipsis emersus nitidior, ac splendidior ascendebat, eo ipso quod vexabatur*, VICTORIAM REFERENS. Nimirum vbique sui similis, vbique Paulus fuit, & paruitas ad nudum fuit nomen reducta. 900.

Quis infirmatur, & ego non infirmor?

QVis *infirmatur, & ego non infirmor?* Firmæ pietatis infirmitas ista est. BEATA *anima*, inquit ad hæc verba Sanctus Petrus Damianus serm. 27. QVÆ OMNIVM MISERIAS SVAS FECERAT, *vt omnes lucrifaceret. Hoc affectu nauigat mare, currit in Hierusalem, lapidatur, verberatur, affligitur, inde currit ad Ephesios, Corinthios quærit, circuit. Colossenses, Philippenses visitat, reuertitur ad Romanos, misericordiam spargit, vbique diffundit pietatem, & cælestium seminat semina gaudiorum.*

901. *Quis infirmatur, & ego non infirmor?* Quo firmior in aliquo charitas est, eo magis infirmatur, cùm alij infirmantur. Pulchrè Sanctus Augustinus in Psal. 48. ad hæc verba. *Quis infirmatur*, inquit, *& ego non infirmor? Quis scandalizatur, & ego non vror?* QVANTO MAIOR CHARITAS, TANTO MAIORES PLAGÆ DE PECCATIS ALIENIS. Feruorem, qui Pauli pectus corripiebat hæc verba loquuntur. Præstat sistere quæ in hanc rem habet Elias Cretensis comment. in orat. 1. Sancti Gregorij: *Si quispiam*, inquit, *vnam duntaxat domum regens, ne respirandi quidem facultatem habet, quo animo Apostolum fuisse verisimile est, inter tot pericula totius orbis terrarum curam gerentem*, ET QVIDEM CVM TANTO ANIMI FERVORE? *Quis enim*, inquit, *infirmatur (quamcunque tandem infirmitatem quispiam dixerit, siue animi, siue corporis) & ego non infirmor? Quis scandalizatur, & ego non vror, ac totus deflagro?*

Infirmari cur se prius Paulus dixit, quam vri? An vt correctionis zelo compassio substerneretur? Benè Cardinalis Hugo in c. 34. Genesis? *Notandus*, inquit, *est ordo, primò dicit Apostolus, quis infirmatur, & ego non infirmor? ecce compassio peccatoris: & postea: quis scandalizatur & ego non vror; ecce correctionis zelus, qui debet sequi compassionem, nam compassio sine zelo correctionis remissum facit Prælatum, & zelus sine compassione seuerum.*

Quis scandalizatur, & ego non vror?

902. *ET ego non vror.* Sua inest *Vrendi* verbo vis. *Attende*, inquit hic S. Thomas, *quòd congruè vtitur hoc verbo, Vror: quia compassio procedit ex amore Dei & proximi, qui est ignis consumens, dum mouet ad subleuandas miserias proximorum, & purgat ex affectu compassionis*, PER QVEM NOBIS PECCATA RELAXANTVR, sicque multis bonis cumulatur, qui ob aliena mala dolore conficitur.

Et ego non vror. Nimirum quò quis perfectior est, eò perfectius aliorum dolores sentit, imperfectiorum lapsibus afficitur. Scitè S. Gregorius: *Infirmorum damna, ad corda fortium per compassionem transeunt, vnde per Paulum dicitur. Quis infirmatur, & ego non infirmor? quis scandalizatur, & ego non vror?* TANTO ENIM QVISQVE PERFECTVS EST, QVANTO PERFECTE SENTIT DOLORES ALIENOS. sic ille lib. 19. moral. cap. 8.

903. *Et ego non vror*; cur non dixit, *& ego non scandalizor*, sicut superiùs dixerat, *& ego non infirmor?* Nodum soluit Estius, *quia*, inquit, *scandalizari non sic in bonam partem intelligi potest sicut infirmari; dicitur enim mater & nutrix infirmari cum infante, & Medicus cum ægroto, quia ad eius infirmitatem se demittit, eique se se accommodat, per commiserationem, & tolerantiam infirmitatis; at scandalizari non dicitur qui cadentibus condolet aut condescendit, sed qui similiter impingit & cadit.*

Verbi vrendi vim quo vtitur Paulus ita Pauli cultor expendebat Sanctus Chrysostomus hom. de Sancto Romano. *Quis*, inquit, *infirmatur, & ego non infirmor? quis scandalizatur, & ego non vror? dixit* VRENDI VERBO *summum nobis dolorem volens ostendere.* Et hom. 11 in Genesim eiusdem verbi vim expendens. *Considera quæso verborum latentem vim & emphasim; non dixit, quis scandalizatur, & ego non contristor? sed* VROR, *inquit, intensum nobis dolorem declarans: quasi demonstraret, quòd intrinsecùs accenderetur, & vreretur pro his qui offendebantur.*

Et per fenestram in sporta demissus sum per murum, & sic effugi manus eius.

904. DEmitti per fenestram se permisit, ne maiora & plura pariendi fenestra illi clauderetur: nec enim fuit talis fuga à mortis timore, id quod notauit Sanctus Gregorius lib. 2. Dialogorum, cap. 3. vbi hæc in hanc sententiam habet: *Ille quoque egregius prædicator, qui dissolui cupit & cum Christo esse, Cui viuere Christus est, & mori lucrum, qui passionum certamina, non solùm ipse appetijt, sed ad toleranda hæc & alios accendit. Damasci persecutionem passus, vt posset euadere murum, funem sportámque quæsiuit, séque latenter deponi voluit. Nunquid non Paulum mortem timuisse dicimus, quam se ipse pro amore Iesu testatur appetere? Sed cum in eodem loco minorem sibi fructum adesse conspiceret, & grauis labore* AD LABOREM SE ALIBI CVM FRVCTV SERVAVIT, *fortis etenim præliator Dei teneri intra claustra noluit, certaminis campum quæsiuit.*

905. A fratribus se in sporta demissum dicens, indicauit fratres remansisse, qui curam Ecclesiæ gererent, adeo vt illorum consilio se omnium vtilitati fugiendo seruaret. *Nunquid*, inquit Beda in cap. 12. epist. 2. ad Corinth. *quando Apostolus Paulus, ne illum comprehenderet inimicus, per fenestram in sporta summissus est, & effugit manus eius, deserta est quæ erat ibi Ecclesia, necessario ministerio, & non ab alijs fratribus ibidem constitutis, quod oportebat impletum est? Eis quippe volentibus hoc Apostolus fecerat, vt se ipsum* SERVARET ECCLESIÆ, *quem propriè persecutor ille quærebat.*

Fugam Paulus arripuit, ne Euangelij prædicandi occasio illi surriperetur; fugit vt portare in totum Orbem Euangelium posset, & Christi fidem. Sanctus Ambrosius lib. de fuga sæculi, cap. 9. ita scribit: *Fugit Paulus vt euaderet per fenestram in sporta demissus (spartum enim triplex rumpi non posse nouerat) sed fugit vt* EVANGELIVM DOMINI TOTO ORBE PRÆDICARET,

906. Demitti se passus est Paulus, & à periculo se subduxit, quia nullum sui periculi fructum videbat, alioquin si animarum lucra fecisset, nullum pertimesceret discrimen; quod in hunc modum euincit S. Isidorus Hispalensis lib. 1. c. 23. *Vir Sanctus vltro se pro agone certaminis debet offerre iustitiæ; sed tamen agonis fructum videns vberrimum, non debet declinare laboris periculum: quod si maior est labor, quam animarum lucrum, declinandus est labor, quem minimum comitatur augmentum; vtrumque enim fecit Apostolus, qui & periculis se vltro dedit, vbi maximum animarum lucrum vidit, & sapienter se periculo abstulit, in quo potiorem laborem*, QVAM LVCRVM ESSE PERSPEXIT. *Vltrò se Paulus apud Ephesum periculis obtulit;* QVIA POTIVS PERICVLO LVCRVM VIDIT. *Damasci autem ideò periculo subtraxit semetipsum, quia nullum periculi ipsius arbitratus est fructum.*

907. *Et sic effugi manus eius.* Non timet fugam suam publicare; nec notā animi magnitudini multam credit & fugisse, & fugā monumētis consignasse. Gloriari de fuga ipsa potest, qui in ipsa fuga Dei gloriā spectabat, Diuinæ volūtati obsequebatur,

batur, quæ ad maiora certamina eum destinauerat. *Et sic effugi manus eius.* Hominum vsus est auxilio vt ab hominum se manibus & crudelitate subduceret. *Patet ergo*, inquit B. Laurentius Iustinianus, NON ESSE CONTEMNENDVM HVMANVM AVXILIVM, QVANDIV ORDINATE ET CONGRVE HABERI POTEST. *Vnde Deus qui Paulum vsque ad tertium cælum rapuit, poterat eum aliter liberare à prædicti manu Præpositi: quàm per fenestram & sportam: sed sic eripuit, vt instruamur non deserere humana præsidia, nec sine necessitate ad solum Dei conuolare auxilium.*

908. Licet in hac fuga diuinæ prouidentiæ arcana conspicere, qui hominem homini reliquit, ne se super se efferat, multa naturæ limites excedentia operans. Rem sic deducebat Sanctus Gregorius. *Per fenestram in sporta demissus sum per murum, & sic effugi manus eius. Vt mirabiliter dicam: O Paule in cælo iam Iesum conspicis, & in terra adhuc hominem fugis? in Paradisum duceris, secreta Dei verba agnoscis, & adhuc à Satanæ Angelo tentaris? vnde sic fortis vt ad cælestia rapiaris? vnde sic infirmus, vt in terra hominem fugias, & adhuc à Satanæ Angelo aduersa toleres: nisi quia ipse, qui te subleuat, rursum subtilissima te mensura moderatur: vt & in miraculis tuis nobis prædices virtutem Dei, & rursum in timore tuo* REMINISCI NOS FACIAS INFIRMITATIS NOSTRÆ. Sic ille lib. 19. Moral. cap. 8. sic & sua fortitudine, & sua infirmitate omnes erudire Apostolus potuit, & fortes infirmitate ipsa omnes reddere.

CAPVT XII.

EPISTOLÆ SECVNDÆ ad Corinthios expenditur & illustratur.

SECTIO I.

909 *Visiones suas Domino adscribit Paulus, sibi infirmitates.*

909 *Plusquam homo videtur esse, qui sua facinora scit silentio premere.*

910 *Peccata memoriæ retinenda: obliuioni tradenda, quæ ad laudem faciunt.*

911 *Nemo reuelationibus extollatur.*

911 *Laudabilis obliuio sui.*

912 *Paulus à iactantia immunis, etiam se efferens, vt esset.*

913 *Pauli Apostolatum in cælo consecratum aliqui putant.*

913 *Qui in cælo versatur, labores minimè fastidiat.*

914 *Charitatis ignis vt Paulum extulerit.*

914 *In cælestia exemplo Pauli nos quoque debemus ferri.*

915 *In cælum raptus cur potiùs sit dictus Paulus quàm ductus.*

Veniam autem ad visiones & reuelationes Domini.

Visiones non suas, sed Domini vocat; qui tamen infirmitates vocauit suas. SIBI INFIRMITATES inquit S. Hieronymus, DOMINO VISIONES *adscribit*; licet & istæ immissæ à Deo fuerint, & illæ missæ. 909.

Scio hominem in Christo ante annos quatuordecim.

Scio hominem. Plusquam homo videtur, dum tandiù distulit referre, quod ad eius laudem faciebat, & fecit coactus. Sed mirum, cum posset plures reuelationes in medium afferre, vnam istam protulit; qui tamen tam effusus in suis malis declarandis erat.

Ante annos quatuordecim. Tempus apposuit, vt 910. à temporis diuturnitate disceres non fuisse à laudum cupiditate, quòd ea protulit, quæ ad eius laudem faciebant. Non potuisset tandiù expectare iactantiæ lue correptus, nec intra silentij limites se cohibere. Vtiliter totum hunc locum versat S. Chrysost. serm. 26. de diuersis noui Testamenti locis, vbi ita scribit: *Vide quamobrem nunc tempus nominatim apponit, sic dicens: Scio hominem antè annos quatuordecim raptum vsque in tertium cælum, vt tu discas. quod ne tum quidem dixisset, nisi multam vidisset necessitatem imminere.* NAM SI ANIMO SEDISSET PROPRIAS ALIQVANDO PRÆDICARE LAVDES, *factam visionem tam obstupendam continuò prodidisset, aut primo, aut secundo, aut tertio anno; modò ad annum quartumdecimum tacitò suppressit. Neque cuiquam aperuit, præterquam solis Corinthiis: & tum potissimum quando falsos mendacésque apostolos suboriri vidit; nimirum vt ostenderet, ne tum quidem fuisse animum dicendi, si non obseruasset luem illam pessimam in discipulos grassari. At nos non item. Contrariâ ratione prorsus nitimur, ne vnius quidem diei,* QVA PECCAVIMVS, *tenemus memoriam: imo referentibus indignamur, grauitérque succensemus, & perquam molestè suscipimus, conuicij loco ducimus, mille contumeliis retaliamur: Cæterum si quid benefecimus, quantulumcunque fuerit, latissimè prosequimur.* Et hoc ipso laude indigni magis reddimur, quo incautius quæ ad laudem nostram faciunt prædicamus.

Qui annos quatuordecim tacuit, ostendit se 911. post eos necessitate quadam dixisse, quod indicauit potiùs quam dixit. Præclarè S. Ambrosius in psal. 36. *Ante annos quatuordecim reuelatum sibi dicit, & tamen reuelationem tandiu apud se tenuit, & repressit: nec dixisset, nisi vtile nobis indicasset, vt diceret,* NE NOS REVELATIONIBVS EXTOLLERIMVR: *Si enim in tanta gratia non est gloriatus Paulus, nec nos gloriari oportet, Iuuenis iste non gloriatus est, senex gloriaretur?* Tanta silentij diuturnitate eos arguens, qui sua nequeunt supprimere, vt statim in vulgus spargant si quid a munifica Dei accipiunt manu.

Siue in corpore, siue extra corpus, nescio: Deus scit.

Siue in corpore, siue extra corpus, nescio, Deus scit: Felix qui huc eo modo quo potest euadit

sui nimirum perfecta obliuione; nam vt ait Richardus Victorinus tract. de gradibus violentæ charitatis, *animi* SVI PENITVS OBLITA *veraciter dicere potest, siue in corpore, siue extra corpus, nescio. Deus scit*; quæ ita se sinit rapi, rapte, in-o facilè obtinet, quicquid cupit, licèt nihil cupiat nisi Deum ipsum.

Nescio. Nimirum ignorantiam potiùs suam iactat quam gloriam; certè ignorantiam suam narrationi suæ miscuit, ne videretur aliquo iactantiæ æstu correptus hæc efferre; *Raptum se,* inquit Sanctus Ambrosius in psal. 36. *vsque ad tertium cœlum nega e non potuit: Et tamen vtrum in corpore, an extra corpus raptus esset, se ignorare testatus est.* NON ERGO DE SCIENTIA, SED DE IGNORANTIA GLORIATVR, *& Dei circa se gratiam prædicat. Quod scientiæ est, negat: quod charitatis est, confitetur.*

Nescio. Nesciebat an esset in corpore, quia corporis vsum non sentiebat in cœlum raptus. Præclarè Sanctus Ambrosius enarrat. in cap. 52. Isaiæ: *Paulus raptus vsque ad tertium cœlum, cum corpore esset, an sine corpore esset, nesciebat, raptus inquam in Paradisum,* VSVM PROPRII IAM NON SENTIEBAT CORPORIS, *& audiens verba Dei, quodammodo ad corporis infirmitates descendere erubescebat.*

Raptum huiusmodi vsque ad tertium cœlum.

913. R*Aptum huiusmodi vsque ad tertium cœlum.* In cœlo consecratum in Apostolum aliqui censent. Sanctus Anselmus in cap. 1. epist. ad Galatas expendens producta verba ait; HVIVS APOSTOLATVS CONSECRATVS EST IN COELO, *cæterorum autem in terra; electusque est per Christum non mortalem sicut prædecessores Apostoli, sed resuscitatum* atque adeo immortalem.

In cœlum raptus, in terram descendit Paulus: Sed quid in cœlo didicit, numquid labores fastidire, numquid otio torpere; quin potius vt ad dura ardentius prosiliret, & promptius sanguinem pro Deo funderet. *Descendit Paulus iterum*, inquit Sanctus Cyrillus Ierosolymitanus, *non quod dignus non esset conuersatione cælesti, sed vt gustatis super cælestibus, honoratus descendens Christum prædicaret, & pro ipso moriens corona martyrij potiretur.*

Raptum se dicit, nec enim ire potuit, cum ad ea quæ naturæ limites excedunt vi superioris agentis eleuatus fuerit? Hinc illud Richardi Victorini part. 1. de præparat. animi cap. 74. *Si aliqua argumentatione adiri potuisset lumen illud diuinum, vtique inaccessibile non fuisset. Denique Apostolus gloriatur*, AD ILLVD SE NON QVIDEM ISSE, SED ABSQVE DVBIO RAPTVM FVISSE: *Scio, inquit, hominem, siue in corpore, siue extra corpus, nescio, Deus scit, raptum huiusmodi vsque ad tertium cœlum.*

914. Rapuit Paulum in cœlum Deus, extulit & charitatis ignis, quo æstuabat. Sanctus Chrysostomus lib. 2. de compunctione cordis cap. 2. *Hic inquit ignis in anima Pauli per dies singulos flante Spiritu sancto magis ac magis accendebatur, & ad superna tendens, secum eum vsque ad ipsum perduxerat cœlum: imò, vt verius dicam, imposuerat eum non vsque ad secundum, sed vsque ad tertium. Et ipse quidem vsque ad tertium raptus est cœlum: amor autem eius &* DESIDERIVM QVOD HABEBAT ERGA CHARITATEM CHRISTI, *non solum tres penetrauerat cœlos, sed & omnes omnino transcenderat, & vsque ad ipsum peruenerat Christum.* O nos idem ignis corriperet, & totos combureret!

Exemplo Pauli nos quoque in cœlum, in cœlestia debemus ferri, si non corpore, saltem mente; hac tamen cautione, ne animi elatio nos in terram deiiciat. Opportune Sanctus Gregorius Nazianzenus orat. 26. vbi huc spectans ait. *Ascendat ille ac deducatur, atque à mente feratur, vel ad tertium vsque cœlum, si ita libeat, quemadmodum Paulo contigit: cæterum cum ratione & scientia, ne propter animi elationem cadat, pennisque propter* VOLATVS SVBLIMITATEM *liquefactis, miserè corruat.*

Non suo pondere est destitutum, quòd *raptum* potius se dixerit Paulus in tertium cœlum 915.
quam *ductum*. Satis hîc erit inserere quæ habet Sanctus Bernardus tract. de gradibus humilitatis. *Putas* inquit, *hos gradus Paulus non transierit, qui vsque ad tertium cœlum se raptum fuisse testatur? Sed quare raptum & non potius ductum: Vt videlicet si tantus Apostolus* RAPTVM *se dicit fuisse, quo nec doctus sciuit,* NEC DVCTVS POTVIT IRE: *ne qui procul dubio minor sum Paulo, ad tertium cœlum nulla mea virtute, nullo meo labore peruenire posse præsumam, ne vel de virtute confidam, vel pro labore diffidam. Qui enim docetur, aut ducitur, ex hoc ipso quod docentem, aut ducentem sequitur, laborare conuincitur, & aliquid ex se agit, vt ad destinatum locum, vel sensum pertrahatur. Ita vt dicere possit: Non autem ego, sed gratia Dei mecum. Qui verò rapitur, non suis viribus, sed alienis innixus tanquam nescius quocunque portatur, nec de toto in se, nec de parte gloriatur, vbi nec per se, nec cum alio aliquid operatur.*

SECTIO II.

916 *Quàm magnus Paulus, dum intra se ipsum ineffabilia potuit retinere.*
917 *Ieiunium & carnis maceratio quàm Paulum extulerit.*
917 *Arcana de Iesu nomine quando Paulus didicerit.*
918 *Non inuidentiæ, sed impossibilitatis fuit, quòd sua Paulus suppresserit.*
919 *Dei arcana prodi ab hominibus homines non facilè quærant.*
919 *Carnis propria bellum nos infra nos deiicit.*
920 *Humilitati vt litauerit Paulus, cælestium secretorum arbitrum se videri refugiens.*
921 *Diuinæ generationis ineffabilitas.*
921 *Quam ineffabilis sit Deus.*
922 *Veræ humilitatis nota.*
923 *Aliqua in sui laudem Paulus prodidit, vt cæteros instrueret.*
923 *Arrogans & superbus sibi non parcit, cum se iactat & sua.*

Et

Et audiui arcana verba, quæ non licet homini loqui.

916. NImitum dum ſupra ſe euehitur, alienus à ſe ipſo factus Paulus videtur, intra ſe arcana continens, quæ alioquin humana mens ægre intra ſe potuiſſet cohibere. vt videatur plus quam homo eſſe qui ea ſcit reticere, quæ è cœlo accepit, aut etiam in cœlo. Sanctus Ambroſius ad hunc ſenſum lib. de Iſaac cap. 3. ait. *Talis erat Paulus, qui ſciebat ſe raptum in Paradiſum: ſed ſiue extra corpus raptum, ſiue in corpore, neſciebat, aſſurrexerat enim anima eius de corpore, & ſe à viſceribus & vinculis carnis abduxerat atque eleuauerat, factúſque à ſemetipſo alienus,* INTRA SEMETIPSVM TENVIT VERBA INEFFABILIA *quæ audiuit & vulgare non potuit, quia aduertit, ea loqui homini non licere.*

Et audiui arcana verba. In cœlum raptus eſt, vt ibi ea audiret, quæ ægrè in terris poſſet. Benè idem Sanctus Ambroſius: *Paulus audiuit aliqua ſecreta ſapientiæ, quæ prohibitus eſt aliis intimare, & ideo raptus eſt in Paradiſum, raptus vſque ad tertium cœlum, vt audiret ea,* QVÆ IN TERRIS AVDIRE NON POTERAT. vt videas opportunum doctrinæ quærendum locum eſſe, & Diuinitatis abſtruſa difficilè inter homines, homines diſcere; ſicque mente, ſi non corpore, ſupra res terrenas rapi debet, qui diuina eſt percepturus.

917. Arcanorum auditor factus eſt Paulus ex Dei quidem gratiâ, ac benignitate, ſed de ſua quoque Apoſtolum ieiunium, carniſque macerationem præmiſiſſe tanto muneri cenſet Sanctus Iſidorus Peluſiota, cuius hæc ſunt verba lib. 1. epiſt 63. IEIVNIVM, ET NVDITAS, *& chameunia, & corporis maceratio, hoc Paulo attulit, vt Paradiſi arcanorum auditor eſſet.* Nimirum ſternit ſibi viam ad magna qui corporis afflictationibus corpus ſuum ſternit.

Inter hæc arcana fuiſſe, quæ ad Ieſu nomen, tantique nominis notitiam, & venerationem ſpectant, cenſet Sanctus Bernardinus Senenſis ſerm. 29. qui eſt in Dominica Palmarum, ait quippè: *Saluâ veritate non immeritò poteſt dici ac piâ deuotione credi: quòd cum Paulus raptus fuit in Paradiſum, ſicut ipſemet teſtatur 2. Corint. 12. Et audiui arcana verba quæ non licet homini loqui, quod tunc* PERFECTE DIDICIT NOMEN IESV *ab omnibus adorandum, nempe in raptu, idem eſt audire, quod & videre.*

918. *Quæ non licet homini loqui.* In hunc ſenſum aliqui hæc accipiunt verba, vt nulli homini licitum fuerit ea verba loqui; innuens hac formula non fuiſſe inuidentiæ, quòd ea ſuppreſſerit, ſed impoſſibilitatis: Ita Sanctus Ambroſius in pſal. 43. *Sunt autem occulta ſapientiæ, quæ raptus in Paradiſum Apoſtolus Paulus audiuit, & quia non licebat ea homini loqui, apud ſe tegebat: non quia vſum eorum* AVT GRATIAM ALIIS INVIDERET, *ſed quia non licebat homini loqui, fortè etiam homini audire non proderat: quæ tunc illuminabit Dominus, cùm illuminandorum ſecretorum tempus aduenerit.*

919. *Quæ non licet homini loqui*; ſi Dei arcana non prodidit, qui ea audiuit, prodet qui non audiuit; hæc igitur ab hominibus hîc homines non quærant, nam licèt illi ſuper alios homines ſint, ſunt tamen homines; cadunt hîc optimè quæ habet Sanctus Auguſtinus in pſal. 36. *Iam ibi erat qui dixit, aſſumptum ſe in tertium cœlum, & ibi audiebat ineffabilia verba, quæ non licet homini loqui. ſed reuocatus eſt ad nos vt gemeret priùs perficiendus infirmitate, & ſic poſtea indueretur virtute animatus, tamen quia vidit aliquid rerum illarum pro diſpenſatione officij ſui adiecit dicens: audiui ineffabilia verba quæ non licet homini loqui; iam ergo quid opus eſt, vt à me, aut à quoquam quæratis quæ non licet homini loqui:* SI ILLI NON LICVIT LOQVI,
CVI LICVIT AVDIRE. 920.

Arcana audierat verba in tertium cœlum raptus, & tamen redditus ſibi, carnis bellum ſtatim ſenſit, vt qui in raptu fuerat maior ſe, in carnis conflictu ſe infra ſe poneret, ſe deiiceret, & ſuo exemplo eos muniret, qui cœleſtibus viſionibus reuelationibúſque deinceps dignarentur. Sanctus Gregorius lib. 8. Moral. cap. 17. ita ſcribit: *Paulus ad tertium cœlum raptus ducitur, Paradiſi penetrans ſecreta conſiderat: & tamen ad ſemetipſum rediens,* CONTRA CARNIS BELLVM LABORAT, *legem aliam in membris ſuſtinet, cuius in ſe rebellione fatigari ſpiritus dolet.*

Et audiuit arcana verba. Humilitati quantùm potuit, conſulere voluit, ſe abſcondit, non auder ſe prodere dum dixit, non *audiui*, ſed *audiuit*. Audiendus Sanctus Ambroſius in pſal. 36 *Non dixit*, inquit, *audiui, ſed quòd alter audierit, non negauit. Verecunde itaque teſtem ſe maluit ſignificare, quam vatem,* ET REFVGIT VIDERI CŒLESTIVM ARBITER SECRETORVM. *Teſtimonium enim dicere, veritatis eſt: meritum elationis non refugere, gloriantis.*

Et audiuit arcana verba, quæ non licet homini lo- 921.
qui. Signatè, *Homini*, dixit, ideſt alteri homini; nam ſibi licebat, & Deo, quod expendens Sanctus Bernardus ſerm. 82. in Cant. *Audiuit*, inquit, *verba ineffabilia, quæ non licet loqui,* NON VTIQVE HOMINI; *nam ſibi ita loquebatur, & Deo.*

Hæc Pauli verba ad probandam Diuinæ generationis ineffabilitatem egregiè transfert Sanctus Ambroſius lib. 1. de Fide cap. 5. *Si Paulus*, inquit, *ea, quæ audiuit, raptus in tertium cœlum, ineffabilia dicit; quomodo nos exprimere poſſumus Paternæ* GENERATIONIS ARCANVM, *quod nec ſentire potuimus, nec audire?*

Ineffabilia Paulus audiuit verba, cur non magis ipſe Deus ineffabilis? Rem præclarè vrget Sanctus Auguſtinus huc ſpectans, ſerm. 38. de verbis Domini. *Si raptum*, inquit, *ſe dicit vſque ad tertium cœlum Apoſtolus Paulus, & dicit ſe audiſſe ineffabilia verba:* QVANTO MAGIS IPSE INEFFABILIS, *qui talia demonſtrauit?*

Pro huiuſmodi gloriabor: pro me autem nihil gloriabor niſi in infirmitatibus meis.

IDeſt, de tali homine gloriabor, vt ait Eſtius, 922.
non autem de me, nam illum hominem tanta reuelatione à Deo dignatum *quaſi finxit alterum à ſe multis infirmitatibus ſubiecto; ſicque illam ſuam excellentiam quaſi ſit alterius hominis, per* HVMILITATEM *diſſimulat*; & factus eſt maior ſe dum ſe à ſe quodammodo deducit, & ſepa-

tat

rat & plusquam homo videtur penè effectus dum alium a se fecit se.

Nam, & si voluero gloriari, non ero insipiens: veritatem enim dicam.

V*Eritatem enim dicam.* Sanctus Augustinus hæc verba donat hoc explicatu. *Si voluero gloriari, non ero insipiens: veritatem enim dico. Neque enim in seipso, sed in ipsa veritate quæ superior est ipso, &* NVMILITER FT VERACITER GLORIARETVR: *quoniam & ipse præcepit, vt qui gloriatur, in Domino glorietur. Itane non timeret insipientiam ipsa sapientia?* Sic ille, tract. 58. in Ioannem cap. 13. vt vetè ægrè cum veritate cohæret gloriatio, sæpè in mendacium deuiat, qoi gloriatut in se, & gloriam hominum venatur.

Parco autem, ne quis me existimet supra id, quod videt, &c.

923. P*Arco autem.* Vt humilitati quoque consuleret, pleraque supprimit; sicut aliqua prodidit, vt instrueret. Sistendus hîc Sanctus Gregorius lib. 17. Moral. cap. 7. *Erat de se adhuc fortasse admirabiliora loquuturus; sed ab humana laude, alta se consideratione temperans subdit: Parco autem, ne quis me existimet supra id quod videt in me, aut audit aliquid ex me. Habebat ergo adhuc dicendum de se aliquid, qui parcit dicere. Sed egit vtrumque Doctor egregius, vt & loquendo quæ egerat,* OISCIPVLOS INSTRVERET; ET TACENOO, SESE INTRA HVMILITATIS LIMITEM CVSTOOIRET. *Nimis namque esset ingratus, si de se discipulis tota reticeret; & fortasse nimis incautus, si de se tota vel discipulis proderet: sed mirabiliter (vt dictum est) egit vtrumque, vt & loquendo erudiret vitam audientium, & tacendo custodiret suam.* Adeo vt maximè sit in Paolo laudandum, quod se laudare timuerit, & silentio non supprimendum, qood tandiu siluerit.

Parco autem; non parcit sibi qui inani gloriæ litat, & arrogantiæ, & se supra se effert. Festiuè Sanctus Bernardus epist. 87. *Terret me Apostolus, qui & ipse territus dicit: Parco autem, ne quis me existimet supra id quod videt in me, aut audit aliquid ex me. Quam pulchrè dixit, parco.* NON PARCIT SIBI ARROGANS, NON PARCIT SIBI SVPERBVS, *Non cupidus vanæ gloriæ, & iactator actuum suorum: qui vel sibi arrogat quod est, vel mentitur de se qui ne putetur quod non est, semper quantum in se est vult nesciri quod est.* Ille parcit sibi qui parcus in suis laudibus est, & studiosè silentio premit, quæ arrogans studet exprimi, & vulgari.

Sectio III.

924 *Quò grauiùs quis à Deo affligitur, verius ab ipso probatur.*

924 *Stimulus carnis tanquam maximè vtilis reiiciendus non est.*

925 *Superbiæ serpens quàm timendus.*

925 *Nemo de se sit securus.*

926 *Elationis impetus quàm timendus.*

927 *Etiam pro futura culpa vitanda quis percutitur.*

927 *Elatio quanto studio retundenda.*

928 *A carnis stimulis nemo se tutum putet.*

928 *Quò grauius caro tribulationibus premitur, eò altius mens eleuari debet.*

928 *Carnis tentatio maximè diaboli partes & regnum adiuuat.*

929 *Superbiæ tumor in reuelationibus valdè timendus.*

930 *Satana stimulante aurea libertatis torque donari possumus.*

931 *Tentationis vtilitas.*

932 *Maxima Dei virtus apparet, dum per superbiæ Angelum superbiam sanat.*

933 *Oratio toto affectu fundenda vt in orationis censu locetur.*

933 *Totum se quisque Diuinæ voluntati committere debet.*

933 *Nemo animo despondeat, si in oratione non exaudiatur.*

934 *Ferendum æquo animo est, cum in oratione non accipimus, quod postulamus.*

935 *Pauli humilitas vnde collecta.*

935 *Tribulatio medicamentum ad salutem.*

935 *Nostra voluntas diuinæ subiicienda est.*

Et ne magnitudo reuelationum extollat me, datus est mihi stimulus carnis meæ, angelus Satanæ, qui me colaphizet.

A Deo vt non tam vexati se innuat, quàm eorrigi, & ad vtilitatem comprimi: *Apostolus Paulus*, inquit Sanctus Cyprianus de mortalitate, *post naufragia, post flagella, post carnis & corporis multa & grauia tormenta,* NON VEXARI, SEO EMENOARI *se dicit aduersis,* VT OVM GRAVIVS AFFLIGITVR, VERIVS PROBARETVR: *Datus est mihi, inquit, stimulus carnis meæ, angelus satanæ qui me colaphizet, vt non extollar.* Quod si ne extolleretur, carnis est passus stimulum Paulus, qui alioquin tot flagella sustinuit, tot aduersitates est passus, tam grauia tormenta tulit, cur se putent securos qui inter delicias viuunt, & otio torpent? 924.

Stimulum sensit Paulus in cœlum antea raptus, & hunc stimulum defugiet qui plus eo indiget, quo minor est Paulo? Bonus stimulus si oos ad perfectiora exstimulet. Benè Gillebertus io Cantica: vbi ad hunc Apostoli locum spectaos, ait: *Ne magnitudo reuelationum extollat me, datus est mihi stimulus carnis meæ. Paulus stimulatur ne extollatur. Et quomodo qui hæc audis,* REFVGIS STIMVLARI? *Quomodo teipsum inter vbertatem donorum aut conteri desinis, aut contineri non sinis? Molestus stimulus,* SEO TAMEN VEXATIO PRÆSTAT HVMILITATEM PROFECTVI. Hoc ipso quis magis indiget stimulo, quo putat non iodigere, & se inter pericula securum credit.

Ex

925. Ex productis Pauli verbis hoc quoque colligas, quam scilicet superbiæ serpens timendus nobis sit. Sanctus Augustinus in psal. 58. ita rem expendebat; & excutiebat hæc verba: *Apostolus doctor Gentium, pater fidelium per Euangelium, accepit stimulum carnis a quo colaphizaretur: quis nostrûm hoc dicere auderet, nisi ille confiteri non erubesceret? Si enim dixerimus hoc non passum fuisse Paulum, cum ei quasi honorem deferimus, mendacem facimus: sed quia verax est & verum dixit, oportet vt credamus datum illi esse Angelum Satana, ne magnitudine reuelationum extolleretur.* ECCE QVAM TIMENDVS EST SERPENS SVPERBIÆ. Et in psal. 130. ex hoc loco colligit neminem de se debere esse securum; sic enim ille loquitur: *Si ergo charissimi, potuit Paulus Apostolus extolli magnitudine reuelationum, nisi acciperet Angelum Satana, qui se colaphizaret,* QVIS DE SE POSSIT ESSE SECVRVS? Inutita securitas est quæ inter discrimina se putat absque discrimine incedere, & inter media pericula ab omnibus periculis immunem. Volve in præterita secula oculos, & reperies innumeros sub falsa ista securitate fœdissimè cecidisse. Tantùm qui hæc legis, vide ne numerum augeas.

926. *Ne magnitudo reuelationum extollat me.* Tantus Apostolus ne extolleretur supra se, premi infra se indiguit, quis elationis impetus non timebit? *Nemo*, inquit B. Laurentius Iustinianus, de casto connubio, cap. 15. *Apostolo sanctior, & tamen de seipso ait sic. Ne magnitudo reuelationum extollat me, datus est mihi stimulus carnis mea Angelus Satana, qui me colaphizet. Quis vnum arbitraretur hominem vsque ad tertium raptum cœlum, imò in Paradisum, ibique arcana Diuinitatis audiisse verba, qua homini loqui non licet, cuius conuersatio propter amoris vehementiam, mentisque munditiam in cœlis erat; qui non ab homine, quod prædicabat, accepit Euangelium, sed per Iesu Christi reuelationem,* NE ELEVARETVR, *maniter supra se necessariò doceri habuisse per se de se? Non autem dubitandum est de tanto credere viro, quod ipse de se testatur.* NEMO TANTI SE ÆSTIMET, *vt quamuis charismatibus multis ornatus sit, absque disciplina documento, possit euadere.* Alioquin quò altius perfectionis culmen quis subiit, eò grauiorem lapsum debet pertimescere.

927. *Ne magnitudo reuelationum extollat me.* Nam si extulisset magnitudine ista non esset factus magnus Apostolus: incipit fieri minimus, qui ob dona intumescit etiam magna; quod ait, ne extollat, percussionis virtutem ostendit. Pulchrè Sanctus Gregorius præfat. in exposit. B. Iob c. 5. *Aliquando quisque non pro præterita culpa diluenda,* SED PRO FVTVRA VITANDA PERCVTITVR, *quod apertè Paulus Apostolus de semetipso testatur, dicens. Ne magnitudo reuelationum extollat me, datus est mihi stimulus carnis mea, Angelus Satana qui me colaphizet. Qui enim non ait: Quia* EXTVLIT, *sed,* NE EXTOLLAT, *apertè indicat, quod percussione illa ne eueniat compescitur, non autem quæ euenit culpa purgatur* Hinc discis lapsum anteuertendum esse, & summæ esse prudentiæ imminentibus malis antequam eueniant opportunè occurrere.

Extollat me. Itane timebat extolli Paulus, quis ab elatione tutus, cum ab ea muniendus fuerit Paulus? *Cum certaret*, inquit Sanctus Augustinus serm. 4. de verbis Apostoli; *ne extolleretur, timebat. In magnitudine, inquit, reuelationum mearum ne extollar. Videte in constitutione certantem, nondum in securitate triumphantem, In magnitudine reuelationum mearum ne extollar. Quis dicit, Ne extollar: O terror, ô tremor? Quis dicit ne extollar? Cum tanta eius verba sint* RETVNDENTIA ELATIONEM, COMPESCENTIA TVMOREM, ET DICIT NE EXTOLLAR. Scilicet timendum illi maximè est, qui sibi etiam superis Dei donis donatus non timet; & eò incautior est, quò est vel sanctitate, vel munere sublimior.

Stimulus carnis mea. Aliqui per hunc stimu- 928.
lum carnis, carnis tentationem intelligunt, seu carnis concupiscentiam, *quam dicunt*, inquit Dionysius Carthusianus, *grauius* INCITASSE APOSTOLVM POST *raptum, quam ante*; vt nemo se à carnis pugna tutum putet, cum Paulum extimulauerit etiam post raptum in tertium cœlum; Quis ergo se à suâ securum existimet, cum non fuerit Apostolus, licet in cœlum fuerit?

Stimulus carnis mea. Ex Græco legunt aliqui, *carni mea* idest in carne, nam mentem adeo hic stimulus non afficiebat, vt potiùs magis eleuaretur, & liberior esset. Egregiè ad hanc mentem Sanctus Chrysostomus hom. 52. quæ est in sanctum Eustachium, ait enim: *Scio equidem quesdam corporis infirmitatem esse arbitrari, sed non est illud, prorsus non est, verum Angelum Satana homines, qui aduersabantur appellat: illud enim Satan vox est Hebraica, porro Satan dicitur aduersarius; instrumenta ergo Diaboli, & eos homines qui ei famulantur, angelos eius appellat. Cur igitur dicet aliquis, additum est carni?* QVIA CARO FLAGELLABATVR; ANIMA VERÒ ELEVABATVR, *spe futurorum surrecta, non enim animam attingebat, nec interiores cogitationes supplantabat, sed intra carnem consistebant tormenta bellùmque, nec intus poterant penetrare; quoniam igitur hac concidebatur, hac flagellabatur, hac vincebatur, animam quippe ligare nemo potest, idcirco dicit, datus est mihi stimulus carnis mea, angelus Satana, vt me colaphizet, tentationes, afflictiones, persecutiones innuens*; Quæ quò maiores, eò altiùs mentem euehunt, si forti animo ferantur.

Superbiæ tumorem in reuelationibus timen- 929.
dum ex his Apostoli verbis colligebat Richardus Victorinus, cuius hæc sunt lib. 1. de erudit. inter. hom. cap. 4. *Quis nesciat quomodo* MAGNITVDO REVELATIONVM MENTEM INCAVTAM IN SVPERBIAM ELEVAT. *Dum Apostolus ipso de se ipso dicat. Ne magnitudo reuelationum extollat me, datus est mihi stimulus carnis mea angelus Satana qui me colaphizet. Sape etenim quidam adhuc* INTER IPSA DIVINARVM REVELATIONVM SPECTACVLA CONSTITVTI, QVOD APVD SEMETIPSOS TACITA MENTE SVPERBIVNT, *iam magna de se æstimantes, magni ab aliis æstimari dignum ducunt, iam quomodo & aliis innotescere valeant, sagaci sollicitudine perquirunt, iam inanis fauoris auram captant, & illam quam apud Deum habere consueuerunt, gloriam veram, in vanam commutant*; bis fatui, & amissione gloriæ veræ, & inanis inani acquisitione.

Qui me colaphizet. Olim libertate donando colaphus impingebatur, dum Satanas Paulum colaphizat, libertate donandum indicium est. Festiuè Rupertus in Exodum lib. 1. cap. 25.

Quando

Quando liberat · ista Dei gratia? tunc videlicet quando bellicosus animus post tētationes carnis, adhuc in corpore manens, consolationis spiritu demulcetur, & post colaphos, stimulantis Satanæ AVREA LIBERTATIS TORQVE DONATVR. Igitur pari gloriosum est, nec seruorum, sed eorum qui in libertatem vindicantur: Et vero si de carnis tentatione loquamur litteræ erit cohærentius si hæc verba, *vt me colaphizet*, ad ignominiam significandam producta dicamus; nihil enim pudorem magis homini afficiat, quam carnis bestiales motus pati.

931. Iustorum profectui vel Satanicus hostis est vtilis, & erudit quos tentat. *Erudiendos*, inquit Sanctus Petrus Damianus serm. 18. *electos suos Dominus sæpe tentatori subiicit; sicut post Paradisi claustra, post tertij cœli secreta, ne reuelationum magnitudine Paulus Apostolus extolli potuisset, ei Satanæ Angelus datus est; ecce qui Paradisi prius secreta considerat, ad semetipsum rediens contra carnis bellum laborat, legem aliam in membris sustinet, cuius rebellione fatigari spiritus legem docet. Post donationem ergo muneris Deus hominem probat: quia & collato munere sublevat, & abstracto paululum, ipsum* SIBI HOMINEM DEMONSTRAT. *Quod eo vsque proculdubio patimur, quo detersa funditus labe peccati, ad promissæ incorruptionis substantiam reformemur. Sed ipsa hac intentione disponitur, vt qui elati perire poterant,* HVMILIATI A PERDITIONE SERVENTVR, *quæ illis ab elatione imminebat.*

932. *Qui me colaphizet.* Quanta Dei virtus, & potentia est, vt Angelus Satanæ superbiæ sanandæ seruiat, qui inhalate superbiam solet, & de humilitatis suggestu homines deiicere? Pulchrè Sanctus Augustinus. *Quis dicit ne extollar? parum est quia dicit, ne extollar: videte medicamentum quod sibi dicit appositum, ne extollar, inquit, datus est mihi stimulus carnis meæ, Angelus Satanæ. O venenum quod non curatur nisi veneno! Datus est mihi stimulus carnis meæ Angelus Satanæ, qui me colaphizet. Caput cædebatur, ne caput extolleretur. O antidotum quod quasi de serpente conficitur, propterea theriacum nuncupatur: Serpens enim ille superbiam persuasit. Gustate, eritis sicut Dij, superbia persuasio est: vnde cecidit, inde deiecit,* MERITO ERGO VENENVM SERPENTIS DE SERPENTE SANATVR. Sic ille de verbis Apostoli serm. 3.

Qui me colaphizet. Sumptâ triumphantium similitudine hunc locum explicat Sanctus Hieronymus epist. 25. quæ est ad Paulam de Obitu Blesillæ. *Patitur.* (inquit) *& Apostolus aliquid, quod non vult, pro quo ter Dominum deprecatur, sed dicitur ei: sufficit tibi gratia mea, nam virtus in infirmitate perficitur, &* AD REVELATIONVM HVMILIANDAM SVPERBIAM MONITOR *quidem humanæ imbecillitatis apponitur in similitudinem triumphantium, quibus in curru retrò comes adhærebat per singulas acclamationes ciuium dicens: Hominem te esse memento.* Vix homo meretur vocari, qui hominem se esse non cogitat.

Propter quod ter Dominum rogaui, vt discederet à me.

933. PRopter quod. Ex Græco verti etiam potest, *propter quem* scilicet stimulum carnis Angelum Satanæ. *Ter Dominum rogaui.* Itane ter tantum orauit, vt à tam molesta tentatione liberaretur? An *ter* posuit pro frequenter: An sæpius non orauit, quia post tertiam orationem responsum à Domino habuit? An denique quia licet frequentius orauerit, ter expressè magisque deuotè, vt ait Sanctus Thomas, & instanter hoc petiit; tanquam illa oratio præcipuè in orationis censu numeranda, quæ magna deuotione fusa, magno affectu.

Sæpè clamauit Apostolus, & primum eius clamorem Deus audiuit, licet non nisi post tertiam orationem responsum dederit, Deum ita loquentem facit Sanctus Augustinus tract. 6. in epist. 1. B. Ioannis, hæc Pauli expendens verba: *Rogasti, clamasti, ter clamasti: ipsum semel quod clamasti audiui, non auerti aures meas à te, sed noui quid faciam, tu vis* AVFERRI MEDICAMENTVM *quo vreris: ego noui infirmitatem qua grauaris; ergo iste* AD SALVTEM *exauditus est,* AD VOLVNTATEM *non est exauditus.* Præstat vt nostræ voluntati renunciemus, dummodo nos ad salutem exaudiat qui est nostra salus.

Dominum rogauit, nec ægrè tulit quod repulsam tulerit. Notandum tamen non ideo Apostolum non fuisse exauditum, quòd malè peteret, aut malum, neque enim reprehensa à Deo fuit eius petitio, sed quia petebat aliquid, quod nesciebat sibi non expedire. *Bonus Dominus*, inquit Sanctus Hieronymus, *qui sæpè non tribuit, quod volumus, vt tribuat, quod mallemus.*

Ter Dominum rogaui. Ter rogat, nec obtinet quod postulat, vt nos eius exemplo disceremus, nihil esse homini tutius, quàm totum se diuinæ committere voluntati. *Paulus*, inquit, B. Laurentius Iustinianus de casto connubio, c.17. *ter Dominum rogauit vt stimulus ei carnis auferretur, nec exauditus est, quoniam nesciebat quid melius. Cognita igitur scientia commodi, & incommodi cæcitate, nil sanius, nilque consultius esse potest, quàm* VT QVISQVE TOTVM DIVINÆ SE COMMITTAT VOLVNTATI, *suum velle, suumque nolle ab eo dependere faciat, qui nouit omnia, & nihil eorum quæ fecit, odit.* Alioquin, vt ille ait, stulti se discipulum facit, qui se credit sibi ipsi.

Postulauit Paulus, & voti non est factus compos; ne animum despondeas, si cum aliquid petieris non obtineas. Audiendus hîc Sanctus Augustinus, qui in psal. 144. ait: *Petiit Iob tentandum Diabolus, & accepit. Attendite, fratres mei magnum mysterium, discendum, repetendum, tenendum animo, nunquam obliuiscendum, propter abundantiam tentationum in hoc sæculo. Quid dicam? ideò comparandus Apostolus Diabolo? Apostolus rogat, & non accipit, Diabolus petit, & accipit,* SED NON ACCEPIT APOSTOLVS PROPTER PERFECTIONEM SVAM, *accepit Diabolus ad damnationem suam.* Adeo vt inter occulta Dei beneficia numerandum sit à Deo in oratione aliquando non exaudiri; quod luculentius probaui in opusculo illo, quod de occultis Dei beneficiis est.

Pauli exemplo ferendum æquo animo, si, 934
quum oramus, quod non expedit, exaudimur potiùs ad vtilitatem, quàm ad votum Præclarè rem versat B. Laurentius Iustinianus serm. in Fest. Sanct. Iacobi, inquiens: *De Paulo quid referam, qui, quod petiit, obtinere non valuit? Vas quippe electionis erat: vsque ad tertium cœlum raptus, arcana Dei, quæ homini loqui non licet, audierat:*

quod

quod predicabat Euangelium, Christo reuelante didicerat: & tamen reuelationum magnitudine, ne supra se eleuaretur inaniter, carnis propria colaphizabatur aculeis. Istos autem dum pateretur inuitè, vt ab his liberaretur, ter deprecatus est Dominũ. Suũ igitur non auditus ad votum (quoniam eidem sic expedire sciebat) Iesum sibi dicentem audiuit: sufficit tibi, Paule, gratia mea, nam virtus in infirmitate perficitur. DISCE, QVI ORAS, NON INDIGNARI CONTRA DOMINVM, SI NON EXAVDIRIS DVM POSTVLAS. *Apostolorum vtique, & Prophetarum erudiris exemplo: qui, quamuis amici Dei, quanquam essent sanctitate conspicui, tamen, quod inconsultè petebant, accipere nequierunt. Orationem ergo tuam formet necessitas, humilitas ditet, & spiritus flagitet.* Sicque æquanimiter feres, si quod postulas in oratione non obtineas.

935. *Ter Dominum rogaui.* Non erubescit Apostolus fateri, se Dei auxilio indiguisse, & ferendis tentationibus imparem; quod expendens S. Chrysost. hom. 26. in epist. 2. ad Corinth. ait, *Propter quod ter Dominum rogaui. Hoc est sæpenumero,* IDQVE SVMMÆ HVMILITATIS *argumentum est, non celare quod ferendis insidiis impar esset, grauitérque laboraret; atque vt liberaretur, preces ad Deum adhibendæ ipsi essent.* Quod illorum temeritatem arguit, qui discrimini se potius exponunt, quam vt imbecillitatem suam fateantur, alienúmque auxilium humiliter postulent.

Et dixit mihi: sufficit tibi gratia mea.

AC si diceret: non est tibi expediens quod petis, ad hoc malum sufficit tibi gratia Dei; hinc aliqui putant, per totam vitam hoc carnis stimulo Paulum laborasse; vt illius vtilitatem semper sentiret, cum à Deo tanquam cœlesti medico esset. Peritè, vt solet S. Aug. in psal. 21. *Clamauit Paulus, vt auferretur ab eo stimulus carnis, & non est exauditus, vt auferretur: & dictum est ei, sufficit tibi gratia mea, nam virtus in infirmitate perficitur, ergo non est exauditus, sed non ad insipientiam, sed ad sapientiam, vt intelligat homo medicum esse Deum, &* TRIBVLATIONEM MEDICAMENTVM ESSE AD SALVTEM, *non pœnam ad damnationem: sub medicamento positus vreris, secaris, clamas: non audit medicus ad voluntatem, sed audit ad sanitatem.* Quam fatuus, qui hoc medicamento indigens illud respuit, quin damnat insuper cœlestis medici peritiã, illud opportunè exhibentis.

Sufficit tibi gratia mea. Satis hoc habuit Paulus, adeò vt perfectè diuinæ voluntati acquieuerit, dans suæ repudium. S. Chrys. serm. 8. de diuersis noui Testamenti locis hæc verba expendens ita scribit: *Multis obsidebatur periculis Paulus, & orabat ne periculis obiiceretur. Audiuit ergo Christum dicentem; sufficit tibi gratia mea: virtus enim mea in infirmitate perficitur: postquam igitur,* QVÆNAM ESSET DEI VOLVNTAS, AGNOVIT, TVM VOLVNTATEM SVAM DEINCEPS DEI VOLVNTATI SVBIECIT. O idem à nobis fieret, nec nostram voluntatem diuinæ præferremus.

SECTIO IV.

936 *Dei virtus, & potentia, in nostra imbecillitate maximè declaratur.*
936 *Cùm virtus opprimitur, tunc fit maior.*
Nouarin. in Epist. Pauli.

937 *Optanda infirmitas, & imbecillitas, quæ Christi virtute compensatur.*
938 *Spontè & libenter dura ferenda sunt.*
938 *Infirmitas, virtutis officina.*
939 *In Infirmitatibus gloriari quàm eximia res sit.*
940 *Infirmitatis, & ægritudinis vtilitates.*
940 *Carnis imbecillitas mentis vigorem exacuit.*
941 *Paulus in infirmitatibus sibi placuit, non in virtutibus.*
941 *Consummatur carnis infirmitate animæ fortitudo.*
942 *Fortitudo nostra à Deo est.*
942 *Carnis infirmitas ad profectum spiritus facit.*
942 *Christianus tunc vincit, cum perdere putatur.*
943 *Carnis debilitas ad spiritus firmitatem facit.*
943 *Infirmitas corporis, sobrietas mentis est.*
943 *Carnis debilitate spiritum reddi fortiorem, scitâ explicatur similitudine.*
944 *Infirmitatis afflictio, virtutum mater.*
944 *A carnis imbecillitate vt vera fortitudo sit.*
944 *Malorum doctorum ratio minimè habenda.*
945 *Patientia signis prælata.*
946 *Alienam salutem quærere, & sua commoda, vix cohærent.*
946 *Vbi mali intumescunt, ibi demittunt se boni.*
946 *Digni luctu sunt qui Deo sunt mortui, non qui virtutibus onusti hinc abeunt.*

Nam virtus in infirmitate perficitur.

936. VIrtus. Hoc loco *virtus* potentiam, & vim significat cum sit Græcè *Δύναμις*, est ergo sensus; non expedit tibi stimulum illum carnis à te auferri, quia potentia gratiæ meæ maximè declaratur in infirmitate, vt de virtute Dei sit sermo, inde aliqui legunt; *virtus mea*, S. Chrysostom. hom. 1. ad populum hunc locum ita illustrat: *Virtus mea in infirmitate perficitur; tunc mea, inquit, potentia demonstratur,* QVANDO VOS IN IMBECILLITATE ESTIS, ET PER VOS QVI VIDEMINI ESSE DEBILES, *prædicationis verbum augetur, & vbique dispergitur; quando igitur in carcerem, innumeris susceptis verberibus deductus fuit, carceris custodem vinxit.* Sicut & è conuerso Dei virtuti multum is detractum, qui fortitudinem suam, suam firmitatem inanissimè iactat.

Virtus in infirmitate perficitur. Nimirum cum opprimitur, tunc fit maior. Rem Apostolorum exemplo sic explicat Sanctus Isidoros Pelusiota lib. 3. epist. 182. *Quonam pacto virtus in infirmitate perficiatur, paucis exponam. Quando quidem enim Apostoli cùm flagris cæderentur, eos, à quibus*

Accipiens stipendium ad ministerium vestrum.

893. ACcipiens stipendium ad ministerium vestrum. Cur non potiùs se dixit propriis manibus sibi victum comparasse, & non quòd ab Ecclesiis stipendium accepisset? An quia, vt ait Caietanus, hoc pseudo-apostoli crimini Paulo dabant, quòd propriis manibus operaretur, tanquam non haberet potestatem sicut cæteri Apostoli stipendia accipiendi sui ministerij? An etiam vt aliarum Ecclesiarum exemplo Corinthios diuites, sed auaros, ad æmulationem prouocaret. Sed cur à Corinthiis non accepit? S. Thomas in epist. 2. ad Corinth. cap. 1. *Quia* AVARI ERANT, *vnde ne contristaret eos, noluit ab eis recipere sumptus*; sic enim fructus spiritalis, quem ab illis sperabat, fuisset magna ex parte imminutus; parum boni ab auaris speres si quicquid ab illis bonorum exsculpas.

Ipse enim Satanas transfigurat se in Angelum lucis.

894. AC si diceret: Non est mirum quòd homines se in Apostolos Christi transfigurent, cùm eorum magister Satanas personam boni Angeli assumat, vt nos decipiat. Satanæ nimirum imitatores mali homines sunt, & facilè faciunt, quod vident ab eo fieri. De hoc Satanæ, & ministrorum eius nexu hæc habet S. Dorotheus Abb. doctrina 10. *Sæpe virtutem laudat vt aliquem ad se alliciat: neque enim vna malitia est, vna conditio, diabolus ipse non potest interdum* FALLERE NISI VIRTVTEM ADVMBRET, *nisi (vt ait Apostolus) transfiguret se in Angelum lucis; haud mirum igitur, si & ministri eius transfigurant se in ministros iustitiæ.* Illi quoque se in Angelum lucis transfigurant, qui simulatæ pietatis veste iniquos mores, veréque Satanicos tegunt. S. Hieronymus epist. 48. quæ est ad Sabinianum, ita loquitur: *At tu infelix transfigurabas te in Angelum lucis; & minister Satanæ*, MINISTRVM IVSTITIÆ SIMVLABAS. *Sub vestitu ouium latebas lupus, & post adulterium hominis adulter Christi esse cupiebas.*

In quo quis audet (in insipientia dico) audeo & ego.

895. IN *insipientia dico.* Infirmum se facit, vt sanet infirmos. S. Ambrosius hîc legens. *In insipientiam*, addit. *In insipientiam ergo dicit audere se in eo quod audent y qui se iactant, eo quòd sint filij Abrahæ, vt gloriam eorum inaniat, imprudentem se pronunciat, ne illi prudentes viderentur in hac parte, aut nobiles.*

In insipientia dico. Verba iactantiæ euertendæ apta. *Considera*, inquit S. Chrysostomus hom. 11. in Genesim; *piam animam, non solùm audet, sed & insipientiam rem eam vocat: docens & nos ne vnquam citra necessitatem; & nullo vrgente, quæ à nobis facta* SVNT EVVLGEMVS, *siquidem aliqui ex nobis inueniantur, qui bonum aliquod sunt operati.*

Ministri Christi sunt, vt minùs sapiens dico, plus ego.

NOn producit in medium Paulus miracula, quæ fecerat, mortuos quos suscitauerat egregia quæ præstiterat facinora, sed his omissis, quæ mala sit perpessus recenset, tanquam in his magis gloriaretur quam in illis. Eleganter S. Chrysost. epist. 3. *Paulus se iactans, non ob id tantùm gloriatur, quòd boni aliquid ac præclari gesserit, sed etiam quòd malis affectus sit. Cùm enim dixisset, Ministri Christi sunt (vt minùs sapiēs loquor) plus ego, atque quanto eis superior, ac præstantior esset, ex comparatione demonstrare studeret, non dixit, tot & tot hominibus Dei verbum prædicaui* VERVM OMISSIS IIS, QVÆ EX VIRTVTE GESSERAT, MALA EA, QVÆ PERPESSVS EST, *enumerat, his verbis vtens: in laboribus abundantiùs, in plagis supra modum, in carceribus abundantiùs, in mortibus frequenter; vidésne perpessionum seriem, ac gloriandi occasiones?*

In mortibus frequenter.

IN *mortibus frequenter.* Itane frequent? etenim quid semel solutum morti tributum, iterum solui potest? An mortes vocat moriendi pericula, aut etiam proposita? S. Chrysost. hom. 11. in Genesim: *In mortibus frequenter; quid dicis? Est hoc rarum, & admirabile, quod à se dicitur, estne possibile, vt quis sæpe moriatur? etiam, inquit, quamuis non mortis experientiâ*, ATTAMEN MORIENDI PROPOSITO, *docens nos, quòd subinde se illis exposuerit mortiferis periculis, ob prædicationem, sed Dei gratia in mediis periculis athletham seruauit, quò discipulis magis prodesset.* 896.

A Iudæis quinquies, quadragenas vna minus accepi.

QVinquies se flagellis cæsum Hebræorum asserit Apostolus. Sed cur Lucas, qui res Pauli recensebat, nullius meminit flagellationis? *Ideo videlicet*, inquit Estius hîc, *quod de Paulo ferè ea sola, quibus ipse præsens fuit, sigillatim recenseat; alia verò vel silentio pertranseat, vel summatim ac breuiter referat; vt interdum tribus verbis complurium mensium atque etiam annorum res gestas perstringat.* Addit statim quod in exemplum ire debet: *Qua in re notanda humilitas Pauli, qui suas tot &* TAM GRAVES PRO CHRISTO PASSIONES LVCÆ COMITI SVO NON APERVERIT, *ne hîc quidem recitaturus, nisi coegisset eum amor salutis Corinthiorum.*

Ter virgis cæsus sum.

ROmano scilicet more, quorum erat nocentes virgis cædere. Sed cur non se ciuem Romanum Paulus dixit, vt se à virgarum ictibus eximeret? *Responderi potest* (inquit hîc Estius) *quòd id non putauit faciendum, nisi gloria Dei, & salutis Ecclesiæ hoc videretur postulare: nam vtique Act. 16. virgis cædi se permisit, nec Romanum se declarauit, nisi posterâ die, quando Magistratus iubebat eum dimitti. Quòd si initio dixisset se ciuem Romanum, non fuisset* OCCASIO CONVERTENDI AD FIDEM CHRISTI CVSTODEM CARCERIS CVM TOTA DOMO. Vt videas alienam salutem propriis commodis prætulisse. 897.

Nocte, & die in profundo maris fui.

IN profundo maris se fuisse Apostolus asserit. Petrum contra, supra maris vndas scimus ambulasse.

ambulasse. In hac re vix Petrum Paulo prætulerim, non minùs apud Deum pro Deo maris fluctus pati, quàm diuina potestate maris vndas calcare. *Petrus*, inquit Sanctus Augustinus serm. 29. de Sanctis, *ambulare super aquas debitâ soli Deo potestate præsumpsit, & rerum obstante naturâ, per insueti itineris nouas vias pendulum inferens gressum, tumentia maris dorsa calcauit: sed non minor Paulus, qui sicut ipse de se dicit, nocte, & die in profundo maris fui. Non minor inquam, Paulus, quem velut noui Testamenti Ionam, die ac nocte per maris profunda iactatum absorbuit fluctus, & reddidit, quasi sacrum depositum violare non audens*, QVIA FAMVLATRIX EVM VNDA CVSTODIENS ILLÆSVM POPVLORVM PRÆDICATIONIBVS RESERVABAT.

898. Ex his quæ Paulus pertulit malis, quid boni retulerit Ecclesia Dei, quis dignè explicet? Cadunt hîc optimè quæ habet S. Ambrosius in Psalm. 43. *Multa Sanctus Paulus, & cæteri Apostoli pertulerunt, cùm cæderentur virgis, cùm lapidarentur, cùm in carceres traderentur. Illâ enim tolerantiâ iniuriarum, & vsu periculorum Domini fundatus est populus*, ET ECCLESIA INCREMENTVM EST CONSECVTA, *cùm cæteri ad martyrium festinarent, videntes per illas passiones nihil Apostolorum decessisse virtutibus, sed etiam propter hanc breuem vitam immortalitatem illis esse quæsitam.* Sicque factum vt maior esset Ecclesiæ nitor, quò fœdius in illa, in illius gloriam Dei cultores cædebantur.

Sectio II.

Nouarin. in Epist. Pauli.

Periculis latronum, periculis ex genere, periculis ex gentibus, &c.

PERICVLIS *latronum.* Qui vacuus incedebat, timere latrones non poterat; sed Diabolus contra illum illos excitabat. *Cum in ciuitate*, inquit hîc S. Ambrosius, *diabolus eum occidere non posset*, LATRONES ILLI EXCITABAT IN VIA, *cum nihil ferret quæ latrones cuperent.* 899.

Periculis latronum. Et qui latrones timere poterat, qui vacuus omninò erat, terrenisque diuitiis destitutus? pericula à latronibus illis imminent qui auro, & argento onusti sunt, & terrenis opibus obruti sunt. Tu, Paule, solis illis diuinis plenus, quæ auferri non possunt: Quid nobis latronum pericula narras? Latrones non timebat Paulus, quòd opibus, & marsupio timeret, sed quia infestos latrones habuit in Euangelij prædicatione, quæ illi omni thesauro ditior erat: *Periculis latronum*, inquit Lyranus, *Diabolo eos incitante vt prædicationem eius impediret*, paulò aliter Estius hîc dum ait: *Periculis latronum, in quos inciderat iter faciens. Horum meminit, non quòd latrones ipsum inuaserint, propterea quod Christum prædicaret, nam nec mare, aut flumina ei nauiganti infesta fuerunt propter Euangelium: sed idcircò hæc commemorat, inquit post Chrysostomum Theophylactus, quia Euangelij causa molestas, & periculosas profectiones susceperat, vt proinde meritò gloriaretur se hæc omnia pro Christi ministerio pertulisse, seque per ea declarari verum, & insignem Christi ministrum.*

Periculis in falsis fratribus. Postremo hoc periculum loco posuit, quod magnitudine numeres inter prima. Certè difficilius caueri potest, nec citò transit, vt alia. Scitè S. Anselmus: *Cætera pericula quiescere possunt*: PERICVLA VERO A FALSIS FRATRIBVS *quiescere vsque in finem sæculi non nouerunt.* Desint aliorum periculorum causæ, vix desinunt pericula, quæ à falsis fratribus sunt.

Variis agitatum se periculis asserit Paulus, sed 900.
in nullis fuit victus, vbique victor fuit, vnde iure illum efferebat S. Chrysostomus hom. 25. in epist. 2. ad Cor. *Quemadmodum si scintilla ignis quædam, qui extingui nequeat, in mari prolapsa, incursantibus multis fluctibus pessum eat, rursùsque splēdida emergat; ad eundem quoque modum Beatus Paulus nunc quidem periculis velut conflabatur, nunc vero ex ipsis emersus nitidior, ac splendidior ascendebat, eo ipsò quod vexabatur*, VICTORIAM REFERENS. Nimirum vbique sui similis, vbique Paulus fuit, & patuitas ad nudum fuit nomen reducta.

Quis infirmatur, & ego non infirmor?

QVis *infirmatur, & ego non infirmor?* Firmæ pietatis infirmitas ista est. BEATA *anima*, inquit ad hæc verba Sanctus Petrus Damianus serm. 27. QVÆ OMNIVM MISERIAS SVAS FECERAT, *vt omnes lucrifaceret. Hoc affectu nauigat mare, currit in Hierusalem, lapidatur, verberatur, affligitur, inde currit ad Ephesios, Corinthios quærit, circuit. Colossenses, Philippenses visitat, reuertitur ad Romanos, misericordiam spargit, vbique diffundit pietatem, & cælestium seminat semina gaudiorum.*

901. *Quis infirmatur, & ego non infirmor?* Quo firmior in aliquo charitas est, eo magis infirmatur, cùm alij infirmantur. Pulchrè Sanctus Augustinus in Psal. 48. ad hæc verba. *Quis infirmatur*, inquit, *& ego non infirmor? Quis scandalizatur, & ego non vror?* QVANTO MAIOR CHARITAS, TANTO MAIORES PLAGÆ DE PECCATIS ALIENIS. Feruorem, qui Pauli pectus corripiebat hæc verba loquuntur. Præstat sistere quæ in hanc rem habet Elias Cretensis comment. in orat. 1. Sancti Gregorij: *Si quispiam*, inquit, *vnam duntaxat domum regens, ne respirandi quidem facultatem habet, quo animo Apostolum fuisse verisimile est, inter tot pericula totius orbis terrarum curam gerentem*, ET QVIDEM CVM TANTO ANIMI FERVORE? *Quis enim*, inquit, *infirmatur (quamcumque tandem infirmitatem quispiam dixerit, siue animi, siue corporis) & ego non infirmor? Quis scandalizatur, & ego non vror, ac totus deflagro?*

Infirmari cur se prius Paulus dixit, quam vri? An vt correctionis zelo compassio substerneretur? Benè Cardinalis Hugo in c. 34. Genesis? *Notandus*, inquit, *est ordo, primò dicit Apostolus, quis infirmatur, & ego non infirmor? ecce compassio peccatoris: & postea: quis scandalizatur & ego non vror? ecce correctionis zelus, qui debet sequi compassionem, nam compassio sine zelo correctionis remissum facit Prælatum, & zelus sine compassione seuerum.*

Quis scandalizatur, & ego non vror?

902. E*T ego non vror.* Sua inest *Vrendi* verbo vis. *Attende*, inquit hîc S. Thomas, *quod congruè vtitur hoc verbo, Vror: quia compassio procedit ex amore Dei & proximi, qui est ignis consumens, dum mouet ad subleuandas miserias proximorum, & purgat ex affectu compassionis*, PER QVEM NOBIS PECCATA RELAXANTVR, sicque multis bonis cumulatur, qui ob aliena mala dolore conficitur.

Et ego non vror. Nimirum quò quis perfectior est, eò perfectiùs aliorum dolores sentit, imperfectiorum lapsibus afficitur. Scitè S. Gregorius: *Infirmorum damna, ad corda fortium per compassionem transeunt, vnde per Paulum dicitur. Quis infirmatur, & ego non infirmor? quis scandalizatur, & ego non vror?* TANTO ENIM QVISQVE PERFECTVS EST, QVANTO PERFECTE SENTIT DOLORES ALIENOS, sic ille lib. 19. moral. cap. 8.

903. *Et ego non vror*, cur non dixit, *& ego non scandalizor*, sicut superiùs dixerat, *& ego non infirmor?* Nodum soluit Estius, *quia*, inquit, *scandalizari non sic in bonam partem intelligi potest sicut infirmari, dicitur enim mater & nutrix infirmari cum infante, & Medicus cum ægroto, quia ad eius infirmitatem se demittit, eique se se accommodat, per commiserationem, & tolerantiam infirmitatis, at scandalizari non dicitur qui cadentibus condolet aut condescendit, sed qui similiter impingit & cadit.*

Verbi vrendi vim qua vtitur Paulus ita Pauli cultor expendebat Sanctus Chrysostomus hom. de Sancto Romano. *Quis*, inquit, *infirmatur, & ego non infirmor? quis scandalizatur, & ego non vror? dixit* VRENDI VERBO *summum nobis dolorem volens ostendere.* Et hom. 11 in Genesim eiusdem verbi vim expendens. *Considera quæso verborum latentem vim & emphasim; non dixit, quis scandalizatur, & ego non contristor? sed* VROR, *inquit, intensum nobis dolorem declarans: quasi demonstraret, quòd intrinsecùs accenderetur, & vreretur pro his qui offendebantur.*

Et per fenestram in sporta demissus sum per murum, & sic effugi manus eius.

D*Emitti per fenestram se permisit, ne maiora & plura patiendi fenestra illi clauderetur: nec enim fuit talis fuga à mortis timore, id quod notauit Sanctus Gregorius lib. 2. Dialogorum, cap. 3. vbi hæc in hanc sententiam habet: *Ille quoque egregius prædicator, qui dissolui cupit & cum Christo esse, Cui viuere Christus est, & mori lucrum, qui passionum certamina, non solum ipse appetiit, sed ad toleranda hæc & alios accendit. Damasci persecutionem passus, vt posset euadere murum, funem sportamque quæsiuit, seque latenter deponi voluit. Nunquid non Paulum mortem timuisse dicimus, quam se ipse pro amore Iesu testatur appetere? Sed cum in eodem loco minorem sibi fructum adesse conspiceret, & grauem labore* AD LABOREM SE ALIBI CVM FRVCTV SERVAVIT, *fortis etenim præliator Dei teneri intra claustra noluit, certaminis campum quæsiuit.* 904.

A fratribus se in sporta demissum dicens, indicauit fratres remansisse, qui curam Ecclesiæ gererent, adeo vt illorum consilio se omnium vtilitati fugiendo seruaret. *Numquid*, inquit Beda in cap. 12. epist. 2. ad Corinth. *quando Apostolus Paulus, ne illum comprehenderet inimicus, per fenestram in sporta summissus est, & effugit manus eius, deserta est quæ erat ibi Ecclesia, necessario ministerio, & non ab alijs fratribus ibidem constitutis, quod oportebat impletum est? Eis quippe volentibus hoc Apostolus fecerat, vt se ipsum* SERVARET ECCLESIÆ, *quem propriè persecutor ille quærebat.* 905.

Fugam Paulus arripuit, ne Euangelij prædicandi occasio illi surriperetur; fugit vt portare in totum Orbem Euangelium posset, & Christi fidem. Sanctus Ambrosius lib. de fuga sæculi, cap. 9. ita scribit: *Fugit Paulus vt euaderet per fenestram in sporta demissus (sparton enim triplex rumpi non posse nouerat) sed fugit vt* EVANGELIVM DOMINI TOTO ORBE PRÆDICARET,

Demitti se passus est Paulus, & à periculo se subduxit, quia nullum sui periculi fructum videbat, alioquin si animarum lucra fecisset, nullum pertimesceret discrimen; quod in hunc modum euincit S. Isidorus Hispalensis lib. 1. c. 23. *Vir Sanctus vltro se pro agone certaminis debet offerre iustitiæ; sed tamen agonis fructum videns vberrimum, non debet declinare laboris periculum: quod si maior est labor, quam animarum lucrum, declinandus est labor, quem minimum comitatur augmentum; vtrumque enim fecit Apostolus, qui & periculis se vltro dedit, vbi maximum animarum lucrum vidit, & sapienter se periculo abstulit, in quo potiorem laborem*, QVAM LVCRVM ESSE PERSPEXIT. *Vltrò se Paulus apud Ephesum periculis obtulit;* QVIA POTIVS PERICVLO LVCRVM VIDIT. *Damasci autem ideò periculo subtraxit semetipsum, quia nullum periculi ipsius arbitratus est fructum.* 906.

Et sic effugi manus eius. Non timet fugam suam publicare; nec notã animi magnitudini inustam credit & fugisse, & fugã monumẽtis consignasse. Gloriari de fuga ipsa potest, qui in ipsa fuga Dei gloriã spectabat, Diuinæ volũtati obsequebatur, 907.

baior, quæ ad maiora certamina eum destinauerat. *Et sic effugi manus eius.* Hominum vsus est auxilio vt ab hominum se manibus & crudelitate subduceret. *Patet ergo*, inquit B. Laurentius Iustinianus, NON ESSE CONTEMNENDVM HVMANVM AVXILIVM, QVANDIV ORDINATE ET CONGRVE HABERI POTEST. *Vnde Deus qui Paulum vsque ad tertium cælum rapuit, poterat eum aliter liberare à præditis manu Præpositi: quàm per fenestram & sportam: sed sic eripuit, vt instruamur non deserere humana præsidia, nec sine necessitate ad solum Dei consolare auxilium.*

908. Licet in hac fuga diuinæ prouidentiæ arcana conspicere, qui hominem homini reliquit, ne se super se efferat, molia naturæ limites excedentia operans. Rem sic deducebat Sanctus Gregorius. *Per fenestram in sporta demissus sum per murum, & sic effugi manus eius. Cui licenter dicam: O Paule in cælo iam Iesum conspicis, & in terra adhuc hominem fugis: in Paradisum duceris, secreta Dei verba agnoscis, & adhuc à Satanæ Angelo tentaris: vnde sic fortis vt ad cælestia rapiaris: vnde sic infirmus, vt in terra hominem fugias, & adhuc à Satanæ Angelo aduersa toleres: nisi quia ipse, qui te subleuat, rursum subtilissimâ te mensura moderatur: vt & in miraculis tuis nobis prædices virtutem Dei, & rursum in timore tuo* REMINISCI NOS FACIAS INFIRMITATIS NOSTRÆ. Sic ille lib. 19. Moral. cap. 8. sic & sua fortitudine, & sua infirmitate omnes erudire Apostolus potuit, & fortes infirmitate ipsa omnes reddere.

CAPVT XII.

EPISTOLÆ SECVNDÆ ad Corinthios expenditur & illustratur.

SECTIO I.

909 *Visiones suas Domino adscribit Paulus, sibi infirmitates.*
909 *Plusquam homo videtur esse, qui sua facinora scit silentio premere.*
910 *Peccata memoriæ retinenda: obliuioni tradenda, quæ ad laudem faciunt.*
911 *Nemo reuelationibus extollatur.*
911 *Laudabilis obliuio sui.*
912 *Paulus à iactantia immunis, etiam se efferens, vt esset.*
913 *Pauli Apostolatum in cælo consecratum aliqui putant.*
913 *Qui in cælo versatur, labores minimè fastidiat.*
914 *Charitatis ignis vt Paulum extulerit.*
914 *In cælestia exemplo Pauli nos quoque debemus ferri.*
915 *In cælum raptus cur potiùs sit dictus Paulus quàm ductus.*

Veniam autem ad visiones & reuelationes Domini.

VIsiones non suas, sed Domini vocat; qui tamen infirmitates vocauit suas. SIBI INFIRMITATES inquit S. Hieronymus, DOMINO VISIONES *adscribit*; licet & istæ immissæ à Deo fuerint, & illæ missæ. 909.

Scio hominem in Christo ante annos quatuordecim.

SCio hominem. Plusquam homo videtur, dum tandiù distulit referre, quod ad eius laudem faciebat, & fecit coactus. Sed mirum, cum posset plures reuelationes in medium afferre, vnam istam protulit; qui tamen tam effusus in suis malis declarandis erat.

Ante annos quatuordecim. Tempus apposuit, vt 910.
à temporis diuturnitate disceres non fuisse à laudum cupiditate, quòd ea protulit, quæ ad eius laudem faciebant. Non potuisset tandiù expectare iactantiæ lue correptus, nec intra silentij limites se cohibere. Vtiliter totum hunc locum versat S. Chrysost. serm. 16. de diuersis noui Testamenti locis, vbi ita scribit: *Vide quamobrem nunc tempus nominatim apponit, sic dicens: Scio hominem antè annos quatuordecim raptum vsque in tertium cælum, vt tu discas. quod ne tum quidem dixisset, nisi multam vidisset necessitatem imminere.* NAM SI ANIMO SEDISSET PROPRIAS ALIQVANDO PRÆDICARE LAVDES, *factam visionem tam obstupendam continuo prodidisset, aut primo, aut secundo, aut tertio anno; modò ad annum quartumdecimum tacitò suppressit. Neque cuiquam aperuit, præterquam solis Corinthiis: & tum potissimum quando falsos mendacésque apostolos suboriri vidit; nimirum vt ostenderet, ne tum quidem fuisse animum dicendi, si non obseruasset luem illam pessimam in discipulos grassari. At nos non item. Contrariâ ratione prorsus nitimur; ne vnius quidem diei,* QVA PECCAVIMVS, *tenemus memoriam: imo referentibus indignamur, grauitérque succensemus, & perquam moleste suscipimus, conuicij loco ducimus, mille contumeliis retaliamur: cæterum si quid benefecimus, quantulumcunque fuerit, latissimè prosequimur.* Et hoc ipso laude indigni magis reddimur, quo incautius quæ ad laudem nostram faciunt prædicamus.

Qui annos quatuordecim tacuit, ostendit se 911.
post eos necessitate quadam dixisse, quod indicauit potiùs quam dixit. Præclarè S. Ambrosius in psal. 36. *Ante annos quatuordecim reuelatum sibi dicit, & tamen reuelationem tandiu apud se tenuit, & repressit: nec dixisset, nisi vtile nobis iudicasset, vt diceret,* NE NOS REVELATIONIBVS EXTOLLEREMVR: *Si enim in tanta gratia non est gloriatus Paulus, nec nos gloriari oportet, Iuuenis iste non gloriatus est, senex gloriaretur?* Tanta silentij diuturnitate eos arguens, qui sua nequeunt supprimere, et statim in vulgus spargant si quid a munifica Dei accipiunt manu.

Siue in corpore, siue extra corpus, nescio: Deus scit.

SIue in corpore, siue extra corpus, nescio, Deus scit: Felix qui huc eo modo quo potest euadit

sui nimirum perfecta obliuione; nam vt ait Richardus Victorinus tract. de gradibus violentæ charitatis, *animi* SVI PENITVS OBLITA *veraciter dicere potest, siue in corpore, siue extra corpus, nescio, Deus scit*; quæ ita se sinit rapi, rapit, in o facilè obtinet, quicquid cupit, licèt nihil cupiat nisi Deum ipsum.

Nescio. Nimirum ignorantiam potiùs suam iactat quàm gloriam; certè ignorantiam suam narrationi suæ miscuit, ne videretur aliquo iactantiæ æstu correptus hæc efferre; *Raptum se*, inquit Sanctus Ambrosius in psal. 36. *vsque ad tertium cælum negare non potuit: Et tamen vtrum in corpore, an extra corpus raptus esset, se ignorare testatus est.* NON ERGO OB SCIENTIA, SED DE IGNORANTIA GLORIATVR, *& Dei circa se gratiam predicat. Quod scientiæ est, negat: quod charitatis est, confitetur.*

Nescio. Nesciebat an esset in corpore, quia corporis vsum non sentiebat in cœlum raptus. Præclarè Sanctus Ambrosius enarrat. in cap. 52. Isaiæ: *Paulus raptus vsque ad tertium cælum, cum corpore esset, an sine corpore esset, nesciebat, raptus inquam in Paradisum,* VSVM PROPRII IAM NON SENTIEBAT CORPORIS, *& audiens verba Dei, quodammodo ad corporis infirmitates descendere erubescebat.*

Raptum huiusmodi vsque ad tertium cælum.

913. R*Aptum huiusmodi vsque ad tertium cælum.* In cœlo consecratum in Apostolum aliqui censent. Sanctus Anselmus in cap. 1. epist. ad Galatas expendens producta verba ait; HVIVS APOSTOLATVS CONSECRATVS EST IN COELO, *cæterorum autem in terra; electusque est per Christum non mortalem sicut prædecessores Apostoli, sed resuscitatum* atque adeo immortalem.

In cœlum raptus, in terram descendit Paulus: Sed quid in cœlo didicit, numquid labores fastidire, numquid otio torpere; quin potius vt ad dura ardentius prosiliret, & promptius sanguinem pro Deo funderet. *Descendit Paulus iterum*, inquit Sanctus Cyrillus Ierosolymitanus, *non quod dignus non esset conuersatione cælesti, sed vt gustatis super cœlestibus, honoratus descendens Christum prædicaret, & pro ipso moriens corona martyrij potiretur.*

Raptum se dicit, nec enim ire potuit, cum ad ea quæ naturæ limites excedunt vi superioris agentis eleuatus fuerit? Hinc illud Richardi Victorini part. 1. de præparat. animi cap. 74. *Si aliqua argumentatione adiri potuisset lumen illud diuinum, vtique inaccessibile non fuisset. Denique Apostolus gloriatur*, AD ILLVD SE NON QVIDEM ISSE, SED ABSQVE DVBIO RAPTVM FVISSE: *Scio, inquit, hominem, siue in corpore, siue extra corpus, nescio, Deus scit, raptum huiusmodi vsque ad tertium cælum.*

914. Rapuit Paulum in cœlum Deus, extulit & charitatis ignis, quo æstuabat. Sanctus Chrysostomus lib. 2. de compunctione cordis cap. 2. *Hic inquit ignis in anima Pauli per dies singulos flante Spiritu sancto magis ac magis accendebatur, & ad superna tendens, secum eum vsque ad ipsum perduxerat cælum: imò, vt verius dicam, imposuerat eum non vsque ad secundum, sed vsque ad tertium. Et ipse quidem vsque ad tertium raptus est cælum: amor autem eius &* DESIDERIVM QVOD HABEBAT ERGA CHARITATEM CHRISTI, *non solum tres penetrauerat cælos, sed & omnes omnino transcenderat, & vsque ad ipsum peruenerat Christum.* O nos idem ignis corriperet, & totos combureret!

Exemplo Pauli nos quoque in cœlum, in cœlestia debemus ferri, si non corpore, saltem mente; hac tamen cautione, ne animi elatio nos in terram deiiciat. Opportunè Sanctus Gregorius Nazianzenus orat. 26. vbi huc spectans ait. *Ascendat ille ac deducatur, atque à mente feratur, vel ad tertium vsque cælum, si ita libeat, quemadmodum Paulo contigit: cæterum cum ratione & scientia, ne propter animi elationem cadat, pennisque propter* VOLATVS SVBLIMITATEM *liquefactis, miserè corruat.*

Non suo pondere est destitutum, quòd *raptum* potius se dixerit Paulus in tertium cœlum quam *ductum*. Satis hic erit inserere quæ habet Sanctus Bernardus tract. de gradibus humilitatis. 915.
Putas inquit, hæc gradus Paulus non transierit, qui vsque ad tertium cælum se raptum fuisse testatur? Sed quare raptum, & non potius ductum: Vt videlicet si tantus Apostolus RAPTVM *se dicit fuisse, quo nec doctus sciuit,* NEC DVCTVS POTVIT IRE: *ne ego procul dubio minor sum Paulo, ad tertium cælum nulla mea virtute, nullo meo labore peruenire posse præsumam, ne vel de virtute confidam, vel pro labore diffidam. Qui enim docetur, aut ducitur, ex hoc ipso quod docentem, aut ducentem sequitur, laborare conuincitur, & aliquid ex se agit, vt ad destinatum locum, vel sensum pertrahatur. Ita vt dicere possit: Non autem ego, sed gratia Dei mecum. Qui verò rapitur, non suis viribus, sed alienis innixus tanquam nesciens quocunque portatur, nec de toto in se, nec de parte gloriatur, vbi nec per se, nec cum alio aliquid operatur.*

SECTIO II.

916 *Quàm magnus Paulus, dum intra se ipsum ineffabilia potuit retinere.*
917 *Ieiunium & carnis maceratio quàm Paulum extulerit.*
917 *Arcana de Iesu nomine quando Paulus didicerit.*
918 *Non inuidentiæ, sed impossibilitatis fuit, quòd sua Paulus suppresserit.*
919 *Dei arcana prodi ab hominibus homines non facilè quærant.*
919 *Carnis propriæ bellum nos infra nos deiicit.*
920 *Humilitati vt litauerit Paulus, cælestium secretorum arbitrum se videri refugiens.*
921 *Diuinæ generationis ineffabilitas.*
921 *Quam ineffabilis sit Deus.*
922 *Veræ humilitatis nota.*
923 *Aliqua in sui laudem Paulus prodidit, vt cæteros instrueret.*
923 *Arrogans & superbus sibi non parcit, cum se iactat & sua.*

Et

Et audiui arcana verba, quæ non licet homini loqui.

916. NImirum dum supra se euehitur, alienus à se ipso factus Paulus videtur, intra se arcana continens, quæ alioquin humana mens ægre intra se potuisset cohibere: vt videatur plus quam homo esse qui ea scit reticere, quæ è cœlo accepit, aut etiam in cœlo. Sanctus Ambrosius ad hunc sensum lib. de Isaac cap. 3. ait. *Talis erat Paulus, qui sciebat se raptum in Paradisum: sed siue extra corpus raptum, siue in corpore, nesciebat, assurrexerat enim anima eius de corpore, & se à visceribus & vinculis carnis abduxerat atque eleuauerat, factúsque a semetipso alienus,* INTRA SEMETIPSVM TENVIT VERBA INEFFABILIA *quæ audiuit & vulgare non potuit, quia aduertit, ea loqui homini non licere.*

Et audiui arcana verba. In cœlum raptus est, vt ibi ea audiret, quæ ægrè in terris posset. Benè idem Sanctus Ambrosius: *Paulus audiuit aliqua secreta sapientiæ, quæ prohibitus est aliis insinuare, & ideo raptus est in Paradisum, raptus vsque ad tertium cœlum, vt audiret ea,* QVÆ IN TERRIS AVDIRE NON POTERAT. vt videas opportunum doctrinæ quærendum locum esse, & Diuinitatis abstrusa difficilè inter homines, homines discere; sicque mente, si non corpore, supra res terrenas rapi debet, qui diuina est percepturus.

917. Arcanorum auditor factus est Paulus ex Dei quidem gratia, ac benignitate, sed de sua quoque Apostolum ieiunoium, carnisque macerationem præmisisse tanto muneri censet Sanctus Isidorus Pelusiota, cuius hæc sunt verba lib. 1. epist 63. IEIVNIVM, ET NVDITAS, *& chameunia, & corporis maceratio, hoc Paulo attulit, vt Paradisi arcanorum auditor esset.* Nimirum sternit sibi viam ad magna qui corporis afflictationibus corpus suum sternit.

Inter hæc arcana fuisse, quæ ad Iesu nomen, tantique nominis notitiam, & venerationem spectant, censet Sanctus Bernardinus Senensis serm. 29. qui est in Dominica Palmarum, ait quippè: *Saluà veritate non immeritò potest dici ac pià deuotione credi: quod cum Paulus raptus fuit in Paradisum, sicut ipsemet testatur 2. Corint. 12. Et audiui arcana verba quæ non licet homini loqui, quod tunc* PERFECTE DIDICIT NOMEN IESV *ab omnibus adorandum, nempe in raptu, idem est audire, quod & videre.*

918. *Quæ non licet homini loqui.* In hunc sensum aliqui hæc accipiunt verba, vt nulli homini licitum fuerit ea verba loqui; innuens hac formula non fuisse inuidentiæ, quòd ea suppresserit, sed impossibilitatis: Ita Sanctus Ambrosius in psal. 43. *Sunt autem occulta sapientiæ, quæ raptus in Paradisum Apostolus Paulus audiuit, & quia non licebat ea homini loqui, apud se tegebat: non quia vsum eorum* AVT GRATIAM ALIIS INVIDERET, *sed quia non licebat homini loqui, fortè etiam homini audire non proderat: quæ tunc illuminabit Dominus, cùm illuminandorum secretorum tempus aduenerit.*

919. *Quæ non licet homini loqui*; si Dei arcana non prodidit, qui ea audiuit, prodet qui non audiuit; hæc igitur ab hominibus hìc homines non quærant, nam licèt illi super alios homines sint, sunt tamen homines; cadunt hìc optimè quæ habet Sanctus Augustinus in psal. 36. *Iam ibi erat qui dixit, assumptum se in tertium cœlum, & ibi audiebat ineffabilia verba, quæ non licet homini loqui, sed reuocatus est ad nos vt gemeret prius perficiendus infirmitate, & sic postea indueretur virtute animatus, tamen quia vidit aliquid rerum illarum pro dispensatione officij sui adiecit dicens: audiui ineffabilia verba quæ non licet homini loqui, iam ergo quid opus est, vt a me, aut à quoquam quæratis quæ non licet homini loqui:* SI ILLI NON LICVIT LOQVI, CVI LICVIT AVDIRE. 920.

Arcana audierat verba in tertium cœlum raptus, & tamen redditus sibi, carnis bellum statim sensit, vt qui in raptu fuerat maior se, in carnis conflictu se infra se poneret, se deiiceret, & suo exemplo eos muniret, qui cœlestibus visionibus reuelationibusque deinceps dignarentur. Sanctus Gregorius lib. 8. Moral. cap. 17. ita scribit: *Paulus ad tertium cœlum raptus ducitur, Paradisi penetrans secreta considerat: & tamen ad semetipsum rediens,* CONTRA CARNIS BELLVM LABORAT, *legem aliam in membris sustinet, cuius in se rebellione fatigari spiritus dolet.*

Et audiuit arcana verba. Humilitati quantùm potuit, consulere voluit, se abscondit, non audet se prodere dum dixit, non *audiui*, sed *audiuit*. Audiendus Sanctus Ambrosius in psal. 36 *Non dixit*, inquit, *audiui, sed quòd alter audierit, non negauit. Verecundè itaque testem se maluit significare, quam vatem*, ET REFVGIT VIDERI COELESTIVM ARBITER SECRETORVM. *Testimonium enim dicere, veritatis est: meritum elationis non refugere, gloriari sit.*

921. *Et audiuit arcana verba, quæ non licet homini loqui.* Signatè, *Homini*, dixit, idest alteri homini; nam sibi licebat, & Deo, quod expendens Sanctus Bernardus serm. 82. in Cant. *Audiuit*, inquit, *verba ineffabilia, quæ non licet loqui,* NON VTIQVE HOMINI; *nam sibi illa loquebatur, & Deo.*

Hæc Pauli verba ad probandam Diuinæ generationis ineffabilitatem egregiè transfert Sanctus Ambrosius lib. 1. de Fide cap. 5. *Si Paulus*, inquit, *ea, quæ audiuit, raptus in tertium cœlum, ineffabilia dicit; quomodo nos exprimere possumus Paternæ* GENERATIONIS ARCANVM, *quod nec sentire potuimus, nec audire?*

Ineffabilia Paulus audiuit verba, cur non magis ipse Deus ineffabilis? Rem præclarè vrget Sanctus Augustinus huc spectans, serm. 38. de verbis Domini. *Si raptum*, inquit, *se dicit vsque ad tertium cœlum Apostolus Paulus, & dicit se audisse ineffabilia verba:* QVANTO MAGIS IPSE INEFFABILIS, *qui talia demonstrauit?*

Pro huiusmodi gloriabor: pro me autem nihil gloriabor nisi in infirmitatibus meis.

922. IDest, de tali homine gloriabor, vt ait Estius, non autem de me, nam illum hominem tanta reuelatione à Deo dignatum *quasi finxit alterum à se multis infirmitatibus subiecto; sicque illam suam excellentiam quasi sit alterius hominis, per* HVMILITATEM *dissimulat*; & factus est maior se dum se a se quodammodo deducit, & separat

rat & plusquam homo videtur penè effectus dum alium a se fecit se.

Nam, & si voluero gloriari, non ero insipiens: veritatem enim dicam.

V*Eritatem enim dicam.* Sanctus Augustinus hæc verba donat hoc explicatu. *Si voluero gloriari, non ero insipiens: veritatem enim dico. Neque enim in seipso, sed in ipsa veritate quæ superior est ipso, &* HVMILITER ET VERACITER GLORIARETVR: *quoniam & ipse præcepit, vt qui gloriatur, in Domino glorietur. Itane non timeret insipientiam ipsa sapientia?* Sic ille, tract. 58. in Ioannem cap. 13. vt verè ægrè cum veritate cohæret gloriatio, sæpè in mendacium deuiat, qui gloriatur in se, & gloriam hominum venatur.

Parco autem, ne quis me existimet supra id, quod videt, &c.

923. P*Arco autem.* Vt humilitati quoque consuleret, pleraque supprimit; sicut aliqua prodidit, vt instrueret. Sistendus hîc Sanctus Gregorius lib. 17. Moral. cap. 7. *Erat de se adhuc fortasse admirabiliora loquuturus; sed ab humana laude, alta se consideratione temperans subdit: Parco autem, ne quis me existimet supra id quod videt in me, aut audit aliquid ex me. Habebat ergo adhuc dicendum de se aliquid, qui parcit dicere. Sed egit vtrumque Doctor egregius, vt & loquendo quæ egerat,* DISCIPVLOS INSTRVERET; ET TACENDO, SESE INTRA HVMILITATIS LIMITEM CVSTODIRET. *Nimis namque esset ingratus, si de se discipulis tota reticeret; & fortasse nimis incautus, si de se tota vel discipulis proderet: sed mirabiliter (vt dictum est) egit vtrumque, vt & loquendo erudiret vitam audientium, & tacendo custodiret suam.* Adeo vt maximè sit in Paulo laudandum, quod se laudare timuerit, & silentio non supprimendum, quod tandiu siluerit.

Parco autem; non parcit sibi qui inani gloriæ litat, & arrogantiæ, & se supra se effert. Festiuè Sanctus Bernardus epist. 87. *Terret me Apostolus, qui & ipse territus dicit: Parco autem, ne quis me existimet supra id quod videt in me, aut audit aliquid ex me. Quam pulchrè dixit, parco.* NON PARCIT SIBI ARROGANS, NON PARCIT SIBI SVPERBVS, *Non cupidus vanæ gloriæ, & iactator actuum suorum: qui vel sibi arrogat quod est, vel mentitur de se qui ne putetur quod non est, semper quantum in se est vult nesciri quod est.* Ille parcit sibi qui parcus in suis laudibus est, & studiosè silentio premit, quæ arrogans studet exprimi, & vulgari.

SECTIO III.

Et ne magnitudo reuelationum extollat me, datus est mihi stimulus carnis meæ, angelus Satanæ, qui me colaphizet.

ADeo vt non tam vexari se innuat, 924.
quàm corrigi, & ad vtilitatem comprimi: *Apostolus Paulus*, inquit Sanctus Cyprianus de mortalitate, *post naufragia, post flagella, post carnis & corporis multa & grauia tormenta,* NON VEXARI, SED EMENDARI *se dicit aduersis,* VT DVM GRAVIVS AFFLIGITVR, VERIVS PROBARETVR: *Datus est mihi, inquit, stimulus carnis meæ, angelus satanæ qui me colaphizet, vt non extollar.* Quod si ne extolleretur, carnis est passus stimulum Paulus, qui alioquin tot flagella sustinuit, tot aduersitates est passus, tam grauia tormenta tulit, cur se putent securos qui inter delicias viuunt, & otio torpent?

Stimulum sensit Paulus in cœlum antea raptus, & hunc stimulum defugiet qui plus eo indiget, quo minor est Paulo? Bonus stimulus si nos ad perfectiora exstimulet. Benè Gillebertus in Cantica: vbi ad hunc Apostoli locum spectans, ait: *Ne magnitudo reuelationum extollat me, datus est mihi stimulus carnis meæ. Paulus stimulatur ne extollatur. Et quomodo qui hæc audis,* REFVGIS STIMVLARI? *Quomodo teipsum inter vbertatem donorum aut conteri desinis, aut contineri non sinis? Molestus stimulus,* SED TAMEN VEXATIO PRÆSTAT HVMILITATEM PROFECTVI. Hoc ipsò quis magis indiget stimulo, quo putat non indigere, & se inter pericula securum credit.

Ex

925. Ex productis Pauli verbis hoc quoque colligas, quam scilicet superbiæ serpens timendus nobis sit. Sanctus Augustinus in psal. 58. ita rem expendebat; & exentiebat hæc verba: *Apostolus doctor Gentium, pater fidelium per Euangelium, accepit stimulum carnis a quo colaphizaretur: quis nostrûm hoc dicere auderet, nisi ille confiteri non erubesceret? Si enim dixerimus hoc non passum fuisse Paulum, eum ei quasi honorem deferimus, mendacem facimus: sed quia verax est & verum dixit, oportet vt credamus datum illi esse Angelum Satanæ, ne magnitudine reuelationum extolleretur.* ECCE QVAM TIMENDVS EST SERPENS SVPERBIÆ. Et in psal. 130. ex hoc loco colligit neminem de se debere esse securum; sic enim ille loquitur: *Si ergo charissimi, potuit Paulus Apostolus extolli magnitudine reuelationum, nisi acciperet Angelum Satanæ, qui se colaphizaret,* QVIS OB SE POSSIT ESSE SECVRVS? Inimia securitas est quæ inter discrimina se putat absque discrimine incedere, & inter media pericula ab omnibus periculis immunem. Volve in præterita secula oculos, & reperies innumeros sub falsa ista securitate fœdissimè cecidisse. Tantùm qui hæc legis, vide ne numerum augeas.

926. *Ne magnitudo reuelationum extollat me.* Tantus Apostolus ne extolleretur supra se, premi infra se indiguit, quis elationis impetus non timebit? *Nemo*, inquit B. Laurentius Iustinianus, de casto connubio, cap. 15. *Apostolo sanctior, & tamen de seipso ait sic. Ne magnitudo reuelationum extollat me, datus est mihi stimulus carnis meæ Angelus Satanæ, qui me colaphizet. Quis vnum arbitraretur hominem vsque ad tertium raptum cœlum, imò in Paradisum, ibique arcana Diuinitatis audisse verba, quæ homini loqui non licet, cuius conuersatio propter amoris vehementiam, mentisque munditiam in cœlis erat; qui non ab homine, quod prædicabat, accepit Euangelium, sed per Iesu Christi reuelationem,* NE ELEVARETVR, *inaniter supra se necessariò doceri habuisse per se de se? Non autem dubitandum est de tanto credere viro, quod ipse de se testatur.* NEMO TANTI SE ÆSTIMET, *vt quamuis charismatibus multis ornatus sit, absque disciplinæ documento, possit euadere.* Alioquin quò altius perfectionis culmen quis subiit, eò grauiorem lapsum debet pertimescere.

927. *Ne magnitudo reuelationum extollat me.* Nam si extulisset magnitudine ista non esset factus magnus Apostolus: incipit fieri minimus, qui ob dona intumescit etiam magna; quod ait, ne extollar, percussionis virtutem ostendit. Pulchrè Sanctus Gregorius præfat. in exposit. B. Iob c. 5. *Aliquando quisque non pro præterita culpa diluenda,* SED PRO FVTVRA VITANDA PERCVTITVR, *quod apertè Paulus Apostolus de semetipso testatur, dicens. Ne magnitudo reuelationum extollat me, datus est mihi stimulus carnis meæ, Angelus Satanæ qui me colaphizet. Qui enim non ait: Quia* EXTVLIT, *sed,* NE EXTOLLAT, *apertè indicat, quod percussione illa ne eueniat compescitur, non autem quæ euenit culpa purgatur* Hinc discis lapsum anteuertendum esse, & summæ esse prudentiæ imminentibus malis antequam eueniant opportunè occurrere.

Extollat me. Itane timebat extolli Paulus; quis ab elatione tutus, cum ab ea muniendus fuerit Paulus? *Cum certaret*, inquit Sanctus Augustinus serm. 4. de verbis Apostoli; *ne extolleretur, timebat. In magnitudine, inquit, reuelationum mearum ne extollar. Videte in conflictatione certantem, nondum in securitate triumphantem, In magnitudine reuelationum mearum ne extollar. Quis dicit, Ne extollar: O terror, ô tremor? Quis dicit ne extollar? Cum tanta eius verba sint* RETVNDENTIA ELATIONEM, COMPESCENTIA TVMOREM, ET DICIT NE EXTOLLAR. Scilicet timendum illi maximè est, qui sibi etiam superis Dei donis donatus non timet; & eò incautior est, quò est vel sanctitate, vel munere sublimior.

928. *Stimulus carnis meæ.* Aliqui per hunc stimulum carnis, carnis tentationem intelligunt, seu carnis concupiscentiam, *quam dicunt*, inquit Dionysius Carthusianus, *grauius* INCITASSE APOSTOLVM POST *raptum, quam ante*; vt nemo se à carnis pugna immunem putet, cum Paulum extimulauerit etiam post raptum in tertium cœlum; Quis ergo se à sua securum existimet, cum non fuerit Apostolus, licet in cœlum fuerit?

Stimulus carnis meæ. Ex Græco legunt aliqui, *carni meæ* idest in carne, nam mentem adeo hic stimulus non affligebat, vt potiùs magis eleuaretur, & liberior esset. Egregiè ad hanc mentem Sanctus Chrysostomus hom. 52. quæ est in sanctum Eustachium, ait enim: *Scio equidem quosdam corporis infirmitatem esse arbitrari, sed non est illud, prorsus non est, verum Angelum Satanæ homines, qui aduersabantur appellat: illud enim Satan vox est Hebraica, porro Satan dicitur aduersarius; instrumenta ergo Diaboli, & eos homines qui ei famulantur, angelos eius appellat. Cur igitur dicet aliquis, additum est carni?* QVIA CARO FLAGELLABATVR; ANIMA VERÒ ELEVABATVR, *spe futurorum surrecta, non enim animam attingebat, nec interiores cogitationes supplantabat, sed intra carnem consistebant tormenta belliùmque, nec intus poterant penetrare; quoniam igitur hæc concidebatur, hæc flagellabatur, hæc vincebatur, animam quippe ligare nemo potest, idcirco dicit, datus est mihi stimulus carnis meæ, angelus Satanæ, vt me colaphizet, tentationes, afflictiones, persecutiones innuens*; Quæ quò maiores, eò altiùs mentem euehunt, si forti animo ferantur.

929. Superbiæ tumorem in reuelationibus timendum ex his Apostoli verbis colligebat Richardus Victorinus, cuius hæc sunt lib. 1. de erudit. inter. hom. cap. 4. *Quis nesciat quomodo* MAGNITVDO REVELATIONVM MENTEM INCAVTAM IN SVPERBIAM ELEVAT. *Dum Apostolus ipse de se ipso dicat. Ne magnitudo reuelationum extollat me, datus est mihi stimulus carnis meæ angelus Satanæ qui me colaphizet. Sæpe etenim quidam adhuc* INTER IPSA DIVINARVM REVELATIONVM SPECTACVLA CONSTITVTI, QVOD APVD SEMETIPSOS TACITA MENTE SVPERBIVNT, *iam magna de se æstimantes, magni ab aliis æstimari dignum ducunt, iam quomodo & aliis innotescere valeant, sagaci sollicitudine perquirunt, iam inanis fauoris auram captum, & illam quam apud Deum habere consueuerunt, gloriam veram, in vanam commutant*; bis fatui, & amissione gloriæ veræ, & inanis inani acquisitione.

Qui me colaphizet. Olim libertate donando colaphus impingebatur, dum Satanas Paulum colaphizat, libertate donandum indicium est. Festiuè Rupertus in Exodum lib. 1. cap. 25.

Quandò

quod prædicabat Euangelium, Christo reuelante didicerat: & tamen reuelationum magnitudine, ne supra se eleuaretur inaniter, carnis propria colaphizabatur aculeis. Istos autem dum pateretur inuitè, vt ab his liberaretur, ter deprecatus est Dominũ. Suũ igitur non auditus ad votum (quoniam eidem sic expedire sciebat) Iesum sibi dicentem audiuit: sufficit tibi, Paule, gratia mea, nam virtus in infirmitate perficitur. DISCE, QVI ORAS, NON INDIGNARI CONTRA DOMINVM, SI NON EXAVDIRIS DVM POSTVLAS. *Apostolorum vtique, & Prophetarum erudiris exemplo: qui, quamuis amici Dei, quanquam essent sanctitate conspicui; tamen, quod inconsultè petebant, accipere nequiuerunt. Orationem ergo tuam formet necessitas, humilitas dictet, & spiritus flagitet.* Sicque æquanimiter feres, si quod postulas in oratione non obtineas.

935. *Ter Dominum rogaui.* Non erubescit Apostolus fateri, se Dei auxilio indiguisse, & ferendis tentationibus imparem; quod expendens S. Chrysost. hom. 26. in epist. 2. ad Corinth. ait, *Propter quod ter Dominum rogaui. Hoc est sæpenumero,* IDQVE SVMMÆ HVMILITATIS *argumentum est, non celare quod ferendis insidiis impar esset, grauitérque laboraret; atque vt liberaretur, preces ad Deum adhibendæ ipsi essent.* Quod illorum temeritatem arguit, qui discrimini se potius exponunt, quam vt imbecillitatem suam fateantur, alienúmque auxilium humiliter postulent.

Et dixit mihi: sufficit tibi gratia mea.

AC si diceret: non est tibi expediens quod pétis, ad hoc malum sufficit tibi gratia Dei; hinc aliqui putant, per totam vitam hoc carnis stimulo Paulum laborasse; vt illius vtilitatem semper sentiret, cum à Deo tanquam cœlesti medico esset. Peritè, vt solet S. Aug. in psal. 21. *Clamauit Paulus, vt auferretur ab eo stimulus carnis, & non est exauditus, vt auferretur: & dictum est ei, sufficit tibi gratia mea, nam virtus in infirmitate perficitur, ergo non est exauditus, sed non ad insipientiam, sed ad sapientiam, vt intelligat homo medicum esse Deum, &* TRIBVLATIONEM MEDICAMENTVM ESSE AD SALVTEM, *non pœnam ad damnationem: sub medicamento positus vreris, secaris, clamas: non audit medicus ad voluntatem, sed audit ad sanitatem.* Quàm fatuus, qui hoc medicamento indigens illud respuit, quin damnat insuper cœlestis medici peritiã, illud opportunè exhibentis.

Sufficit tibi gratia mea. Satis hoc habuit Paulus, adeò vt perfectè diuinæ voluntati acquieuerit, dans suæ repodium. S. Chrys. serm. 8. de diuersis noui Testamenti locis hæc verba expendens ita scribit: *Multis obsidebatur periculis Paulus, & orabat ne periculis obiiceretur. Audiuit ergo Christum dicentem: sufficit tibi gratia mea: virtus enim mea in infirmitate perficitur; postquam igitur,* QVÆNAM ESSET DEI VOLVNTAS, AGNOVIT, TVM VOLVNTATEM SVAM DEINCEPS DEI VOLVNTATI SVBIECIT. O idem à nobis fieret, nec nostram voluntatem diuinæ præferremus.

SECTIO IV.

936 *Dei virtus, & potentia, in nostra imbecillitate maximè declaratur.*
936 *Cùm virtus opprimitur, tunc fit maior.*
Nouarin. in Epist. Pauli.
937 *Optanda infirmitas, & imbecillitas, quæ Christi virtute compensatur.*
938 *Spontè & libenter dura ferenda sunt.*
938 *Infirmitas, virtutis officina.*
939 *In Infirmitatibus gloriari quàm eximiã res sis.*
940 *Infirmitatis, & ægritudinis vtilitates.*
940 *Carnis imbecillitas mentis vigorem exacuit.*
941 *Paulus in infirmitatibus sibi placuit, non in virtutibus.*
941 *Consummatur carnis infirmitate animæ fortitudo.*
942 *Fortitudo nostra à Deo est.*
942 *Carnis infirmitas ad profectum spiritus facit.*
942 *Christianus tunc vincit, cum perdere putatur.*
943 *Carnis debilitas ad spiritus firmitatem facit.*
943 *Infirmitas corporis, sobrietas mentis est.*
943 *Carnis debilitate spiritum reddi fortiorem, scitâ explicatur similitudine.*
944 *Infirmitatis afflictio, virtutum mater.*
944 *A carnis imbecillitate vt vera fortitudo sit.*
944 *Malorum doctorum ratio minimè habenda.*
945 *Patientia signis prælata.*
946 *Alienam salutem quærere, & sua commoda, vix cohærent.*
946 *Vbi mali intumescunt, ibi demittunt se boni.*
946 *Digni luctu sunt qui Deo sunt mortui, non qui virtutibus onusti hinc abeunt.*

Nam virtus in infirmitate perficitur.

VIrtus. Hoc loco *virtus* potentiam, & vim significat cum sit Græcè Δύναμις, est ergo sensus; non expedit tibi stimulum illum carnis à te auferri, quia potentia gratiæ meæ maximè declaratur in infirmitate, vt de virtute Dei sit sermo, inde aliqui legunt; *virtus mea*, S. Chrysostom. hom. 1. ad populum hunc locum ita illustrat: *Virtus mea in infirmitate perficitur; tunc mea, inquit, potentia demonstratur,* QVANDO VOS IN IMBECILLITATE ESTIS, ET PER VOS QVI VIDEMINI ESSE DEBILES, *prædicationis verbum augetur, & vbique dispergitur, quando igitur in carcerem, innumeris susceptis verberibus deductus fuit, carceris custodem vinxit.* Sicut & è conuerso Dei virtuti multum it detractum, qui fortitudinem suam, suam firmitatem inanissimè iactat. 936.

Virtus in infirmitate perficitur. Nimirum cum opprimitur, tunc fit maior. Rem Apostolorum exemplo sic explicat Sanctus Isidorus Pelusiota lib. 3. epist. 182. *Quonam pacto virtus in infirmitate perficiatur, paucis exponam. Quando quidem enim Apostoli cùm flagris caderentur, eos, à quibus*

V cædebantur

cadebantur, superabant:&, cum vexarentur & exagitarentur, VEXATORES SVOS VINCEBANT:&, *cum mortem oppeterent, vitâ præditos in fugam vertebant. Ob eam causam Dominus his verbis vsus est. Noua enim erat hæc vincendi ratio, vt per contraria victoriam adipiscerentur, nec vnquam succumberent; verum perinde ac si certaminis exitus in ipsorum arbitrio ac potestate situs esset, ita ad certamina progrederentur.* Tanti est, dura quæque pro Deo pati, & patientiâ in malis victoriæ præludere.

Libenter igitur gloriabor in infirmitatibus meis, vt inhabitet in me virtus Christi.

937. POtiùs quàm in alia re gloriaturum se asserit Paulus, in infirmitatibus suis, sciens Dei virtutem in illatum tolerantia magis elucere, quàm in aliis, quæ magni fieri ab hominibus solent. Bona infirmitas, si firmiores nos in ea Dei virtus faciat: eximiè, & ad hanc mentem opportunè S. Bern. ser. 25. in Cantica: *Libenter, ait, gloriabor in infirmitatibus meis, vt inhabitet in me virtus Christi.* OPTANDA INFIRMITAS, QVÆ CHRISTI VIRTVTE COMPENSATVR. *Quis dabit mihi non solùm infirmari, sed & destitui ac deficere penitus à memetipso, vt Domini virtutum virtute stabiliar? Nam virtus in infirmitate perficitur.* O idem diceremus, & nos, & quod est maius, sentiremus!

938. *Libenter gloriabor.* Parum illi erat forti, æquoque animo infirmitates ferre, nisi & in illis gloriaretur, idque libenti animo, *Non dicit*, inquit B. Bern serm. 34. in Cantica, *patienter se ferre infirmitates suas, sed & gloriari, & libenter gloriari in illis, probans etiam sibi bonum esse, quod humiliatur: nec sufficere omninò vt possideat animam suam tanquam patienter humiliatus, nisi & gratiam accipiat* TANQVAM SPONTE HVMILIATVS.

939. Ex hoc loco, *Virtutis officinã*, infirmitatem esse colligit S. Amb. in psal. 36. *Infirmitas, & remedium reuelationis, & virtutis exercitium est. Contrà autem reuelatio, elationis lubricum est: namque ne reuelationis sublimitate extolleretur ipse Paulus, qui raptus in tertium Cælum est, stimulum carnis accepit. Subuenit ergo infirmitas, ne gratia in periculum verteretur. Vtilior ergo infirmitas, quàm gratia.* EADEM QVOQVE INFIRMITAS OFFICINA VIRTVTIS EST; *sicut ipsi Apostolo testificatus est Dominus, quia virtus in infirmitatibus consummatur.*

Gloriabatur in infirmitatibus suis Paulus; cur non apposuit *in Domino*, præsertim cum ipse docuerit; *qui gloriatur, in Domino glorietur*? formula ista adiicienda cum de virtutibus, de egregiis facinoribus agitur; cũ de infirmitatibus est sermo, necesse non est apponi, cum eo ipso quod quis in infirmitatibus gloriatur, in Dominum ipsum videatur immigrasse, & solam illius gloriam quærere; aut etiã quia iam constabat in Dei gloriam illud dirigi, in quo Dei virtus dicitur perfici. Sistenda hîc quæ ad hæc verba affert B. Laur. Iust. ser. in festo S. Mathiæ Apostoli, vbi paulo aliter hæc versat verba, dũ ait: *Libenter (inquit Apostolus) gloriabor in infirmitatibus meis. Infirmitatibus suis gloriabatur in se, vt de collatis donis, seu acquisitis virtutibus gloriaretur in Domino. Nouerat quid ex se, quidue prærogatum illi fuisset à Domino. Dicebat se in infirmitatibus gloriari,* NON QVOD GLORIAM COMMENDABILEM DE INFIRMITATE ADIPISCI POSSE SE CREDERET, SED VT INFIRMITATIS COMPARATIONE MANIFESTARET, QVANTVM IN SE OBI ILLVCESCERET GRATIA.

940. Per infirmitates, vt notauit Estius significat *Apostolus ea quæ patiebatur tam in corpore, quàm in animo, comprehensis etiam tentationibus carnis, & Diaboli, non autem animi vitiis, & peccatis*; hæc quippè nõ gloriæ materia sunt, sed confusionis. Infirmitatis autem, quæ corpus corripit vtilitates quam magnæ sint, præstat à Saluiani ore audire, sic enim ille scribit epist. ad Caturam sororem: *Quamuis ego ne hanc quidem tibi quam pertulisti, terrestris vasculi infirmitatem obfuisse existimen, cuius fortitudo, vt scis menti semper inimica est, vt te iure nunc tanto fortiorem spiritu putem,* QVANTO IMBECILLIOR CARNE ESSE COEPISTI. *Caro enim, inquit Apostolus, concupiscit aduersus spiritum, spiritus aduersus carnem, hæc enim inuicem sibi aduersantur, vt non quæ vultis illa faciatis. Ergo si repugnante corpore, quæ volumus facere non possumus, infirmanda caro est, vt optata faciamus. Et verum est:* IMBECILLITAS ENIM CARNIS MENTIS VIGOREM EXACVIT, *& affectis artubus vires corporum in virtutes transferuntur, vt mihi genus quoddam sanitatis esse videatur, hominem interdum non esse sanum. Nulla enim admodum, tum spiritui, cum corpori, idest, nulla diuinæ indoli cum terreno hoste luctatio est, non turpibus flammis medulla æstuant, non malè sanam mentem latentia incentiua succendunt, non vagi sensus per varia oblectamenta lasciuiunt, sed sola exultat anima læta corpore affecto, quasi aduersario subiugato. Gaude ergo alumna Christi, semper quidem simplicis, & quietæ, sed nunc magis defæcatæ mentis, & libera ostium aperi, & attrahe vt legis, Spiritum Sanctum, nunquam, vt puto, habitatore Deo dignior extitisti, quanto imbecillior corpore, tanto purior sensu, vincentibus carnem tuam morbis, mente vicisti.*

Propter quod placeo mihi in infirmitatibus meis.

941. P*Laceo mihi.* Apostolicæ perfectionis consignatio infirmitates non solùm æquo animo ferre, sed in iis lætari. *Et non dixit*, inquit Theodoretus *sustineo, sed placeo mihi, hoc est, gaudeo, delector, læto & tranquillo animo sustineo ea quæ accidunt. Quæ enim videtur imbecillitas, ea mihi veram potentiam conciliat.*

Legis in infirmitatibus sibi placuisse Paulum, non legis in vittutibus, donisque sibi placuisse; quod tetigit etiam S. Ambr. in psal. 36. *Paulus*, inquit, IN INFIRMITATIBVS SIBI PLACVIT, NON IN VIRTVTIBVS.

Cum enim infirmor, tunc potens sum.

942. C*Vm enim infirmor tunc potens sum.* Ac si diceret apertius, firmior fio quia infirmus sum; nil mitum, carnis infirmitas animæ fortitudinem auget. *Paulus*, inquit Sanctus Ambrosius lib. 1. de pœnit. cap. 12. *plus sibi in infirmitatibus placet dicens: Cùm infirmor, tunc potens sum*; CONSVMMATVR ENIM CARNIS IN INFIRMITATIBVS, ANIMÆ FORTITVDO.

Tunc potens sum. Peritè Caietanus hîc: *Priùs dixerat Dei potentiam roborari in infirmitate hominis, modo dicit seipsum roborari quum infirmatur; vt intelligamus, idem esse potentiam Dei in nobis*

nobis perfici, & nos potentes effici ſecundum illam potentiam.

Cùm enim infirmor. S. Paulinus epiſt. 1. ad Seuerum, hunc locum ita verſat: *Apoſtolum patientem faciebat infirmitas, quia ſcilicet caro quæ aduerſus ſpiritum militat, cum aduerſâ valetudine frangitur,* PARITER INFRACTIS VIRIBVS SPIRITALEM NON VALET EXPVGNARE VIRTVTEM. *Carne igitur infirmus ad profectum ſpiritus quidem nō carnis exultat, & tanquā inimica materia tribulatione lætatur atque infirmatione domiti corporis conualeſcit ſana, & valida charitate.* Sicut corporis ſanitas ſæpè mentis officit ſanitati.

943. *Cum enim infirmor, tunc potens ſum.* In hoc quoque mundanorum iudicium fallitur, dum putant Chriſtianos vinci, cum victores ſunt; *Verum eſt,* inquit hìc S. Ambr. *Quia tunc* VINCIT CHRISTIANVS, CVM PERDERE PVTATVR: *& tunc perdit perfidia, cum ſe viciſſe gratulatur. Plaudit ergo cum illi inſultatur, & ſurgit cum premitur.*

Cum enim infirmor, tunc potens ſum. Adeo vt carnis debilitas ad ſpiritus firmitatem faciat. *Virtus in infirmitate perficitur,* inquit Origen. tract. 35. in Matth. *id eſt in infirmitate carnis, & ſapientia eius; Propter quod ait Apoſtolus: Cum enim infirmor, tunc potens ſum. Potens enim tunc fit vnuſquiſque noſtrûm,* CVM INFIRMATA FVERIT CARO IPSIVS, *vt non perficiat opera carnis, ſed habitet virtus Chriſti in ea.* Cùm frequenter carnis fortitudo, & firmitas mentis imbecillitatem nutriat.

Cùm enim infirmor, tunc potens ſum. Vt gloriæ materia infirmitas ſit potiùs quam virtus, & fortitudo. INFIRMITAS CORPORIS, inquit S. Ambroſius lib. 1. Examerон, c. 8. SOBRIETAS MENTIS EST. *Vnde ait Apoſtolus, cum infirmor tunc potens ſum. Itaque non in virtutibus, ſed in infirmitatibus gloriabatur.* Et iure, cum veram infirmitates fortiter toleratæ gloriam pariant.

Cùm enim infirmor, tunc potens ſum. Vt carnis debilitas ſpiritum reddat fortiorem, quod ſcitâ explicat ſimilitudine. S. Bernardinus Senenſis, de Chriſti eſurie, ferm. 8, art. 1, c. 2. *Anima, & caro ſunt quaſi duæ ſitulæ in puteo applicatæ, quarum quando vna aſcendit, altera deſcendit.* SIC QVANDO CARO INFIRMATVR, SPIRITVS IMPINGVATVR, ET E CONVERSO. *Vnde 2. Corinth. 12. Apoſtolus ait; Cùm infirmor, ſcilicet in corpore, tunc potens ſum, in mente.*

944. *Cum enim infirmor, tunc potens ſum.* Itaque firma hæc infirmitas eſt, & fortis corporis imbecillitas, quam *matrem virtutum* vocat Saluianus lib. 1. de gubern. Dei, vbi ait: *Cùm dicat Apoſtolus, cum infirmor, tunc potens ſum. Nec immeritò ſic arbitratur ad quem Deus ipſe ſic loquitur. Sufficit tibi gratia mea, nam virtus in infirmitate perficitur. Nequaquam ergo nobis dolenda eſt* AFFLICTIO INFIRMITATVM, *quam intelligimus,* MATREM ESSE VIRTVTVM.

Cum enim infirmor, tunc potens ſum. Sicque ab imbecillitate fortitudo eſt, imbecillitas a fortitudine; quod quì fiat explicat S. Ambr. ſerm. 25. vbi huc ſpectans, ait: *Proſternitur, inquam infirmitate, quia Chriſtiana infirmitas, fortitudo eſt. Vnde ait Apoſtolus: cum infirmor, tunc fortior ſum. Sed requirit aliquis, quemadmodum fortis infirmitas?* TVNC EST FORTIS INFIRMITAS, QVANDO CARO TABESCIT IEIVNIIS, ANIMA PVRITATE PINGVESCIT. *Quantum enim illi ciborum ſuccus ſubtrahitur, tantùm huic iuſtitia virtus augetur.*

Tunc igitur homo imbecillis quidem eſt ad ſæcularia, ſed fortis eſt ad diuina opera. Tunc enim magis de Deo cogitat, tunc iudicium metuit, tunc vincit inimicum. Felix imbecillitas, quæ nos in Dei rebus Deique obſequio fortes reddit, noxiâ fortitudine laboraturos, niſi eſſemus ab hac parte infirmi.

Factus ſum inſipiens, vos me coëgiſtis.

VOs me coëgiſtis, Cur non potiùs dixit ſe coactum, vt efferret ſe, à falſis doctoribus, & pſeudo-apoſtolis? quia nulla ſimilium habenda ratio eſt. Petitè S. Chryſoſt. ſerm. 6. de diuerſis noui Teſtam. locis: *Ecquid non dixit: Pſeudo-apoſtoli me coegerunt, ſed vos me cogitis? Quoniam illorum, inquit,* RATIONEM NON HABVI.

Signa tamen Apoſtolatus mei facta ſunt ſuper vos in omni patientia, in ſignis, &c.

PAtientiam ſignis præpoſuit, vt ipſo loqu- 945.
tionis ordine doceret, eſſe præferendam, & ad mouendum efficaciorem ſignis tolerantiam eſſe. Aptè hìc Theodoretus: *Rectè* SIGNIS TOLERANTIAM PRÆPOSVIT; *mentis enim rectè facta ſunt multò præſtantiora,* S. Chryſoſt. hìc: *Vide,* inquit, *quid primum* COLLOCET NIMIRVM PATIENTIAM: *Hoc enim Apoſtoli ſpecimen atque argumentum eſt, ſempe omnia forti animo ferre. Iſtud porro breuiter atque vno vocabulo complexus eſt, contra miracula, vt quæ non ipſius virtute ederentur, pluribus verbis proſequutus eſt. Cogita enim quot carceres, quot plagas, quot diſcrimina, quot inſidias, quot tentationum agmina hìc tacitè ſignificarit, quot inteſtina bella, quot externa, quot dolores, quot impetus, vnico patientia vocabulo perſtrinxerit.*

Et non ero grauis vobis.

SEd cur hoc adiecit, cùm conſtaret Corinthiis Paulum non ſolere grauem alicui eſſe? Dionyſius Carthuſianus hìc ſic loquentem facit Apoſtolum: *Quod ideo dico, ne me putetis primo* CALLIDE NIL SVMPSISSE, *vt modò abundantius capiam;* qui multorum eſt mos, plerique enim reiiciunt quæ primò offeruntur, vt poſtea maiora hac reiectione venentur.

Non enim quæro, quæ veſtra ſunt, ſed vos.

ET non poterat, & Corinthiorum diuitias 946.
quærere, & Corinthiorum ſalutem? Ægrè hæc duo inter ſe cohærent, nimirum vt aliorum quis diuitiis inhiet, & aliorum ſalutem quærat; idcirco iure Paulus hæc duo inter ſe ita diſcriminauit, vt diceret: *Non enim quæro quæ veſtra ſunt, ſed vos,* vt innueret vix, aut ne vix quidem hæc duo inter ſe ita copulari, vt qui aliena quærit acquirere ſibi, alios poſſit acquirere Chriſto.

Ne iterum, cùm venero, humiliet me Deus apud vos.

CVm aduentum ſuum in virga minatus eſſet, humiliandum ſe addit, ſi accidat Oecumenius: *Vltionem ſumere de ſontibus vocat ſui humiliationem.* VBI MALI MAGIS INTVMESCVNT, IBI SE BONI MAGIS DEMITTVNT. Quom infereuda alicui pœna, tunc ſe maximè deiicere illaturus debet.

Et lugeam multos ex his, qui ante peccauerunt.

SCilicet qui peccauerunt, & resipiscere nolunt, tanquam mortui lugendi sunt, nam alioquin eos qui hinc abierunt, virtutibus ornati, viuentium lacrymis non indigent. Opportunè hunc locum vrget Sanctus Chrysostomus serm. 24. de diuersis noui Testamenti locis, vbi hæc Pauli verba expendens, ait: *Nam si mœrere conuenit ac flere, lugendi hi sunt, qui in peccato viuunt, non item hi qui cum virtute moriuntur; Sic & Paulus fecit. In Epistola enim ad Corinthios ita ait: Ne quando ad vos venientem me Deus humiliet, & multos lugeam.* NON MVLTOS EX MORTVIS DIXIT, SED EX HIS QVI ANTE CVM PECCAVERINT, EOS TAMEN INSOLENTIÆ AC VITÆ IMPVRÆ ACTÆ NON POENITET. HOS, INQVAM, LVGERE CONVENIT. Alioquin luctus materiam exhibent, qui mortuos hinc abeuntes fœmineis lachrymis prosequuntur, eos verò qui Deo mortui per peccatum sunt, minimè lugent.

CAPVT XIII.

EPISTOLÆ SECVNDÆ ad Corinthios expenditur & illustratur.

947 *Paterna in Pauli pectore pietas.*
947 *In ipso corde, vbi fundi oratio solet, Christus Paulo loquebatur.*
948 *Sanctis, in quibus loquitur Christus, quàm plena fides adhibenda.*
948 *Cur ipsam loquutionem Christo Paulus tribuerit.*
949 *Non solùm in suis loquitur Christus, sed etiam certat.*
949 *In nostram vtilitatem est, quòd in Sanctis suis Christus loquatur.*
950 *Orandi verbo cur vsus Apostolus, non praecipiendi.*
950 *Qui innocentes sunt, timendi materiam non habent.*
951 *Potestas in destructionem, abusus est potestatis.*
951 *Correctio in ædificationem, non in destructionem.*
951 *Osculum ad Eucharistiæ memoriam.*
951 *Charitatis igniculus, & fomes vt osculum sit.*
952 *Quale osculum, sanctitatis venenum sit.*
952 *Quâ cautione se olim fideles post Eucharistiam oscularentur.*
953 *Nullus in Diuinis Personis Deitatis gradus, nullus praeminentiæ.*

Quoniam, si venio iterum, non parcam.

NOn parcam. Paternam hîc Apostoli mentem vidit Sanctus Chryso- 947.
stomus: *Non dixit*, inquit, *Pæniam, ac vindicabo, pœnásque expetam*: VERVM PATERNIS VERBIS SVPPLICIVM PONIT, *hinc nimirum viscera sua, animúmque ipsis condolescentem ostendens, quòd pro sua erga eos indulgentiâ semper supplicium infligere differret.* Contra ac illi præstent, qui super alios positi, sæuitiam ab omni parte spirant, nihil nisi crudelitate grauida verba euomunt, paternam in omnibus mentem exuentes, induentes hostilem.

An experimentum quæritis eius, qui in me loquitur Christus? &c.

IN Apostolo Christus loquebatur vbi se Apostolus contraxerat, cor suum subierat Paulus, & in corde Pauli, vbi oratio cudi, & fundi, vt ita loquar, solet, Christus ad Paulum loquebatur; Præclarè S. Augustinus in psal. 4. *Cum loquebatur in Apostolo dicente; An vultis experimentum eius accipere, qui in me loquitur Christus, non ei foris vtique*, SED IN IPSO CORDE, *id est in illo cubili vbi orandum est, loquebatur.* In illis Christus ægrè loquatur, qui totos foras se proiecerunt, intus apud se non habitant, foris peregrinantur exules à suo corde facti, si cor illi habere dicendi sunt, qui abeunt à suo corde.

Eius qui in me loquitur Christus. Cum in Paulo 948.
suisque seruis loquatur Christus, Christi seruis parendum vt Christo est, & credendum vt Christo. *Porrò*, inquit B. Laurentius Iustinianus de contemptu mundi, cap. 2. *Si Christus loquebatur in Paulo, cæterisque Sanctis*, ILLIS TANQVAM CHRISTO ADHIBENDA EST FIDES, *qui Verbum est sempiternum, Patris sapientia, præclara & infallibilis veritas.*

Eius qui in me loquitur Christus. S. Augustinus in psal. 2. *Ipse*, inquit, *loqui dicitur, quando eius dono loquuntur Prophetæ, vel Apostoli, vel quique nuncij veritatis. Vnde illud est, An vultis experimentum accipere, eius qui in me loquitur Christus? Non enim ait, eius quo illuminante, aut iubente loquor, sed prorsus* IPSAM LOCVTIONEM ILLI TRIBVIT, CVIVS MVNERE LOQVEBATVR.

Si in suis *loquitur* Christus, multo magis *certat* 949.
in suis, in suis *vincit*. S. Chrysost. de septem Machabæis: *Sed ipse Dominus virtutum, & Angelorũ, sicut Paulus clamat dicens: an experimentum quæritis eius, qui loquitur in me Christus: sic & isti clamare possunt, ac dicere: an experimentum quæritis eius* QVI CERTAVIT IN NOBIS CHRISTVS?

Quod in Paulo loquatur Christus, loquatur in seruis suis, non illorum tantùm dignitatem indicat; sed in aliorum, qui audiunt legúntque, refilit vtilitatem. *Si in Paulo*, inquit B. Laur. Iustin. de contemptu Mun. c. 13. *si in Petro, cæterisque sacræ legis Doctoribus loquitur Christus*; TE EORVM DICTA LEGENTEM, TEQVE AVDIENTEM ERVDIT CHRISTVS, *qui Verbum est, & Patris sapientia. Te autem illo docente, poterisne esse insipidus, poteris esse ignarus, seu ab amoris Dei calore alienus?*

Oramus

Oramus autem Deum, vt nihil mali faciatis.

950. O*Ramus autem Deum vt nihil mali faciatis*, mirũ cur orandi verbum adhibuerit, non præcipiendi. S. August. nodum vidit, & soluit in hunc modum Fragmento 1. *Quid est*, inquit, *quod ait Apostolus, scribens ad Corinthios, oramus Deum ne quid faciatis mali? Attendistis, audistis, accepistis: Et quia manifestissimum est, sine dubio intellexistis quid orauit Apostolus. Oramus, inquit, ad Deum, ne quid faciatis mali: Poterat dicere: monemus vos, ne quid faciatis mali: docemus vos ne quid faciatis mali: iubemus vobis, præcipimus vobis, quod quidem si diceret, certum diceret, quia & volũtas nostra agit aliquid: non enim voluntas nostra nihil agit; sed sola non sufficit. Maluit tamen dicere: oramus, vt ipsam gratiam commendaret, vt intelligerent illi, quando non faciunt aliquid mali, non sola sua voluntate se vitare malum, sed adiutorio Dei implere quod iustum est. Ergo fratres, quando præcipitur, agnoscite voluntatis arbitrium; quando oratur quod præcipitur, agnoscite gratiæ beneficium. Vtrumque enim in Scripturis habes. Et præcipitur, & oratur; quod præcipitur, hoc oratur.*

Gaudemus enim quoniam infirmi sumus, vos autem potentes estis.

E* Græco verti potest. *Gaudemus enim si quando nos infirmi sumus, vos autem potentes estis.* Et sensus est: Non solùm alieni sumus à cupiditate ostentandæ potestatis nostræ, verum etiam gaudemus si quando nos infirmi, & impotentes sumus; subtractâ nimirum materiâ potestatis exercendæ: *Non habentes*, inquit hîc Lyranus, *potestatem puniendi vos, non propter defectum potestatis à parte nostra, sed* PROPTER INNOCENTIAM VESTRAM. Tales nimirum superiores esse debent, vt eos mali tantùm, & nocentes timeant, non innocentes, & probi: Quòd si in bonos potestatem exerant, abutuntur ea, non eam exercent.

Quam Dominus dedit mihi in ædificationem, & non in destructionem.

951. N*On in destructionem.* Potestas quæ in destructionem, non potestas dici debet, sed abusus potestatis. Benè hîc Catharinus. *Potestas ad destructionem non est potestas. Quod attentissimè deberet ab iis, qui præsunt considerari. Nam hac in parte plurimùm à non paucis aberratur, qui legitimum potestatis vsum vel ignorant, vel eâ scientes abutuntur*, & destruunt potius quàm ædificent.

Non in destructionem. Doctores dum destruere vitia curant, ædificant, quos corripiunt. Nam vt ait hîc Glossa, *non destruuntur, qui corriguntur, sed correcti ædificantur.* Correctio enim ædificatio quædam est.

Salutate inuicem in osculo sancto.

952. O*Sculabantur se olim fideles, non solùm vt amorem dilectionémque fouerẽt, sed in Eucharistiæ memoriam ac reuerentiam; nam hæc per os pectus subit; vt in Eucharistiam delinquant, qui aut impura emittunt verba, aut non purè alienum os osculantur. Grauiter rem vrget S. Chrysost. homil. 30. in Epist. 2. ad Corinth. dum ait: *Non vulgari quodam honore os nostrum afficitur, quum Corpus* DOMINICVM EXCIPIT, *ea-que præsertim de causa tum mutua oscula iungimus. Audiant, qui obscœna loquuntur, qui conuicia proferunt, ac cohorrescant cogitantes, quale os turpent ac dedecorent. Audiant, qui obscœnè osculantur. Audi, quæ oracula Christus per os tuum ediderit, atque illud ab omni macula purum conserua.*

In osculo sancto. Egregiè hic idem S. Chrysost. *Quid est sancto? Non ficto, non subdolo, quemadmodum Iudas Christum osculatus est. Ob id enim nobis datum* EST OSCVLVM, VT CHARITATIS IGNICVLVS AC FOMES SIT, *vt affectum inflammet, vt hac ratione nosipsos mutuò amemus, velut fratres inuicem se amant, patrésque vicissim filios, imò etiam multo vehementius. Illa enim naturæ sunt, hæc gratiæ. Ad hunc modum animæ inter se deuinciuntur.*

In osculo sancto; Nam aliud etiam est, quod est venenum sanctitatis. Clemens Alexandrinus lib. 3. pædag. cap. 11. ita scribit: *Est autem aliud quoque osculum incestum, veneno plenum, sanctitatem simulans. An nescitis quod etiam phalangia, si ore tantum tangant, graues dolores hominibus afferunt?* OSCVLA *autem impudicitiæ sæpe* VIRVS *immittunt*; Hæc cauere quisque debet, ne cum osculo bibat impudicitiam, ruinam, perditionémque in animam traiiciat.

Istud osculum ore modesto, & clauso alterius ori adprimendum, cauendámque omnem suspicionem idem Auctor monebat eodem loco: *Dilectio autem non in osculo censetur, sed in beneuolentia. Illi autem nihil aliud osculo, quam Ecclesias conturbant, cùm ipsam non habeant intus amicitiam. Etenim hoc vtique turpem mouit suspicionem, & maledicentiam, quòd impudenter osculo vterentur, quod esse oportebat mysticum. Id sanctum vocauit Apostolus.* REGNO DIGNE GVSTATO, ORE MODESTO, ET CLAVSO BENEVOLENTIAM ANIMI OSTENDAMVS, *per quod maximè se exerit mansuetudo morum.* Regnum autem degustare esse Eucharistiam sumere, notatum quoque ab aliis est, & nos fusiùs euicimus ad volumen, quod Eucharistici Agni titulum præfert.

Gratia Domini nostri Iesu Christi, & charitas Dei, & communicatio Sancti Spiritus sit cum omnibus vobis.

IN tribus diuinis personis recensendis non certus seruatur in sacris litteris ordo, ne scilicet gradum aliquem, aliquam præeminentiam in illis fingeremus; quod notauit etiam Elias Cretensis in orat. 25. Sanct. Greg. Nazianz. dum ait: 953.
Gratia Domini nostri Iesu Christi, & Charitas Dei, & Patris. & communicatio Sancti Spiritus, sit cum omnibus vobis; ac rursum, Vnus Deus, ex quo omnia, & vnus Dominus Iesus Christus, per quem omnia, & vnus Spiritus Sanctus in quem omnia. Et alio loco. Diuisiones gratiarum sunt, idem autem Spiritus; & diuisiones ministrationum sunt, idem autem Dominus, & diuisiones operationum sunt, idem autem Deus. In his autem omnibus vnà cum aliis duabus personis Spiritus Sanctus simul enunciatur, nec certo ordine seruato, sed variè immutato, nimirum nunc inferiore, nunc superiore numero collocatus, Apostolo nimirum ob eam causam hoc ita constituente, vt ne occasionem vllam iis porrigat, qui vnius, & indiuiduæ Deitatis GRADVS QVOSDAM EXCOGITANT. Nihil hîc prius, nihil posterius est, solus ordo originis admittitur; gradus qui in Trinitate ponit, è veritatis suggestu deiici se sinit.

Finis Epistolæ secundæ ad Corinthios expensæ, & illustratæ.

CAPVT PRIMVM EPISTOLÆ AD GALATAS EXPENDITVR ET ILLVSTRATVR.

Sectio I.

Paulus Apoſtolus non ab hominibus, neque per hominem, &c.

STatim authoritatem ſuam aſſerit; aitque ſe non ab hominibus 954
electum, nec Eccleſiæ alicuius ſuffragiis, neque per hominem mortalem, qualis erat Chriſtus, cùm cæteros elegit Apoſtolos, ſed per hominem immortalem, qualis erat Chriſtus poſt Reſurrectionem, vnde & mox reſurrectionis eius meminit dicens: *Qui ſuſcitauit eum à mortuis*, vt notauit hîc Eſtius; nihil autem ſuperbum ſapere hæc verba ita docet Claudius Altiſſiodorenſis Epiſcopus in hanc Epiſtolam: *Non ab hominibus, neque per hominem.* NON SVPERBE, *vt quidam* PVTANT, SED NECESSARIE, *neque ab hominibus, neque per hominem, ſe Apoſtolum eſſe proponit, ſed per Ieſum Chriſtum, & Deum Patrem, vt eos, qui Paulum extra duodecim Apoſtolos ventilabant, & neſcio vnde ſubitò prorupiſſe, vel à maioribus ordinatum, hac auctoritate confunderet.* Id autem fecit non ſui tantùm causâ, ſed etiam doctrinæ, quæ, ſi non conſtaret de Pauli electione, vires ſuas in Paulo amittebat.

Non ab hominibus. Veluti à Collegio Apoſtolorum, aut alicuius Eccleſiæ ſuffragiis; ſed à Deo Patre per Chriſtum factus Apoſtolus eſt. Sed aliquis hîc reponat, Et non ab hominibus electus in Apoſtolum Paulus eſt cùm ſic de eo Lucas ſcribat Actorum capite decimo tertio, quod ad Euangelium Gentibus prædicandum, quod erat Apoſtolici muneris, impoſitionem manuum accepit vnà cum Barnaba à ſenioribus Eccleſiæ Antiochenæ; Nodum iſtum vidit etiam Eſtius hîc, quem ſoluit in hunc modum. *Reſpondeo, Paulũ & Barnabam eo loco non fuiſſe creatos Apoſtolos, ſed tantum* CVM CEREMONIA MANVVM IMPOSITIONIS, ADHIBITA ORATIONE ET IEIVNIO, MISSOS FVISSE AD OPVS PRÆDICATIONIS EVANGELICÆ, *ad quod iam aſſumpti & deſignati erant à Spiritu ſancto. Sicut Petrus & Ioannes a Collegio Apoſtolorum miſſi ſunt ad Samaritanos, non tamen ordinati Apoſtoli, ſed multo ante*

à Chriſto. Ex quo diſcas ſactos ritus, ceremoniáſque non eſſe contemnendas, ſed laudabiliter exercenda quæ maiorum pietas ad poſteros transmittit. Poterat Paolus dicere, ſe ad Euangelicum munus prædicandum à Chriſto ipſo immediatè electú, nec eſſe aliis ritibus obnoxiom, nolléque illos in ſe ſeruari; ſed id noo fetebat Pauli humilitas, nec occaſio ſactorum rituum ſpernendorum per illum exhibenda etat, qui Eccleſiæ iura tam ſollicitè ſemper & illæſa ſeruauit, & ſeruanda docuit.

Qui ſuſcitauit eum à mortuis.

955. QVi ſuſcitauit eum à mortuis. Cur Chriſti teſurrectionis hîc Apoſtolos meminetit, ſic explicat Caietanus. *Ad ſignificandum quòd non eſt factus Apoſtolus Chriſti, quando erat in carne mortali, ſed poſtquam reſurrexit a mortuis (vocatus eſt enim a Chriſto immortali) dicit, qui ſuſcitauit eum à mortuis. Et hoc ad occurrendum oblocutionibus de eo quod nunquam fuerat cum Chriſto Ac ſi apertius dixiſſet: quamuis non ſim Apoſtolus per Chriſtum mortalem,* SVM TAMEN PER CHRISTVM IMMORTALEM: *& in hoc differo à cateris Apoſtolis.*

Qui ſuſcitauit eum à mortuis. Cur iſtud adiecit? An vt tacite innueret à Chriſto iam per teſurrectionem immottali ſe in Apoſtolum conſtitutum, quod nulli Apoſtolorum contigerat? Nimirum bonarum mentium eſt non ſolùm Dei beneficia diſcutere, ac ſeriâ cogitatione voluere, ſed beneficiotum quoque circunſtantias, quæ pondus ita beneficiis adiiciunt, vt ad perfectiorem, pleniorémque gratiarum actionem extimulent. Præterea hæc verba addidit, vt illorum os clauderet, qui Pauli doctrinam damnare audebant. Benè Lytanus: *Qui ſuſcitauit eum à mortuis. Quod,* inquit, *exprimit Apoſtolus ad oſtendendum dignitatem inſtitutionis ſua: Alij enim Apoſtoli inſtituti fuerunt à Chriſto adhuc exiſtente in corpore mortali. Paulus autem ab eo immortalitatem corporis aſſecuto, & ad Patris dexteram conſtituto, quod exprimit Apoſtolus propter falſos Apoſtolos, qui doctrinam eius damnare nitebantur, eo quòd non fuerat cum Chriſto corporaliter, ſicut & alij Apoſtoli.*

Et qui mecum ſunt omnes fratres, Eccleſiis Galatiæ.

ET *qui mecum ſunt omnes.* Adiongit ſibi fratres non vnum, aut alterum, ſed omnes, qui ſecum erant, vt doceat ſe non ex ſuâ tantum, ſed omnium ſententiâ ſcribere, quæ ſcribit, quod plurimũ ad populum cottigendum facere videbatur. Claudius Altiſſiodotenſis ita rem expendebat hæc verba explicans: *Et qui mecum ſunt omnes fratres, Eccleſiis Galatiæ. In aliis epiſtolis Soſthenes & Siluanus, interdum & Timotheus in exordio praponuntur. In hac tantum, quia neceſſaria erat auctoritas plurimorum, omnium fratrum nomen adſumitur, qui & ipſi forſitan ex Circumciſione erant, & à Galatis nõ contemptui ducebantur.* PLVRIMVM QVIPPE FACIT AD POPVLVM CORRIGENDVM MVLTORVM IN VNA RE SENTENTIA ATQVE CONSENSVS. *Poſtquam enim auctoritatem ſuam commendauit, hos addis, vt omnes commotos aduerſus eos oſtenderet, quamuis ſufficeret auctoritas eius, nec poſſet refutari. Tamen vt graue factum illorum oſtendat, quo à prima fide deſtiterant, multos ſecum accenſ s ad errorem illorum arguendum deſignat. Facilè enim poterit quis intelligere errare ſe ſi ſe a multis videat reprehendi.*

Numerosè loquiuur, quia plures Galatarum erant Eccleſiæ, & iure plures, quia ab vnitate Euangelica, *& recto Euangelij tramite,* vt loquitur Eſtius, *eas abduxerant Pſeudo-apoſtoli,* ad has pecoliarem dedit Apoſtolus Epiſtolam, vt earum vulneribus medicam manum porrigeret. Cadit hîc optimè quod de Pauli Epiſtolis notabat S. Hieronymus Procem. in Epiſt. ad Epheſios: *Quomodo Beatus Ioannes in Apocalypſi ſua ad ſeptem ſcribens Eccleſias, in vnaquaque earum ſpecialia vel vitia reprehendit, vel virtutes probat: ita & S. Apoſtolus Paulus* PER SINGVLAS ECCLESIAS VVLNERIBVS MEDETVR ILLATIS: *nec ad inſtar imperiti medici vno collyrio omnium oculos vult curare.* 956.

Eccleſiis Galatiæ. Cur non *Dilectos* vocat? cur non *Sanctificatos*? An, quia inter ſe diſſidebant, vt ob id etiam *Multas Eccleſias* (ſicuti notauit etiam Theophylactus) dixerit? An quia, vt ait Eſtius; *ob gratiam Chriſti reiectam nec dignos cenſeas* IIS APPELLATIONIBVS, *quas alibi communes facit omnibus Chriſtianis?*

Vt eriperet nos de præſenti ſæculo nequam, ſecundum voluntatem Dei & Patris noſtri.

AC ſi diceret: Dedit ſemetipſum, vt nos ab impiorum numero ſegregaret, & in ſortem 957.
ſanctorum vocaret, in eorúmque cenſu locaret. ſed cur præſens ſæculum, id eſt vitæ præſentis tempus, *nequam* vocat, ſeu *malignum*? Non id facit, quòd per ſe malum ſit, ſed metonymicè ptopter malos homines; ſed cùm in hoc ſæculo etiam boni ſint, cur non potius à bonis denominatur bonum? An *quia malorum numerus,* vt ait Eſtius, *in eo* PLVRIMVM PRÆVALET, *adeo vt omnes naſcantur mali, nec boni fiant niſi ex malis?*

Secundum voluntatem Dei & Patris noſtri. Vtile eſt, quod ex his verbis elicit Claudius Altiſſiodotenſis Epiſcopus, in hunc locum; ait enim: *Secũdum voluntatẽ Dei & Patris noſtri, cui eſt gloria. Quanto igitur magis* HOMINES NON DEBENT ARROGANTER AD SEIPSOS REFERRE, *ſi quid operantur boni, quando & ipſe Dei Filius in Euangelio non gloriam ſuam ſe quærere dixit, neque voluntatem ſuam veniſſe facere, ſed voluntatem eius qui eum miſit. Quam voluntatem gloriámque Patris nunc commemorauit Apoſtolus, vt ipſe quoque Domini exemplo, à quo miſſus eſt, non ſe quærere gloriam ſuam ſignificaret, nec facere voluntatem ſuam in prædicatione Euangelij, ſicut paulo poſt dicit: Si hominibus placerem, Chriſti ſeruus non eſſem. Vt firmum ſit & plenum auctoritate, quod dicit, quia Chriſtus nos liberauit, addidit, quia iſtud cum patris fecerit voluntate.*

Cui eſt gloria in ſæcula ſæculorum. Amen.

QVòd in Epiſtolæ exordio, *Amen* poſuerit (quod alibi non fecit) hanc reddit rationem Theophylactus: *Cum nuſquam alibi in exordiis,* AMEN, POSVERIT, HIC PONIT; *indicans, quod ſermo conſummatus ſit ipſi, ac ſufficere, quæ dicta* 958.

 ſint

sint ad accusationem Galatarum. Etenim, mentione factâ inenarrabilium Dei beneficiorum, ex quibus condemnabantur illi, dimittentes benefactorem Christum: deinde admiratus ea, nec quicquam valens de illis porrò exprimere verbis, gloriam Dei continentibus verbis finit sermonem.

Miror, quod sic tam citò transferimini ab eo, qui vos vocauit in gratiam Christi in aliud Euangelium.

CVr tam acriter Galatas statim ferit qui lenis in alios esse solet; aut certè reprehensionis acrimoniam verbis suauibus lenire? An vt exemplo suo doceret doctoris esse omnibus se se aptare, & ad personarum diuersitatem diuersis verborum formulis vti? Sanctus Gregorius hom. 11. in Ezechielem hæc habet in hanc rem: *Videamus Paulum, qui tanta modestia atque mansuetudine ad corripiendos Corinthios ducitur, qualiter contra Galatas qui à fide discesserant erigitur. Nulla enim modestia in exordio inuehendo redarguit. Nam præmissa salutatione sic cœpit. Miror, quod sic tam citò transferimini ab eo, qui vos vocauit in gratiam Christi. Quibus etiam in aperta increpatione post cætera subiungit. O insensati Galatæ, quis vos fascinauit?* MENTES ENIM DVRÆ, NISI APERTA ESSENT INCREPATIONE PERCVSSÆ, NVLLO MODO MALVM COGNOSCERENT QVOD EGISSENT. *Nam sæpe hi qui impudentes sunt, tantùm se peccasse non sentiunt, quantùm de peccatis quæ fecerunt, non increpantur.* MINORES SVAS CVLPAS ÆSTIMANT, QVAS MINOR INVECTIO CASTIGAT. *Et quas vehementer obiurgari viderint, maiores esse deprehendunt. Vnde necesse est, vt semper sermo prædicantis, cum auditorum debeat qualitate formari, ne aut verecundis aspera, aut impudentibus lenia loquatur. Quid autem mirum, si hoc verbi Dei erogator faciat, cùm & agricola, qui semina in terram mittit, priùs terræ qualitatem præuidet, quibus seminibus apta videatur; & postquam qualitatem terræ viderit, tunc semina aspergit?* Istud idem habet Sanctus Anselmus hîc.

Miror. Castigantis, & increpantis significationem hoc verbum habet, *similque subindicat,* vt notat Estius, *se magnam de Galatis opinionem antea habuisse; nam casum magnorum miramur.* Additque hunc esse horum verborum sensum: *Miror vos tam citò post fidem Christi susceptam, ab eo qui vos admirabili benignitate vocauit in gratiam Christi filij sui, id est, ad participationem gratuitorum eius beneficiorum; vel per gratiam Christi, id est per meritum eius gratuitò vobis applicatum, transferri, seu traduci in aliud Euangelium, hoc est diuersum ab eo, quod à me vobis prædicatum est, siue in aliam doctrinam, quæ pro Euangelio vobis obtruditur!* Nam hoc falsorum doctorum est speciosis titulis omnes decipere, & sanctis quoque nominibus sanctitatem ipsam aterare.

959. Non caret mysterio, quod dixerit, *Transferimini*; non verò, *Translati estis.* Rem sic expendebat Theophylactus: *Non dixit, Translati estis; sed, Transferimini, hoc est,* NECDVM CREDO, NEC ARBITROR CONSVMMATAM ESSE DECEPTIONEM. Nimirum, in alienis moribus censendis semper, quantum fieri potest, minus malum credendum est. Idem hîc notabat Sanctus Chrysostomus à quo illud sumpsit Theophylactus.

Ab eo qui vos vocauit; Non se nominat, ne plus quàm par esset, sibi tribueret. *Non dicit à me*, inquit Caietanus, *aut ab homine quocunque, sed à Deo, qui vos vocauit* INTERNA SVA VOCATIONE, sine qua externa quælibet parum, imo nihil prodest.

Ab eo, qui vos vocauit. Cur non potius dixit, *ab Euangelio, quod vobis prædicaui?* An ne ob iniuriam sibi factam in eos commotus esse videretur, neue tam durè eos à Paulo reprehensos quis crederet, quòd eius doctrinam, ac personam contempsissent. Aptè Estius huc flexit hîc: *Non dicit à meo Euangelio in aliud, sed ab eo, qui vos vocauit,* NE SVVM NEGOTIVM AGERE VIDERETVR, SVIVE CAVSA COMMOTVS ESSET ADVERSVS GALATAS, *sed propter ipsos, quia à Deo vocante recesserant.* Scilicet veri Dei cultores causam Dei agere sciunt, non suam, nisi quod suam putant, quæ est Dei.

Nisi sunt aliqui qui vos conturbant, & volunt conuertere Euangelium Christi.

COnuertere Euangelium Christi est aliud docere, quàm quod Christus per Apostolos docuit. Signatè autem dixit, *volunt conuertere,* non *conuertunt*, indicans irritum illorum conatum esse. Notat hîc Theophylactus etiam exiguum quiddam Euangelio repugnans, vt erat Sabbati obseruatio, ac Circumcisio eiusmodi esse, vt vniuersum Euangelium dicatur subuertere. *Quod obseruari vult,* addit Estius, *propter eos, qui in quæstione Religionis, ac fidei saltem modicum quid putant aduersariis causa pacis concedendum.* Cum omni hostilitate nocentior sit pax, quæ cum fidei, & religionis præiudicio stabilitur.

Licèt nos, aut Angelus de Cælo euangelizet vobis, præterquam quod euangelizauimus vobis, anathema sit.

NOn quod à bonis Angelis aliquid timendum mali sit; sed hoc dixit Apostolus aut per quandam exaggerationem; aut etiam, vt 960.
Satanæ occurreret, qui se in Angelum lucis transfigurat. Præclarè S. Isidorus Pelusiota lib. 3. epist. 165. *Ardens ille Verbi amator, Paulus inquam Apostolus, non modo aduersùs seipsum aliósque Apostolos sententiam fert, si quid nouarum rerum in Euangelica prædicatione comminisci audeant; sed etiam aduersùs Angelos, nec Angelos simpliciter, sed etiam de Cælo. Non quod iis, qui hoc facinus perpetrare nec vnquam ausi sunt, nec audebunt.*

Præter quàm quod euangelizauimus vobis anathema sit. Abutuntur hoc loco hæretici Apostolicas traditiones his verbis euertentes; sed si *præter* significat id quod quomodòcumque diuersum est; ipse sibi Paulus indicere anathema potest, qui in aliis Epistolis postea scriptis quædam tradidit, & docuit quæ antea Galatis non tradiderat. Hæc igitur particula, *præter*, significat Apostolus, non quod quocumque modo diuersum est, sed ita est diuersum vt antea traditis aduersetur, & euertit quæ stabilita sunt; quo pacto non sunt Ecclesiasticæ traditiones, quæ potius

potius eum doctrina iam tradita, & verbo ſcripto maximè conoeriunt.

Licèt nos, aut Angelus de cœlo. Itane etiam Angelis legem homo ponit? Immò iam erat poſita: nec enim ſe extra ſphæram ſuam extendere Angelus debet. *Miniſtrare*, inqoit S. Pruelus epiſt. de Recta fide, PRÆCEPTVM EST ANGELO, NON DOGMA COMPONERE: *& periculoſum nimis eſt ſingulis, non in his, quibus ordinati ſunt, permanere; ſed appetere velle ſupra menſuram, quæ minimè naturæ conceſſa ſunt.* Iſtud idem cauendum & hominem eſt, ne infra ſe fiat, dum ſe ſupra ſe effert.

Licèt nos, aut Angelus de Cœlo. Cum Angelis de cœlo non ſit credendum ſi aliud doceant ac docuerint Apoſtoli, multo minus credendum Dæmonibus eſt. Et fortaſſe etiam ob id verba iſta dedit Apoſtolus, vt omnis docendi aditus Dæmonibus præcluderetur. Certè id tetigit Sanctus Iſidorus Peluſiota lib. 3. epiſt. 165. vbi quærens cur ita loquutus Paulus fuerit, ait: *Vt* PESTIFERIS DÆMONIBVS FIDEI VIAM PRÆCLVDERET, *ne quando arreptâ occaſione, vt Angeli prædicationem euerterent; quid enim, inquit etiamſi nos, aut Angelus de cœlo euangelizauerit vobis aliquid præter quam quod accepiſtis, anathema ſit. Nam alioqui* ANGELI EX PRÆDICATIONIS SECVRITATE TANTAM VOLVPTATEM CAPIEBANT, *et is etiam, qui ad Cornelium miſſus fuerat, magiſtrum indicârit, non autem ſibi ipſi docendi munus permiſerit.* Pende illud: *Angeli ex prædicationis ſecuritate tantam voluptatem capiebant*; quia nimirum Dei eui gloriam, hominúmque ſalutem præcipuè ſpectant, auidiſſimè deſiderant.

Si quis vobis euangelizauerit præter id quod accepiſtis, anathema ſit.

960. REpetit quod ſuperius dixerat, vt altiùs illorum memoriæ inſideret. *Præter id quod accepiſtis.* Scilicet à nobis, quod intelligitur vt ſuperius monebamus, de iis, quæ traditis aduerſantur, vnde ſignatè non dixit *pluſquam accepiſtis*, ſed *præter id quod accepiſtis* Quod expendebat Sanctus Auguſtinus tract. 98. in Ioannem: *Non ait*, inquit, *pluſquam accepiſtis, ſed præter quod accepiſtis; nam ſi illud diceret ſibi ipſi præiudicaret, qui cupiebat venire ad Theſſalonicenſes vt ſuppleret, quæ illorum fidei defuerunt. Sed, qui ſupplet quod minus erat, addit, non quod inerat tollit. Qui autem prætergreditur regulam fidei, non accedit in via, ſed recedit de via.* Ex quo fit vt omnis doctrina reiicienda ſit, quæ antiquitus ab Apoſtolis traditæ aduerſatur, ſicque omnis hæreticorum error cadit.

SECTIO II.

Si adhuc hominibus placerem, Chriſti ſeruus non eſſem.

SENSVS eſt: ſi adhuc ſtuderem placere hominibus, vt feci in Iudaiſmo, non addixiſſem me Chriſto; aut ſi hominum gratiam ſectarer non eſſem idoneus Chriſti ſeruus, nec dignè ac ſincerè eius miniſterium obirem, quo in Euangelio prædicando illi ſeruio; muniunt hunc ſenſum, quæ habet Sanctus Chryſoſtomus ſerm. 47. de diuerſis noui Teſtamenti locis, dum ait. *Si enim hominibus, inquit, placerem, Chriſti ſeruus non eſſem. Vnde vero id conſtat te non,* VT HOMINIBVS PLACERES *ad prædicationem fuiſſe conuerſum? Audiſtis, inquit, conuerſationem meam aliquando in Iudaiſmo, quoniam ſupra modum perſequebar Eccleſiam Dei, & expugnabam eam. Quod ſi hominibus placere voluiſſet, nequaquam ad fidem conuerſus fuiſſet. Quid ita? colebatur à Iudæis, & multa ſecuritate fruebatur, ac præ cæteris honore afficiebatur: non igitur ad Apoſtolorum vitam tot obiectam periculis ſe tranſtuliſſet, quæ multa laborabat infamia, quæ tot calamitatibus redundabat.* 961.

Se hominibus non placere reſtatur Apoſtolus, cur igitur alibi dixit, ſcilicet 1. Corinth. 10. omnibus per omnia ſe placere? An vtrumque verum, quia in eo ipſo quò hominibus placere ſtudebat, vt homines lucrifaceret Deo, quærebat placere: *Apoſtolus dicit*, inquit Sanctus Auguſtinus lib. 2. de ſermone Domini in monte. *Si adhuc hominibus placerem, Chriſti ſeruus non eſſem, cum alio loco dicat: Placete omnibus per omnia, ſicut & ego omnibus per omnia placeo: quod qui non intelligunt contrarium putant, cum ille ſe dixerit non placere hominibus, quia non ideo rectè faciebat vt placeret hominibus, ſed vt Deo ad cuius amorem corda hominum volebat conuertere, eo ipſo quo placebat hominibus. Itaque & non ſe placere hominibus rectè dicebat, quia in eo ipſo vt Deo placeret intuebatur, & placendum eſſe hominibus rectè præcipiebat; non vt hoc appeteretur tanquam merces rectè factorum,* SED QVIA DEO PLACERE NON POSSET, QVI NON SE IIS QVOS SALVOS FIERI 962.

FIERI VELLET PRÆBERET IMITANDVM: *imitari autem illum qui sibi non placuerit, nullo pacto quisquam potest. Sicut ergo non absurdè loqueretur, qui diceret. In hac opera qua nauem quæro, non nauem quæro, sed patriam: sic Apostolus conuenienter diceret: In hac opera qua hominibus placeo, non hominibus, sed Deo placeo: quia non hoc appeto, sed ad id refero, vt me imitentur, quos saluos fieri volo.*

963. *Si hominibus placerem.* Quid iis quæramus placere, quibus nec Christus placet? *Mundo placere non potes,* inquit Sanctus Paulinus epist. 6. ad Seuerum. NISI CHRISTO MALVERIS DISPLICERE; *Si enim, inquit, hominibus placerem, Christi seruus non essem. Displiceamus ergo his, & gratulemur iisdem nos displicere, quibus & Deus displicet. Non enim nostrum (vt scis) sed Domini nostri Iesu Christi, id est, omnipotentis Dei opus in nobis lacessunt, quem in suis actibus spernunt, nostris operibus oderunt.* Placeat ergo nobis non iis displicere quibus & Christus displicet.

Qui hominibus placere studet, non placet Deo, nec Deum placat. Festiue Sanctus Bernardus epist. 42. *Et Apostolus, Si hominibus placerem, Christi seruus non essem: volens itaque placere hominibus, Deo non places:* SI NON PLACES, NON PLACAS. Vtile quoque est, quod hinc elicit Sanctus Hieronymus epist. 2. quæ est ad Nepotianum. *Caue ne hominum rumusculos aucuperis; ne offensam Dei, populorum laude commutes. Si adhuc, inquit Apostolus, hominibus placerem, Christi seruus non essem.* DESIIT PLACERE HOMINIBVS, ET SERVVS FACTVS EST CHRISTI. Plerique à Dei seruitute abierunt, hominibus vt placerent, & sic factum vt & hominibus displicerent, & Deo.

964. Quod si quis hominum salutem quærens hominibus placeat, tunc Deo in hominibus placet, quod maximè commendabile est; huc spectabat Claudius Altissiodorensis Episcopus hîc: *Qui enim,* inquit, *placet hominibus, nõ ab ipsis suam gloriam quærens, sed Dei, vt salui fiant, non iam hominibus, sed Deo placet. Aut certe iam cùm & Deo placet, simul & hominibus, non vtique hominibus placet. Aliud est enim placere hominibus, aliud & Deo hominibus. Non putemus ab Apostolo nos doceri, vt exemplo suo hominum iudicia contemnamus.*

Si hominibus placerem. Et non simul aliquis potest & placere hominibus & Deo? Certè de Samuële dictum est 1. Reg. 2. 26. *Puer Samuel proficiebat atque crescebat, & placebat tam Domino, quam hominibus.* An hoc ideo consequutus quia puer, nec adeo inuidiæ obnoxius? An benè placere hominibus quis potest, si priùs placet Deo, & ex hoc nascatur vt hominibus placeat, sicque cura præcipua sit Deo placere, vt signatè dictum prius sit *tam Domino*, deinde, *quam hominibus*? Denique Deo simul & hominibus placere non possumus, nec vtrique seruire, si studium placendi hominibus nos eò ferat, vt Deum Deique voluntatem negligamus, nam alioquin in eo, qui hominibus propter Deum placet, Deo soli placere videtur.

Quoniam supra modum persequebar Ecclesiam Dei, & expugnabam illam.

CVr *Ecclesiam Dei* potius dicit, quàm *Christianos*? an vt meliùs facinus suum exprimeret? dicendo Ecclesiam Dei, peccati sui magnitudinem significauit, quippè qui eum cœtum dissipare tentauerit, quem Deus congregauerat, quod erat pugnare aduersùs Deum; grande scelus cum non in singulos tantum homines sæuitur, SED TOTAM VNIONEM, SOCIETATEM, CONGREGATIONEMQVE quis conatur dissipare, ac euertere.

Expugnabam illam. Et qui Ecclesiam Dei ex- 965.
pugnauit, quæ vinci non potest & tunc maximè triumphat, quum suorum effunditur sanguis? *Quod hîc ait Paulus, expugnabam* (inquit Guilliadus) *non ad* EVENTVM REI, SED AD ILLIVS ANIMVM ET CONATVS *referendum est.* Et Caietanus: *Intellige*, inquit, *expugnare nitebatur;* EXPVGNABAT AFFECTV, NON EFFECTV, *nisi quò ad corpora credentium.* Aut dicit se expugnasse Ecclesiam Dei, id est, vastasse Christianos aut occidens, aut in vincula coniiciens, aut in fugam impellens.

Et proficiebam in Iudaïsmo supra multos coætaneos meos in genere meo.

S*Vpra multos.* Bene hîc Primasius; *Non dixit supra omnes, ne* IACTANTIÆ VIDERETVR OCCASIO, iactantiæ etiam vmbram vitat humilitatis Magister.

Vt reuelâret Filium suum in me.

V*T reuelaret Filium suum in me.* Cur, *In me*, potiùs dixit; quam, *Mihi?* Theophylactus hîc: *Non dixit, Mihi; sed, In me; indicans, quod non verbo tantùm didicerat; verumetiam multo spiritu cor repletum fuerit, in interiorem hominem cognitione intincta, & Christo in eo loquente.*

Vt reuelaret Filium suum in me. Hæc verba sic solent exponi, vt *in me* posuerit pro eo, quod est per me. Vt sit sensus, ait Estius: *Vt per me tanquam Apostolum & præconem Filium suum, fideique eius mysteria manifesta mundo faceret.* Præterea *in me* dixit, & non *mihi*, vt hinc discamus non solum intimè Christum Christi cultoribus, insinuari sed extimè quoque in illis per probæ vitæ actus apparere. Expensè Catharinus hîc: *Vt reuelaret Filium suum in me. Non dixit*, inquit, *mihi, sed in me, quia Christus quum reuelatur à Patre sanctis suis, miro modo internè se se insinuat, vt in illis existens, appareat etiam aliis tum innocentiâ vitæ, tum puritate doctrinæ. Et sic euangelizant illum opere & sermone. Primum quidem opere: deinceps autem sermone. Hanc Dominus IESVS sanctissimam rectè viuendi normam tradidit, qui primum cœpit facere, & tum docere.*

Sed abij in Arabiam.

E Damasco vbi statim à conuersione sua fue- 966.
rat baptizatus, abiit in Arabiam; quid ibi Apostolus egerit non habemus; præclara tamen quædam facinora ibi præstitisse, quæ scripta non sunt, putat Sanctus Chrysostomus. MAGNORVM EST MAGNA PRÆSTARE, nec curare vt ad aliorum notitiam transmittantur.

Abij in Arabiam. Præclarè Sanctus Chrysostomus hîc. *Contemplare feruentem animum. Studebat*

bat occupare regiones ante hac à nemine cultas, ſed quæ etiamnum vaſta incultaque iacebant. Etenim ſi manſiſſet apud Apoſtolos cùm nihil eſſet quod ab illis poſſet diſcere, prædicationis officium fuiſſet impedimentum. Oportebat enim illos quaqua verſum diſſeminare verbum. Has ob res hic Beatus SPIRITV DOCTRINÆ FERVENS, PROTINVS AGGRESSVS EST HOMINES BARBAROS ET AGRESTES, *vitæ genus ſuſcipiens, multis laboribus ac periculis obnoxium.*

967. *Sed abij in Arabiam.* Cur irionis iſtius Lucas in Actis non meminit? Claudius Altiſſiodorenſis Epiſcopus hìc nodum ita ſoluit dum ait: *Lucam vero idcirco de Arabia præteriiſſe, quia forſitan nihil dignum Apoſtolatu in Arabia perpetrarat, & ea potius compendioſâ narratione dixiſſe, quæ digna Chriſti Euangelio videbantur. Nec hoc ſegnitia Apoſtolo deputandum ſi fruſtra in Arabia fuerit, ſed quod aliqua diſpenſatio, & Dei præceptum fuerit, vt faceret. Nam & poſtea legimus in Actis Apoſtolorum, Paulum cum Sila egreſſum prohibitum eſſe à Spiritu ſancto verbum in Aſia loqui.*

Et iterum reuerſus ſum Damaſcum. Ediſſere nobis magne, quid in Arabia præſtiteris? quos ad Chriſtum vocaueris; nihil dicit, vt modeſtiæ homiliratíque litaret; *Non commemorauit*, inquit hic Sanctus Chryſoſtomus, SVA PRÆCLARA FACTA, *neque quot edocuerit, neque quam multos.*

Veni Ieroſolymam videre Petrum.

968. V*idere Petrum*; Græcè ἱστορῆσαι, cuius verbi vim ſic expendit Sanctus Chryſoſtomus hîc; *non dicit*, inquit, ἰδεῖν, *id eſt, vt cernerem Petrum: ſed* ἱστορῆσαι, *id eſt; vt viderem: quomodo loqui ſolent,* QVI MAGNAS, ET SPLENDIDAS VRBES INVISVNT *cognoſcendi gratiâ. Adeò iudicabat operæpretium multoque ſtudio dignum tantummodo videre virum.*

Alium autem Apoſtolorum vidi neminem, niſi Iacobum, fratrem Domini.

F*Ratrem*, non ſimpliciter dixit Iacobum, ſed *magnificum illud elogium* addidit, *fratrem Domini.*

Et in me clarificabant Deum.

969. QVia nimirum ob Pauli conuerſionem gloriam Deo tribuebant. Digna res eſt, quæ in exemplum eat. *Notanda*, inquit hîc Eſtius, *fidelium vetus conſuetudo, qui, viſa, vel audita alicuius hominis ad fidem* CONVERSIONE, STATIM AGNOSCEBANT OPVS DEI, AC DEVM IN SVO OPERE LAVDABANT. *Sic Actor.* 11. 18. *Et glorificauerunt Deum dicentes: Ergo & Gentibus dedit Deus pœnitentiam ad vitam. Sic Chriſtianus populus didicerat.*

In me clarificabant Deum. Modeſtiæ notam hîc notabat S. Chryſoſtomus. *Contemplor*, inquit, *hîc regulam* PAVLINÆ MODESTIÆ, *quantóque ſtudio eam obſeruet. Non enim dixit, admirabantur me, laudabant me, ſtupebant: ſed declarauit totum hoc eſſe gratiæ dicens, Deum glorificabant in me.* Sicque maiori gloriâ dignus reddebatur totam in Deum gloriam reiiciens.

CAPVT II.

EPISTOLÆ AD Galatas expenditur & illuſtratur.

Deinde poſt annos quatuordecim iterum aſcendi Ieroſolymam.

DIVINITVS admonitus ſe Ieroſolymam Apoſtolus contulit, 970.
cùm ſcilicet mota eſſet à quibuſdam de doctrinæ eius veritate, ac ſinceritate quæſtio, vt omnes intelligerent nihil à cæteris Apoſtolis docere diuerſum. Quadrant hîc optimè quæ habet Tertullianus lib. de Præſcriptionibus aduerſùs hæreticos, cap. 19. vbi ait: ASCENDIT IEROSOLY-

MAM cognoscendi Petri causâ, ex officio & iure scilicet eiusdem fidei & prædicationis. Nam & illi non essent admirati, de persecutore factum prædicatorem, si aliquid contrarium prædicaret; nec Dominum propterea magnificassent, quia aduersarius eius Paulus obuenerat, itaque & dexteram ei dederunt signum concordiæ & conuenientiæ, & inter se distributionem officij ordinauerunt, non separationem Euangelij, nec vt aliud alter, sed vt aliis alter prædicaret, Petrus in circumcisionem, Paulus in nationes. Sicque ad diuersos missi nihil diuersum sentirent, aut prædicarent, cum vno eodémque Spiritu pleni dicerent quæ dicebant.

Ne fortè in vacuum currerem, aut cucurrissem.

EVangelicæ prædicationis opus, cursum vocat, quòd in eo obeundo, & exsequendo summa cum alacritate, & diligentia versaretur. CVRSVS PAVLI PRÆDICATIO ERAT, & omnes hortabatur, vt in Dei obsequium currerent; vt vbique torpor excutiendus est, excutiendus maximè cum de animæ salute agitur. Denique sicut qui currit ab omni debet esse onere expeditus, leuis ab omni parte, ita prædicator nullu rerum terrenarum affectu grauari debet.

In vacuum currerem. Sua huic verbo inest vis, inest suum pondus. *Nota*, inquit Catharinus, *Apostoli verbum; currerem; quod propriè his conuenit qui mittuntur, & legatione funguntur: vt intelligas eos expeditos & promptos ad iter conficiendum, eáque exequenda, quæ in mandatis acceperunt.* TALEM SVVM MERCVRIVM *Poetæ cum talaribus componunt: Vnde & B. Paulus alibi ait. Nihil horum timeo, dummodo consummem cursum meum, & ministerium verbi. Hinc & pedes pulchri dicuntur ad currendum hoc pacto, euangelizantium pacem, euangelizantium bona. Sic & dicitur de iis qui sibi legationem arr gant. Ego non mittebam eos, & ipsi currebant. Et nunc quot currunt, bone Deus, qui non solum, non mittuntur, sed etiam prohibentur? O scelerosos, ô inquinatissimos pedes in sempiternum ignem præcipitandos!* Quibus verbis maximè nostri temporis hæretici percelli possunt, qui contra Dei voluntatem, doctrinam veritati contrariam euulgant.

Ne fortè in vacuum currerem. Ex Græco pro *ne fortè*, verti potest, *ne quoquo modo.* Vt integer huius loci sit sensus. Euangelium meum cum illis contuli, non vt discerem, quod prius nesciebam, aut quasi causæ meæ parum fiderem, sed ne sine fructu prædicarem Euangelium, aut hactenus prædicassem, dū scilicet, à falsis fratribus passim traducor apud eos, quibus hactenus prædicaui, & quibus adhuc prædico, tanquam diuersam, & dissonantem à cæteris Apostolis doctrinam euulgans. Qui locus, vt monuit etiam Estius, *ostendit quàm sit necessarium, doctrinam eti m bonam, & diuinitus acceptam communicari cum iis, qui præsunt Ecclesiæ, vt ab illis examinata, & approbata cum fructu prædicari, cumque securitate, & certitudine possit à fidelibus suscipi* Huc spectat, quod habet S. Augustinus lib. 28. contra Faustum cap. 4. *Ipse Paulus Apostolus*, inquit, *post Ascensionem Domini de Cœlo vocatus, si non inueniret in carne Apostolos, quibus communicando, & cum quibus conferendo Euangelium, eiusdem societatis esse appareret: Ecclesia illi omnino non crederet. Sed cum cognouisset eum hoc annunciantem, quod etiam illi annunciab.nt, & in eorum communione atque vnitate viuentem: accedentibus etiam per eum talibus signis, qualia & illi operabantur: ita eum Domino commendante, meruit authoritatem, vt verba illius hodie sic audiantur in Ecclesia, tanquam in illo Christus, sicut ipse verissimè dixit, locutus audiatur.*

Ne fortè in vacuum currerem. Non propter se, 971.
sed propter alios istud dixisse notat Catharinus, hîc dum ait: *Caue putes à Beato Paulo hoc dictum propter sci sum quasi vacillaret, aut quasi testari voluerit se Euangelij sui accepisse testimonium ab hominibus, tanquam minus fidei Dei reuelationibus habuisset: sed id quod dicit, Ne fortè; seu, ne quouis modo, in vacuum currerem, propter alios dixit, qui illum audiebant. Minore enim fide prædicationem illius suscepissent, si visus fuisset ab aliis discrepare, aut cum illis non conuenire, qui habebantur in tanta existimatione, vt primæ Ecclesiæ columnæ vocarentur, penes quos residebat authoritas probandi doctrinas. Quo in loco diligentius attende, bone lector, multa declarari atque probari ab Ecclesia, non ea ratione quasi non sint his certa, qui eiusmodi ponunt declarationem: sed vt fiant aliis certa ad ædificationem ipsorum.*

Qui enim operatus est Petro in Apostolatum circumcisionis, operatus est & mihi inter Gentes.

SEd cur datus præcipuè Gentibus Paulus, & Petrus Iudæis? vt omnibus iuxta exigentiam opportunè consuleretur, quod diuinæ est prouidentiæ. Scitè Hugo Victorinus annot. in Epist. ad Romanos: *Rationabiliter*, inquit, PETRVS *in signis, & virtutibus potens, datus est Iudæis signa quærentibus.* PAVLVS *verò, cui præ cæteris data est cœlestis sapientia, datus est Gentibus in Apostolum, & doctorem, quia vt ipse ait: Iudæi signa petunt: Græci sapientiam quærunt.*

Tantum vt pauperum memores essemus.

VT hinc colligas quanti hæc res momenti sit. Quod ita conficit Sanctus Chrysostomus serm. 22. de diuersis noui Testamenti locis. *Vnde diuisis apud Petrum discipulis, pauperum curam non diuisit, sed vt dicit, dextras dederunt mihi, & Barnabæ societatis, vt nos in Gentes, ipsi in circumcisionem Apostolatu fungeremur, iniunxerunt solùm, vt pauperum essemus memores: id quod facere curaui. De qua re subinde sermonem in Epistolis suis inculcat, & nec vnum inuenies, quæ de ea non admoneat. Sciebat enim, sciebat quanti momenti res sit, & propterea tanquam ædificio admirabile fastigium superimponens, hanc doctrinam consiliis, & admonitionibus suis adiicit.*

In faciem ei restiti, quia reprehensibilis erat.

REprehensibilis ostensus, ostendit se di- 972.
gnum laude Petrus, dum id æquo animo tulit, quippè qui sciret iure id à liuore non fuisse, sed à charitate. Scitè Sanctus Petrus Damianus lib. 1. epist. 12. *Petrum planè in faciem resistens Paulus obiurgat, & coram omnibus r prehensibilem indicat. Quod ille non in accusationis tulit iniuriam, sed benignè, & patienter accep.., quod non*

ex

EX LI[illegible] CHARITATE *procedere perspi*[illegible]*recog*[illegible]*.*

Dixi Cephæ coram omnibus, &c.

QVia ita publica salus postulabat, vt in capite & membra sanarentur; & posteris dabatur exemplum, vt fortiter correctionem ferrent etiam posteriorum. Præclarè rem versat S. Augustinus: *Quod autem coram omnibus, necessitas coegit, vt omnes illius obiurgatione sanarentur. Non enim vtile erat, errorem, qui palam noceret, in secreto emendare. Huc accedit, quòd firmitas, & charitas Petri, cui ter à Domino dictum est, Amas me? Pasce oues meas; obiurgationem talem* POSTERIORIS POSTERIS PRO SALVTE GREGIS LIBENTISSIME SVSTINEBAT: Abeunt ab hac mente, qui nec propriæ, nec alienæ salutis causâ ferunt se reprehendi.

973. *Dixi Cephæ coram omnibus.* Cur Petrum arguit Apostolus? An vt Petri voluntati obsequeretur? *Foris*, inquit Sanctus Pettus Damianns opusc. 46. cap. 5. *Contradictor apparuit, sed cordis eius vota compleuit*; & nonnullis interiectis. *Volebat ergo Petrus permaximè coram omnibus argui*, GAVDEBAT OBIVRGANTIS INVECTIONE CONFVNDI: *vt id, quod inuitus agebat, correptus omitteret: & in eo, quod solus attentare timuerat, socium inueniret. Paulus ergo pro Petro cum restitit, eique proculdubio intrinsecus concordauit, quem extrinsecus arguit, alioquin quomodo Paulus in alio condemnaret, quod ipse non dissimili necessitate compulsus, egisset? Nam propter Iudæos, qui legis obseruantiam, & veteres ritus tenendos esse perhibebant, & Timotheum, Gentilis videlicet hominis filium circumcidit: & ipse votum soluens sibimetipsi caput rasit, & sacrificium iuxta veteris legis cerimonias obtulit.*

Dixi Cephæ coram omnibus; Cur solum Petrum Paulus alloquitur? *Quod is*, inquit Estius, *suo exemplo cæteris author fuisset simulationis, quodque eo correcto, cuius apud omnes erat summa authoritas,* ALIORVM CORRECTIO FACILE SECVTVRA ESSET, quia nimirum facilè redundat in subditos quod à superioribus fit, fit in superiores.

974. *Coram omnibus*; cur coram multis Petrum reprehendit? *Vt omnes*, inquit S. Augustinus, *eius obiurgatione sanarentur, non enim vtile erat errorem* QVI PALAM NOCERET, *in secreto emendare.*

Quomodo Gentes cogis Iudaïzare.

SEd quomodo cogebat? An quia Superioris exemplum tantas in subditos vires habet, vt cogere ad id eos videatur, quod à Superiore viderint fieri? *Non vrgerentur*, inquit S. Augustinus, lib. de mendacio cap. 5. *nisi viderent* EVM SIC EAS OBSERVARE, *quasi præter illas salus esse non posset.*

Viuo autem, iam non ego: viuit verò in me Christus.

VErè viuebat Paulus, dum dicit se non viuere. *Paulus cum aiebat*, inquit Sanctus Gregorius Nazianzenus orat 29. *Viuo autem, iam non ego, viuit autem in me Christus, non vtique de seipso, tanquam de mortuo, loquebatur, sed tanquam de eo,* QVI PRÆSTANTIOREM QVAM VVLGVS MORTALIVM SOLEAT, *vitam ageret, vtpote qui vera vita, nulloque mortis fine circumscripta particeps esset.*

Viuo autem. Simul, & cruci affixus est, & viuit, imò verè viuit, quia cruci affixus est; aptat hæc martyri B. Laurentius Iustinianus, serm. in festo S. Georgij mart. *Viuebat in carne, & corde cum Christo iam pendebat in cruce, idque dicebat: Christo cruci confixus sum, viuo ego, iam non ego, viuit autem in me Christus.* LONGE EXCELLENTIVS MARTYR SIC MORTVVS VIVEBAT IN CHRISTO, *quàm si feliciter florens alienus esset à Christo. Est planè quædam beata mors, & quædam vita miserrima, nedum in futuro, verum etiam in præsenti sæculo nequam.* 975.

Viuo autem iam non ego. Igitur viuit, & non viuit: ita est, ad terrena vitæ sensum habere non videtur, ad ea quæ Christum tangunt viuit. Præclarè B Bernardus serm. 7. in quadragesima: *Necesse est*, inquit, *vt qui non viuit in se, viuat Christus in illo. Hoc est enim quod ait Apostolus. Viuo autem, iam non ego, viuit vero in me Christus. Ac si diceret.* AD ALIA QVIDEM OMNIA MORTVVS SVM, *non sentio, non attendo, non curo: si qua vero sunt Christi:* HÆC VIVVM INVENIVNT ET PARATVM. *Nam si non aliud possum, saltem sentio; placet quod ad eius honorem fieri video, displicent, quæ aliter fiunt.*

Viuit verò in me Christus. Ardenter amantis hæc sunt verba, *Amatorius animus*, vt ille aiebat, MORTVVS *est in suo corpore, &* VIVIT *in alieno*; Quid igitur mirum, si verba amatoria proferat, qui amatoriam viuebat vitam? In Christum immigrauerat, in quo Christus viuebat: ac si parum illi esset in Christo viuere, nisi viueret in illo Christus. 976.

Viuit verò in me Christus. Tantum amor potest, vt nos in Christo non solum viuere faciat, sed Christum quoque in nobis, & in Christum nos transformet, *O amor*, inquit, Beatus Laurentius Iustinianus de incendio diuini amoris c. 3. *quid retribuam tibi, quod me fecisti diuinum? Viuo ego, iam non ego, viuit verò in me Christus. Inenarrabilis est, ô amor, virtus tua.* O AMOR QVI LVTVM TRANSFIGVRAS IN DEVM; *Quid ergo te potentius? quid dulcius? quidue iucundius? quid nobilius?*

Viuit verò in me Christus: Qui totius vitæ spiritualis est auctor, & cui totum quilibet debet, quod iustitiæ viuat. Sed ille, in quo Christus viuebat, cur dicere alibi potuit, se iam perfectum non esse, & currere, vt comprehenderet? An quia hæc iustorum nota est, vt quò magis Deo adhærent, magis cupiant adhærere, quò cœlestibus diuitiis magis affluunt, eò auidius ea quærant. Audiendus hîc Sanctus Gregorius Nyssenus, qui orat. 3. de Beatitud. ad hunc locum spectans ait: *Mihi videtur Magnus ille Paulus, qui arcanos illos Paradisi fructus degustauit, & plenus eorum, quæ gustauit, & semper esuriens esse: etenim repletum se esse eius quod desiderabatur, fatetur, dum dicit: viuit autem in me Christus, & tanquam esuriens,* SEMPER PRÆTERITIS OMISSIS AD VLTERIORA ASPIRAT *dum dicit: non quod iam ceperim, aut iam perfectus sim: curro autem, vt assequar, & comprehendam.* 977.

Qui dilexit me, & tradidit semetipsum pro me.

978. QVi dilexit me. Amor fecit vt aptaret sibi, quod erat omnibus commune. *Quid facis ô Paule*, inquit S. Chrysost. DVM COMMVNIA PROPRIE TIBI VINDICAS, *quæque pro toto terrarum Orbe facta sunt, tibi facis peculiaria? Non enim dixisti; qui dilexit nos, sed qui dilexit me. Atqui Euangelista dicit: Sic dilexit Deus mundum. Quin & tu ipse dicis: qui proprio filio non pepercit, sed tradidit eum pro nobis. Non igitur pro te, sed pro omnibus. Ac rursum: Vt acquireret sibi populum peculiarem, Quid est igitur quod hic dicit? Cum consideraret Apostolus infirmitatem humanæ naturæ, & ineffabilem Dei sollicitudinem, tum quibus ipsum malis liberasset, quæ bona largitus esset, inflammatus illius desiderio hunc in modum loquitur. Quandoquidem, & prophetæ non rarò Deum communem, sibi proprium faciunt, hoc modo loquentes: Deus Deus meus ad te de luce vigilo. Præterea vero declarat hoc quoque par esse, vt quisque nostrûm non minus agat gratias Christo, quam si ob ipsum solum aduenisset. Neque enim recusaturus erat, vel ob vnum tantam exhibere dispensationem; adeo singulum quemque hominem pari charitatis modo diligit, quo diligit orbem vniuersum. Itaque victima quidem pro tota oblata est natura, ac sufficiebat omnibus saluandis: cæterum, soli illi qui crediderunt, sunt quibus vsui fuit beneficium.*

979. Christianæ gratitudinis exemplum hîc habes insigne, cum scilicet commune beneficium quis interpretatur tanquam proprium: per quæ verba ostendit Apostolus, *quòd tantam oportet vnumquemque* GRATIAM REDDERE CHRISTO *quantam*, inquit Estius, ex Theophylacto, *si pro ipso solo mortuus esset, exhiberet.*

Tradidit semetipsum pro me. Totum te Christo debes exhibere, qui totum se pro te dedit. *Pro te carnem*, inquit Sanctus Petrus Damianus serm. 47. *& animam suam posuit, vt corpus, & spiritum tuum sibi vindicaret?* TOTO SE TOTVM TE COMPARAVIT. Nihil ergo tui detrahe, quatenus quantus es, te Deo sacra, inque Dei obsequium te totum mancipa.

Tradidit semetipsum. Pater Filium tradidit, tradidit se Filius, eundem tradidit & Iudas; sed diuersâ omnes intentione: *Totum*, inquit hîc S. Thomas, *vnum est, sed non* VNA INTENTIO, *quia Pater ex charitate, filius ex obedientia simul, & cum charitate; Iudas verò ex cupiditate, & proditoriè.* Vt spectandum non sit tantum quid ab aliquo fiat, sed quo animo, quo affectu, quo fine, qua intentione, quæ operis quodammodo forma & anima, vt ita loquar, est.

CAPVT III.

EPISTOLÆ AD Galatas expenditur & illustratur.

O insensati Galatæ.

O *Insensati*; Sanctus Augustinus legit, *stulti*, græcè ἀνόητοι, quæ vox *stupidos* significat, ac væcordes; sed cur tam graui afficit contumelia Galatas; non fuit maledicentis vitium, sed studium corripientis? TAM ACRITER INCREPAT VT APTIVS CORRIGERET, præsertim quod Galatæ, vt ait Sanctus Hieronymus, vitio gentis indociles erant, & ad sapientiam tardiores, vt increpandi magis essent, quàm docendi. 980.

O insensati Galatæ: Charitas zelúsque hæc excudit verba, non contemptus, vt non sit reprehendendus Apostolus, sed laudandus, quòd tam acriter Galatas reprehenderit. *O insensati!* inquit Beatus Dionysius, *id est stulti, insipientésque Galatæ. Non incurrit sententiam Saluatoris dicentis: Qui dixerit fratri suo, fatue, reus erit gehennæ ignis*; QVIA NON EX CONTEMPTV, AVT EX MALIGNITATE, SED ZELO ÆQVITATIS, ET ANIMO CORRIGENDI INSENSATOS EOS APPELLAT. *Sic enim, & Christus dixit discipulis, O stulti & tardi corde ad credendum!*

Quis vos fascinauit non obedire veritati?

SEnsus est; Quis menti vestræ ita falsis persuasionibus velut quibusdam præstigiis illusit, vt veritatem ante oculos positam, & ante cognitam, atque receptam, iam non videretis, sed pro ea aliud Euangelium amplecteremini? Aliqui sic explicant: Quis ita felicitati vestræ tanquam inuidus præstigiator inuidit, vt oculos mentis, quibus dudum Christum recepistis maleuolo inficeret aspectu, vosque salutaris doctrinæ cibum stomacho nauseante cogeret reuomere? ita ferè auctores Græci, qui verbum βασκαίνειν pro eo, quod est inuidere, positum interpretantur.

Ame

Ante quorum oculos Iesus Christus præscriptus est, in vobis crucifixus.

981. ANte quorum oculos Iesus Christus præscriptus est, in vobis crucifixus. Solent hæc verba hoc sensu donari, vt Pauli prædicatione Galatarum mentibus ita fuerit Christus obiectus, tanquam si apud eos fuisset crucifixus; ita ex Græcorum sententia Estius hîc: *Græcorum*, inquit, *expositioni libentius accedimus, quæ huiusmodi est: Quis vos Galatas fascinauit? quibus per meam prædicationem palam, velut in programmate, ac tabula publica vnde de plano legi, & apertè cognosci posset, propositus est Christus*, PERINDE AC SI APVD VOS ESSET CRVCIFIXVS: *vt non minus, imo verò magis, ac certius illum crucifixum fidei oculis aspexeritis, quàm multi eorum, qui coram viderunt eum crucifigi.* Ex quo colligas prædicatorum esse Christi Passionem tam ad viuum suis auditoribus repræsentare, rebus, verbisque submotis, quæ obscurare, ac obumbrare eam possint, vt sub eorum oculis passus, ac crucifixus Christus videatur; à quo abeunt qui aliena multa obtrudunt, & ascitis Rhetorum pigmentis Passionis ipsius venustatem, vt ita loquar, deuenustant.

Ante quorum oculos. Et qui ante Galatas præscriptus, in Galatis crucifixus est Christus? Acutè hîc Sanctus Chrysostomus; *Atqui non apud Galatas, sed Hierosolymis crucifixus fuit. Quomodo igitur dicit, in vobis!* VT FIDEI VIM OSTENDERET, QVÆ POSSIT, ET PROCVL DISSITA CERNERE. *Nec dixit, crucifixus est: sed præscriptus est crucifixus: indicans quod oculis fidei quidem exactius perspicerent, quàm nonnulli qui præsentes adfuerant, eaque quæ gerebantur conspexerant. Illorum enim qui spectarant complures nullum inde fructum retulerunt; hi verò qui oculis ipsis non viderant, tamen per fidem euidentius viderant.*

In vobis crucifixus est. Nonnulli sic exponunt: In vobis crucifixus est, hoc est multa in vobis passus; eo modo, quo Petro dixit: *Vado Romam iterum crucifigi*, & quo Paulus dixit, se adimplere ea, *quæ desunt passionum Christi.* Nam Christus post resurrectionem licet sit impassibilis, tamen in membris suis patitur. Huic sensui respondet quod statim sequitur: *Tanta passi estis sine causa?* Hæc exponendi ratio Caietano placuit. Benedictus Arias sic explicat: *In vobis crucifixus*, id est per virtutem, quia passionis eius virtutes in vobis experti estis per dona Spiritus Sancti, quæ in vobis effusa sunt. Aliter exponit Estius: *Veruntamē*, inquit, *expositio Græcorum mihi planior videtur, & verbis Apostoli magis inhærens, vt tota pericope sit hypotyposis quædam signata, quæ doceat Iesu Christi Crucem sic apud Galatas prædicatam, sic depictam fuisse, tanquam sub oculis eorum Dominus fuisset crucifixus.*

Sic stulti estis, vt cum spiritu cœperitis, carne consummamini.

982. EX Græco vertas: *sic stulti estis? Qui spiritu cœpistis, nunc carne consummamini.* Sed eodem res redit: sensúsque est. Adeone insipientes estis, vt cum à carne ad spiritum eundum esset, vos contra cum incœpisseritis à spiritu, ad carnem, carnaliàque instituta deflexistis? Lex cæremonialis caro, seu carnalis dicebatur, quia tantum valebat ad iustitiam, & emundationem carnis, aut quia carnalem populum, cui congruenter data fuit, ad spiritum, veréque vitam spiritualem eleuare non potuit. Quod si quis hîc illud obiiciat, quod cap. 7. ad Romanos dicitur: *Scimus quòd lex spiritualis est.* Respondet Estius, *ibi non de ceremoniali lege, sed de morali sermonem esse, quæ spiritualis dicitur, quoniam obseruata, spiritualem reddit hominem, licèt eius obseruatio non à lege sit, sed à Spiritu Sancto.*

Nouarin. in Epist. Pauli.

Tanta passi estis sine causa? si tamen sine causa.

AC si diceret: Ergone tam multa, támque grauia pro Christi nomine passi estis, idque sine vllo fructu? Græcè, *Tam magna passi estis frustra? si quidem & frustra.* Sed cur eis in memoriam reuocat ea quæ passi fuerant? *Ne patientia illa*, vt peritus ille Auctor dixit, *inutilis redderetur*; quod erat futurum si à Christi gratia ad legem Mosis, id est à spiritu ad carnem prolaberentur, vt sola patientia in malis præteritis firmare nos in bono debeat, ne fructu quem nobis illa peperit nos priuemus.

Si tamen sine causa. Coercet quod dixerat, ac si diceret, spero à vobis meliorem mentem, ac saniora consilia, vos scilicet à lege ad gratiam redituros, à carne ad spiritum; ex quo fiet, vt non frustra tanta mala passi fueritis. *Hic locus ostendit*, inquit Estius, *bona opera subsequenti peccato mortificari, id est, infructuosa reddi, eadémque rursus per pœnitentiam viuificari.* Quod inter occulta Dei beneficia alibi referebamus.

Iustus ex fide viuit.

EX fide iustus viuit, qui iustus non esset, si fide careret. Præclarè, hunc locum citans Beatus Laurentius Iustinianus, de Fide, cap. 1. 983.
Verè nisi homo carnalis illustretur lumine fidei, non poterit se continere à peccato, nec iustificari, quia iustus ex fide viuit. Nam sicut in radice arboris nulla prorsus apparet pulchritudinis species, & tamen quidquid est in arbore pulchritudinis, & decoris, ex illa procedit; sic ex FIDEI HVMILITATE, *quidquid meriti, quicquid beatitudinis anima susceptura est, ex cæterarum virtutum exercitatione procedit.*

Iustus ex fide viuere dicitur, vt in iustitia perseueret, & virtutum exerceat opera, qui in fide viua viuere desiderat, alioquin *homo* dixisset, non *iustus*. Ita Sanctus Hieronymus: *Considerandum quia non dixerit, homo, aut vir ex fide viuet, ne occasionem* TRIBVERET AD VIRTVTVM OPERA CONTEMNENDA, *sed iustus ex fide viuet: vt quicumque fidelis esset, & per fidem victurus, non aliter possit in ea viuere, nisi prius iustus fuisset, & puritate vitæ, quasi quibusdam ad fidem gradibus, ascendisset*: Sic ille in hanc epistolam.

Quicunque enim in Christo baptizati estis, Christum induistis.

CHristum induistis. Verbum *Induendi*, timendum docet, ne Christum exuat, qui induit: 984.
nam (vt ait Beatus Eulogius) INDVIT CHRISTVM, *qui illum rursum exuere potest*, licet nunquam debeat.

Christum indu stis. Ergo vestis est Christus, est, & quod magis mirum, vnicuique apta, & conformis. Pulchrè Optatus Mileuit. lib. 5. contra Parmenianum. *Filius Dei est, & sponsus, &* VESTIS, *& tunica natans in aqua, quæ multos vestiat, & infinitos expectat; nec vestiendo deficiat. Sed ne quis dicat, temerè à me filium Dei vestem esse dictum, legat Apostolum dicentem. Quotquot in nomine Christi baptizati estis, Christum induistis.* O TVNICA SEMPER VNA, ET INNVMERABILIS, *quæ decenter vestiat, & omnes ætates, & formas, nec in infantibus rugatur, nec in iuuenibus tenditur, nec in fœminis mutatur.*

Christum induistis; Quicquid Christum non sapit debet exuere, qui induere Christum cupit; *Sciendum*, inquit hîc Sanctus Thomas, *quòd qui induitur aliqua veste, protegitur ac contegitur ea, & apparet sub colore vestis, proprio colore occultato. Eodem modo, &* QVI INDVIT CHRISTVM, PROTEGITVR, ET CONTEGITVR A CHRISTO IESV *contra impugnationes, & æstus, & in eo nihil aliud apparet nisi quæ Christi sunt.*

Christum induistis. Cur sancti dicuntur Christum induere, cum Christi sint indumentum? An vtrumque verum; Christus, inquit Hugo Victorinus hîc, quæst. 25. *dicitur* INDVMENTVM SANCTORVM, ET SANCTI ETIAM INDVMENTVM CHRISTI, *sed aliter, & aliter. Christus enim dicitur indumentum Sanctorum per obumbrationem Spiritus sancti, ab æstu vitiorum eos protegens: Sancti vero indumentum Christi: quasi ipsum intra se habentes, & circumdantes. Etiam ipsum sua sancta conuersatione honorant, sicut mali, malè viuendo blasphemant*

985. *Christum induistis*; Ex quo sequitur, vt in Christum resiliat, quod proximis fit; *Cum dicat Paulus Apostolus*, inquit Sanctus Cyprianus epist. 60. *Quotquot in Christo baptizati estis Christum induistis*, IN CAPTIVIS FRATRIBVS NOSTRIS CONTEMPLANDVS EST CHRISTVS, ET REDIMENDVS DE PERICVLO CAPTIVITATIS, *qui nos redemit de periculo mortis: vt qui nos de Diaboli faucibus eruit, nunc ipse, qui manet, & habitat in nobis, de Barbarorum manibus eruatur, & redimatur nummariâ quantitate, qui nos cruce redemit, & sanguine:* Huc spectat & illud S. Gregorij Nazianzeni orat. 40. vbi ait: *Si videris nudum, operi eum,* TVVM INCORRVPTIONIS INDVMENTVM; *hoc est, Christum honore prosequens: quotquot enim in Christum baptizati sumus* CHRISTVM INDVIMVS.

Christum non induunt, sed exuunt, qui mundi sectantur mores, & morem gerunt Satanico Christi hosti. Huc spectat illud Sancti Ephræmi Syri tract. qui hunc titulum effert: *Ludicris rebus abstinendum Christianis*, vbi inter alia hæc habet: *Nostis fratres mei, quia quotquot in Christo baptizati sumus, Christum induimus, quo pacto ergo* CHRISTVM EXVENTES. *Antichristo seruire volumus?* Christum ille verè induit, qui Christo conformis est, virtutum imitatione, & bonorum operum exercitio. Exuit Christum qui ab eius moribus abit, vitámque agit, quæ sæculum sapit: claudo, & obsigno. MVLTVM REFERT MORIBVS MORES CHRISTI QVEMLIBET REFERRE.

CAPVT IV.

EPISTOLÆ AD Galatas expenditur & illustratur.

Dico autem: quanto tempore hæres paruulus est, nihil differt à seruo.

NIHIL *differt à seruo*; Scilicet 986.
quantùm ad vitæ rationem attinet, quia non secus ac seruus alieno regitur arbitrio, nec liberum vsum bonorum habet, quæ illi pater reliquerit, quamuis hæreditatis iure omnium sit Dominus.

Ità & nos cum essemus paruuli, sub elementis Mundi eramus seruientes.

IN persona Iudæorum loquitur, qui sub lege fuerant, vt sit sensus. Ita & nos Iudæi, cum tanquam adhuc paruuli ad percipiendam promissam à Deo hæreditatem, quæ ex Dei prædestinatione nobis competebat, nondum essemus idonei, sub elementis mundi, id est, sub corporalibus signis, & carnalibus cærimoniis Mosaicæ legis eramus velut quadam seruitute pressi. PARVVLOS HEBRÆOS vocat, quia de rebus diuinis carnaliter sapiebant.

At

At vbi venit plenitudo temporis, misit Deus Filium suum, &c.

987. ID est, vbi tempus impletum est, quod erat à Deo Patre præordinatum; licèt S. Bernardus per plenitudinem, temporalium rerum abundantiam intelligat, quæ obliuionem, & inopiam fecerat æternorum; sic ille loquitur serm. 1. de aduentu Domini. *Quod & Apostolus innuens aiebat: Quando venit plenitudo temporis, misit Deus Filium suum. Nimirum* PLENITVDO, ET ABVNDANTIA TEMPORALIVM, OBLIVIONEM, ET INOPIAM FECERAT ÆTERNORVM. *Opportunè ergo tum aduenit æternitas, quando magis temporalitas preualebat. Nam vt cætera sileam, ipsa quoque pax temporalis illo in tempore tanta fuit, vt ad hominis vnius edictum describeretur vniuersus Orbis.*

988. Alij hanc plenitudinem in bonorum verorum affluentia statuunt, quam secum detulit in hoc mundo nascens Dei filius. Guarricus Abb. serm. 4. de Natiuit. Domini ita scribit: *Ecce iam venit plenitudo temporis. Cum enim plenus omnibus bonis natus esset temporaliter auctor temporis,* QVIDNI PLENITVDINEM ATTVLISSET TEMPORIS? *cum cœli rorarent desuper, & nubes pluerent iustum, Saluatorem terra germinaret, tanta superna benedictionis vbertas, quidni fœcunditatem terris omnibus præstaret? Benedixisti Domine terram tuam, dedisti benignitatem, & terra nostra dedit fructum suum, videlicet de vno grano frumenti, quod germinauit aluus Virginis, vbique terrarum pullulante copiosa messe fidelium. Nolo enim hanc plenitudinem temporis requiras, in copia bonorum temporalium, sed æternorum: non in prouentu agrorum, sed cœlorum.*

Denique plenitudo temporis venit, quando venit Iesus, sine quo Mundus ipse inanis, & vacuus potest æstimari. Hinc illud Beati Thomæ à Villa noua: *Plenitudo temporum illa est, in qua ostenso omnium fine, Iesu, consummatus est Mundus; nam vsque tunc* VACVVS ERAT, ET IMPERFECTVS. Scilicet sine Iesu plenitudo omnis vacua, & inanis est.

989. *Misit Deus Filium suum;* Cum homines impij essent, dedit eis Filium, quid dabit fidelibus suis, suis amicis, qui infidelibus, & inimicis tantum exhibuit? Pulchrè Sanctus Augustinus serm. 1. ex XL. nuper editis. *Quanta dilectio est in Domino, quando pro peccatoribus, & impiis Christum crucifigendum misit, & pretio sanguinis eius nos redemit, qui ei inimici eramus, amando ea quæ fecit, pro eo qui fecit? Cum ergo ita faceremus, misit Deus, sicut Apostolus dicit, Filium suum, & eum pro nobis impiis ab aliis impiis occidendum tradidit.* ET SI NONDVM FIDELIBVS TANTVM MVNVS DATVM EST, QVID ERGO SERVATVR FIDELIBVS?

Misit Filium Pater, & signatè addidit suum; *Filium inquit suum,* ait ad hæc verba Sanctus Ambrosius lib. 1. de fide cap 6. *Non vnum de multis: non communem sed suum, suum cum dicit, generationis æternæ proprietatem signauit.*

Factum ex muliere, factum sub lege.

F*Actum ex muliere.* Cur potius factum dixit, quàm natum, cum verè ex Virgine natus Dei Filius fuerit? An vt vel hinc statim colligeretur supra naturæ ordinem fuisse, quòd ex Maria Dei Filius prodierit? *Quæritur*, inquit hìc Sanctus Thomas, *cum nos confitemur Christum natum ex Virgine, quare Apostolus dicat eum esse factum ex muliere; & dicendum quod illud nascitur, quod naturali ordine producitur, sicut fructus ex arbore, vel proles à parente, quod autem ex voluntate agentis producitur,* NON SECVNDVM NATVRÆ ORDINEM; *(sicut domus ab artifice) non potest dici nasci, sed factum; quia igitur Christus ex Virgine processit naturali ordine quantùm ad aliquid, quod conceptus est ex fœmina spatio nouem mensium, dicitur natus, quia verò quantùm ad aliquid, non naturali ordine, sed solâ virtute diuinâ processit absque virili semine, dicitur factus.*

Nouarin. in Epist. Pauls.

990. *Ex muliere.* Mulieris nomine ex Hebraïca phrasi non virgineum negatur decus, sed fœmineus sexus ostenditur; S. Augustinus serm. 63. de diuersis ita scribit: *Ipsa Maria mulier dicta est: non corrupta virginitate: sed appellati ne propria gentis suæ, dixit enim de Domino Iesu Christo & Apostolus, factum ex muliere: non tamen interrupit ordinem, & textum fidei nostræ: quâ confitemur natum de Spiritu sancto, & Virgine Maria: illa enim Virgo concepit, Virgo peperit, Virgo permansit. Sed* MVLIERES OMNES FOEMINAS ILLI APPELLAVERVNT, *proprietate linguæ Hebrææ.* Et S. Gaudentius serm. 19. in hanc eandem sententiam: *Illud quæstioni huic soluendæ quàm maximè congruit, quod Apostolus Christum memorat, editum de muliere, factum sub lege, vt eos qui sub lege erant, redimeret: vtique vt sit illa (cum virgo sit) mulier appelletur,* VERITATE SEXVS, NON DETRIMENTO INTEGRITATIS, *quomodo Deus Dei Filius, ob dispensationem salutis nostræ, sub lege factus esse prædicetur, cùm dator ipse sit legis. Hoc totum pro beatitudine Mariæ dixerim, cum illam Christus mulierem nuncupauerit, quæ diuino partu sic cœpit esse mater, vt virgo sacratior permaneret.*

Factum sub lege. Id est, legi subiectum; non quòd ad legis obseruantiam obligaretur, sed quia legem voluit obseruare. Aut lege fuit ligatus Mosaicâ, voluntaria subiectione, quomodo & parentibus suis subditus fuisse legitur. Verè obnoxij legi erant Hebræi de quibus subditur; 991.
vt eos qui sub lege erant redimeret, nam vt ait S. Augustinus in Psalm. 31. sub lege erant, *quia premebat eos lex. Conditio eos premebat, conuincendo de reatu, non saluando. Et quidem mala prohibebat. Sed quia illi vires non habebant per seipsos iustificandi se, clamandum erat ad illum quomodo clamabat qui captus ducebatur sub lege peccati, Miser ego homo quis me liberabit de corpore mortis huius? erant omnes homines* SVB LEGE, NON IN LEGE: *iam illa deprimente, illa de reatu conuincente.*

Vt eos, qui sub lege erant, redimeret.

R*Edimeret.* Hoc est, dato pretio à seruitute legis liberaret. Sanctus Ambrosius legit; *vt lucrifaceret.* Græca vox ἐξαγοράζων significat mercari rem quæ alterius erat; & pretij commutatione suam facere sibique vendicare. S. Augustinus loco producto ita scribit: *Factum sub lege, vt eos qui sub lege erant redimeret.* VNDE REDIMERET? *à Diabolo, à perditione, à peccatis suis, ab eo cui se vendiderant.* 992.

Quoniam autem estis filij, misit Deus Spiritum Filij sui in corda vestra clamantem.

VIdes ab Apostolo clamorem spiritui tribui, non ori; existimas voces vt audiunt homines, Deus maximè illas audit, quæ sunt à spiritu, qui preces nostras format, ac quodammodo animat, & perficit; alioquin voces QVÆ A NVOIS LABIIS SVNT, CLAMARE IN DEI AVRIBVS NON OICVNTVR, mutus apud Deum est, qui ita clamat.

Dies obseruatis, & menses, & tempora, & annos; timeo vos, ne fortè sine causa, laborauerim in vobis.

993. ALiqui hæc verba de superstitiosis dietum tẽporúmque obseruationibus accipiunr, alij de Iudaicis ritibus exponunt, & vterque sensus suos, & probæ notæ Auctotes habet. Ad ptiorem explicatum respiciẽs S. Chtysostomus docet, qui verè malus, & verè bonus ablegata omni superstitione dies sit; sic ille scribit hom. 23. quæ est in eos, qui oouilunia obsetuant: *Non audis Paulum dicentem: dies obseruatis, & menses, & tempora, & annos, metuo vobis, ne frustra in vobis laborauerim; nempe extrema hoc est amentia, propter vnum diem si auspicatus fueris, per vniuersum hoc expectare annum: neque amentia solum, sed Diabolica cuiusdam efficientia indicium est, non proprio studio, & alacritate, sed quibusdam dierum circuitionibus vitam nostram commendare: fortunatus tibi in vniuersum annus erit, non si in nouilunio ebrius fueris, sed in nouilunio, & singulo quoque die qua Deo probata sunt feceris.* OIES ENIM BONVS, ET MALVS EST, NON SVA QVADAM, ET PROPRIA NATVRA (*nihil enim dies à die differt*) *sed nostra vel diligentia, vel ignauia. Si iustitiam feceris bonus, tibi dies erit: sin peccatum designaueris, malus & supplicij plenus.*

SECTIO II.

994 *Peccantes etiam lenioribus fouendi.*
994 *Leniter cum subditis Prælati agant, non supercilio.*
995 *Honor exhibitus doctori, eum à correptione non debet amouere.*
996 *Non sui, sed suorum causa honorari à suis doctores quærant.*
997 *Iterata parturitione vt Deus in nobis formetur.*
997 *Orbẽ vniuersum vt progenuerit Paulus.*
998 *Parturiendi potius verbo, quàm gignendi, cur vsus Apostolus.*
998 *Dei Mater vt fideles parturierit.*
999 *Anima partus suos formare festinet.*
999 *Christus, hominis Christiani quodammodò forma.*
999 *Diuinitatis characteres perfectè vt formandi.*
1000 *Afflictio & castigatio, qua mores corrigit, vix afflictio & castigatio vocari potest.*
1001 *Cur, ludus, persecutio dictus.*
1001 *Afflictio quâ peccatum tollitur, non est afflictio.*
1001 *Malorum vsus omni persecutione nocentior.*
1002 *Filij crimen matri facilè tribuitur.*
1002 *Concupiscentia ancilla eiicienda, & filius eius peccatum.*

Fratres, obsecro vos: nihil me læsistis.

FRatres obsecro vos. Exemplo suo docet Apostolus, malè operantes non ita reprehensione premendos, vt non etiam verbis leniori- 994
bus recreentur: *Nunc missus*, inquit, hîc Sanctus Ambrosius; *agis cum eis, & bona eorum incipis memorare, vt post magnas correptiones bona opera sua audientes recrearentur, & datâ operâ reformarent se, ne obiurgationibus diutius pressi, asperiores fierẽt exacerbati. Nihil tamen sibi nocuisse illos dicit: Ipsis enim obstat delictum illorum.*

Fratres obsecro vos. Vtile monitum hinc exsculpit Catharinus. *Hic*, ioquit, *exemplum Prælatis, vt leniter cum subditis agant*, & NON CVM SVPERCILIO, AVSTERITATE, *& potentia.*

Sicut Angelum Dei excepistis me, &c.

INdicant hæc vetba quàm eximio in Paulum affectu & honore ferrentur; sed quod mite- 995
ris, exhibitus tantus honor efficere non potuit, quin Apostolus eos actiier pungeret, & in eorum vitia sæuiret, quæ veti Doctoris est nota. S. Augustinus lib. de Pastotibus cap. 1. ita rem expendit. *Sicut Angelum Dei suscepistis me, testimonium vobis perhibeo. quia si fieri posset, oculos vestros eruissetis, & dedissetis mihi. Sed cum tantus honor exhibitus esset*, NVMQVID PROPTER IPSVM HONOREM SIBI EXHIBITVM, NE FORTE CVM ARGVERET, NEGARETVR, *& minus ipse Apostolus laudaretur, pepercit errantibus; proinde ipse Apostolus, cum eos commemoraret quales fuerint erga illum, ne quasi oblitus eorum honorificentia videretur, testimonium perhibet, quod sicut Angelum Dei susceperint eum: & quòd si fieri posset, oculos suos vellent eruere, & illi dare: & tamen accedit ad ouem languidam, ad ouem putridam, secare vulnus, non parcere putredini; ergo, inquit, inimicus factus sum vobis, verum prædicans.*

Sicut Angelum Dei excepistis me. Recenset 996
istud Apostolus tanquam gratias agens; gratum porro hoc ei etat aliotum potius causâ, quàm sui. *Non enim quærebat quæ sua erant*, inquit ad hæc verba Sanctus Pettus Damianus lib. 5. epist. 17. *sed quæ alterius; idcirco nempè* VOLEBAT A OISCIPVLIS COLI, VT ATTENTE ETIAM POSSET AVOIRI: *idcirco recusabat ab auditoribus despici, quia metuebat simul & sermonem contemni. Hinc est enim, quòd Thessalonicensibus ait. Rogamus autem vos fratres, cum noueritis eos qui laborant in vos, & præsunt vobis in Domino, & commonent vos, vt abundantius habeatis illos in charitate propter opus illorum.*

Filioli

Filioli mei, quos iterum parturio, donec formetur Christus in vobis.

997. ACsi vna non sufficiat parturitio. Per plures virtutum natiuitates vnus est Christus efformandus. Hinc illud Gilleberti Abbatis serm. 10. in Cant. *In nobis Christus & parturitur & perficitur:* NEC SEMEL, SED SÆPIVS, ET ITERATA CREBRO PARTVRITIONE: *nec possumus omnes Christi simul virtutes adaptare nobis, equidem nec vnquam quamlibet ad plenum.*

Quos iterum parturio. Tam fœcundus Paulus fuit, vt Orbem vniuersum, vt ita loquar, potuerit parturire. Sanctus Chrysostomus hom. 10. de Pœnitentia sic Paulum efferebat: *Filioli mei quos iterum parturio, donec Christus formetur in vobis, quidnam aluo illa beatius fuit, quæ tales filios parere potuit, qui in se Christum haberent? quid verò fœcundius ea,* QUÆ ORBEM PROGENVIT TOTVM? *quid eâ fortius, quæ editos & adultos abortiuos posset denuo concipere ac formare: id autem in naturali partu præter humanas est vires.*

998. *Parturio.* Cur *parturiendi* potius vsus sit verbo, quam gignendi, quæri potest? An hoc fecit, vt labores suos doloresque significaret? Ita idem Sanctus Pater loco producto: *Quare igitur non dixit? filioli mei quos iterum* PROGENERO, SED PARTVRIO? *Etenim alibi generare se dicit, in Christo enim Iesu, ego vos genui; illic ergo cognationem tantummodo ostendere voluit, hîc verò & dolorem, coram statuere conatus est.*

Quos iterum parturio. Quæ de se affirmat Paulus, ad Virginem Dei Matrem eleganter transtulit Guarricus Abbas serm. 1. de Assumpt. B. Mariæ, dum ait: *Si seruus Christi filiolos suos iterum atque iterum parturit curâ atque desiderio pietatis, donec formetur in eis Christus:* QVANTO MAGIS IPSA MATER CHRISTI? *Et Paulus quidem genuit eos verbo veritatis, quo regenerati sunt prædicando: Maria autem longè diuinius atque sanctius Verbum ipsum generando.*

999. Sunt qui ad animæ partus hæc transferunt. Sanctus Ambrosius lib. 1. de Abel, & Cain c. 1. FESTINA ANIMA FORMARE PARTVS TVOS, *properantius absoluere, celerius quos genueris enutrire, quæ tamen forma sit partus, demonstrat Apostolus dicens: Filioli mei, quos iterum parturio donec formetur Christus in vobis. In hanc formam tota mentis nostræ coalescant viscera, & in illo genitali aluo animæ nostræ Christus effulgeat.*

Donec formetur Christus in vobis; hoc est donec perfectam Christi formam accipiatis. Rectè Estius addit: *Hic*, inquit, *nota, quod* CHRISTVS EST QVODAMMODO FORMA NOMINIS CHRISTIANI; vt sine illo deformis Christianus quilibet sit, imo penitus non sit.

Donec formetur Christus in vobis. Idest donec perfectam Christi formam accipiatis. Sanctus Cyrillus Alexandrinus lib. 7. in Genesim sic explicat hæc verba: *Paulus quoque quosdam parturiebat, quousque formaretur Christus in eis, idest quousque magni, ineffabilesque eius* DIVINITATIS CHARACTERES *in eorum animis perpulchrè imprimerentur.*

Donec formetur. Et terret, & animat; terret dum formatum non esse indicat; recreat, dum indicat posse formari. Præstat hoc vocare, quæ habet Sanctus Chrysostomus homil. 10. de Pœnitentia. *Quare acriter & sublimè, ac omni muliere miserabilius ingemiscebat dicens: filioli mei quos iterum parturio, donec Christus formetur in vobis, id autem dixit, & animos illis addere volens, & terrere. Cum enim ostendit non formatum in ipsis Christum, timorem incussit & agoniam: Cum demonstrat posse formari, iterum confidere voluit; in eo enim quod dicitur, donec formetur; vtraque ostenduntur, quod qui nondum formatus est formari posset. Si enim foret impossibile, in vacuum ad eos dixisset, donec Christus formetur in vobis: & ipsos spe vanâ lactasset.*

Sed quomodo tunc is, qui secundùm carnem natus fuerat, persequebatur, qui secundùm spiritum.

MIrum! puerorum ludum persequutionem 1000.
vocat Apostolus: quod verò Agar à domina castigetur, persequutio non vocatur. Cur ita? An, quia pressura illa & vexatio Agar huc tendebat, vt ipsa poneret supercilium & reuerteretur, & dominæ subderetur? Scilicet vix, aut ne vix quidem, tribulatio dicenda, quæ mores corrigit, & peccatorum maculas abradit, aut peccatorum tollit occasionem. Adduci hic potest quod habebat Sanctus Augustin. tract. 11. cap. 3. *Ecce libera afflixit ancillam, & non illam vocat persequutionem Apostolus. Ludit seruus cum domino, & persequutionem vocat.* AFFLICTIO ISTA NON VOCATVR PERSEQVVTIO, ET LVSIO ILLA VOCATVR PERSEQVVTIO. *Quid vobis videtur, fratres? Nonne intelligitis, quid significatum sit? Sit ergo, quando vult Deus concitare potestatem aduersus hæreticos, aduersus schismaticos, aduersus dissipatores Ecclesiæ, aduersus exsufflatores Christi, aduersus blasphematores Baptismi, non mirentur; quia Deus concitat, vt à Sara verberetur Agar. Cognoscat se Agar, & ponat ceruicem; quia, cum humiliata discederet à domina sua, occurrit ei Angelus, & dixit: Quid est, Agar, ancilla Saræ? Cum conquesta esset de domina, quid audiuit ab Angelo? Reuertere ad dominam tuam. Ad hoc ergo affligitur, vt reuertatur.*

Persequebatur eum. Cur ludum persequutio- 1001.
nem vocat? Primasius. *Fortè*, inquit, *Ismael quasi maior natu, & eo tempore circumcisus, quo iam poterat intelligere & sentire, quod passus sibi primogenita vere dicabat, scriptura ingenium* PARVVLORVM LVSVM VOCABAT, *hodiéque Iudæi plusquam Gentiles persequuntur Ecclesiam.*

Persequebatur eum. Mirum quòd Ismaëlis ludum persequutionē vocet Apostolus, nec quòd Agar à Sara afflicta sit persequutio dicitur; benè rem versat bonus ille Auctor: *Quod puer ludat cum Isaac, vocatur persecutio; quod Agar castigetur & affligatur à Domina sua, non vocatur persecutio, nec meminit Paulus illam pressuram, & afflictionem, cum alioquin mdens sit in explicanda persecutione ab Ismaele inflicta, Cur Paule ludum persecutionem vocas? Cur afflictionem duram non meminisse, nec talem reputas? ludus Ismaelis saporem Idololatriæ referebat: afflictio quâ Agar vexabatur ideò erat vt ancilla Dominæ subderetur, superbiámque exueret; meritò afflictio quâ peccatum tollitur non censetur afflictio, illa solum afflictio est quâ peccatum introducitur.*

Persequebatur, Quod lusum dixit Moses, ab Apostolo dicitur persequutio; malorum lusus

X 4 omni

omni persequutione nocentior est, non leue fuit quod leuem Isaac reddere lusu Ismaël studuit: *In Genesi quidem*, inquit hîc idem Primasius, *Scriptum est, quia ludebat Ismael cum Isaac, sed hîc ostenditur non simplex lusus fuisse, qui persequutio nominatur: sed quia scurrilem* EVM ET LEVEM VOLEBAT FACERE, *qualis ipse erat, ne ei in hereditate præponeretur: Ideo Abraham de eiiciendo eo vocem Saræ audire iubetur.*

1002. Solus hic filius Ismael persequutus fuisse dicitur Isaac. Cur igitur Gen. 21. 10. eiici iubetur cum filio etiam mater, immò prius mater quam filius; sic enim loquitur Sara, *Eiice ancillam hanc, & filium eius.* An, quia crimen filij matri tribuebatur, *& ab ea* (vt ille ait) *originem duxisse censebatur?*

Eiice ancillam & filium eius.

HÆc verba ad concupiscentiam, eiusque filium peccatum transferebat Sanctus Gaudentius serm. 15. qui est de Machabæis: *Cum lex*, inquit, *præcipiat: eiice ancillam & filium eius, non enim hæres erit filius ancillæ cum filio meo, Isaac. Eiiciamus ergo ancillam* CONCVPISCENTIAM; ET FILIVM EIVS, PECCATVM; *vt efficiamur hæredes Dei, cohæredes autem Christi.* Alioquin ancillam istam qui non eiicit, ancillari cogetur, ac seruire.

CAPVT V.

EPISTOLÆ AD *Galatas expenditur & illustratur.*

SECTIO I.

Nolite iterum iugo seruitutis contineri.

NOlite iterum iugo seruitutis contineri. Cur non dicit, *Nolite seruire*? Posuit quod est grauius. *Non dixit*, inquit Sanctus Ambros. epist. 20. *Nolite seruire, sed nolite iugo seruitutis contineri. Est enim grauius iugum seruitutis, quam seruitus. Denique Isaac filio suo Esau petenti benedictionem ait. Ecce ab vbertate terræ erit tibi benedictio, & à rore cœli a summo, & super gladium tuum viues, & seruies fratri tuo. Erit autem cum deposueris & solueris iugum illius à collo tuo. Quomodo istud conuenit, vt seruias cum solueris iugum fratris à collo suo, nisi distantiam esse intelligamus seruitutis?* Iugo seruitutis continetur, qui seruit vitiis, qui noxiis affectibus, qui mundo, qui sibi. 1003.

Modicum fermentum totam massam corrumpit.

MOdicum fermentum; Modicum malum non modicum damnum affert, nisi eius retundatur vis; & pauci licèt sint qui malum exemplum præbent, non parum tamen afferunt præiudicij nisi cæteri caueant, illi cohibeantur. *Ne quis diceret*, inquit hîc Primasius, *quare omnes corripis, dum omnes non errauerint?* PRÆDICIT QVOD MODICVM FERMENTVM MALITIÆ TOTAM POSSIT ECCLESIÆ MASSAM CORRVMPERE. *Nolite putare paucorum hominum, qui à Iudæa venientes aliud docent, insidias contemnendas, quia modicum fermentum totam massam corrumpit*; Et ab vno sæpè multorum orta perditio est.

Ego confido in vobis in Domino, quòd nihil aliud sapietis.

HÆc non per coniecturam, sed per prophetiam Paulum pronunciasse aliqui putant. 1004.
Sanctus Hieronymus lib. 3. in hanc Epist. *Ego confido in vobis in Domino, quia nihil aliud sapietis non per coniecturam vt quidam volunt, sed prophetico spiritu Paulus pronunciat Galatas ad veritatis viam, quam amiserant, regressuros. Etenim qui alios hortabatur vt æmularentur Charismata, magis autem vt prophetarent, ipse quoque eadem plenus gratiâ loquebatur: & ex parte cognoscimus & ex parte prophetamus; prævidens igitur spiritu, quia nihil aliud essent credituri nisi quod per Epistolam docebantur, ait: Ego confido in vobis in Domino quod nihil aliud sapietis. Nam & additio Dominici Nominis, idipsum significat. Si enim per coniecturam hoc æstimabat,*

mabat, potuerat dicere: ego confido in vobis. Nunc autem apponens, in Domino, Diuino quodam confidens SPIRITU, QUOD FUTURUM COGNOVERAT, PROPHETAVIT.

Vtinam & abscindantur, qui vos conturbant.

1005. AC si diceret, qui circumcidi vos volunt, abscindantur etiam: sed cur imprecationem iacit, qui aliis indixerat: *Benedicite, & nolite maledicere* Rom. 12. Respondet Caietanus hanc maledictionem non ex odio, sed ex iustitia profectam. Et Sanctus Hieronymus hîc. *Qui pro Paulo respondebit, hæc dicit non tam furoris in aduersarios, quam dilectionis in Ecclesias Dei verba esse qua locutus sit; videbat quippe totam prouinciam quam ipse suo sanguine & periculis ab idololatria ad Christi transduxerat fidem, subitâ persuasione turbatam, & dolore Apostolico, dolore patris se tenere non poterat: mutabat vocem & quibus blanditus fuerat, irascebatur, vt quos nequiuerat lenitate, saltem obiurgatione retineret. Addit hæc verba benedictionem quandam continere: illud dici potest (licet superfluum quibusdam esse videatur:) quod Paulus* NON TAM MALEDIXERIT EIS QUAM ORAVERIT PRO ILLIS: *vt eas partes corporis perderent, per quas delinquere cogebantur* Sunt qui loqui putant Apostolum de abscissione, idest separatione hominum, quæ fit per excommunicationem, quam iustè merebantur qui Galatarum turbabant statum.

Sed per charitatem spiritus seruite inuicem.

1006. SEruite inuicem; Vix dixerat *eos in libertatem vocatos*, cum adiicit, *seruite inuicem*: stat cum hac seruitute libertas, nec liber plene est, qui hac seruitute non ligatur, libera seruitus est, quæ est à charitate. Pete Sanctus Thomas hîc. *Cum superius dicat quòd sint vocati in libertatem, quid est quod modo dicit (seruite inuicem?) Ad quod dicendum est, quod hoc exigit charitas, vt inuicem* SERVIAMUS, ET TAMEN LIBERA EST, & eo liberior quò magis seruit.

Omnis enim lex in vno sermone impletur: Diliges proximum tuum sicut teipsum.

EX quo fit vt nequeat proximũ suum diligere, qui nescit diligere se ipsum. Sistendus hic Sanctus Augustinus; qui ad hæc verba spectans, ait. *Omnis, inquit, lex in vno sermone impletur, in eo quod est, diliges proximum tuum sicut teipsum; priùs vide si iam nosti diligere te ipsum, & committo tibi proximum quem diligas, sicut teipsum,* SI AUTEM NONDUM NOSTI DILIGERE TE: TIMEO NE DECIPIAS PROXIMUM TUUM SICUT TE. *Si enim amas iniquitatem, non diligis te; psalmus testis est, qui, inquit, diligit iniquitatem, odit animam suam. Si autem odisti animam tuam, quid tibi prodest quia diligis carnem tuam?* Sic ille serm. 43. de verbis Domini.

Quòd si inuicem mordetis & comeditis, videte ne ab inuicem consumamini.

MOrdet qui maledictionis, aut detractionis dentem infigit: addit autem *inuicem*, quia qui mordet alios simul mordetur, & qui alios perdit & absumit, absumitur & perditur si non ab alio, saltem à se; aduocandus huc Sanctus Chrysostomus, qui ait: *Detrahens fraternas carnes comedit, proximi carnem momordit; propterea & Paulus terruit dicens: Si autem inuicem mordetis & comeditis, videte ne ab inuicem consumamini; non infixisti dentes carni, sed animam dedictum, improbam suspicionem infixisti,* VULNERASTI, INNUMERIS AFFECISTI MALIS ET TEIPSUM, ET ILLUM, ET ALIOS PLURES: *etenim audientem peiorem fecisti proximum calumnians.* Hactenus Sanctus iste Pater hom. 3. ad populum. 1007.

Illi quoque se mordent, qui litigant, & opprobria inuicem obiiciunt, quod monuit Sanctus Augustinus in psal. 73. *Si mordetis & comeditis inuicem; videte ne ab inuicem consumamini: quid est mordetis & comeditis inuicem?* LITIGATIS INUICEM, DETRAHITIS INUICEM, *opprobria obiicitis inuicem.* Vt videant quàm sibi, quàm aliis noxij sint, qui litigia excitant, & excitata fouent, ac producunt.

Quod si inuicem mordetis. Mordendi vsus est verbo, vt canibus potiùs, quam hominibus pares esse ostenderet qui alios lædunt, iniuriis afficiunt, & aliorum lacerant famam. Catharinus hîc: *Quod si inuicem mordetis. Detractionis,* inquit, *vitium, quod est directè contra charitatem, detestatur: quoniam illud bonum à fratre suo intercipit, quod est inter humana maximum, idque est fama. Comparatur autem detractor* CANI MORDACI, *qui rabido ore lacerat hominem*; vt ab hac parte hominis non mereatur nomen, qui in aliorum nomen, famam, opes, ac commoda debacchatur.

Dico autem: spiritu ambulate, & desideria carnis non perficietis.

ET *desideria carnis*; & cur cum caro non desideret, carni desideria tribuuntur? An quia anima ipsa cum carnalia ac terrena concupiscit, in carnem quodammodo migrare videtur, & carnis habitum induere? Pulchrè Primasius: *Et desideria carnis non perficietis. Non quod caro sine anima concupiscat, sed* IPSA ANIMA QUANDO CARNALIA COGITAT, CARO DICITUR: *quando diuina,* VNUS SPIRITUS *cum Deo.* 1008.

Desideria carnis non perficietis, Cur potius, *perficiendi* verbo sit vsus quam *faciendi*, exponit Sanctus Augustinus lib. 3. contra Iulianum Pelagianum cap. 26. *Non ait, inquit ne feceritis: quia eas non habere non poterant, sed ne perfeceritis, id est, ne opera earum,* CONSENSU VOLUNTATIS IMPLEATIS.

Non perficietis; Qui perfici desiderat, carnis desideria perficere non debet; non dixit ne haberemus, sed ne perficeremus; Sensus enim à culpa immunis est, culpam inuehit consensus. *Notandum*, inquit Primasius *quod non dixerit, ne habueritis, sed ne perficiatis: id est ne* CONSENSUM PRÆBEATIS, *& desinatis facere.*

Caro enim concupiscit aduersùs spiritum: spiritus autem aduersùs carnem, hæc enim sibi inuicem aduersantur.

1009. CAro enim concupiscit aduersùs spiritum; & è conuerso. *Spiritus aduersùs carnem*, vt victoriæ materia non desit, dum non deest pugnæ. *De hoc certamine*, inquit B. Laurentius Iustinianus, de casto connubio cap. 1. *per Paulum dicitur: Caro concupiscit aduersùs spiritum, & spiritus aduersùs carnem. Hæc etenim lucta, miro æquitatis iudicio vigere permittitur*, DEBVIT NAMQVE HOMO SIBI IPSI MOLESTVS FIERI, *qui bene conditus diuinæ legi noluit esse subiectus*. Repugnantem spiritui carnem habet, qui diuinæ voluntatis excussit iugum.

Caro enim concupiscit aduersùs spiritum; Non damnat carnem, sed nos contra carnem armat, vt domemus eam, seruiàtque spiritui, non dominetur. Peritè Sanctus Augustinus lib. de fide contra Manichæos cap. 40. *quod ergo dicat*, inquit, *caro concupiscit aduersùs spiritum, spiritus autem aduersùs carnem; non carnem damnat, vt eam tanquam inimicam existimemus, sed admonet potius, vt subiugemus nobis eam* AD BONA OPERA CONCIPIENDA, VT VELVT CONIVX SPIRITVI SERVIAT, *quod dicit non posse fieri, nisi gratiâ Dei per Iesum Christum Dominum nostrum. Non enim natura carnis, sed pœna eius nobis reluctatur, quia peccato meruimus esse mortales.* Seruire tanquam coniux, caro spiritui vt viro debet, & ex eo bonorum operum fœtus edere.

1010. *Caro enim concupiscit aduersùs spiritum.* Vtilem nobis hanc pugnam nefas est ambigere, cum à Deo sit. Ioannes Cassianus collat. 4. cap. 7. ita rem versat. *Hanc pugnam vtiliter nostris quoque membris insertam, etiam in Apostolo ita legimus. Caro enim concupiscit aduersùs spiritum, spiritus autem aduersùs carnem. Hæc autem inuicem aduersantur sibi, vt non quæcunque vultis illa faciatis. Habes & hic pugnam inuisceratam quodammodo corpori nostro.* DISPENSATIONE DOMINI PROCVRANTE. *Quicquid enim generaliter, & sine alicuius exceptione omnibus inest; quid aliud indicari potest, nisi ipsi substantiæ humanæ post ruinam primi hominis, velut naturaliter attributum, & quod vniuersis congenitum concretumque deprehenditur, quomodo non credendum sit arbitrio Domini non nocentis, sed consulentis insertum. Causam verò huius belli, id est carnis & spiritus hanc esse describis. Vt non inquit, quæcunque vultis illa faciatis. Ergo id quod procurauit Deus, vt non possit à nobis impleri, id est, vt non quæcunque volumus faciamus, quid aliud si impleatur credi potest esse quam noxium? & est quodammodo vtilis hæc pugna dispensatione Dei nobis inserta, ad meliorem statum nos prouocans atque compellens, qua sublata proculdubio par è contrario perniciosa succedet.* Quod ait hanc pugnam esse nobis naturaliter insitam cum à peccato sit, multis non arridet, licet aliqui benignè Cassiani verba fuerint interpretati.

1011. *Caro concupiscit aduersùs spiritum.* Vtile est, quod ex his verbis monitum colligit Sanctus Theodorus Studita in Cathechesi, num. 1. *Caro*, inquit, *concupiscit aduersùs spiritum, & spiritus aduersùs carnem, quorum quod vtrivis addas, alteri detraxeris. Quamobrem demus operā vt deinceps moderatè cibo, potu, somno, & si quid aliud est vtamur, ne sub imperium animus veniat, contráque corpus victoria potiatur.* A victoria excidimus si corpus vincat, vincimus si illud vincatur.

Pugnant hæc duo inter se & caro & spiritus; qui lis ista & pugna iustè finiri possit, peritè ostendit Sanctus Cæsarius Arelatensis hom. 19. *Eia*, inquit, *fratres, agnoscamus & in nobis duo quædam esse contraria. Nam caro concupiscit aduersùs spiritum, & spiritus aduersùs carnem. Habemus ergo & interiorem hominem, & exteriorem. Habemus carnem & animam, hoc est, habemus Dominū & ancillam. Si ergo vis vt tibi credam, quod possis iustè causam alterius iudicare, in teipso volo primum agnoscere. Esto iustus iudex in te ipso*, TRIBVE ANIMÆ QVOD DIGNVM EST: RESERVA CARNI QVOD OPVS EST. *Tribue Dominæ quod illi sufficiat in æternum, & hoc tantum reserua ancillæ, vnde viuere possit in mundo. Nam si Domina humiliatur, & ancilla erigitur, si Dominæ aut parum, aut nihil reponitur in cœlo, & totum ancillæ reseruatur in mundo: ecce iam in nobismetipsis iusti non esse cognoscimur. Et quomodo causa alterius directo ordine à nobis auditur, quando in nobis & in nostra causa nihil iustitiæ reseruatur? Hoc solùm scio, fratres, quòd nunquam alterius causam iustè iudicare poterit qui inter animam & carnem suam iustitiam tenere noluerit?* Hactenus ille.

Militat aduersùs spiritum caro, contra illum 1012.
pugnat à victoria æternùm casura si vicerit, victoriam consequutura si fuerit victa. *Si caro vincit spiritum*, inquit Hugo Victorinus in cap. 5. epist. ad Romanos, PRO VICTORIA CVM SPIRITV VICTO PVNIETVR ET IPSA; *si spiritui cedit, cum eo pariter stolà immortalitatis & coronâ gloriæ remunerabitur*: adeo vt gloriæ sit vinci, confusionis verò vincere.

Hæc mutua carnis & spiritus pugna, autem nobis vellere debet ne carnem illecebris, deliciisque foueamus, robustior enim fiet, & in spiritum insolentior; Scitè Origenes hom. 9. in Leuit. *Non audistis*, inquit, *ex diuinis Scripturis, quia certamen est inter homines carni aduersùm spiritum, & spiritus aduersùs carnem? Et nescitis quod si carnem solam nutriatis, & ipsam frequenti mollitie ac iugi deliciarum fluxu foueatis*, INSOLESCET NECESSARIO ADVERSVM SPIRITVM, ET FORTIOR ILLO EFFICIETVR? *Quod si fiat, eum sine dubio in ditionem suam redactum, suis coget legibus ac vitiis obedire. Si verò ad Ecclesiam frequenter venias, aurem literis diuinis admoneas, explanationem mandatorum cœlestium capias, sicut cibis & deliciis caro, ita spiritus verbis diuinis conualescet, ac sensibus, & robustior effectus, carnem sibi parere coget, ac suis legibus obsequi. Nutrimenta igitur spiritus sunt, diuina lectio, orationes assiduæ, sermo doctrinæ. His alitur cibis, his conualescit, his victor efficitur. Quod quia non facitis, nolite conqueri de infirmitate carnis, nolite dicere quia volumus, sed non possumus, volumus continenter viuere, sed carnis fragilitate decipimur, & impugnamur stimulis eius. Tu das stimulos carni tuæ, tu eam aduersùs spiritum tuum armas, & potentem facis, cum eam carnibus satias, vino nimio inundas, omni mollitie palpas, & ad illecebras nutris.* Carnis nimirum deliciæ arma quædam sunt, quibus contra spiritum pugnat, sui hostis incipit esse, qui hosti arma porrigit, quibus ab ipso confodiatur. Vis carnem imbecilliorem reddere, illecebris ac voluptatibus

bus ne nutri, imbecillis fiet, inermis erit, ſi delicias fugias. Alioquin quò mollior fit, eò acrior inſurget in ſpiritum.

1013. Non per odium ſpiritus carni reſiſtit, carni ſe opponit, ſed per principatum, vt rectus reſeruetur, & maiori ſubiiciatur minus. Sanctus Auguſtinus lib. 1. de doctrina Chriſtiana c. 24. ita de hac pugna philoſophatur. *Caro concupiſcit aduersùs ſpiritum, & ſpiritus aduersùs carnem. Hæc enim ſibi inuicem aduerſantur. Dictum eſt enim hoc propter indomitam carnalem conſuetudinem, aduersùs quam ſpiritus concupiſcit, non vt interimat corpus, ſed vt concupiſcentiam eius, id eſt, conſuetudinem malè domitam, faciat ſpiritui ſubiugatam, quod naturalis ordo deſiderat. Quia enim hoc erit poſt reſurrectionem, vt corpus omnino cum quiete ſummâ ſpiritui ſubditum immortaliter vigeat, hoc etiam in hac vita meditandum eſt, vt conſuetudo carnalis mutetur in melius, nec inordinatis motibus reſiſtat ſpiritui. Quod donec fiat, caro concupiſcit aduersùs ſpiritum, & ſpiritus aduersùs carnem:* NON PER ODIVM RESISTENTE SPIRITV, SED PER PRINCIPATVM, *qui magis quod diligit vult ſubditum eſſe meliori: nec per odium reſiſtente carne, ſed per conſuetudinis vinculum, quod à parentum etiam propagine inueteratum naturæ lege inoleuit.*

1014. Cum caro concupiſcit aduerſus ſpiritum coercenda eſt, & in quandam concordiam, & vt ita loquar, concentum hæc duo aptanda, Feſtiuè Sanctus Chryſoſtomus in pſal. 41. *Hic non eſt opus cithara, neque neruis extenſis, neque plectro, nec arte, nec vllis inſtrumentis: ſed ſi velis,* TEIPSVM EFFICIES CITHARAM, *cum carnis membra mortificaueris, & anima cum corpore* PVLCHRVM CONCENTVM *effeceris, quando enim non concupierit caro aduersùs ſpiritum, ſed illius iuſſis ceſſerit, & eam tandem duxerit in viam optimam, & maximè admirabilem, ita* MELODIAM EFFICIES SPIRITVALEM. Alioquin ſi mortificatio abſit, nimis abſonum edes ſonum, nimis obtuſum, nimis fractum, & quod eſt magis, Dei, vt loquar, auribus ingratiſſimum.

Quì caro dicitur concupiſcere, cùm hoc potiùs animæ ſit? ſic nodum ſoluit Hugo Victorinus hîc quæſt. 51. *Quod anima facit ex carne,* HOC CARNI TRIBVITVR, *ſicut auris dicitur audire, oculus videre, cum anima hæc per huiuſmodi inſtrumenta agat;* nimirum à carne anima accipit, vt contra ſe pugnet. Denique quod hîc de ſpiritu dicitur, aliqui nec aliené de Spiritu ſancto intelligunt: *Vt ſit ſenſus,* inquit Eſtius; *Spiritus concupiſcere dicitur aduersùs carnem, quia ſancta deſideria, quæ carni contraria ſunt in nobis excitat; Ac breuiter, caro concupiſcit, ideſt concupiſcere nos facit aduersùs ſpiritum, & ſpiritus* CONCVPISCIT, IDEST CONCVPISCERE NOS FACIT ADVERSVS CARNEM *videlicet ea loquutione, quâ alibi dicitur idem ſpiritus poſtulare, & clamare, quia poſtulantes, & clamantes nos facit.*

SECTIO II.

1015 *Caſtitas; aliarum virtutum corona, aliarum virtutum ſatellitium requirit ad ſuum munimen.*

1015 *Idololatria interdum vt à luxuria ortum habeat.*

1016 *Bonorum operum connexio cum charitate.*

1016 *Bona opera reſpectu futuræ beatitudinis, flores dicuntur.*

1017 *Gaudium verum vnde eliciendum.*

1017 *Bonorum operum fructus, quædam cæleſtis gloriæ arrha.*

1018 *Fructus ſpiritus vt in anima pullulet.*

1018 *Opera carnis cur dixerit Paulus, & fructus ſpiritus.*

1019 *Charitas, cæterarum virtutum radix.*

1019 *Numeroſiora vitia quàm virtutes.*

1020 *Virtutum primatum vt charitas teneat, ſine qua nihil cætera poſſunt.*

1021 *Continentia vt à caſtitate differat, & quam altè noſtris mentibus debeat inhærere.*

1022 *Caro, tanquam radix vitiorum, mortificanda.*

1023 *Carnis paſſionibus & concupiſcentiis accurrendum.*

1023 *Caro cum vitiis crucifigenda.*

1024 *Vitia qui extinguere non poteſt, crucifigat.*

1024 *Caro ſeruire ſpiritui debet.*

Manifeſta autem ſunt opera carnis, quæ ſunt fornicatio, immunditia, impudicitia, luxuria, idolorum ſeruitus.

INter carnis opera primam numerat fornicationem: fructus verò 1015.
ſpiritus recenſens, poſtremum dat locum caſtitati; innuens illam eſſe veluti aliorum vitiorum Anteſignanam, hanc verò non niſi multo labore (atque adeo poſt cæteras virtutes) plene perfectéque acquiri; eſſéque cæterarum virtutum VELVTI CORONAM; ac denique omnium virtutum aggerem AD SVI MVNIMEN requirere.

Idolorum ſeruitus; cur poſt luxuriam, & immunditiam meminit idololatriæ? An quia hæc non ſemel ex illis prodit, vt exemplo ſuo prodidit Salomon. *Idolorum ſeruitus*, ideſt, inquit B. Dionyſius, *Idololatria,* QVÆ INTERDVM EX LVXVRIA GENERATVR, *vt patet in Salomone, quia fœminarum affectu ad idolorum cultum, quæ illæ colebant, ſe contulit*; & ſæpè accidit vt lapſus leuior gradum ad grauiorem faciat, à magnis eatur ad maxima.

Fructus autem ſpiritus eſt charitas, gaudium, &c.

F*Ructus autem Spiritus.* Opera Spiritus *fructum* 1016.
ſpiritus vocat, vt inueret ea vt fructus ab arbore produci, & quia ad modum fructus & vtilitatem afferunt, & delectationem. Mirum verò quod

quod ſingulari numero *fructum* dixerit, non numeroſe *fructus.* Benè Eſtius: *vocat ea fructum Spiritus ſancti ſingulari numero*, PROPTER CONNEXIONEM OMNIVM IN CHARITATE, TANQVAM PRINCIPALI DONO SPIRITVS SANCTI, *quam propter hoc primo loco poſuit.*

Fructus bona opera ſunt; ſed ſi beatitudinem ſpectes, *flores* quoque dici poſſunt. Peritè Sanctus Thomas hîc: *Opera* inquit, DICVNTVR ETIAM FLORES RESPECTV FVTVRÆ BEATITVDINIS, QVIA SICVT EX FLORIBVS ACCIPITVR SPES FRVCTVS, ITA EX OPERIBVS VIRTVTVM HABETVR SPES VITÆ ÆTERNÆ ET BEATITVDINIS. *Et ſicut in flore eſt quædam inchoatio fructus, ita in operibus virtutum eſt quædam inchoatio beatitudinis, quæ tunc erit quando cognitio, & charitas perficientur.*

1017. *Fructus autem Spiritus.* Fruſtra ergo ſunt, qui ab alio, quam à Spiritu diuino hos fructus quærunt; falluntur qui gaudium à rebus terrenis elicere ſe poſſe credunt, cum Spiritus Dei ſit fructus. Pende & gaudij locum, ac ſitum; inter charitatem ac pacem illud ponit Apoſtolus, VT INNVERET FALSVM ESSE GAVDIVM QVOD HIS NON AMBITVR. Mundana ergo lætitia tam eſt falſa, quam verum eſt eam iuxta charitatem non eſſe, vt eam potiùs arietet, & euertat.

Fructus autem Spiritus. Hos fructus cæleſtis gloriæ quandam arrham eſſe, & fœlices æternæ vitæ iouis primitias cenſebat Petrus Bleſenſis, cuius hæc ſunt verba epiſt. 134. *Sunt autem fructus, teſte Apoſtolo, charitas, gaudium, patientia, longanimitas, bonitas, manſuetudo, fides, modeſtia, continentia, caſtitas. in his fructibus recepiſti Chriſti miles* ARRHAM COELESTIS GLORIÆ, HABENTEM PROMISSIONEM VITÆ, *quæ nunc eſt & futura, in his delibando prægustâ quaſdam experientias huius ſæculi, fœlicesque primitias viſionis æternæ.*

10:8. *Fructus autem Spiritus.* A quo ſemine pullulat iſte fructus? Sanctus Thomas; *Dicit, ergo*, inquit, *fructus Spiritus, qui ſcilicet conſurgit in anima ex* SEMINATIONE *ſpiritualis gratiæ*, ſine hoc gratiæ ſemine nullum ſpiritualem fructum ſperes.

Fructus autem Spiritus. Superiùs mala opera *carnis opera* dixit, non fructus carnis, hic verò virtutes opera Spiritus *fructus Spiritus* dixit, non *opera Spiritus.* Hoc loquendi diſcrimen myſterio viduum eſſe nefas eſt aſſerere; arcanum prodidit Sanctus Thomas hîc dum ait: *Ex his apparet ratio quare Apoſtolus effectus carnis vocat opera, Fructus autem Spiritus*, VOCAT FRVCTVS. *Dictum eſt enim quòd fructus dicitur aliquod finale, & ſuaue ex re productum. Quod autem producitur ex aliquo præter naturam eius, non habet rationem fructus, ſed quaſi alterius germinis. Opera autem carnis & peccata, ſunt præter naturam eorum quæ Deus naturæ noſtræ inſeruit. Deus enim humanæ naturæ quædam ſemina inſeruit ſecundum naturalem appetitum boni & cognitionem. Et addidit etiam dona gratiæ. Et ideo quia opera virtutum ex his naturaliter producuntur, fructus dicuntur, non autem opera carnis. Et propter hoc Apoſtolus dicit, Rom. 6. Quem ergo fructum habuiſtis tunc in illis, in quibus nunc erubeſcitis?*

1019. *Charitas.* Inter fructus Spiritus charitatem primam poſuit, tanquam ſcilicet cæterarum radicem. Peritè Sanctus Chryſoſtomus ſerm. 37. de diuerſis noui Teſtamenti locis: *Quis porrò ille fructus eſt Spiritus? audiamus Paulum dicentem: Fructus autem Spiritus eſt charitas, gaudium, pax. Vide quanta ſit vis in verbis, quanta in doctrina conuenientia; præmiſit charitatem, tum deinceps ea quæ conſequuntur commemorauit:* RADICEM FIXIT, *ac deinde fructum indicauit: fundamentum iecit, ac deinde ædificium impoſuit: à fonte initium duxit, & mox ad fluuios deuenit.* Fruſtra fructus ſperet, hac radice ſi careat; temerè erigere ædificium conabitur, hoc deſtitutus fundamento.

Charitas, gaudium. Indiſcuſſum hîc abire non debet, quod cum ſuperiùs vitia recenſuerit, hîc verò virtutes, numeroſius vitiorum ſatellitium fecerit, quàm virtutum; cur iſtud fecit? An quia numeroſiora vitia ſunt quàm virtutes, cum plerumque vni virtuti duo opponantur vitia, imo etiam plura? Audiendus hîc Sanctus Thom. *Dubitatur*, inquit, *quia cum fructus Spiritus aduerſentur operibus carnis, videtur quod Apoſtolus debuerit ponere tot fructus Spiritus, quot poſuit opera carnis, quod non fecit. Ad quod dicendum eſt, quòd ideo non fecit*, QVIA PLVRA SVNT VITIA QVAM VIRTVTES. Sicque plerumque fit vt facilis ſit à virtute ad vitium tranſitus, cum plura vnam virtutem obſideant vitia.

Fructus autem Spiritus charitas; & quidem præ- 1020.
cipuus; *Quæ autem alia*, inquit B. Laurentius Iuſtinianus tract. de charitate, cap. 3. *inter fructus Spiritus* DEBVIT TENERE PRIMATVM NISI CHARITAS: *ſine qua cætera virtutes non reputantur eſſe virtutes; ante enim quam ipſa adſit, nullus fructus gratus eſt, vbi verò charitas, ibi multus fructus.*

Inter fructus Spiritus Sancti primam poſuit charitatem; quia nullus bonitatis fructus eſſe poteſt ſine charitate. Rem tetigit Sanctus Auguſtinus lib. 1. de Baptiſ. contra Donati. c. 18. SINE CHARITATE CÆTERA NIHIL PROSVNT. *Dicit autem & Apoſtolus: Fructus autem Spiritus eſt charitas, gaudium, pax, longanimitas, benignitas, bonitas, fides, manſuetudo, continentia. Quæ omnia incipiunt à charitate, & per cæteram iuncturam quaſi botrum mirabilem faciunt.*

Continentia, caſtitas. In quo duo iſta differunt, 1021.
vt tanquam differentia ponat? *Continentia* (inquit Primaſius) *pro tempore eſt; caſtitas ſempiterna.* Igitur, vt plenè ſanctus audias, perpetuam caſtimoniam cole.

Continentia; in poſtrema loca reiecit, non vt in poſtremis haberetur, ſed vt præcipuè omnium mentibus inhæreret. *Vltimo loco*, inquit Sanctus Auguſtinus lib. de continentia, cap. 3. *poſuit continentiam, de qua nunc diſputare cœpimus, vt propter quam multa* IAM DIXIMVS, PRÆCIPVE VOLVIT EAM NOSTRIS MENTIBVS INHÆRERE.

Aduerſus huiuſmodi non eſt lex; Cur dixit, *aduerſus huiuſmodi*, & non *aduerſus hæc*, quæ ſcilicet recenſuerat? Nubilum ita diſcutit Sanctus Auguſtinus lib. de continentia cap. 8. *In hoc prælio aduerſus carnalem quodammodo exercitum, velut aliam producens aciem ſpiritalem: Fructus autem Spiritus eſt, inquit, charitas, gaudium, pax, longanimitas, benignitas, bonitas, fides, manſuetudo, continentia: aduerſus huiuſmodi non eſt lex. Non ait, aduerſus hæc*, NE SOLA ESSE PVTARENTVR:

RENTVR : *quamuis & ſi hoc diceret, omnia debuimus intelligere, quæ eiuſdem generis bona cogitare poſſemus, ſed ait aduerſus huiuſmodi : & hæc ſcilicet, & quæcunque ſimilia.*

Qui autem ſunt Chriſti, carnem ſuam crucifixerunt cum vitiis, & concupiſcentiis.

1022. NImirum non extimè tantum crucifigenda caro eſt; ſed interiùs etiam cordis affectus amputandi, reſecandæ concupiſcentiæ. Opportunè Guarricus Abbas ſerm. 2. in Ram. Palmar. *Nouerat vir multa ſcientia, & experientia multos eſſe aut fore, qui crucifigerent concupiſcentias carnis, & ſinerent regnare vitia cordis; multos è contrario, qui fiduciâ pacati cordis, negligerent mortificationem corporis: ea propter vult Apoſtolus, vt crucifixis, tam vitiis interioribus, quam concupiſcentiis exterioribus, mundemus nos ab omni inquinamento carnis, & ſpiritus, perficientes ſanctimoniam in timore Dei.*

Carnem ſuam crucifixerunt cum vitiis. Dixiſſet, eos qui ſunt Chriſti, vitia fugere, vitare peccata; maius aliquid ſignificare voluit, nimirum radici malorum manum admouendam, peccatorum origini occurrendum, quod fit carnis mortificatione. Hoc monitum debemus S. Thomæ, qui hîc ait: *carnem ſuam crucifixerunt. Non autem dicit: vitia, & concupiſcentias vitant, quia bonus Medicus tunc benè curat, quando adhibet remedia contra cauſam morbi:* CARO AVTEM EST RADIX VITIORVM, *ſi ergo volumus vitare vitia, oportet domare carnem.*

1023. *Cum vitiis, & concupiſcentiis.* Parum eſt, plerumque inutile, atque adeò ſemel noxium eſt, ſolam carnem crucifigere, niſi cum ipſa mortificentur & vitia, & paſſiones. Apte S. Th. *Quia verò non crucifigunt carnem deſtruendo naturam, ſed quantùm ad ea, quæ contrariantur legi, ideo dicit cum vitiis, id eſt cum peccatis, & concupiſcentiis, id eſt paſſionibus, quibus anima inclinatur ad peccandum Non enim benè crucifigit carnem,* QVI ETIAM PASSIONIBVS LOCVM NON AVFERT. Domanda eſt caro, vt domentur carnis paſſiones in ſpiritum inſurgentes, & ad peccatum inclinantes.

Cum vitiis, & concupiſcentiis. Parum eſt carnem macerare, corpus conficere ieiuniis, vitia auferenda, concupiſcentiæ mortificandæ ſunt. Opportunè S. Greg. lib. 8. Moral. c. 28. *Qui autem ſunt Chriſti, carnem ſuam crucifixerunt cum vitiis, & concupiſcentiis; cum vitiis quippe, & concupiſcentiis carnem crucifigimus ſi ſic gulam reſtringimus, vt iam de mundi gloriâ nihil quæramus:* NAM QVI CORPVS MACERAT, SED HONORIBVS ANHELAT, *crucem carni intulit, ſed mundo per concupiſcentiam peius viuit.*

1024. *Crucifixerunt.* Vitia & concupiſcentias, qui extinguere non poteſt, crucifigat. Eleganter hunc locum verſat, & expendit Guarricus Abb. ſerm. 2. in Ramis Palmarum. *Confige quaſi clauis timore tuo carnes meas, à iudiciis enim tuis timui, Si ergo nondum præuales vt vitia extinguas, in hoc vult te eſſe ſollicitum Apoſtolus, vt crucifigas.* NON AIT, QVI CHRISTI SVNT EXTINXERVNT VITIA, QVÆ VIRTVS PAVCORVM EST, SED CRVCIFIXERVNT, SINE QVO SALVS NVLLA EST: *Sicut præter Crucem Chriſti nulla redemptio eſt; ideò námque Redemptor ad operandam, & informandam ſalutem noſtram hunc paſſionis modum elegit, vt redemptionis Sacramentum iuſtificationis fieret exemplum: vt quomodo videlicet ipſe ſimilitudinem carnis peccati crucifixit, de peccato damnans peccatum: ſic nos, imo multo magis nos, carnem peccatricem cruciemus crucifigentes,* ET SI NONDVM EXTINGVENTES IN EA PECCATVM.

Si ſpiritu viuimus, ſpiritu & ambulemus.

AC ſi diceret: motus reſpondeat vitæ, ſicque qui in nouam vitam per Spiritum eſt regeneratus, vitæ exerceat opera, vitales actiones producat; Egregio hæc verba commentario veſtit S. Bernard. ſer. de ſeptem ſpiritibus. *Magiſter gentium Paulus ex occaſione ipſius ſpiritualis naturæ quâ viuimus, ad ſpiritualem conuerſationem excitans diſcipulos, ait, ſi ſpiritu viuimus, ſpiritu & ambulemus. Ac ſi dicat: Si caro non prodeſt quicquam, ſed ſpiritus eſt qui viuificat ipſam: ſeparare oportet precioſum à vili, & digniorem præponere partem: vt ſecundùm ſpiritum ambulemus, non ſecundùm carnem.* AD SPIRITVM ENIM DEBET FIERI CONVERSIO CARNIS, VT SERVIAT IPSA, ET NON SERVIATVR EI, *vt dicat ſpiritus ſeruo ſuo, veni, & veniat, fac hoc, & faciat illud.*

Non efficiamur inanis gloriæ cupidi.

NOn efficiamur inanis gloriæ cupidi. Inglorius æternùm erit qui inanis gloriæ cupiditate corripi ſe ſinit: S. Maximus hom. in die Cinerum ita ſcribit: *Paulus Apoſtolus ſecutus ſententiam dicebat. Nolite fieri inanis gloriæ cupidi.* INANE EST ENIM ET VANVM QVICQVID NVLLIVS PONDERIS AVT VIRTVTIS FIRMITATE CONSISTIT. *Inane eſt quod cum ſæculo prætereunte deficiens ad vitam non tranſit æternam. Quicquid enim pro carnali honore laboratur, corruptibili cum carne dilabitur.* Quæratur gloria, ſed quæ vera, quæ fine careat, quæ poſſeſſorem ſuum beet, quæ bonos iuſtè euehet. Nam quo iuſto titulo gloriam voces, quæ adeo ruinoſa eſt, vt ruinam auctoribus ſuis pariat; adeo impura, vt magis inficiat, quo amatur ardentius; adeo infelix, vt eò magis torqueat, quò auidius quæritur? Scitè ſcitus ille Auctor: *Quid putas bonum quod negare malus poteſt, inuidus volet? Quid putas bonum tuum, quod a cunctis pendet?* Quid mundi gloriam appetis, quæ in hoc ſolo gloriæ materia eſſe poteſt, quia poteſt contemni? Audi me, qui me legis. 1025.

CONTEMNE HIC MVNDI GLORIAM, NE ÆTERNVM CONTEMNARIS.

CAPVT VI.

EPISTOLÆ AD Galatas expenditur & illuſtratur.

SECTIO I.

1026 *Correctio ſpiritu manſuetudinis animetur.*

1026 *Varius pro corripiendorum varietate induendus habitus.*

1027 *Ad misericordiam facilè inclinat proprij periculi cogitatio.*

1027 *Promptius alterius onera portanda, quàm alteri onus imponendum.*

1028 *Alterius onera cuinam portanda.*

1018 *Ceruos vt referant, qui inuicem onera sua portant.*

1029 *Pauperes diuitum onera ferre debent; diuites, pauperum.*

1029 *Aliena onera vt ferre possit, qui suis ferendis impar.*

1030 *Seducit se, qui blandis adulatoribus credit.*

1030 *Opera examinanda an à radice prodeant dilectionis, & à vena charitatis.*

1030 *In propria conscientia, non in aliena lingua gloria quærenda.*

1030 *Quàm fatui, qui in auro, & argento gloriantur.*

1031 *Vt grauet, qui laudat.*

1031 *Proprium quisque onus portare quo sensu dicatur.*

1032 *Aliena sanctitas aliis non proderit in extremo Iudicio.*

1032 *Quæ post hanc vitam quisque sit collecturus, ex his, quæ agit, conijcere potest.*

1032 *In carne sua seminare quinam dicatur.*

1033 *Quæ carnem sapiunt, à nobis sunt: quæ spiritum à Deo.*

1034 *Quænam sint, quæ quisquis in carne sua seminat, & quænam, quæ in spiritu.*

1034 *In bono opere lassari non debemus.*

Instruite in spiritu lenitatis, considerans te ipsum, ne & tu tenteris.

1026. IN *spiritu lenitatis.* Veri Pastoris est hæc nota. *Hæc est forma*, inquit hîc Caietanus, *reparandi lapsos.* VT ACTIO CORRECTIVA PROCEDAT IN SPIRITV MANSVETVDINIS: *ad differentiam eorum qui impetuosè sæuiunt in delinquentes. Et creditur Paulum hæc dixisse, eo quod pseudo-apostoli contra delinquentes indignabundi procedebant. In hoc enim vult cognosci verè spirituales Pastores, quòd in spiritu mansuetudinis procedunt ad reparandum, non ad puniendum.*

In spiritu lenitatis. Cur non simplicius dixit, *In lenitate*? sed adiecit, *In spiritu*? Theophylactus ità nodum soluit: *Non dixit, in lenitate; sed in spiritu lenitatis; indicans, quod &* SPIRITVI HOC PLACEAT; *tum quod sit spiritualis doni,* CVM MANSVETVDINE PECCANTES ERIGERE ATQVE EMENDARE.

Delinquentes in spiritu lenitatis corripiendos asserit, qui 1. Cor. 4. in virgâ se venturum minabatur? Nimirum varius pro corripiendorum varietate induendus habitus est. Auctor quæstionum in Paulum lib. 2. interrogat. 50. *Corinthij*, inquit, *post peccatum non sentientes errorem suum, nolebant pœnitentiâ corrigi, inde eis virgam minatur: vbi vero peccator intelligens vulnus suum, tradit Medico se curandum.* IBI NON EST VIRGA NECESSARIA, SED SPIRITVS LENITATIS.

Videtur hîc Apostolus Apostolo contrarius, & præcepto præceptum euertere. Qui Tito dixerat, vt Cretenses suos durè increparet, cur nunc lenitatem, & mansuetudinem in correctione commẽdat? An præceptorum diuersitate indicat subditorum indigentiæ se aptare debere superiorem? *Respondemus*, inquit hîc Estius, *pro* DIVERSITATE PERSONARVM, ET PECCATORVM MODO SEVERA INCREPATIONE, *vel etiam virgà vtendum esse; modò, cum mansuetudine agendum cum iis, qui peccant.* Sicque varias induat formas pro suorum varietate superior, vt omnes lucretur.

Considerans te ipsum. Cur numerum mutat, & à plurali ad singularem transit? *Propterea quod*, inquit Estius, *ad compellandam vniuscuiusque conscientiam aptior sit numerus singularis.* Addit Paulus: *Ne & tu tenteris*: id est, ne tu in tentationem incidas, tentatione vincaris, in aliquod peccatum labaris. Benè S. August. *Nihil* AD MISERICORDIAM *sic inclinat, quam proprij* PERICVLI COGITATIO. Facilè cadenti ignoscit, qui agnoscit se quoque posse cadere. Et S. Th. *Nihil ita frãgit hominis seueritatem* IN CORRIGENDO, *quàm* TIMOR PROPRII CASVS. Lenem in peccãtes esse par est, qui ea committere potest, in quibus aliorũ lenitatẽ quærat, seueritatẽ exhorreat. 1027.

Alter alterius onera portate, & sic adimplebitis legem Christi.

ALter alterius portanda onera sunt potius, quàm imponenda. *Vti dictum est*, inquit S. Anselmus lib. de similitudinibus, c. 167. *Alter alterius onera portate, non dictum est*: ONERA IMPONITE. Promptius quisque alterius onus portare debet, quàm alteri onus imponere.

Alter alterius onera portate. Sed quænam onera portanda? & quæ ad corpus spectant, & quæ ad animam. *Scriptum est*, inquit B. Thomas à Villanoua serm. in Dom. 4. post Pascha, *alter alterius onera portate, & sic adimplebitis legem Christi. Non solum* CORPORALIA *onera mæstos consolando, infirmos visitando, egenos adiuuando; sed etiam* SPIRITVALIA, *defectus, ignorantias, stultitias, malitias tolerando.* 1028.

Alter alterius onera portate. Ceruos referentes, *qui, quando natando alias terrarum partes petunt, onera capitum suorum super se inuicem ponere dicuntur*, inquit S. August. in psal. 40. addit statim: *Nonne* QVOSDAM CERVOS ALLOQVITVR *Apostolus dicens? Inuicem onera vestra portate, & sic adimplebitis legem Christi.*

Alter alterius onera portate. Hæc verba ad pauperes diuitésque ita aptat S. Bernardinus Senensis, serm. 7. de eleemosyna art. 2. cap. 3. *Apostolus ait: Alter alterius onera portate, & sic adimplebitis legem Christi, vt intelligatur, quod* DIVITVM ONERA, *quæ sunt diuitiæ, & peccata, pauperes quodammodo ferre debent; atque* DIVITES PAVPERVM *obligantur infirmitates, & necessitates sustentare.* 1029.

Sed quì aliena onera portare possemus, qui

vix

vix ferendis nostris pares sumus? Christum diligas, & in proximo Christum spectes, facilè eius feres infirmitatem *Ipsa est lex Christi*, inquit S. August. lib. 83. quæstionum quæst. 71. *vt inuicem onera nostra portemus* : CHRISTVM AVTEM DILIGENDO, FACILE SVSTINEMVS INFIRMITATEM ALTERIVS, *etiam quem nondum propter bona sua diligimus, Cogitamus enim, quia quem diligimus, Dominus propter eum mortuus sit.* Denique alterius onera portat, qui aliena putat sua, sua affectu compassionis facit, & ita patientia fert, vt correctione auferri studeat, & curet proximum curari.

Nam, si quis existimat se aliquid esse, cum nihil sit, ipse se seducit.

1030. I*Pse se seducit* : Vt frustra sit si culpam in alios retorqueat, & laudatores accuset, non se, qui bibulas aures laudibus obtulit: *Seipsum seducit*, inquit S. August. in hanc epistolam, *non enim eum* SEDVCVNT LAVDATORES EIVS, SED IPSE POTIVS; *quia cum sibi sit ipse præsentior quam illi, mauult se in illis quærere, quã in seipso*; Sicque se neglecto nec se in se reperit, nec in aliis.

Opus autem suum probet vnusquisque; & sic in semetipso tantum gloriam habebit, & non in altero.

AC si diceret: Quisque scrutetur examinetque opus suum, vitam & conuersationem suam expendat, & discutiat, & videat non solùm quid fecerit, sed quo fine, & quâ intentione, signatè *suum* dicit, nec enim curiosè aliena facta scrutanda sunt, sed propria. Qua in re reprehensione sunt digni, qui operibus suis neglectis toti in alienis discutiendis sunt, ac si pro alienis essent iudicandi, non verò pro suis: *Opus suum probet vnusquisque*, an a charitatis venâ dilectionisque radice prodeat, exquirat. Festiue S. Augustinus tract. 5. in epist. 1. Beati Ioannis: *Reuocemur ad conscientiam de qua idem dicit, opus autem suum probet vnusquisque, & tunc in semetipso gloriam habebit, & non in altero, opus ergo suum probet vnusquisque nostrum*, VTRVM DE VENA CHARITATIS EMANET, VTRVM DE RADICE DILECTIONIS RAMI BONORVM OPERVM PVLLVLENT, *opus autem suum probet vnusquisque, ait, & tunc in semetipso gloriam habebit, & non in altero: non quando illi perhibet testimonium lingua aliena, sed quando perhibet conscientia propria.* Hoc pacto si opera excutiantur in veritatis librâ, pleraque erunt damnanda, quæ alienæ linguæ fauore laudabantur, & vix aut ne vix quidem ferri poterunt, quæ deceptoriâ vulgi aurâ efferebantur.

In semetipso tantùm gloriam habebit, & non in altero. In se gloriam habere tutò quis potest ex mente Pauli, idest interprete Sancto Isidoro Hispalensi, lib. 2. sent. cap. 30. *Occultè* in SVA CONSCIENTIA, NON PALAM IN ALIENA LINGVA, quod nõ faciunt qui alienas laudes venantur, & bona operantur, non vt Deo placeant, sed vt hominibus. Alienus à vera gloria est, qui ab alieno ore eam expectat. *In seipso*, inquit S. August. exposit. in hanc Epistolam. *tantum gloriam habebit, & non in altero: idest intus in* CONSCIENTIA SVA; *& non in altero: idest, cum* EVM ALTER LAVDAT.

Nouarin. in Epistola Pauli.

Et non in altero. Præclarè hunc locum vrget B. Aelredus in speculo charitatis, c. 24. *In semetipso gloriam habebit, & non in altero; quòd si non in homine altero*, QVANTO MINVS IN MVTO, INSENSIBILIQVE METALLO? Quàm fatuus qui in auro gloriatur, aut gloriatur in vestibus?

Vnusquisque enim onus suum portabit.

V*Nusquisque enim onus suum portabit*; Nec onus laudator minuit, sed potiùs grauat si leuis ille sit qui laudem excipit. Audiendus hîc Sanctus Augustinus exposit. in hanc Epistolam, qui productis verbis quæ producimus addit. NON ERGO LAVDATORES NOSTRI MINVVNT ONERA CONSCIENTIÆ NOSTRÆ, ATQVE VTINAM NON ETIAM ACCVMVLENT, *cum plerumque ne illis offensis aut nostra minuatur, cum obiurgatione illos curare negligimus, aut iactanter eis aliquid nostrum ostentamus potiùs quam constanter ostendimus. Vltimò ea quæ fingunt, & mentiuntur de se homines propter hominum laudes.* 1031.

Proprium vnicuique onus portandum, cur nunc asserit, qui superius dicebat, *alter alterius onera portate?* Dubium ita soluit S. August. lib. 2. de consensu Euangelistarum c. 30. *Nisi*, inquit, *oneris nomen sub diuersis significationibus acceperis, proculdubio putabis eundem sibi in loquendo esse contrarium, & hoc in vna sententia tam vicine positis verbis. Qui cum paulò ante diceret, alter, alterius onera portate: postea dixit, Vnusquisque proprium onus portabit.* SED ALIA SVNT ONERA PARTICIPANDÆ INFIRMITATIS, ALIA REDDENDÆ RATIONIS DEO DE ACTIBVS NOSTRIS. *Ida cum fratribus sustinenda communicantur.*

Aliena in iudicio sanctitas non proderit, sed nocentes accusabit potius; Pauli verba sunt ad Gal. 6 v 5. *Vnusquisque onus suum portabit.* Aliquis Paulo Paulum obiiciat, nam ibid. v. 2. ait: *Alter alterius onera portate*, aduersantur hæc sibi inuicẽ, nam si vnicuique onus suum est portandum, iam alterius onus alter portare non poterit; si distinguamus tempora, nectemus quæ dissita, & opposita videntur: dum hîc sumus, alter alterius onus portare potest, alter alterum iuuare; cum ad Iudicis Tribunal stabimus iudicandi, tunc vnusquisque onus suum portare debebit, ab alterius viribus sperare non poterit auxiliũ. Nobis succinit & Claudius Taurinensis Episc. qui in c. 6. epist. ad Galatas hæc duo inter se loca concilians hæc habet. *Docemur dum in præsenti sæculo sumus, siue orationibus, siue consiliis inuicem posse nos adiuuari, cum autem ante Tribunal Christi venerimus, nec Iob, nec Daniel, nec Noë* ROGARE POSSE PRO QVOQVAM, *sed vnusquisque portabit onus suum.* 1032.

Quæ enim seminauerit homo, hæc & metet.

NImirum ex iis quæ quotidie homo serit, colligere facilè potest, quæ sit postea collecturus: Quia dicit Apostolus, inquit S. Petrus Damian. ser. 37. *Quæ enim seminauerit homo, hæc & metet; consideremus intentè quid quotidie serimus*, ET SIC IAM CONIICERE POSSVMVS, QVID POSTMODVM NECESSARIO METERE DEBEAMVS, *Et vt exemplo facilius possit elucere, quod dicimus, nunquid fratres mei, qui hoc anno auenam siue lolium seminauerat, tritico se replere modo cellarium sperat? Nunquid cui sterilem placuit viciam serere, prouentu*

legumini m ex ea poterat redundare: Et hæ profectò quisquiliæ quas posuimus, victuales quodammodo species mentiuntur. Nam similitudinem quidem refe-ctricum vteunque messium habent. Ita planè nonnulli sunt, qui religionis imaginem superficie tenus simulant, cum veram intus religionem habere viuendo contemnant; hi nimirum in culmis, & foliis frugum schema prætendunt, sed in ariditate medullæ quisquilias contegunt. Necesse est itaque fratres, vera virtutum nunc germina seminare, vnde post modum valeamus COELESTIVM FRVGVM *gaudia æterna colligere.*

Quoniam, qui seminat in carne sua, de carne & metet corruptionem: qui autem seminat in spiritu, de spiritu metet vitam æternam.

1033. NOn bonum solum est caro, non excipiendis seminibus aptum, non bonam messem speret, qui seminat in carne. Scitè S. Aug. exposit. in hanc Epistolam. *Quia qui seminauerit,* inquit, *in carne sua, de carne sua metet corruptionem. Hoc dicit de amatoribus voluptatum magis quàm Dei.* IN CARNE ENIM SVA SEMINAT, *qui omnia quæ facit, etiamsi bona videantur, propterea tamen facit vt carnaliter ei bene sit.*

In carne sua. Pauli prudentiam nota. Cùm de carne loqueretur, *Suam*, dixit: cum de spiritu, non addidit, *Suum*, vt insinuaret, quæ carnem sapiunt, à nobis esse; quæ verò spiritum, à Deo. Acutè Primasius hic: *Illud obseruandum, quod, qui seminat in carne, cum additamento, sua, ponitur: qui autem seminat in spiritu, non dicitur, in spiritu suo; sed simpliciter in spiritu.* QVI ENIM BONA SEMINAT, NON IN SVO SPIRITV: SED IN DEI SPIRITV: ET IDEO NEMO SIBI ALIQVID TRIBVAT; *quia Dei dona sunt, quæcunque bona sunt.* Idem prorsus habet S. Hieronymus in huius Epistolæ commentario.

1034. Quæ autem sint semina quæ in carne sua, & quænam quæ in spiritu quis seminat, docet his verbis S. Ephrem Syrus, de compunctione animi: *Attendite fratres charissimi, ne quis infructuosus reperiatur: qui enim* in CARNE SVA SEMINAT *oblectamenta mundi, delicias, prandia atque conuiuia, de carne etiam metet corruptionem: qui autem* IN SPIRITV SEMINAT *orationes, ieiunia, & vigilias; de spiritu vitam metet æternam.*

Bonum autem facientes, non deficiamus.

BOnum autem facientes non deficiamus. Mali in malo cum non deficiant, cur deficiant boni in bono? *Quale est,* inquit hîc S. Hieron. *vt cum peccatores quotidie in malis operibus augeantur,* NOS IN BONO OPERE LASSEMVR?

SECTIO II.

1035 *In eleemosyna animorum potiùs habetur ratio, quàm impendiorum*

1035 *Beneficentiæ exemplum singulare.*

1036 *Operandi verbum de eleemosynarum largitione dictum, tanquàm hoc opus sit maximè insigne.*

1036 *Prælati præstent, quod docent.*

1037 *In Cruce cur maximè gloriari debeamus.*

1038 *In Cruce potiùs, quàm in Diuina sapientia, nobis gloriandum magis esse cur dixerit Apostolus.*

1038 *Gloriatio in quanam Cruce sit.*

1039 *Mundo crucifigi vt possimus.*

1039 *Mundus crucifixus vt nobis sit, & nos Mundo.*

1040 *Tota Christiani vita vt Crux sit ac martyrium.*

1040 *Ob Christi Crucem omnia pro nihil habenda.*

1041 *Mundo se quisque debet crucifigere.*

1042 *Mortuus Mundo quinam sit.*

1043 *Mundo mori debemus, vt Deo viuamus.*

1044 *Verè viuit, qui Mundo est mortuus.*

1044 *Molestia, quæ à duritie subditorum, maximè Superioribus molesta est.*

1045 *Stigmata Christi Iesu vt portauerit Paulus.*

1046 *Stigmata Christi vt cuiusdam trophæi loco gestauerit Paulus.*

1046 *Stigmata nobilitatis signum.*

1046 *Aduersitatis stigmate notat Deus, quem in filium legitimum accipit.*

1046 *Qui aliqua pro Christo est passus, auidius pati alia desiderat.*

1046 *Patientia conditionis nostræ custos, veræ Philosophiæ character, Christianæ militiæ tessera.*

Ergo, dum tempus habemus, operemur bonum ad omnes maximè ad domesticos fidei.

SEnsus est: dum sumus in hac vita 1035.
studeamus erga quoscumque esse benefici. S. Leo Papa ita hunc locum excurrit serm. 5. de collectis: *Dum tempus habemus operemur bonum; maximè autem ad domesticos fidei; bonum autem facientes non deficiamus, tempore enim suo metemus. Præsens itaque vita tempus est messis, quando vnusquisque seminum fructus secundùm sationis suæ percipiet quantitatem. De prouentu autem istius segetis nemo falletur.* QVIA ANIMORVM IBI MAGIS QVAM IMPENDIORVM *mensura taxabitur: & tantùm reddent exigua de exiguis, quantùm magna de magnis.*

Dum tempus habemus, inquit, operemur bonum; beneficentiæ operam demos; tempus enim perdit, qui benè non operatur, nec indigenti succurrit, cum possit. S. Hieronymus hîc: *Titus Filius Vespasiani, qui in vltionem Dominici sanguinis subuersis Ierosolymis, Romam victor ingressus est, tantæ dicitur fuisse bonitatis, vt cum quadã nocte serò recordaretur in cœna, quòd nihil boni die illa fecisset, dixerit amicis:* HODIE DIEM PERDIDI. *Nos putamus non perire nobis horam, diem, momenta, tempus, ætates, cùm otiosum verbum loquimur, pro quo reddituri sumus rationem in die Iudicij?* Sic ille,

le, quo Gentilis hominis exemplo Chriſtianorum oſcitantia perſtringitur.

Operemur bonum ad omnes. Verbum *Operandi*
1036. (vt notarunt & ab aliis) de eleemoſynarum largitione dicitur, tanquàm hoc opus ſit maximè inſigne, & *maximum ad ſalutem conſequendam* (ſicut ille ait) MOMENTVM HABEAT; nec operari videatur, qui eleemoſynas eâ, qua poteſt ratione, non largitur.

Videte qualibus litteris ſcripſi vobis mea manu.

VT altius hæc illorum memoriæ inſeriberentur, ea ſua ſe manu ſcripſiſſe reſtatur Paulus. Hoc cæteri Prælati imitari vt debeant, docebat S. Thomas hîc: *Videte qualibus litteris ſcripſi vobis manu propriâ, vt ſcilicet prædicta firmius teneatis, vt ſcientes à me hanc Epiſtolam miſſam, magis obediatis. Sic ergo Prælati debent propriâ manu ſcribere, vt* QVOD DOCENT VERBO, ET SCRIPTO, OSTENDANT EXEMPLO; Sicque verè ſint, quod eſſe dicuntur, credunturque eſſe.

Scripſi vobis mea manu. Conſultò hoc adiecit, nam qui reprehenduntur ſolent diuerticula quærere; nec defuiſſent qui nolentes reprehendi, hanc Epiſtolam non eſſe Apoſtoli dicerent: Quem locum ſic expendit S. Ambr. hîc. *Auctoritatem*, inquit, *dat Epiſtolæ ſuæ. Cum enim dicit, Ego ſcripſi mea manu. Obediri vult litteris his, vbi enim holographa manus eſt, falſum dici non poteſt.*

Mihi autem abſit gloriari niſi in Cruce Domini noſtri Ieſu Chriſti.

1037. ET cur in Cruce non gloriemur cum Dei honor, & gloria, Crux ipſa ſit? *Mihi abſit gloriari*, inquit, Beatus Laurentius Iuſtinianus, de incendio diuini amoris cap. 2. *niſi in Cruce Domini noſtri Ieſu Chriſti. In quo enim debeo gloriari*, NISI IN SVMMO DEI MEI HONORE, *in ſumma erga me dilectione, quæ plenißimè reperiuntur in Cruce?*

Parum eſt aliquem Crucem non erubeſcere, gloriandum in ea eſt, quod notabat Sanct. Auguſt. in pſal. 44. vbi ait: *Mihi autem abſit gloriari, dixit vnus amicorum Sponſi, niſi in Cruce Domini noſtri Ieſu Chriſti, parum eſt vt non inde erubeſcas, niſi etiam, & glorieris.* Quidni in Cruce glorietur, quæ Regni nobile diadema eſt? Pulchè Gillebertus Abb. ſerm. 20. in Cant. *Mihi, inquit Paulus, abſit gloriari niſi in Cruce Domini noſtri Ieſu Chriſti. Et quid vultis audire? Crux ipſa corona eſt, & diadema Regni.*

1038. *In Cruce.* Cur non potius dixit, in Dei ſapientia, aut in diuina Maieſtate? Audiendus Sanctus Auguſtinus in fragmentis num. 27. *Mihi autem abſit gloriari niſi in Cruce Domini noſtri Ieſu Chriſti, poterat dicere in ſapientiâ Domini noſtri Ieſu Chriſti, & verum diceret: in Maieſtate, & verum diceret: poterat in poteſtate, & verum diceret. Sed dixit in Cruce.* VBI MVNDI PHILOSOPHVS ERVBVIT, IBI APOSTOLVS THESAVRVM REPERIT: *non contemnendo vile inuolucrum, peruenit ad pretioſum inuolutum. Abſit, inquit, mihi gloriari niſi in Cruce Domini noſtri Ieſu Chriſti. Bonam ſarcinam ſuſtuliſti, ibi totum eſt quod quæſiſti, & quid ibi magnum lateret, oſtenditur.*

In Cruce Domini noſtri. Crucem Chriſti cum latronum cruce ita conferebat Hugo Victorinus lib. 1. Miſcellan. tit. 50. *Mihi autem abſit gloriari, niſi in Cruce Domini noſtri Ieſu Chriſti.* IN CRVCE CHRISTI GLORIATIO EST. IN CRVCE DEXTRI LATRONIS CONSOLATIO. IN CRVCE SINISTRI LATRONIS CONFVSIO. *In Cruce Chriſti pœna ſine culpa, & poſt pœnam glorificatio. In Cruce dextri latronis pœna pro culpa, & poſt pœnam remiſſio. In cruce ſiniſtri latronis pœna pro culpa, & poſt pœnam damnatio.*

Nouarin. in Epiſt. Pauli.

Per quem mihi Mundus crucifixus eſt, & ego Mundo.

NImirū non ſolùm mortuus Mundo Dei ſeruus eſſe debet; ſed & crucifixus, quod maius eſt. Vt enim crucifixio ignominiam maximā ſecū fert, ſic vileſcere nobis debet quicquid in Mundo honoratur; & è conuerſo illa amplecti quæ Mundus horret, & fugit, vt Crucem. *Mihi Mundus crucifixus eſt, & ego mundo; hoc eſt*, inquit S. Bern. NON SOLVM MORTVVS MVNDO, SED ET CRVCIFIXVS, *quod eſt ignominioſum genus mortis. Omnia, quæ Mundus amat, crux mihi ſunt: delectatio carnis, honores, diuitiæ, vanæ hominum laudes. Quæ verò Mundus reputat crucem, illis affixus ſum illis adhæreo, illa toto amplector affectu.* 1039.

Et ego mundo. Vtrumque neceſſarium, & Mundus nobis debet eſſe crucifixus, & nos Mundo. Quod qui fiat, ſic explicat Sanctus Auguſtin. in hanc Epiſtolam, & hæc verba. MVNDVS MIHI CRVCIFIXVS EST, AIT, VT ME NON TENEAT: ET EGO MVNDO, VT EVM NON TENEAM, *ideſt, vt neque Mundus mihi nocere poſſit, neque ego de Mundo aliquid cupiam.* Et ſe Mundo crucifixum aſſerit, & Mundum ſibi, alter alteri mortuus erat. *Inuicem ſibi*, inquit hîc S. Ambr. *mortui, inuicem ergo ſibi mortui ſunt, & Mundus Apoſtolo, & Apoſtolus Mundo, dum nihil concupiſcit Apoſtolus Mundi*, ET CVM NIHIL HABET MVNDVS SVVM QVOD AGNOSCAT IN APOSTOLO, *ſicut & Dominus ait: Ecce, inquit Princeps huius Mundi venit, & in me inuenit nihil.*

Mundo crucifixum ſe dicit Paulus, vt nouerís in crucem aliquem poſſe agi, & crucem pati, ſine ligni patibulo. Præclare S. Maximus hom. 2. in natali SS. Taurinorum martyr. *Nunquid Paulus Apoſtolus crucifixus fuerat, quum dicit: mihi autem abſit gloriari niſi in Cruce Domini noſtri Ieſu Chriſti, per quem mihi Mundus crucifixus eſt, & ego Mundo? Hoc autem dicit vt intelligas Crucem non ligni eſſe patibulum, ſed vitæ virtutiſque propoſitum. Tota igitur vita Chriſtiani hominis, ſi ſecundum Euangelium viuat*, CRVX EST ATQVE MARTYRIVM. 1040.

Crucifixus eſt, cur non potius dixit, *mihi Mundus mortuus eſt, & ego Mundo*? An vt innueret à Chriſti ſe Cruce hoc habuiſſe, vt omnia contemneret? *Obſerua*, inquit hîc Iſidorus Clarius, *non enim dixit mihi mortuus eſt, ſed crucifixus, vt ſignificaret*, OB VNAM CHRISTI CRVCEM, SIBI ISTA OMNIA ESSE PRO NIHILO.

Mihi Mundus crucifixus eſt, & ego Mundo; Pleriſque Mundus eſt crucifixus, qui tamen Mūdo minimè ſunt crucifixi; ij præcipue qui eximè Mundum reliquere, & animo Mundum ipſū quocunque feruntur, circumferentes; quod iis accinatur, qui in religioſas Familias nomen dedere: eximie S. Doroth. doctrina 1. de Abrenunt.

Quemadmodum dicit Apostolus: mihi Mundus crucifixus est, & ego Mundo. Quid igitur differt crucifigere sibi ipsi Mundum, & Mundum crucifigi, Mundus homini crucifigitur: cum Mundo abrenunciat homo, & exinde solitarius fit, relictis parentibus, possessionibus, agris, negotiationibus, rerum copia; crucifigitur enim illi Mundus, quia deserit eum, & hoc est Apostolicum dictum, mihi Mundus crucifixus est, & ego Mundo; quo pacto crucifigitur homo Mundo? eum scilicet vbi ex mundi rebus excesserit, certat aduersus rerum concupiscentias, aduersus voluptates, aduersus propriam voluntatem, subigitque innatas passiones, & vitia, tunc verè Mundo crucifigitur, tunc meritò potest cum Apostolo dicere: mihi Mundus crucifixus est, & ego Mundo. Patres igitur Sancti, & maiores nostri, SIBI IPSIS MVNDVM CRVCIFIGENTES PER OVRA CERTAMINA SE SE QVOQVE MVNDO CRVCIFIXERE. *Nos verò videmur quidem nobis ipsis Mundum crucifixisse, quia reliquimus eum, ad Monasterium diuertimus; at nolumus nos Mundo crucifigere: adhuc enim in animo nostro vigent illius blanditiæ, adhuc in nobis ipsius affectum abscondimus, compatimur illius gloriæ, compatimur deliciis, & voluptatibus, compatimur ornamentis, & vestibus, & ob viles, & inanes res dilabimur plerumque in pristinas eius passiones.*

1042. *Mihi Mundus crucifixus est, & ego Mundo.* Verba hominis à Mundi amore prorsus alieni sunt ista; quæ egregio exornat commentario S. Greg. lib. 4. Moral. cap. 4 *Benè Paulus eum & ipse sæculum perfectè despiceret, & talem se factum videret, quòd iam hoc sæculum concupiscere omnino non posset, ruptis huius vitæ vinculis liber dicit: mihi Mundus crucifixus est, & ego Mundo. Mundus quippe ei crucifixus fuerat, quia hunc cordi suo iam mortuum non amabat. Sed & semetipsum Mundo crucifixerat, quia talem se ei exhibere studuit, vt ab eo quasi mortuus concupisci non posset. Si enim vno in loco sint mortuum, & viuens; etsi mortuus viuum non videt. Ita qui iam mundum non amat, sed tamen ab illo, vel non volens amatur:* ETSI IPSE VELVT MORTVVS MVNDVM NON VIDET, *hunc tamen Mundus adhuc non mortuus videt. Si verò nec ipse in amore Mundum retinet, nec rursum à Mundi amore retinetur, vicissim sibi vtrinque extincti sunt: quia dum alter alterum non appetit, quasi mortuus mortuum non attendit. Quia igitur nec Paulus Mundi gloriam quærebat, nec à Mundi gloria ipse quærebatur: & se Mundo, & Mundum sibi crucifixum esse gloriatur.*

1043. Qui mundo plenè renuntiat, Mundo crucifigitur, & moritur, & Mundus illi, Mundo inquam, non Deo Mundi, vt ait Tertullianus, cuius hæc sunt verba lib. 5. aduersus Marcionem c. 4. *Mihi Mundus crucifixus est, non tamen Deus Mundi,* ET EGO MVNDO, NON TAMEN DEO MVNDI. *Mundum enim quantum ad conuersationem eius posuit, cui renunciando mutuò transfigimur, & inuicem morimur.*

Non satis est aliquem crucifixum, & mortuum Mundo esse, debet & vicissim illi crucifixus, & mortuus esse Mundus. Nolo hîc desiderari, quæ circa hæc verba in Pauli commendationem habet S. Chrys. lib. 2. de compunctione cordis c. 2. & licet pluscula sint, aliquid tamen abradere sine aliquo elegantiæ, & sensus præiudicio non potest; sic igitur ille scribit: *Mihi Mundus crucifixus est, & ego Mundo: mortuam mihi videtur in semetipso corporalium sensuum efficaciam protestari: imo non solum hoc, sed duplicare in semetipso istam, vt ita dicam, insensibilitatem, non enim dixit hoc solum, quia mihi Mundus crucifixus est: sed addidit, & ego mundo: ingens namque Philosophia est, hoc ipsum, vt Mundum sibi putet esse aliquis mortuum: multo autem maioris est, vt & seipsum quis mortuum putet Mundo, quem sibi mortuum priùs esse crediderat; hoc ergo in in semetipso Paulus ostendit, quia non tantùm abesset a terrenis sensibus, quantum viuentes homines a corporibus mortuis: sed quantum absunt, nec sentire possunt mortui mortuos, qui enim viuit, etiam ipse non potest mortuum concupiscere: tamen vel sentire potest, vel mirari adhuc speciem decoris defuncti, vel miserari potest, & lacrymas fundere, qui autem, & ipse defunctus est,* ERGA MORTVVM NE HVNC QVIDEM HABEBIT AFFECTVM, *& hoc est quod mihi videtur dixisse Paulus, quia mihi Mundus crucifixus est, & ego Mundo.*

Verè viuit qui Mundo est mortuus, & qui 1044.
crucifixus est Mundo, & cui Mundus est crucifixus; itaque quod de se affirmat Apostolus, sibi quisque aptare debet, imo illi aptare se. Peritè Ioannes Cassianus lib 4. de instit. Renunt. c. 34. *Noueris hodierno die te huic Mundo, & actibus eius ac desideriis esse defunctum, téque secundùm Apostolum mundo huic esse crucifixum, tibi hunc Mundum in hac luce versari,* QVIA IAM TV NON VIVIS, SED ILLE VIVIT IN TE, QVI EST CRVCIFIXVS PRO TE. *Eo ergo habitu ac figura, qua pro nobis in patibulo fuit ille suspensus, nos quoque necesse est in hac vita degere, vt scilicet secundùm Dauid configentes de timore Domini, carnes nostras, vniuersas voluntates, ac desideria, non nostræ concupiscentiæ seruientia, sed mortificationi eius habeamus affixa.*

De cætero nemo mihi molestus sit.

N*Emo mihi molestus sit.* Iamne molestias Paule fugis, reiiciśque, qui tot solebas tam auidè deuorare, tam magnas tribulationes bibere, & quod est maius, de illis, quin & in illis gloriari? Cur ergo nunc respuis, quæ tuus esse cibus solebant? An non sibi Paulus consulebat, sed aliis non de omnibus molestiis vniuersè loquitur, sed de illis, quæ non solùm ab inutili, sed etiam noxia subditorum suorum contentione erant; iuuat hanc mentem Estius dum ait: *Sensus est: post hac nemo vestrûm turbulentis contentionibus mihi laborem* MOLESTIAM, TÆDIVMQVE *adferat, de re tunc quantum satis exposità, & inculcatà. Loquitur cum autoritate tanquam Galatarum Apostolus, & Gentium Magister.* Scilicet superioribus maximè molesta illa molestia est, quæ à duritie suorum & contentione est; vt leuis omnis molestia præ ista sit.

Nemo mihi molestus sit. Nullus illi molestus 1045.
esse potèst, quia hoc ipso quòd aliquis sit illi molestus, id molestè non fert, cum stigmata Christi Iesu portet, nemo eum lædere audeat, *nemo mihi molestus sit, nam ego,* inquit hîc S. Thomas, *porto insignia Domini nostri Iesu Christi in corpore meo, & sic nullus super me ius habet nisi Christus;* nec ipse Paulus, vt ita loquar, super se ipsum, cum quicquid esset, esset Christi, Christo viueret, Christum saperet, spiraret Christum, ad Christum ipse aspiraret.

Ego

Ego enim ſtigmata Domini Ieſu in corpore meo porto.

STigmata ſe portare aſſerit tanquam ſeruus, ſcilicet dum pœnarum notas ferre ſe fatetur, indicat ſe mentem ad culpas ſuas intendere, quarum cauſa pati cogitabat quæ patiebatur. *Stigmata*, inquit hîc ſanctus Auguſtinus, *dicuntur notæ quadam pœnarum ſeruilium: vt ſi quis, verbi gratia, ſeruus in compedibus fuerit propter noxam; id eſt, propter culpam, vel huiuſmodi aliquid paſſus fuerit*, STIGMATA HABERE DICATVR: *& ideo in iure manumiſſionis, inferioris eſt ordinis. Nunc ergo Apoſtolus ſtigmata voluit appellare, quaſi notas pœnarum ex perſecutionibus quas patiebatur. Propter culpam enim perſecutionis quæ perſequutus erat Eccleſias Chriſti, hæc ſibi retribui cognouerat.*

1046. Stigmata trophæi cuiuſdam loco geſtanda aſſerit etiam Elias Cretenſis in orat. 1. Sancti Gregorij: *Qui ſtigmata quoque Chriſti, velut* TROPHÆVM ALIQVOD, *humeris geſtans aiebat Ego enim ſtigmata Domini Ieſu in corpore meo porto.* Præclarè & Salmeron hîc diſp. 38. *Et non dixit*, inquit, *ſtigmata habeo, ſed porto, tanquam* DE TROPHÆIS *& ſignis Regiis glorıaretur. Et alludit ad corpora ſeruilia, quæ notari ſolent per inuſtionem ferri candentis, aut in facie, aut in corpore, ne forte fugâ ſe à Dominis ſerui ſubducant.*

Stigmata. more ſeruorum; Iſidorus Clarius hîc, *Iam*, inquit, *quibuſdam quaſi ſtigmatibus inuſtum corpus circumfero more ſeruorum, vt quiuis agnoſcat me Chriſto penitus addictum*, NVLLI AMPLIVS QVICQVAM DEBERE, *ac ſtigmata illa, & ſigna erant plagæ, carceres; Pſeudo apoſtoli verò ab eiuſmodi ſtigmatibus ſibi diligenter cauent.*

Ego enim ſtigmata Domini Ieſu in corpore meo porto. Poteſt alius quoque ſenſus ex his verbis educi. Vt hîc Apoſtolus ad antiquorum ritum reſpiciat, quo nobilitatis ſignum notas in facie geſtabant. Nolo hîc deſiderari verba noſtri Antonij Caraccioli, qui in ſuis ſacris decuriis num. 121. ita ſcribit. *Quia ſupradixerat Pſeudoapoſtolos traxiſſe Galatas ad Circumciſionem, non tantum vt legem ſeruarent, ſed vt in carne veſtra glorientur, id eſt, vt Crucis Chriſti perſequutiones non patiantur. At ego, inquit Paulus, glorior in Cruce Chriſti, & in ſtigmatibus, quæ pro Chriſto perfero, gero ſignum meæ gloriæ, & nobilitatis, nam Thraces fortaſſis, & Galatæ gerebant in facie notas in ſignum nobilitatis; item Æthiopes fœtus ſuos notis compungebant, & Ægyptij, atque Sarmatæ. Itaque huc, reor, Paulus trahendus, cum ait: Ego ſtigmata Domini Ieſu in corpore meo porto, hoc eſt me eſſe legitimum Ieſu Chriſti Crucifixi filium, non autem ſpurium, vt ſunt iſti Pſeudo apoſtoli, ex eo patet, quòd vt legitimus filius ſtigmate eius compunctus ſum.* Hactenus ille illuſtrando huic Apoſtoli loco. Addit ſtatim lucem alij immittens: *Eundem ſenſum cenſeo ineſſe alteri loco Pauli. Deus caſtigat omnem filium quem recipit. Hoc eſt, vt clarius ex Græco. Deus quem in filium ſibi accipit, adoptátque, notat*, STIGMATE ADVERSITATIS, ET TOLERANTIÆ. *Huc fortaſſè facit διαμαστίγωσις adoleſcentium Spartanorum exercitatio, qua cædebantur gloriæ cauſâ in ara Dianæ Epheſiæ.*

Ego enim ſtigmata Domini Ieſu in corpore meo porto. Ac ſi notæ, quæ in Pauli corpore flagella reliquerant, animum illi adderent, & omni iniuriâ fortiorem eum redderent. Hinc illud Catharini hîc: *Erat Paulus (vt veriſimile eſt) toto corpore ſignatus, vt qui a Iudæis quinquies quadragenas vna minus acceperiſſet, ac fuiſſet ter virgis cæſus, & ſemel lapidatus, & pro mortuo nonnunquam derelictus: quæ omnia erant inſigna animi confirmatio. Etenim Chriſtianus verus quanto pro Chriſto aliquid paſſus eſt acerbius*, TANTO ETIAM MAGIS PATI DESIDERAT. Vt dura & acerba, quæ quis ſuſtinuit eum ad alia patienda animent, & ad grauiora toleranda vrgeant mala quibus quis affectus eſt. Bene ille de patientia in malis: *Satellitium animi patientia eſt, in ſua maieſtate ſeruat virtutem, virtuoſum in ſecuritate, ne mala moleſtiam faciant. Eſt velut tutelare quoddam numen miſeris, & cuſtos afflictorum ſpirituum. Merito illam Halitgarius dixit, cuſtodem conditionis noſtræ. O quanta gloria virtutis, cuius ſatelles eſt, quæ eſt regina rerum omnium patientia. Ipſa vtique non ſolum Philoſophiæ character, ſed & Chriſtianæ teſſera eſt militiæ, ſtemma dignitatis. Hanc non ſuſcipiunt modò impatientes, reuerentur & irati.* Nimirum ſuſpiciunt eam, qui eam non ſuſcipiunt. Denique A MALI PATIENTIA QVID NON SPERES BONI, QVA FIT VT MALA NON SINT MALA, SED FIANT BONA?

Finis Epiſtolæ ad Galatas expenſæ, & illuſtratæ.

CAPVT PRIMVM EPISTOLÆ AD EPHESIOS EXPENDITVR ET ILLVSTRATVR.

1047 *Humilitas culmini substernenda.*
1047 *Aliternos Deum benedicimus, ac ille benedicat.*
1047 *Cœlestis benedictio quænam sit.*
1048 *Spiritualis benedictio, noui Testamenti propria.*
1048 *Elegit nos Deus, vt sancti essemus; non, cum essemus sancti.*
1049 *In Christo instaurata quæ in cœlis sunt, quo sensu dicta.*
1049 *Nostra in Christo instauratio, in quo sit.*
1050 *Secundùm consilium voluntatis suæ cur dicatur Deus operari.*
1050 *Cœlestis gloriæ magnitudo quàm eximia.*
1050 *Hæreditatis æternæ pignus, Spiritus sanctus, cur nos securos minimè reddat.*
1050 *Vnum Dei beneficium alterius pignus, & obses est.*
1051 *Semper nobis aliquid deest acquirendum.*
1051 *Pauli mens in oratione quam se diffunderet.*
1052 *Vera sapientia quæ à Spiritu sancto est.*
1052 *Principes rectè regunt, si sinant Ecclesiæ legibus se regi.*
1053 *Cœlestium Spirituum ordines aliena iura non inuadere nos docent, nec præscriptos ordines transilire.*

Paulus Apostolus Iesu-Christi, &c.

1047. PAVLVS *Apostolus.* Nomen suum suæ præmittit dignitati. Cur ita? an vt humilitatem culmini substernendam doceret? *Paulus*, inquit hîc S. Thomas, *nomen est* HVMILITATIS; *Apostolus vero nomen est* DIGNITATIS, *quia qui se humiliat exaltabitur*, & iure ad dignitates euehitur qui se demittit.

Qui benedixit nos omni benedictione spirituali, &c.

Benedicit nos Deus, & nos Deum benedicimus, cum hoc discrimine: quod benedictio nostra sita in verbis est; nos Deus benedicit, dum afficit beneficiis. Scitè hîc Estius: *Nos quidem Deum* BENEDICIMVS, *cum eum pro beneficiis laudamus: ille verò nos* BENEDICIT, *cum nos beneficiis afficit. Nam Dei benedicere, benefacere est.* Verba nostra in verborum ordine sæpè sistunt, nec vlteriùs eunt. Dei verba cognata sunt factis, benè quippè facit dum benedicit.

Benedictione spirisali in cœlestibus. Et quì benedictione cœlesti adhuc in terra positi possumus frui? Sanctus Hieronymus ad hæc verba. *Quæritur*, inquit, *quomodo adhuc in terra nos positos,* COELESTI BENEDICTIONE BENEDIXERIT. *Siue igitur quod conuersatio nostra in cœlis est, & non sumus de mundo isto, sed deposita imagine Christi, portamus imaginem supercœlestis, & in carne non viuimus, sed in spiritu: & thesaurizamus nobis in cœlis; vbi cor habemus, dicimur nunc cœlesti benedictione benedicti: Siue certe, quòd omnis* BENEDICTIO SPIRITVALIS *in Christo, licet in terra sit, tamen de cœlestibus computetur.*

Benedictione spiritali. Et non etiam donis nos cumulat Deus, quæ ad corpus spectant? Cumulat, sed spiritalis benedictionis meminit, 1048.
QVIA HÆC PROPRIA NOVI TESTAMENTI EST; eámque opponit benedictioni terrenæ, quam vetus Testamentum promittebat. Quo docentur fideles, vt spiritualia præcipuè quærant, terrenis neglectis, terrenorum amore prorsus repudiato.

Sicut elegit nos in ipso ante Mundi constitutionem, vt essemus sancti & immaculati, &c.

Ignatè, *vt essemus sancti* dixit, non *cum sancti essemus*, quod obseruans S. Hieronymus hîc ait: *Non ait Paulus: Elegit nos ante constitutionem Mundi,*

Mundi, cum essemus Sancti & immaculati: Sed elegit NOS VT ESSEMVS SANCTI ET IMMACVLATI, *hoc est, qui sancti & immaculati ante non fuimus, vt postea essemus.*

Instaurare omnia in Christo, quæ in cælis, & quæ in terra sunt in ipso.

1049. INstaurare omnia. Græcè est verbum *ἀνακεφαλαιώσασθαι recapitulare*, quo pacto legit etiam Sanctus Hieronymus, aut *suo capiti coniungere*, quod militum, & ducis metaphora explicat noster doctissimus Antonius Caracciolus in sacris suis decuriis, num. 47. vbi cum locum istum produxisset, ait: *Metaphor aducitur à militum legione, quæ aut per seditionem sua sponte, aut hostium vi à suo capite, ac duce longius secesserit, postmodum reuersa ad ducem, subque suis signis succenturiata, militare rursus incipiat. Nam id importat recapitulare, id est, rursus ad suum caput redigere, ac sub eius ponere nutu, atque imperio.* Obstat tamen huic explicatui, quod non apparet, quì cœlestia, id est, Angeli iuncti suo capiti fuerint, cum qui lapsi sunt, nunquam sint ad idem vexillum reuersuti, ad eundem ducem, ad idem caput. Nisi dicamus Christo homini bonos Angelos vnitos, non quòd ab illo resilierint, sed quia cum nondum actu esset, nondum actu fuerant vniti. Hoc sensu Coloss. 2. Vocat Apostolus Christum *caput omnis principatus, & potestatis*, quatenus eos regit, & illorum bonum procurat; & Ephesiorum 1. *Constituens eum in cœlestibus supra omnem principatum, & potestatem, & virtutem & dominationem.*

Quæ in cœlis, & quæ in terra sunt. Et quì instaurari possunt quæ in cœlis? Estius. *Respondet*, inquit, Augustinus Enchir. 62. *per Christum instaurari ea, quæ in cælis sunt, quando id, quod inde in Angelis lapsum est, ex hominibus redditur, quam Theologi vocare solent instaurationem ruinæ.* Cum Angelorum, qui lapsi sunt, loco homines substituantur. Quòd si legamus ex Græci verbi vi, recapitulare, hunc ex Græcorum mente sensum elicit: *Quibus temporibus completis Deus in Christo recapitularet vtraque cœlestia, & terrestria, hoc est, ad Christum, tanquam ad vnum caput reuocaret Angelos, & homines: seu clarius, Christum constitueret Angelorum, & hominum caput; id enim fecit, quando constituit eum caput totius Ecclesiæ, quæ ex Angelis, & hominibus constat.*

In quonam sita instauratio ista sit, docet Sanctus Cyrillus Alexandrinus, lib. 1. in Genesim, dum ait: *Beatus Paulus legisque peritissimus, cum mysterium salutis humani generis intellexisset, instaurationem in eo fuisse inquit cœlestium atque terrestrium rerum: in bona vtique voluntate Dei & Patris, cunctarum scilicet rerum emendationem; statusque pristini restitutionem vocabulo instaurationis significans. Meminerat enim, vt debuit, Dei, qui per suos Prophetas ait: No memineritis priorum, & antiqua ne intueamini. Ecce ego noua facio, & nunc orientur: vtique cognoscetis ea. Quamobrem ipse quoque Paulus, vt qui diuinas litteras familiarissimas sibi haberet, prædictionem contentam in illis, finitam iam esse in Christo ostendit, inquiens: Si qua ergo in Christo noua creatura: vetera enim transierunt, & ecce facta sunt noua omnia. Etenim recreati in Christo, nouáque creatura facti sumus, & in eo solo nouum nomen obtinuimus: quippe qui cognomen ab eo accepimus.*

Qui operatur omnia secundùm consilium voluntatis suæ.

NE nostris meritis tribueremus, quod in nobis Deus operatur, aut nostri causâ, nam vt ait Sanctus Gregorius Papa lib. 20. Moral. cap. 6. *Omnia operatur secundùm consilium voluntatis suæ, non secundùm* NOSTRVM MERITVM. Addit Estius, *Ex quo consequens est non ex meritis, sed ex merà Dei voluntate nos prædestinari*, quod notabat etiam hic Sanctus Thomas. 1050.

Qui est pignus hæreditatis nostræ.

GRæcè est, *ἀῤῥαβὼν Arrhabo*, in confirmationem scilicet promissæ hæreditatis, quæ vita æterna est. Iurè exclamat S. Hieronymus: SI ARRHABO *tantus: quanta* POSSESSIO?

Qui est pignus. Quærat hîc aliquis, cur hæc arrha, hoc pignus nos securos minimè reddat adipiscendæ hæreditatis, cum arrhabo detur, vt firma obligatio sit? Cùm de accepto pignore nullus sit certus, quid mirum, si nec certus de possidenda hæreditate sit? Addit Estius hîc, *arrham ab eo custodiri debere, tunc repræsentandam, quando res promissa accipienda est: quod nisi fecerit, ius accipiendi amittet, quemadmodum & fit in sponsionibus humanis. Quare, nisi Spiritum sanctum pro* PIGNORE ACCEPTVM QVIS SERVAVERIT VSQVE IN FINEM; *excidet hæreditate promissâ: non enim promittitur hæreditas nisi ei, qui vixerit, & custodierit vsque in finem opera filij Dei, quæ eadem sunt dona Spiritus Sancti.*

Qui est pignus hæreditatis nostræ. Cum donum Spiritus Sanctus sit, cur *pignus* dicitur? *Vtrumque est*, vt bonus ille Auctor asserit, *nec minus donum quam doni pignus, & obsidem Spiritum Sanctum dixeris, quippe in benefaciendo, & donis suis conferendis sic se Deus habet,* VT AB VNO AD ALIVD SVBINDE IMPERTIENDVM ILLICIATVR, *& quodcumque confert munus, tam futuri* PIGNVS, ET OBSES, *quam præsens donum est.* Atque adeo collatis beneficiis sibi ad alia beneficia conferenda aditum Deus facit, & viam parat, & quod est maius ad maiora, quod in illo opusculo expendebam luculentius, quod de occultis Dei beneficiis est.

Non cesso gratias agens pro vobis, memoriam vestri faciens in orationibus meis.

ET non satis erat pro Ephesiorum beneficiis gratias agere, vt insuper adiiciat se illorum memoriam in suis orationibus facturum? An istis verbis indicat curandum semper, vt beneficiis noua addantur beneficia, ne, si acceptis contenti torpeamus, nec nouis inhiemus, non paremur nouis, & accepta amittamus. *Sicut gratias egit*, inquit idem Estius, *pro datis beneficiis, ita precatur pro iis,* QVÆ ADHVC DEERANT, *obtinendis.* Alioquin deest sibi, qui, sibi multa non deesse putans, ab oratione abstinet, quâ illa obtineat, quibus caret. 1051.

De multis in orationibus cogitabat, & vnus in oratione erat: nos vnis nobis non sufficimus, & in varia statim diuidimur. *Cogita*, inquit

Athanasius

Athanasius hîc, *quot hominũ Paulus mẽte & animo agitaret:* QVOT, *inquam,* ORANDO COMMEMORARET, *quum ipsi vix nobis precando sufficimus.*

Det vobis spiritum sapientiæ, &c.

1052. D*Et vobis spiritum sapientiæ*; Cur spiritum sapientiæ dixerit, non sapientiam, sic exponit Caietanus hîc. *Non dicit sapientiam, sed Spiritum sapientiæ, vt clarè explicet quod* DE OONO SPIRITVS SANCTI, *non de sapientia humanâ quæ per studium acquiritur, loquitur.* Vera nimirum sapientia est, quæ à Spiritu sancto est, & ab hoc fonte fluit.

Supra omnem Principatum & Potestatem, &c.

AVdis Iesum super Principatus & Potestates constitutum. Non factum istud, vt Principatus & Potestates tollerentur; sed vt firmarentur. S. Bernardus lib. 5. de Consid. PRÆSVNT PRINCIPATVS ET REGNVNT: SED REGVNTVR ET IPSI, *ita vt regere iam non norint, si regi desierint.* Et multo magis, si noluerint. Quod occini illis viris Principibus potest, qui de potestatis suggestu deiici se credunt, si se Dei & Ecclesiæ legibus subiiciant.

1053. *Supra omnem Principatum, & Potestatem, Virtutem, & Dominationem.* Varios in cœlis ordines Deus constituit, & non vnum tantum. Omnes tamen ordines cum ordine cuncta efficiunt, summáque concordia, nec vnus officium sibi vsurpat, quod ad alium spectat; vt hominum temeritas hinc arguatur, qui inuicem pugnant, atque alius alium studet opprimere, aliena iura alienè alter inuadit, supra alium se efferre alio depresso ferè quilibet conatur. Opportunè S. Ephrem tract. aduersus vitiosè viuentes, vbi ita homines producto cœlestium spirituum exemplo pungit. *Propterea Principatus, ac Potestates constituit Deus. Nam si in cœlis etiam vbi omnes incorrupti & immortales, cum ministratorij sint spiritus, noluit Deus vnicum cunctorum esse ordinem; sed vt cernitis* IN IIS QVOQVE POTESTATES CONSTITVIT, ET OOMINATIONES, NEMOQVE PRÆSCRIPTVM SIBI OROINEM EXCEDIT; *cùm omnia debito ibi modo & ordine constituta sint: cur nos iniustis in inuicem contentionibus exercemur? Angeli & Archangeli imperata sibi non transgrediuntur; at nos inuicem collidimur, vnúsque aduersus alterum insurgimus: ac alius alium præcedere studet; aliósque vilipendimus & deprimimus, quasi aliquid amplius efficere valeamus.* Angelorum morem imitetur, qui Angelorum consortium amat.

CAPVT II.

EPISTOLÆ AD Ephesios expenditur & illustratur.

1054 *Dæmones inter cœlum & terram degunt, & eorum inuidia torquentur qui ad cœlum volant.*
1054 *Dei in nos amor quàm magnus.*
1054 *Christo consedere nos Deus fecit in cœlestibus.*
1055 *In terris qui dura patitur, in cœlo per gloriam capitis se residere cogitet.*
1055 *Nos in cœlo sedemus secundùm spem, Christus nobiscum secundùm charitatem.*
1056 *Primitiuis sanctis tot & tam magna dona contulit Deus, vt possent faciliùs conuerterentur ad Deum.*
1057 *Ipsa nostra merita, Dei dona sunt.*
1057 *Bona opera Deus nobis præparauit vt quadam beneficia.*
1057 *Dum hîc sumus, in virtutibus semper debemus proficere.*
1057 *A Deo quinam longè esse dicantur.*
1058 *Qui simul & peregrini & aduenæ Sancti sint, & non sint.*

Secundum principem potestatis aëris huius.

A*ERIS huius.* Non paucos Dæmonum in medio aëre inter cœlum ac terram degere constans 1054.
auctorum censio est, idque inter alias rarioöes vt eorum visu erucientur, qui ad cœlum eunt, *Diabolus*, inquit Sanctus Beroardus, *in pœnam suam locum in aere medium, inter cœlum ac terram sortitus est, vt videat, & inuideat, ipsáque inuidia torqueatur.*

Propter nimiam charitatem suam, quâ dilexit nos.

P*Ropter nimiam charitatem.* Vt charitatis diuinæ magnitudinem exprimeret, nimiam dixit. Hinc B. Thomas à Villanoua conc. 3. de aduentu. *Dilexisti me Domine* SVPRA MODVM, *dilexisti me* SINE MOOO, *& qui omnia in numero, pondere, & mensura, fecisti, in diligendo me, modum, pondus, atque mensuram excessisti. Vnde Paulus Apostolus: Propter nimiam, inquit, charitatem, quà Deus dilexit nos.*

Et corresuscitauit & consedere fecit in cœlestibus in Christo Iesu.

C*Orresuscitauit & consedere fecit*; cur addiderit, *in Christo Iesu*, hanc reddit rationem Caietanus. *Aduerte,* inquit, *quod non dicit, & corresuscitauit & consedere fecit in cœlestibus, quoniam hoc fuisset manifestè falsum (quoniam adhuc non erant in cœlestibus consedentes corresuscitati, imo nec sunt) sed adiungit in Christo Iesu, vt intelligamus, quòd Christo resuscitato & eleuato ad sedendum in dextra Patris, omnia membra eius sunt corresuscitata,* ET CONSEOENTIA NON IN SEIPSIS, SED IN CHRISTO. *Humano more loquitur Paulus, quod si vnus de cognatione mea effectus esset Rex, omnes consanguinei gloriaremur quod corregnaremus in illo.*

Consedere fecit in cœlestibus Quia nimirum data nobis

nobis eſt arrha hæreditatis, id eſt, Spiritus ſanctus, qui certiſſimam nobis ſpem fecit, aliquando futurum, vt in gloria cœleſti Chriſti conſortes ſimus, tanquam capiti vniti. Sanctus Auguſtinus in Pſalm. 55. ait nos in cœlo eſſe ſecundùm ſpem, Chriſtum vero in terris ſecundùm charitatem, ſic enim ille ſcribit: *Saule, Saule, quid me perſequeris? Corpus in capite ſuo eſt ſecundum Apoſtolum dicentem: Et ſimul reſuſcitauit, & ſimul ſedere fecit in cœleſtibus, & nos ibi ſedemus, & ipſe hic laborat.* NOS IBI SEDEMVS SECVNDVM SPEM, ET ILLE HIC NOBISCVM EST SECVNDVM CHARITATEM.

1055. Et qui in cœleſtibus reſidebat, qui in terris premebatur? in Chriſtum iam immigrauerat, & capitis conſeſſum putabat ſuum. *Reſurrectione ſui capitis*, inquit Sanctus Gregorius lib. 3. moral. cap. 11. *exaltatus dicit, quia nos correſuſcitauit, & conſedere fecit in cœleſtibus. Nempe hunc in terra perſequutionum tormenta conſtrinxerunt*, SED POENARVM SVARVM PONDERIBVS PRESSVS, ECCE IAM PER GLORIAM CAPITIS IN COELO RESIDEBAT.

Conſedere nos fecit in cœleſtibus. Itane, qui in terris ſtabat, in cœlis conſedebat? ſed qui fieri hoc potuit? *Adhuc*, inquit B. Laurentius Iuſtinianus de Triumphali Chriſti agone, cap. 23. *quum iſta diceret, mortalis erat: adhuc in terra inter homines verſabatur: & tamen ſe reſuſcitatum in Chriſto, ſéque ſedere in cœleſtibus fatebatur: non vtique corporaliter, ſed per myſterium* VNITATIS CAPITIS ET CORPORIS, *quod eſt Eccleſia fidelium in Chriſto recte credentium.* Aut conſedere fecit in cœleſtibus, quia vt Eſtius ait, *data nobis arrha hæreditatis, id eſt, Spiritu ſancto certiſſimam ſpem fecit aliquando futurum, vt Chriſti conſortes ſimus tanquam membra capitis.* Et immortalitate donati, & in cœlo collocati.

Vt oſtenderet in ſæculis ſuperuenientibus abundantes diuitias gratiæ ſuæ in bonitate ſuper nos in Chriſto Ieſu.

1056. SEnſus eſt; Deus ea quæ hactenus recenſita ſunt, præſtitiſſe, vt his poſtremis ac venturis temporibus manifeſtaret hominibus exuberantem munificentiam ſuam, ſuæque beneficentiæ theſauros; *Sic ergo*, infert hîc S. Thomas, *Deus largitus eſt ſanctis primitiuis abundantia dona gratiæ, vt poſteri* FACILIVS CONVERTANTVR AD CHRISTVM. Sicque illorum beneficia noſtra ſunt munera, & in noſtram redundat vtilitatem, quod illis collatum qui ante nos fuerunt.

Ipſius enim ſumus factura, &c.

DEi ſumus factura, figmentum Dei, non ſolùm quatenus homines; ſed etiam quatenus Chriſtiani, & quatenus operatores; adeò vt nihil valeamus ſine illius auxilio. Hinc S. Auguſt. legens *Figmentum* pro *Factura* (vt plerique alij fecerunt) ait in Pſalm. 144. *Quid ergo? nos bene non operamur? Immò operamur: ſed quomodo? Ipſo in nobis, & per nos operante; ipſius enim ſumus figmentum*, & nonnullis interiectis, addit. *Merita tua nuſquam iactes, quia &* IPSA TVA MERITA, DEI DONA SVNT.

Quæ præparauit Deus vt in illis ambulemus.

QVæ præparauit Deus. Bona opera Deus præparauit tanquam ſingularia beneficia, vt notauit hîc Eſtius, qui ſtatim addit: *Dicitur autem Deus illa nobis præparaſſe, in quantum diſpoſuit ſe nobis ea daturum. Sed ne quis exiſtimet bona opera ſic nobis à Deo præparari, vt ipſi per liberum arbitrium nihil agamus, idcirco addidit, vt in illis ambulemus, id eſt, vt nos ea per liberum arbitrium exerceamus, hoc ipſum enim in nobis agit gratia Dei.* 1057.

Vt in illis ambulemus. Græcè περιπατήσωμεν *circumambulemus*, vt quodam veluti circulo omni vitæ tempore proficeremus. Præclarè S. Chryſoſtomus: *In operibus bonis quæ præparauit Deus, vt in iis ambulemus. Non vt incipiamus*, SED VT AMBVLEMVS, PERPETVA ENIM NOBIS VIRTVTE OPVS EST, ET EXTENSA VSQVE AD NOSTRVM DECESSVM. *Neque enim, ſi eſſet ingrediendum via quæ fert ad vrbem Regiam, atque cum maiorem eius partem confeciſſemus, circa ipſum finem ignaui & molles redditi ſediſſemus, nobis profuiſſet ingreſſus.* Et S. Thomas: *Signanter dicit*, AMBVLEMVS, *vt deſignet* BONI OPERIS PROFECTVM. Ambulare debemus, dum viuimus; proficere, dum hîc ſumus.

Interficiens inimicitias in ſemetipſo.

INterficiens, id eſt, penitus tollens, nimirum, vt ait Dionyſius Carthuſianus, *quantum in ſe eſt.* Addit, *inimicitias, id eſt, peccata quæ inimicitias induxerunt*: vt amicitiam inter Deum hominémque ſtabiliret. Aliqui legunt *inimicitiam*, & vna inimicitia eſt, ſi effectum eius ſpectes, quia Dei hoſtes homines conſtituit, & multiplex, quia à variis oritur capitibus.

Et veniens euangelizauit pacem vobis, qui longè fuiſtis, & pacem iis qui propè.

QVinam ſint qui longè ſint, & quinam propè, ſic explicabat S. Auguſtinus in Pſalm. 84. vbi ita ſcribit: *Veniens Euangelizauit pacem his qui erant longè, & pacem his qui propè. quos dixit qui erant propè? Iudæos qui vnum Deum colebant; quos dixit qui erant longè? Gentes qui dimiſerant Deum à quo facti erant, & colebant illa quæ ipſi fecerant. Non enim regionibus longè eſt quiſque à Deo, ſed affectibus. Amas Deum, propè es, odiſti Deum, longè es, vno loco ſtans, & propè es, & longè es.*

Ergo iam non eſtis hoſpites & aduenæ.

IAm non eſtis hoſpites & aduenæ. Videtur Paulus Paulo aduerſari, nam in Epiſt. ad Hebræos cap. 11. ait, *Confitentes quia peregrini & hoſpites ſunt ſuper terram*, Quî ſimul Dei ſerui & hoſpites ſunt, & non hoſpites? dubium ita diſcutit B. Dionyſ. hîc. *Quæritur*, inquit, *circa prædicta, quomodo ei (quod dictum eſt, Iam non eſtis hoſpites & aduenæ) conſonet quod de ſanctis ſcriptum eſt alibi. Confitentes quia peregrini & hoſpites ſunt ſuper terram. Item quod ait Petrus. Obſecro vos tanquam aduenas & peregrinos. Et illud denique Dauidicum, Ne ſileas quoniam aduena ego ſum apud te, & peregrinus, ſicut omnes patres mei. Et reſpondendum*, QVOD SANCTI SVNT PEREGRINI ET ADVENÆ 1058.

quantum

qui enim ad sæculum istud in quo peregrinantur à Domino, suspirantes ad patriam supercœlestem. Mundus enim carcer est, atque exilium electorum. Non autem sunt hospites peregrini, & aduenæ quod ad Regnum & domum seu ciuitatem militantis Ecclesiæ, imo & triumphantis Ecclesiæ ciues & domestici sunt in spe. Qui ad cœlestem patriam aspirat, se hîc æstimet peregrinum, ac mundanarum rerum contemptu mundo ipso se maiorem constituat adhuc in mundo constitutus.

CAPVT III.

EPISTOLÆ AD Ephesios expenditur & illustratur.

1059 *Felix qui Christi captiuus est.*

1059 *Euangelicum munus vt gratiam vocet Apostolus.*

1059 *Christi mysterium cur in aliis generationibus non fuisse agnitum dixerit Apostolus.*

1060 *Sancti quò magis proficiunt, eò magis se demittunt.*

1060 *Pauli in suos amor & affectus.*

1061 *Pauli afflictiones vt aliorum gloria essent.*

1061 *Genua vt Deo flectenda.*

1062 *Omnis paternitas vt à Deo sit.*

1062 *Familiæ vt instituendæ.*

1062 *Terrenæ diuitiæ nihil æstimandæ, nihil terrena gloria.*

1063 *Radix omnium bonorum charitas, omnium malorum cupiditas.*

1063 *Christi mysteria vt Paulus mente versauerit.*

Ego Paulus vinctus Christi Iesu.

1059. CVR vinctum se dicit *Christi Iesu*, & non potius *pro Christo Iesu*? An vt innueret se Christi Iesu seruum, & captiuum esse, etiam cum minimè vinculis teneretur? hinc Græcè pro *vinctus* est, *δέσμιος*, quod nomen, non participium est, *quasi dicas*, inquit Estius, *captiuus Iesu Christi.* Felix captiuitas, & omni alia libertate liberior, & nobilior.

Si tamen audistis dispensationem gratiæ Dei.

D*ispensationem gratiæ.* Euangelicum munus *gratiam* vocat, quia nimirum gratuitò illi collatum à Deo fuerat, nec aliquid in eo meritis suis tribuebat; indignus statim dignitate incipit esse, qui se dignum putat, vt ad eam assumeretur.

Quod in aliis generationibus non est agnitum filiis hominum.

PRo *in aliis generationibus* aliqui legunt, *in aliis sæculis*, alij, *in aliis ætatibus.* Et vero non aliis etiam sæculis manifestatum Christi mysterium fuit? fuit, sed non ea claritate & perfectione, quâ nobis, nec quò ad peculiares circumstantias temporis, loci, personarum, & similium: sic enim hunc locum meliores Interpretes exponunt.

Mihi omnium Sanctorum minimo data est gratia hac.

M*Ihi omnium Sanctorum minimo.* Sancti quò maiora præstant, eò de se humilius sentiunt; prius Paulus minimum Apostolorum se 1060.
dixit, nunc se cæteris fidelibus postponit; vt in eo quàm humilitas creuerit colligamus: tem rectè vrget Estius hîc, exque Græco fonte rem firmat. *Vt autem*, inquit, *intelligatur quanto cum affectu humilitatis, ac sui depressione, dictum hoc sit à Paulo; conferatur hic locus cum illo 1. Corinth. 15. vbi vocat se minimum Apostolorum, & ex collatione æstimari poteris, quantum post illam ad Corinthios scriptam Epistolam, postque tam multos interea labores pro Christo susceptos,* IN HVMILITATE PROFECERIT. *Nam illic se postponit omnibus Apostolis, hîc vero omnibus Sanctis, id est, Christianis. Et illic quidem se minimum vocat Græcè ἐλαχίστων hic autem* VT ITA DICAM MINIMISSIMVM, *nam in Græco comparatiuus est ex superlatiuo formatus ἐλαχιστότερον, ac si dicat, mihi infirmiori omnium Sanctorum.* Hæc vera Sanctorum consignatio, vt quò plus in sanctitate proficiunt, hoc se putent longiùs à Sanctis in sanctitate distare.

In Gentibus euangelizare inuestigabiles diuitias Christi, & illuminare omnes, &c.

I*Lluminare omnes.* Præcipuè Christus illuminat, sed participatione quadam, ac ministerio etiam Christi ministri: dicit autem *omnes*, quia sic Euangelium prædicauit, vt nullum hominum genus excluderet, nullum omninò hominem repelleret ab Euangelio.

Propter quod peto, ne deficiatis in tribulationibus meis pro vobis, quæ est gloria vestra.

N*E deficiatis*, aliqui legunt, *ne deficiam*, & 1061.
Sanctus Hieronymus de prima personâ exponit, sed contextus secundam magis exigit, nisi quòd Pauli amor huc Paulum vrgebat, vt deficere ille se quodammodo putaret, si propter illum alij deficerent.

Quæ est gloria vestra, ac si diceret, quæ tribulationes in gloriam vestram cedunt, adeo vt in iis gloriari potiùs deberent, quàm ob illas pudore affici, sed quid in aliorum gloriam resiliebat, quod Paulus patiebatur? *Afflictiones*, verba sunt Estij ad hæc verba, *& vincula Pauli erant* GLORIA EORVM PRO QVIBVS PATIEBATVR: *quia inde apparebat quanti Deus eos faceret, qui non modò filium suum, sed & Apostolos eius pro salute illorum pateretur affligi.*

Huius

Huius rei gratiâ flecto genua mea ad Patrem Domini noſtri Ieſu Chriſti.

F*Lecto genua mea*; vt vel corporis habitu orantis humilitatem ſignificatet, flectebat genua, vt iudicis mentem flecteret; *genua* dicit, vt vel hinc arguantur, qui vnicum genu Deo flectunt; quos ita perſtringit S. Bernardinus Senenſis: *Epheſ 3. Flecto genua mea ad Patrem Domini noſtri Ieſu Chriſti. Et ad Rom. 14. Viuo ego, dicit Dominus, quia mihi curuabitur omne genu. Qui ergo coram Sacramento Corporis Chriſti ſolùm* VNO GENV SE CVRVAT*: ſimilis eſt Iudæis illo modo ſe genuflectentibus coram Chriſto tempore Paſſionis.* Sic ille ſerm. 9. in Dom. 1. quadr. art. 1. cap. 1.

Ex quo omnis paternitas in cælis, & in terra nominatur.

1062. AD æternum Patrem hæc verba referenda in hunc ſenſum: Ex quo patre omnis familia ſiue Angelorum in cœlis, ſiue hominum in terris quantumcumque ea magna ſit, ac celebris, ortum & originem habet; ad quem vt ad Patrem, & caput omnes familiæ etiam nominatiſſimæ reuocandæ ſunt. Nam vox græca *πατρία*, quam interpres vertit *paternitatem*, ſignificat etiam familiam, ſeu cognationem eorum qui ab vno patre ſeu principe, & capite generis orti ſunt. Sed qui in Angelis familiæ ſunt? *Familias in cœlis* inquit Eſtius, *non carnaliter intelligere debemus, vt ex coniugiis ortas, ſed metaphoricè pro certis ordinibus, ſeu claſſibus, in quas velut illuſtres familias Angeli pulcherrimo ordine diſtributi ſunt, quorum tamen Princeps, & pater eſt Deus.* Igitur quæ in terris degunt familiæ ita debent conſtitui, vt ordine, concordia, puritate pariari Angelorum familiis poſſint, & re ipſa oſtendere, ſe pro principio, ac capite Deum habere.

Vt det vobis ſecundùm diuitias gloriæ ſuæ, &c.

NVnc explicat quid oret Paulus. Non legas Romanis, aut aliis terrenas diuitias Paulum oraſſe, aut dignitatum culmina, & latitudinem imperij, hæc omnia æquo rerum æſtimatori, INANIA NOMINA SVNT, nec ſerui Dei mens huc ſe debet demittere, vt ſibi hæc poſtulet dari, aut etiam aliis.

In charitate radicati, & fundati.

1063. I*N charitate radicati.* Pulchrè de hac radice Sanctus Auguſtinus ſerm. 44. de tempore. *Impleatur in vobis illud quod Apoſtolus dicit. In charitate radicati atque fundati.* RADIX ENIM OMNIVM BONORVM EST CHARITAS, *ſicut & radix omnium malorum cupiditas. Sicut in charitate nihil vnquam mali, ita in cupiditate nihil vnquam boni poterit inueniri. Iſtæ duæ radices, fratres dilectiſſimi, in duobus agris à duobus plantantur agricolis. Vnam in cordibus bonorum plantat Chriſtus; aliam in cordibus malorum plantat Diabolus.* NEC DE CHARITATIS RADICE NASCETVR ALIQVID MALI, NEC DE RADICE CVPIDITATIS ALIQVID BONI.

Nouarin. in Epiſt. Pauli.

Vt poſſitis comprehendere cum omnibus ſanctis, quæ ſit longitudo, & latitudo, & ſublimitas, & profundum.

NEſcit Pauli affectus anguſtias vllas; quod paucis dicit, pro omnibus id dictum vult, omnibúſque concedi, quod non omnibus dicit. *Quæ ſit longitudo, & latitudo*, quatuor extenſiones, dimenſionéſque recenſet, nec explicat cuius rei illæ ſint. Quis dubitet de myſteriis Chriſti Paulum loqui? nimirum qui totus in Chriſtum immigrauerat, nihil ferè aliud cogitabat quàm Chriſtum, eáque ſpectabat quæ ſpectabant ad Chriſtum. Nam vt notatum etiam ab aliis eſt: *Videtur Apoſtolus ſignificare his verbis myſteriorum Chriſti magnitudinem ſub typo quodam quatuor extenſionum ſenſibilium.* Allegoricæ huius loci explicationes plures apud Patres extant. Pulchra illa, quam offert Sanctus Auguſtinus epiſt. 112. *Ego*, inquit, *hæc verba Apoſtoli ſic intelligere ſoleo. In latitudine, opera charitatis: in longitudine, perſeuerantiam in bonis vſque in finem: in altitudine, ſpem cæleſtium præmiorum: in profundo inſcrutabilia iudicia Dei.* Has menſuras qui benè animo aſſequetur, & toto affectu comprehendet, & gloriam conſequetur, & comprehendet, quæ ſit ea menſura eſt.

CAPVT IV.

EPISTOLÆ AD Epheſios expenditur & illuſtratur.

SECTIO I.

1064 *Pro Chriſto pati, quanti fieri à nobis debeat.*
1064 *Pauli vincula magni æſtimata.*
1064 *Quanta humilitate debeat magiſter loqui diſcipulis.*
1065 *Pro Chriſto vinciri quanti ſit.*
1065 *Exempla efficaciùs excitant quam verba.*
1065 *In virtutibus ſemper debemus proficere.*
1065 *Humilitas interiùs, & exteriùs exercenda.*
1065 *Vt quiſque indigeat ab alio ſuſtineri.*
1066 *Vnitas ſeruari non poteſt, niſi mutuâ tolerantiâ ſe omnes foueant.*
1066 *Vnitatem ſecum quilibet, & cum aliis ſeruet.*
1067 *Ad menſuram dari Spiritus cur dicatur.*
1067 *Filium ſe Apoſtolorum probet, qui Dei donis ſtudet cumulari.*
1068 *Quàm eximia gratiarum dona, quæ Chriſtus nobis reliquit in cælum aſcendens.*
1068 *Captiuam duxiſſe captiuitatem, quo ſenſu dictus ſit Chriſtus.*

legumin mex ea poterat redundare: Et hæ profectò quisquilia quas posuimus, victuales quodammodo species mentiuntur. Nam similitudinem quidem refectrieum vicunque messium habent. Ita planè nonnulli sunt, qui religionis imaginem superficie tenus simulant, cum veram intus religionem habere viuendo contemnant; ij nimirum in culmis, & foliis frugum schema prætendunt, sed in ariditate medullæ quisquilias contegunt. Necesse est itaque fratres, vera virtutum nunc germina seminare, vnde post modum valeamus COELESTIVM FRVGVM *gaudia æterna colligere.*

Quoniam, qui seminat in carne sua, de carne & metet corruptionem: qui autem seminat in spiritu, de spiritu metet vitam æternam.

1033. NOn bonum solum est caro, non excipiendis seminibus aptum, non bonam messem speret, qui seminat in carne. Scitè S. Aug. exposit. in hanc Epistolam. *Quia qui seminauerit,* inquit, *in carne sua, de carne sua metet corruptionem. Hoc dicit de amatoribus voluptatum magis quàm Dei.* IN CARNE ENIM SVA SEMINAT, *qui omnia quæ facit, etiamsi bona videantur, propterea tamen facit vt carnaliter ei bene sit.*

In carne sua. Pauli prudentiam nota. Cùm de carne loqueretur, *Suam,* dixit: cum de spiritu, non addidit, *Suum*, vt insinuaret, quæ carnem sapiunt, à nobis esse; quæ verò spiritum, à Deo. Acutè Primasius hic: *Illud obseruandum, quod, qui seminat in carne, cum additamento, sua, ponitur: qui autem seminat in spiritu, non dicitur, in spiritu suo; sed simpliciter in spiritu.* QVI ENIM BONA SEMINAT, NON IN SVO SPIRITV: SED IN DEI SPIRITV: ET IDEO NEMO SIBI ALIQVID TRIBVAT; *quia Dei dona sunt, quæcunque bona sunt.* Idem prorsus habet S. Hierooymus in huius Epistolæ commentario.

1034. Quæ autem sint semina quæ in carne sua, & quænam quæ in spiritu quis seminat, docet his verbis S. Ephrem Syrus, de compunctione animi: *Attendite fratres charissimi, ne quis infructuosus reperiatur: qui enim* IN CARNE SVA SEMINAT *oblectamenta mundi, delicias, prandia atque conuiuia, de carne etiam metet corruptionem: qui autem* IN SPIRITV SEMINAT *orationes, ieiunia, & vigilias; de spiritu vitam metet æternam.*

Bonum autem facientes, non deficiamus.

BOnum autem facientes non deficiamus. Mali in malo cum non deficiant, cur deficiant boni in bono? *Quale est,* inquit hîc S. Hieron. *vt cum peccatores quotidie in malis operibus augeantur,* NOS IN BONO OPERE LASSEMVR?

SECTIO II.

1035 *In eleemosyna animorum potiùs habetur ratio, quàm impendiorum*
1035 *Beneficentiæ exemplum singulare.*
1036 *Operandi verbum de eleemosynarum largitione dictum, tanquàm hoc opus sit maximè insigne.*
1036 *Prælati præstent, quod docent.*
1037 *In Cruce cur maximè gloriari debeamus.*
1038 *In Cruce potiùs, quàm in Diuina sapientia, nobis gloriandum magis esse cur dixerit Apostolus.*
1038 *Gloriatio in quanam Cruce sit.*
1039 *Mundo crucifigi vt possimus.*
1039 *Mundus crucifixus vt nobis sit, & nos Mundo.*
1040 *Tota Christiani vita vt Crux sit ac martyrium.*
1040 *Ob Christi Crucem omnia pro nihil habenda.*
1041 *Mundo se quisque debet crucifigere.*
1042 *Mortuus Mundo quinam sit.*
1043 *Mundo mori debemus, vt Deo viuamus.*
1044 *Verè viuit, qui Mundo est mortuus.*
1044 *Molestia, quæ à duritie subditorum, maximè Superioribus molesta est.*
1045 *Stigmata Christi Iesu vt portauerit Paulus.*
1046 *Stigmata Christi vt cuiusdam trophæi loco gestauerit Paulus.*
1046 *Stigmata nobilitatis signum.*
1046 *Aduersitatis stigmate notat Deus, quem in filium legitimum accipit.*
1046 *Qui aliqua pro Christo est passus, auidius pati alia desiderat.*
1046 *Patientia conditionis nostræ custos, veræ Philosophiæ character, Christianæ militiæ tessera.*

Ergo, dum tempus habemus, operemur bonum ad omnes maximè ad domesticos fidei.

SEnsus est: dum sumus in hac vita 1035.
studeamus erga quoscumque esse benefici. S. Leo Papa ita hunc locum excutit serm. 5. de collectis: *Dum tempus habemus operemur bonum; maximè autem ad domesticos fidei; bonum autem facientes non deficiamus, tempore enim suo metemus. Præsens itaque vita tempus est messis, quando vnusquisque seminum fructus secundùm sationis suæ percipiet quantitatem. De prouentu autem istius segetis nemo falletur.* QVIA ANIMORVM IBI MAGIS QVAM IMPENDIORVM *mensura taxabitur: & tantùm reddent exigua de exiguis, quantùm magna de magnis.*

Dum tempus habemus, inquit, operemur bonum; beneficentiæ operam demus; tempus enim perdit, qui benè non operatur, nec indigenti succurrit, cum possit. S. Hieronymus hîc: *Titus Filius Vespasiani, qui in vltionem Dominici sanguinis subuersis Ierosolymis, Romam victor ingressus est, tanta dicitur fuisse bonitatis, vt cum quadã nocte serò recordaretur in cœna, quòd nihil boni die illa fecisset, dixerit amicis:* HODIE DIEM PERDIDI. *Nos putamus non perire nobis horam, diem, momenta, tempus, ætates, cùm otiosum verbum loquimur, pro quo reddituri sumus rationem in die Iudicij?* Sic ille,

le, quo Gentilis hominis exemplo Chriſtianorum oſcitantia perſtringitur.

Operemur bonum ad omnes. Verbum *Operandi*
1036. (vt notarum & ab aliis) de eleemoſynarum largitione dicitur, tanquàm hoc opus ſit maximè inſigne, & *maximum ad ſalutem conſequendam* (ſicut ille ait) MOMENTVM HABEAT; nec operati videatur, qui eleemoſynas eâ, qua poteſt ratione, non largitur.

Videte qualibus litteris ſcripſi vobis mea manu.

VT altius hæc illorum memoriæ inſeriberentur, ea ſua ſe manu ſcripſiſſe teſtatur Paulus. Hoc cæteri Prælati imitari vt debeant, docebat S. Thomas hîc: *Videte qualibus litteris ſcripſi vobis manu propriâ, vt ſcilicet prædicta firmius teneatis, vt ſcientes à me hanc Epiſtolam miſſam, magis obediatis. Sic ergo Prælati debent propriâ manu ſcribere, vt* QVOD DOCENT VERBO, ET SCRIPTO, OSTENDANT EXEMPLO; Sicque verè ſint, quod eſſe dicuntur, creduntur eſſe.

Scripſi vobis mea manu. Conſultò hoc adiecit, nam qui reprehenduntur ſolent diuerticula quærere; nec defuiſſent qui nolentes reprehendi, hanc Epiſtolam non eſſe Apoſtoli dicerent: Quem locum ſic expendit S. Ambr. hîc. *Auctoritatem*, inquit, *dat Epiſtolæ ſuæ. Cum enim dicit, Ego ſcripſi mea manu. Obediri vult litteris his, vbi enim holographa manus eſt, falſum dici non poteſt.*

Mihi autem abſit gloriari niſi in Cruce Domini noſtri Ieſu Chriſti.

1037. ET cur in Cruce non gloriemur cum Dei honor, & gloria, Crux ipſa ſit? *Mihi abſit gloriari*, inquit, Beatus Laurentius Iuſtinianus, de incendio diuini amoris cap. 2. *niſi in Cruce Domini noſtri Ieſu Chriſti. In quo enim debeo gloriari*, NISI IN SVMMO DEI MEI HONORE, *in ſumma erga me dilectione, quæ pleniſſimè reperiuntur in Cruce?*

Parum eſt aliquem Crucem non erubeſcere, gloriandum in ea eſt, quod notabat Sanct. Auguſt. in pſal. 44. vbi ait: *Mihi autem abſit gloriari, dixit vnus amicorum Sponſi, niſi in Cruce Domini noſtri Ieſu Chriſti, parum eſt vt non inde erubeſcas, niſi etiam, & glorieris.* Quidni in Cruce glorietur, quæ Regni nobile diadema eſt? Pulchè Gillebertus Abb. ſerm. 20. in Cant. *Mihi, inquit Paulus, abſit gloriari niſi in Cruce Domini noſtri Ieſu Chriſti. Et quid vultis audire? Crux ipſa corona eſt, & diadema Regni.*

1038. *In Cruce.* Cur non potius dixit, in Dei ſapientia, aut in diuina Maieſtate? Audiendus Sanctus Auguſtinus in fragmentis num. 27. *Mihi autem abſit gloriari niſi in Cruce Domini noſtri Ieſu Chriſti, poterat dicere in ſapientiâ Domini noſtri Ieſu Chriſti, & verum diceret: in Maieſtate, & verum diceret: poterat in poteſtate, & verum diceret. Sed dixit in Cruce.* VBI MVNDI PHILOSOPHVS ERVBVIT, IBI APOSTOLVS THESAVRVM REPERIT: *non contemnendo vile inuolucrum, peruenit ad pretioſum inuolutum. Abſit, inquit, mihi gloriari niſi in Cruce Domini noſtri Ieſu Chriſti. Bonam ſarcinam ſuſtuliſti, ibi totum eſt quod quæſiſti, & quid ibi magnum lateret, oſtenditur.*

In Cruce Domini noſtri. Crucem Chriſti cum Nouatin. in Epiſt. Pauli. latronum cruce ita conferebat Hugo Victorinus lib. 1. Miſcellan. tit. 50. *Mihi autem abſit gloriari, niſi in Cruce Domini noſtri Ieſu Chriſti.* IN CRVCE CHRISTI GLORIATIO EST. IN CRVCE DEXTRI LATRONIS CONSOLATIO. IN CRVCE SINISTRI LATRONIS CONFVSIO. *In Cruce Chriſti pœna ſine culpa, & poſt pœnam glorificatio. In Cruce dextri latronis pœna pro culpa, & poſt pœnam remiſſio. In Cruce ſiniſtri latronis pœna pro culpa, & poſt pœnam damnatio.*

Per quem mihi Mundus crucifixus eſt, & ego Mundo.

NImirū non ſolùm mortuus Mundo Dei ſeruus eſſe debet; ſed & crucifixus, quod maius eſt. Vt enim crucifixio ignominiam maximā ſecū fert, ſic vileſcere nobis debet quicquid in Mundo honoratur; & è conuerſu illa amplecti quæ Mundus horret, & fugit, vt Crucem. *Mihi Mundus crucifixus eſt, & ego mundo; hoc eſt*, inquit S. Bern. *non* SOLVM MORTVVS MVNDO, SED ET CRVCIFIXVS, *quod eſt ignominioſum genus mortis. Omnia, quæ Mundus amat, crux mihi ſunt: delectatio carnis, honores, diuitiæ, vanæ hominum laudes. Quæ verò Mundus reputat crucem, illis affixus ſum illis adhæreo, illa toto amplector affectu.* 1039.

Et ego mundo. Vtrumque neceſſarium, & Mundus nobis debet eſſe crucifixus, & nos Mundo. Quod qui fiat, ſic explicat Sanctus Auguſtin. in hanc Epiſtolam, & hæc verba. MVNDVS MIHI CRVCIFIXVS EST, AIT, VT ME NON TENEAT: ET EGO MVNDO, VT EVM NON TENEAM, *id eſt, vt neque Mundus mihi nocere poſſit, neque ego de Mundo aliquid cupiam.* Et ſe Mundo crucifixum aſſerit, & Mundum ſibi, alter alteri mortuus erat. *Inuicem ſibi*, inquit hîc S. Ambr. *mortui, inuicem ergo ſibi mortui ſunt, & Mundus Apoſtolo, & Apoſtolus Mundo, dum nihil concupiſcit Apoſtolus Mundi*, ET DVM NIHIL HABET MVNDVS SVVM QVOD AGNOSCAT IN APOSTOLO, *ſicut & Dominus ait: Ecce, inquit Princeps huius Mundi venit, & in me inuenit nihil.*

Mundo crucifixum ſe dicit Paulus, vt noueris in crucem aliquem poſſe agi, & crucem pati, ſine ligni patibulo. Præclare S. Maximus hom. 2. 1040.
in natali SS. Tauricorum martyr. *Nunquid Paulus Apoſtolus crucifixus fuerat, quum dicit: mihi autem abſit gloriari niſi in Cruce Domini noſtri Ieſu Chriſti, per quem mihi Mundus crucifixus eſt, & ego Mundo? Hoc autem dicit vt intelligas Crucem non ligni eſſe patibulum, ſed vitæ virtutiſque propoſitum. Tota igitur vita Chriſtiani hominis, ſi ſecundum Euangelium viuat*, CRVX EST ATQVE MARTYRIVM.

Crucifixus eſt, cur non potius dixit, *mihi Mundus mortuus eſt, & ego Mundo?* An vt innueret à Chriſti ſe Cruce hoc habuiſſe, vt omnia contemneret? *Obſerua*, inquit hîc Iſidorus Clarius; *non enim dixit mihi mortuus eſt, ſed crucifixus, vt ſignificaret*, OB VNAM CHRISTI CRVCEM, SIBI ISTA OMNIA ESSE PRO NIHILO.

Mihi Mundus crucifixus eſt, & ego Mundo; Pleriſque Mundus eſt crucifixus, qui tamen Mūdo minimè ſunt crucifixi; ij præcipue qui eximiè Mundum reliquere, & animo Mundum ipſū quocunque feruntur, circumferentes; quod iis occinatur, qui in religioſas Familias nomen dedere: eximiè S. Doroth. doctrina 1. de Abrenunt.

Y 3 Quemad

Quemadmodum dicit Apostolus: mihi Mundus crucifixus est, & ego Mundo. Quid igitur differt crucifigere sibi ipsi Mundum, & Mundum crucifigi, Mundus homini crucifigitur: cum Mundo abrenunciat homo, & exinde solitarius fit, relictis parentibus, possessionibus, agris, negotiationibus, rerum copia; crucifigitur enim illi Mundus, quia deserit eum, & hoc est Apostolicum dictum, mihi Mundus crucifixus est, & ego Mundo; quo pacto crucifigitur homo Mundo? cum scilicet vbi ex mundi rebus excesserit, certat aduersus rerum concupiscentias, aduersus voluptates, aduersus propriam voluntatem, subigitque innatas passiones, & vitia, tunc verè Mundo crucifigitur, tunc meritò potest cum Apostolo dicere: mihi Mundus crucifixus est, & ego Mundo. Patres igitur Sancti, & maiores nostri, SIBI IPSIS MVNDVM CRVCIFIGENTES PER DVRA CERTAMINA SE SE QVOQVE MVNDO CRVCIFIXERE. *Nos verò videmur quidem nobis ipsis Mundum crucifixisse, quia reliquimus eum, ad Monasterium diuertimus; at nolumus nos Mundo crucifigere: adhuc enim in animo nostro vigent illius blanditia, adhuc in nobis ipsius affectum abscondimus, compatimur illius gloria, compatimur deliciis, & voluptatibus, compatimur ornamentis, & vestibus, & ob viles, & inanes res dilabimur plerumque in pristinas eius passiones.*

1042. *Mibi Mundus crucifixus est, & ego Mundo.* Verba hominis à Mundi amore prorsus alieni sunt ista; quæ egregio exornat commentario S. Greg. lib. 4. Moral. cap. 4. *Benè Paulus cùm & ipse sæculum perfectè despiceret, & talem se factum videret, quòd iam hoc sæculum concupiscere omnino non posset, ruptis huius vitæ vinculis liber dicit: mihi Mundus crucifixus est, & ego Mundo. Mundus quippe ei crucifixus fuerat, quia hunc cordi suo iam mortuum non amabat. Sed & semetipsum Mundo crucifixerat, quia talem se ei exhibere studuit, vt ab eo quasi mortuus concupisci non posset. Si enim vno in loco sint mortuus, & viuens, etsi mortuus viuum non videt. Ita qui iam mundum non amat, sed tamen ab illo, vel non volens amatur:* ETSI IPSE VELVT MORTVVS MVNDVM NON VIDET, *hunc tamen Mundus adhuc non mortuus videt. Si verò nec ipse in amore Mundum retinet, nec rursum à Mundi amore retinetur, vicissim sibi vtrinque extincti sunt: quia dum alter alterum non appetit, quasi mortuus mortuum non attendit. Quia igitur nec Paulus Mundi gloriam quærebat, nec à Mundi gloria ipse quærebatur: & se Mundo, & Mundum sibi crucifixum esse gloriatur.*

1043. Qui mundo plenè renuntiat, Mundo crucifigitur, & moritur, & Mundus illi, Mundo inquam, non Deo Mundi, vt ait Tertullianus, cuius hæc sunt verba lib. 5. aduersus Marcionem c. 4. *Mibi Mundus crucifixus est, non tamen Deus Mundi,* ET EGO MVNDO, NON TAMEN DEO MVNDI. *Mundum enim quantum ad conuersationem eius posuit, cui renunciando mutuò transfigimur, & inuicem morimur.*

Non satis est aliquem crucifixum, & mortuum Mundo esse, debet & vicissim illi crucifixus, & mortuus esse Mundus. Nolo hîc desiderari, quæ circa hæc verba in Pauli commendationem habet S. Chrys. lib. 2. de compunctione cordis c. 2. & licet plusculа sint, aliquid tamen abradere sine aliquo elegantiæ, & sensus præiudicio non potest, sic igitur ille scribit: *Mibi Mundus crucifixus est, & ego Mundo: mortuam mihi videtur in semetipso corporalium sensuum efficaciam protestari: imo non solùm hoc, sed duplicare in semetipso istam, vt ita dicam, insensibilitatem, non enim dixit hoc solum, quia mihi Mundus crucifixus est: sed addidit, & ego mundo: ingentis namque Philosophia est, hoc ipsum, vt Mundum sibi putet esse aliquis mortuum: multò autem maioris est, vt & seipsum quis mortuum putet Mundo, quem sibi mortuum priùs esse crediderat; hoc ergo in in semetipso Paulus ostendit, quia non tantùm abesset à terrenis sensibus, quantum viuentes homines à corporibus mortuis: sed quantùm absunt, nec sentire possunt mortui mortuos, qui enim viuit, etiam ipse non potest mortuum concupiscere: tamen vel sentire potest, vel mirari adhuc speciem decoris defuncti, vel miserari potest, & lacrymas fundere, qui autem, & ipse defunctus est,* ERGA MORTVVM NE HVNC QVIDEM HABEBIT AFFECTVM, *& hoc est quod mihi videtur dixisse Paulus, quia mihi Mundus crucifixus est, & ego Mundo.*

Verè viuit qui Mundo est mortuus, & qui 1044.
crucifixus est Mundo, & cui Mundus est crucifixus; itaque quod de se affirmat Apostolus, sibi quisque aptare debet, imo illi aptare se. Peritè Ioannes Cassianus lib. 4 de instit. Renunt. c. 34. *Noueris hodierno die te huic Mundo & actibus eius ac desideriis esse defunctum, téque secundum Apostolum mundo huic esse crucifixum, tibi hunc Mundum in hac luce versari,* QVIA IAM TV NON VIVIS, SED ILLE VIVIT IN TE, QVI EST CRVCIFIXVS PRO TE. *Eo ergo habitu ac figura, qua pro nobis in patibulo fuit ille suspensus, nos quoque necesse est in hac vita degere, vt scilicet secundum David affigentes de timore Domini, carnes nostras, vniuersas voluntates, ac desideria, non nostræ concupiscentiæ seruientia, sed mortificationi eius habeamus affixa.*

De cætero nemo mibi molestus sit.

N*Emo mibi molestus sit.* Itane molestias Paule fugis, reiicisque, qui tot solebas tam auidè deuorare, tam magnas tribulationes bibere, & quod est maius, de illis, quin & in illis gloriari? Cur ergo nunc respuis, quæ tuus esse cibus solebant? An non sibi Paulus consulebat, sed aliis non de omnibus molestiis vniuersè loquitur, sed de illis, quæ non solùm ab inutili, sed etiam noxia subditorum suorum contentione erant; iuuat hanc mentem Estius dum ait: *Sensus est: post hac nemo vestrûm turbulentis contentionibus mibi laborem* MOLESTIAM, TÆDIVMQVE *adferat, de re tunc quartum satis exposità, & inculcatà. Loquitur cum autoritate tanquam Galatarum Apostolus, & Gentium Magister.* Scilicet superioribus maximè molesta illa molestia est, quæ à duritie suorum & contentione est; vt leuis omnis molestia præ ista sit.

Nemo mibi molestus sit. Nullus illi molestus 1045.
esse potest, quia hoc ipso quòd aliquis sit illi molestus, id molestè non fert, cum stigmata Christi Iesu portet, nemo eum lædere audeat, *nemo mibi molestus sit, nam ego,* inquit hic S. Thomas, *porto insignia Domini nostri Iesu Christi in corpore meo, & sic nullus super me ius habet nisi Christus;* nec ipse Paulus, vt ita loquar, super se ipsum, cum quicquid esset, esset Christi, Christo viueret, Christum saperet, spiraret Christum, ad Christum ipse aspiraret.

Ego enim ſtigmata Domini Ieſu in corpore meo porto.

STigmata ſe portare aſſerit tanquam ſeruus, ſcilicet dum pœnarum notas ferre ſe fatetur, indicat ſe mentem ad culpas ſuas intendere, quarum cauſà pati cogitabat quæ patiebatur, *Stigmata*, inquit hîc ſanctus Auguſtinus, *dicuntur notæ quadam pœnarum ſeruilium: vt ſi quis, verbi gratià, ſeruus in compedibus fuerit propter noxam; id eſt, propter culpam, vel huiuſmodi aliquid paſſus fuerit*, STIGMATA HABERE DICATVR: *& ideo in iure manumiſſionis, inferioris eſt ordinis. Nunc ergo Apoſtolus ſtigmata voluit appellare, quaſi notas pœnarum ex perſecutionibus quas patiebatur. Propter culpam enim perſecutionis quæ perſequutus erat Eccleſias Chriſti, hæc ſibi retribui cognouerat.*

1046. Stigmata trophæi cuiuſdam loco geſtanda aſſerit etiam Elias Cretenſis in orat. 1. Sancti Gregorij: *Qui ſtigmata quoque Chriſti, velut* TROPHÆVM ALIQVOD, *humeris geſtans aiebat Ego enim ſtigmata Domini Ieſu in corpore meo porto.* Præclarè & Salmeron hîc diſp.38. *Et non dixit*, inquit, *ſtigmata habeo, ſed porto, tanquam* DE TROPHÆIS *& ſignis Regiis gloriaretur. Et alludit ad corpora ſeruilia, quæ notari ſolent per inuſtionem ferri candentis, aut in facie, aut in corpore, ne forte fugà ſe à Dominis ſerui ſubducant.*

Stigmata. more ſeruorum; Iſidorus Clarius hîc, *Iam*, inquit, *quibuſdam quaſi ſtigmatibus inuſtum corpus circumfero more ſeruorum, vt quiuis agnoſcat me Chriſto penitus addictum*, NVLLI AMPLIVS QVICQVAM DEBERE, *ac ſtigmata illa. & ſigna erant plagæ, carceres; Pſeudo apoſtoli verò ab eiuſmodi ſtigmatibus ſibi diligenter cauent.*

Ego enim ſtigmata Domini Ieſu in corpore meo porto. Poteſt alius quoque ſenſus ex his verbis educi. Vt hîc Apoſtolus ad antiquorum ritum reſpiciat, quo nobilitatis ſignum notas in facie geſtabant. Nolo hîc deſiderari verba noſtri Antonij Caraccioli, qui in ſuis ſacris decuriis num.122. ita ſcribit. *Quia ſupradixerat Pſeudoapoſtolos traxiſſe Galatas ad Circumciſionem, non tantùm vt legem ſeruarent, ſed vt in carne veſtra glorientur, id eſt, vt Crucis Chriſti perſequutiones non patiantur. At ego, inquit Paulus, glorior in Cruce Chriſti, & in ſtigmatibus, quæ pro Chriſto perfero, gero ſignum meæ gloriæ, & nobilitatis. nam Thraces fortaſſis, & Galatæ gerebant in facie notas in ſignum nobilitatis; item Æthiopes fœtus ſuos notis compungebant, & Ægyptij, atque Sarmatæ. Itaque huc, reor, Paulus trahendus, cum ait: Ego ſtigmata Domini Ieſu in corpore meo porto, hoc eſt me eſſe legitimum Ieſu Chriſti Crucifixi filium, non autem ſpurium, vt ſunt iſti Pſeudo apoſtoli, ex eo patet, quòd vt legitimus filius ſtigmate eius compunctus ſum.* Hactenus ille illuſtrando huic Apoſtoli loco. Addit ſtatim lucem alij immittens: *Eundem ſenſum cenſeo ineſſe alteri loco Pauli. Deus caſtigat omnem filium quem recipit. Hoc eſt, vt clarius ex Græco. Deus quem in filium ſibi accipit, adoptatque, notat*, STIGMATE ADVERSITATIS, ET TOLERANTIÆ. *Huc fortaſſè facit διαμαστίγωσις adoleſcentium Spartanorum exercitatio, qua cædebantur gloriæ cauſà in ara Dianæ Epheſiæ.*

Ego enim ſtigmata Domini Ieſu in corpore meo porto. Ac ſi notæ, quæ in Pauli corpore flagella reliquerant, animum illi adderent, & omni iniuriâ fortiorem eum redderent. Hinc illud Catharini hîc: *Erat Paulus (vt veriſimile eſt) toto corpore ſignatus, vt qui a Iudæis quinquies quadragenas vna minus accepiſſet, ac fuiſſet ter virgis cæſus, & ſemel lapidatus, & pro mortuo nonnunquam derelictus: quæ omnia erant magna animi confirmatio. Etenim Chriſtianus verus quanto pro Chriſto aliquid paſſus eſt acerbius*, TANTO ETIAM MAGIS PATI DESIDERAT. Vt dura & acerba, quæ quis ſuſtinuit eum ad alia patienda animent, & ad grauiora toleranda vrgeant mala quibus quis affectus eſt. Bene ille de patientia in malis: *Satellitium animi patientia eſt, in ſua maieſtate ſeruat virtutem, virtuoſum in ſecuritate, ne mala moleſtiant. Eſt velut tutelare quoddam numen miſeris, & cuſtos afflictorum ſpiritus. Merito illam Haligarius dixit, cuſtodem conditionis noſtræ. O quanta gloria virtutis, cuius ſatelles eſt, quæ eſt regina rerum omnium patientia. Ipſa vtique non ſolum Philoſophiæ character, ſed & Chriſtianæ teſſera eſt militiæ, ſtemma dignitatis. Hanc non ſuſcipiunt modò impatientes, verentur & irati.* Nimirum ſuſpiciunt eam, qui eam non ſuſcipiunt. Denique A MALI PATIENTIA QVID NON SPERES BONI, QVA FIT VT MALA NON SINT MALA, SED FIANT BONA?

Finis Epiſtolæ ad Galatas expenſæ, & illuſtratæ.

CAPVT PRIMVM EPISTOLÆ AD EPHESIOS EXPENDITVR ET ILLVSTRATVR.

Paulus Apostolus Iesu-Christi, &c.

1047. PAVLVS *Apostolus.* Nomen suum suæ præmittit dignitati. Cur ita? an vt humilitatem culmini substernendam doceret? *Paulus*, inquit hîc S. Thomas, *nomen est* HVMILITATIS; *Apostolus vero nomen est* DIGNITATIS, *quia qui se humiliat exaltabitur*, & iure ad dignitates euehitur qui se demittit.

Qui benedixit nos omni benedictione spirituali, &c.

BEnedicit nos Deus, & nos Deum benedicimus, cum hoc discrimine: quod benedictio nostra sita in verbis est; nos Deus benedicit, dum afficit beneficiis. Scitè hîc Estius: *Nos quidem Deum* BENEDICIMVS, *cum eum pro beneficiis laudamus: ille verò nos* BENEDICIT, *cum nos beneficiis afficit. Nam Dei benedicere, benefacere est.* Verba nostra in verboruo ordine sæpè sistunt, nec vlteriùs eunt. Dei verba cognata sunt factis, benè quippè facit dum benedicit.

Benedictione spiritali in cælestibus. Et quì benedictione cœlesti adhuc in terra positi possumus frui? Sanctus Hieronymus ad hæc verba. *Queritur*, inquit, *quomodo adhuc in terra nos positos*, COELESTI BENEDICTIONE BENEDIXERIT. *Siue igitur quod conuersatio nostra in cælis est, & non sumus de mundo isto, sed deposita imagine Christi, portamus imaginem supercælestis, & in carne non viuimus, sed in spiritu: & thesaurizamus nobis in cælis; vbi cor habemus, dicimur nunc cælesti benedictione benedicti: Siue certe, quòd omnis* BENEDICTIO SPIRITVALIS *in Christo, licet in terra sit, tamen de cælestibus computetur.*

Benedictione spiritali. Et non etiam donis nos cumulat Deus, quæ ad corpus spectant? Cumulat, sed spiritalis benedictionis meminit, QVIA HÆC PROPRIA NOVI TESTAMENTI EST; eámque opponit benedictioni terrenæ, quam vetus Testamentum promittebat. Quo docentur fideles, vt spiritualia præcipuè quærant, terrenis neglectis, terrenorum amore prorsus repudiato. 1048.

Sicut elegit nos in ipso ante Mundi constitutionem, vt essemus sancti & immaculati, &c.

SIgnatè, *vt essemus sancti* dixit, non *cum sancti essemus*, quod obseruans S. Hieronymus hîc ait: *Non ait Paulus: Elegit nos ante constitutionem Mundi,*

Mundi, cum eſſemus Sancti & immaculati: Sed elegit, NOS VT ESSEMVS SANCTI ET IMMACVLATI, hoc eſt, qui ſancti & immaculati ante non fuimus, vt poſtea eſſemus.

Inſtaurare omnia in Chriſto, quæ in cœlis, & quæ in terra ſunt in ipſo.

1049. I*Nſtaurare omnia.* Græcè eſt verbum *ἀνακεφαλαιώσασθαι recapitulare*, quo pacto legit etiam Sanctus Hieronymus, aut *ſuo capiti coniungere*, quod mirum, & ducis metaphorâ explicat noſter doctiſſimus Antonius Caracciolus in ſacris ſuis decuriis, num. 47. vbi eum locum iſtum produxiſſet, ait: *Metaphora ducitur à militum legione, quæ aut per ſeditionem ſua ſponte, aut hoſtium vi à ſuo capite, ac duce longiùs ſeceſſerit, poſtmodum reuerſa ad ducem, ſubque ſuis ſignis ſuccenturiata, militare rurſus incipiat. Nam id importat recapitulare, id eſt, rurſus ad ſuum caput redigere, ac ſub eius ponere nutu, atque imperio.* Obſtat tamen huic explicatui, quod non apparet, qui cœleſtia, id eſt, Angeli iuncti ſuo capiti fuerint, cum qui lapſi ſunt, nunquam ſint ad idem vexillum reuerſuri, ad eundem ducem, ad idem caput. Niſi dicamus Chriſto homini bonos Angelos vnitos, non quòd ab illo reſilierint, ſed quia cum nondum actu eſſet, nondum actu fuerant vniti. Hoc ſenſu Coloſſ. 2. Vocat Apoſtolus Chriſtum *caput omnis principatus, & poteſtatis*, quatenus eos regit, & illorum bonum procurat; & Epheſiorum 1. *Conſtituens eum in cœleſtibus ſupra omnem principatum, & poteſtatem, & virtutem & dominationem.*

Quæ in cœlis, & quæ in terra ſunt. Et qui inſtaurati poſſunt quæ in cœlis? Eſtius. *Reſpondet*, inquit, Auguſtinus Enchir. 62. *per Chriſtum inſtaurari ea, quæ in cœlis ſunt, quando id, quod inde in Angelis lapſum eſt, ex hominibus redditur, quam Theologi vocare ſolent inſtaurationem ruinæ.* Cum Angelorum, qui lapſi ſunt, loco homines ſubſtituantur. Quòd ſi legamus ex Græci verbi vi, recapitulare, hunc ex Græcorum mente ſenſum elicit: *Quibus temporibus completis Deus in Chriſto recapitularet vtraque cœleſtia, & terreſtria, hoc eſt, ad Chriſtum, tanquam ad vnum caput reuocaret Angelos, & homines: ſeu clariùs, Chriſtum conſtitueret Angelorum, & hominum caput; id enim fecit, quando conſtituit eum caput totius Eccleſiæ, quæ ex Angelis, & hominibus conſtat.*

In quonam ſita inſtauratio iſta ſit, docet Sanctus Cyrillus Alexandrinus, lib. 1. in Geneſim, dum ait: *Beatus Paulus legiſque peritiſſimus, cum myſterium ſalutis humani generis intellexiſſet, inſtaurationem in eo fuiſſe inquit cœleſtium atque terreſtrium rerum: in bona vtique voluntate Dei & Patris, cunctarum ſcilicet rerum emendationem; ſtatúſque priſtini reſtitutionem vocabulo inſtaurationis ſignificans. Meminerat enim, vt debuit, Dei, qui per ſuos Prophetas ait: Ne memineritis priorum, & antiqua ne intueamini. Ecce ego noua facio, & nunc orientur: vtique cognoſcetis ea. Quamobrem ipſe quoque Paulus, vt qui diuinas litteras familiariſſimas ſibi haberet, prædictionem contentam in illis, finitam iam eſſe in Chriſto oſtendit, inquiens: Si qua ergo in Chriſto noua creatura: vetera enim tranſierunt, & ecce facta ſunt noua omnia. Etenim recreati in Chriſto, nouáque creatura facti ſumus, & in eo ſolo nouum nomen obtinuimus: quippe qui cognomen ab eo accepimus.*

Qui operatur omnia ſecundùm conſilium voluntatis ſuæ.

NE noſtris meritis tribueremus, quod in nobis Deus operatur, aut noſtri cauſâ, nam vt ait Sanctus Gregorius Papa lib. 20. Moral. cap. 6. *Omnia operatur ſecundùm conſilium voluntatis ſuæ, non ſecundùm* NOSTRVM MERITVM. Addit Eſtius, *Ex quo conſequens eſt non ex meritis, ſed ex merâ Dei voluntate nos prædeſtinari*, quod notabat etiam hic Sanctus Thomas. 1050.

Qui eſt pignus hæreditatis noſtræ.

GRæcè eſt, *ἀῤῥαβὼν Arrhabo*, in confirmationem ſcilicet promiſſæ hæreditatis, quæ vita æterna eſt. Iurè exclamat S. Hieronymus: SI ARRHABO *tantus: quanta* POSSESSIO?

Qui eſt pignus. Quærat hic aliquis, cur hæc arrha, hoc pignus nos ſecuros minimè reddat adipiſcendæ hæreditatis, cum arrhabo detur, vt firma obligatio ſit? Cùm de accepto pignore nullus ſit certus, quid mirum, ſi nec certus de poſſidenda hæreditate ſit? Addit Eſtius hîc, *arrham ab eo cuſtodiri debere, tunc repræſentandam, quando res promiſſa accipienda eſt: quod niſi fecerit, ius accipiendi amittet, quemadmodum & fit in ſponſionibus humanis. Quare, niſi Spiritum ſanctum pro* PIGNORE ACCEPTVM QVIS SERVAVERIT VSQVE IN FINEM; *excidet hæreditate promiſſa: non enim promittitur hæreditas niſi ei, qui vixerit, & cuſtodierit vſque in finem opera filij Dei, quæ eadem ſunt dona Spiritus Sancti.*

Qui eſt pignus hæreditatis noſtræ. Cum donum Spiritus Sanctus ſit, cur *pignus* dicitur? *Vtrumque eſt*, vt bonus ille Auctor aſſerit, *nec minùs donum quam doni pignus, & obſidem Spiritum Sanctum dixeris, quippe in benefaciendo, & donis ſuis conferendis ſic ſe Deus habet*, VT AB VNO AD ALIVD SVBINDE IMPERTII NOVM ILLICIATVR, *& quodcumque confert munus, tam futuri* PIGNVS, ET OBSES, *quam præſens donum eſt.* Atque adeo collatis beneficiis ſibi ad alia beneficia conferenda aditum Deus facit, & viam parat, & quod eſt maius ad maiora, quod in illo opuſculo expendebam luculentius, quod de occultis Dei beneficiis eſt.

Non ceſſo gratias agens pro vobis, memoriam veſtri faciens in orationibus meis.

ET non ſatis erat pro Epheſiorum beneficiis gratias agere, vt inſuper adiiciat ſe illorum memoriam in ſuis orationibus facturum? An iſtis verbis indicat curandum ſemper, vt beneficiis noua addantur beneficia, ne, ſi acceptis contenti torpeamus, nec nouis inhiemus, non paremur nouis, & accepta amittamus. *Sicut gratias egit*, inquit idem Eſtius, *pro datis beneficiis, ita precatur pro iis*, QVÆ ADHVC DEERANT, *obtinendis.* Alioquin deeſt ſibi, qui, ſibi multa non deeſſe putans, ab oratione abſtinet, quâ illa obtineat, quibus caret. 1051.

De multis in orationibus cogitabat, & vnus in oratione erat: nos vnis nobis non ſufficimus, & in varia ſtatim diuidimur. *Cogita*, inquit

Athanaſius

Athanasius hîc, *quot hominũ Paulus mẽte & animo agitaret:* QVOT, *inquam,* ORANOO COMMEMORARET, *quum ipsi vix nobis precando sufficimus.*

Det vobis spiritum sapientiæ, &c.

1052. D*Et vobis spiritum sapientiæ*; Cur spititum sapientiæ dixerit, non sapientiam, sic exponit Caietanus hîc. *Non dicit sapientiam, sed Spiritum sapientiæ, vt clarè explicet quod* DE DONO SPIRITVS SANCTI, *non de sapientia humanâ quæ per studium acquiritur, loquitur.* Veta nimitum sapientia est, quæ à Spiritu sancto est, & ab huc fonte fluit.

Supra omnem Principatum & Potestatem, &c.

AVdis Iesum super Principatus & Potestates constitutum. Non factum istud, vt Principatus & Potestates tollerentur; sed vt firmarentur. S. Bernardus lib. 5. de Consid. PRÆSVNT PRINCIPATVS ET REGVNT: SED REGVNTVR ET IPSI, *ita vt regere iam non norint, si regi desierint.* Et multo magis, si noluetint. Quod occini illis viris Principibus potest, qui de potestatis suggestu deiici se credunt, si se Dei & Ecclesiæ legibus subiiciant.

1053. *Supra omnem Principatum, & Potestatem, Virtutem, & Dominationem.* Vatios in cœlis ordines Deus constituit, & nun vnum tantum. Omnes tamen ordines cum ordine cuncta efficiunt, summâque concordia, nec vnus officium sibi vsurpat, quod ad alium spectat; vt hominum temeritas hinc arguatur, qui inuicem pugnant, atque alius alium studet opptimere, aliena iura aliené alter inuadit, supta alium se efferre alio deptesso ferè quilibet conatur. Opportunè S. Ephrem tract. aduersus vitiosè viuentes, vbi ita homines producto cœlestium spirituum exemplo pungit. *Propterea Principatus, ac Potestates constituit Deus. Nam si in cœlis etiam vbi omnes incorrupti & immortales, cum ministratorij sint spiritus, noluit Deus vnicum cunctorum esse ordinem; sed vt cernitis* IN IIS QVOQVE POTESTATES CONSTITVIT, ET DOMINATIONES, NEMOQVE PRÆSCRIPTVM SIBI ORDINEM EXCEDIT; *cùm omnia debito ibi modo & ordine constituta sint: cur nos iniustis in inuicem contentionibus exercemur? Angeli & Archangeli imperata sibi non transgrediuntur; at nos inuicem collidimur, vnúsque aduersus alterum insurgimus: ac alius alium præcedere studet; aliósque vilipendimus & deprimimus, quasi aliquid amplius efficere valeamus.* Angelorum motem imitetur, qui Angelorum consortium amat.

CAPVT II.

EPISTOLÆ AD Ephesios expenditur & illustratur.

1054 *Dæmones inter cœlum & terram degunt, & eorum inuidia torquentur: qui ad cœlum volant.*

1054 *Dei in nos amor quàm magnus.*

1054 *Christo consedere nos Deus fecit in cœlestibus.*

1055 *In terris qui dura patitur, in cœlo per gloriam capitis se residere cogitet.*

1055 *Nos in cœlo sedemus secundùm spem, Christus nobiscum secundùm charitatem.*

1056 *Primitiuis sanctis tot & tam magnæ dona contulit Deus, vt posteri facilius converterentur ad Deum.*

1057 *Ipsa nostra merita, Dei dona sunt.*

1057 *Bona opera Deus nobis præparauit vt quædam beneficia.*

1057 *Dum hîc sumus, in virtutibus semper debemus proficere.*

1057 *A Deo quinam longè esse dicantur.*

1058 *Qui simul & peregrini & aduenæ Sancti sint, & non sint.*

Secundum principem potestatis aëris huius.

AERIS *huius.* Non paucos Dæmonum in medio aëre inter cœlum ac terram degere constans 1054.
auctorum censio est, idque inter alias tatiooes vt eorum visu crucientur, qui ad cœlum eunt, *Diabolus*, inquit Sanctus Betnardus, *in pœnam suam locum in aere medium, inter cœlum ac terram sortitus est, vt videat, & inuideat, ipsáque inuidia torqueatur.*

Propter nimiam charitatem suam, quâ dilexit nos.

P*Ropter nimiam charitatem.* Vt charitatis diuinæ magnitudinem exprimeret, nimiam dixit. Hinc B. Thomas à Villanoua conc. 3. de aduentu. *Dilexisti me Domine* SVPRA MODVM, *dilexisti me* SINE MOOO, *& qui omnia in numero, pondere, & mensura, fecisti, in diligendo me, modum, pondus, atque mensuram excessisti. Vnde Paulus Apostolus: Propter nimiam, inquit, charitatem, quâ Deus dilexit nos.*

Et corresuscitauit & consedere fecit in cœlestibus in Christo Iesu.

C*Orresuscitauit & consedere fecit*; cur addiderit, *in Christo Iesu*, hanc reddit tationem Caietanus. *Aduerte, inquit, quod non dicit, & corresuscitauit & consedere fecit in cœlestibus, quoniam hoc fuisset manifestè falsum (quoniam adhuc non erant in cœlestibus consedentes corresuscitati, imo nec sunt) sed adiungit in Christo Iesu, vt intelligamus, quòd Christo resuscitato & eleuato ad sedendum in dextra Patris, omnia membra eius sunt corresuscitata,* ET CONSEDENTIA NON IN SEIPSIS, SED IN CHRISTO. *Humano more loquitur Paulus, quod si vnus de cognatione mea effectus esset Rex, omnes consanguinei gloriaremur quod corregnaremus in illo.*

Consedere fecit in cœlestibus Quia nimitum data nobis

nobis est artha hæreditatis, id est, Spiritus sanctus, qui certissimam nobis spem fecit, aliquando futurum, vt in gloria cœlesti Christi consortes simus, tanquam capiti vniti. Sanctus Augustinus in Psalm. 55. ait nos in cœlo esse secundùm spem, Christum vero in terris secundùm charitatem, sic enim ille scribit: *Saule, Saule, quid me persequeris? Corpus in capite suo est secundum Apostolum dicentem: Et simul resuscitauit, & simul sedere fecit in cœlestibus, & nos ibi sedemus, & ipse hic laborat.* NOS IBI SEDEMVS SECVNDVM SPEM, AT ILLE HIC NOBISCVM EST SECVNDVM CHARITATEM.

1055. Et qui in cœlestibus residebat, qui in terris premebatur? in Christum iam immigrauerat, & capitis consessum putabat suum. *Resurrectione sui capitis*, inquit Sanctus Gregorius lib. 3. moral. cap. 11. *exaltatus dicit, qui nos corresuscitauit, & consedere fecit in cœlestibus. Nempe hunc in terra persequutionum tormenta constrinxerunt,* SED POENARVM SVARVM PONDERIBVS PRESSVS, ECCE IAM PER GLORIAM CAPITIS IN COELO RESIDEBAT.

Consedere nos fecit in cœlestibus. Itane, qui in terris stabat, in cœlis consedebat? sed qui fieri hoc potuit? *Adhuc*, inquit B. Laurentius Iustinianus de Triumphali Christi agone, cap. 23. *quum ista diceret, mortalis erat: adhuc in terra inter homines versabatur: & tamen se resuscitatum in Christo, séque sedere in cœlestibus fatebatur: non vtique corporaliter, sed per mysterium* VNITATIS CAPITIS ET CORPORIS, *quod est Ecclesia fidelium in Christo rectè credentium.* Aut consedere fecit in cœlestibus, quia vt Estius ait, *data nobis arrha hæreditatis, id est, Spiritu sancto certissimam spem fecit aliquando futurum, vt Christi consortes simus tanquam membra capitis.* Et immortalitate donati, & in cœlo collocati.

Vt ostenderet in sæculis superuenientibus abundantes diuitias gratiæ suæ in bonitate super nos in Christo Iesu.

1056. SEnsus est; Deus ea quæ hactenus recensita sunt, præstitisse, vt his postremis ac venturis temporibus manifestaret hominibus exuberantem munificentiam suam, suæque beneficentiæ thesauros; *Sic ergo*, infert hîc S. Thomas, *Deus largitus est sanctis primitiuis abundantia dona gratiæ, vt posteri* FACILIVS CONVERTANTVR AD CHRISTVM. Sicque illorum beneficia nostra sunt munera, & in nostram redundat vtilitatem, quod illis collatum qui ante nos fuerunt.

Ipsius enim sumus factura, &c.

DEi sumus factura, figmentum Dei, non solùm quatenus homines; sed etiam quatenus Christiani, & quatenus operatores; adeò vt nihil valeamus sine illius auxilio. Hinc S. August. legens *Figmentum* pro *Factura* (vt plerique alij fecerunt) ait in Psalm. 144. *Quid ergo? nos bene non operamur? Immò operamur: sed quomodo? Ipso in nobis, & per nos operante; ipsius enim sumus figmentum*, & nonnullis interiectis, addit. *Merita tua nusquam iactes, quia &* IPSA TVA MERITA, DEI DONA SVNT.

Quæ præparauit Deus vt in illis ambulemus.

QVæ præparauit Deus. Bona opera Deus præparauit tanquam singularia beneficia, vt notauit hîc Estius, qui statim addit: *Dicitur autem Deus illa nobis præparasse, in quantum disposuit se nobis ea daturum. Sed ne quis existimet bona opera sic nobis à Deo præparari, vt ipsi per liberum arbitrium nihil agamus, idcirco addidit, vt in illis ambulemus, id est, vt nos ea per liberum arbitrium exerceamus, hoc ipsum enim in nobis agit gratia Dei.* 1057.

Vt in illis ambulemus. Græcè περιπατήσωμεν *circumambulemus*, vt quodam veluti circulo omni vitæ tempore proficeremus. Præclarè S. Chrysostomus: *In operibus bonis quæ præparauit Deus, vt in iis ambulemus. Non vt incipiamus,* SED VT AMBVLEMVS, PERPETVA ENIM NOBIS VIRTVTE OPVS EST, ET EXTENSA VSQVE AD NOSTRVM DECESSVM. *Neque enim, si esset ingrediendum via quæ fert ad vrbem Regiam, deinde cum maiorem eius partem confecissemus, circa ipsum finem ignaui & molles redditi sedissemus, nobis profuisset ingressus.* Et S. Thomas: *Signanter dicit,* AMBVLEMVS; *vt designet* BONI OPERIS PROFECTVM. Ambulare debemus, dum viuimus; proficere, dum hîc sumus.

Interficiens inimicitias in semetipso.

INterficiens, id est, penitus tollens, nimirum, vt ait Dionysius Carthusianus, *quantum in se est.* Addit, *inimicitias, id est, peccata quæ inimicitias induxerunt:* vt amicitiam inter Deum hominémque stabiliret. Aliqui legunt *inimicitiam*, & vna inimicitia est, si effectum eius spectes, quia Dei hostes homines constituit, & multiplex, quia à variis oritur capitibus.

Et veniens euangelizauit pacem vobis, qui longè fuistis, & pacem iis qui propè.

QVinam sint qui longè sint, & quinam propè, sic explicabat S. Augustinus in Psalm. 84. vbi ita scribit: *Veniens Euangelizauit pacem his qui erant longè, & pacem his qui propè. quos dixit qui erant propè? Iudæos qui vnum Deum colebant; quos dixit qui erant longè? Gentes qui dimiserant Deum à quo facti erant, & colebant illa quæ ipsi fecerant. Non enim regionibus longè est quisque à Deo, sed affectibus. Amas Deum, propè es, odisti Deum, longè es, vno loco stans, & propè es, & longè es.*

Ergo iam non estis hospites & aduenæ.

IAm non estis hospites & aduenæ. Videtur Paulus Paolo aduersari, nam in Epist. ad Hebræos cap. 11. ait, *Confitentes quia peregrini & hospites sunt super terram*, Qui simul Dei serui & hospites sunt, & non hospites? nubilum ita discutit B. Dionys. hîc. *Quæritur*, inquit, *circa prædicta, quomodo ei (quod dictum est, Iam non estis hospites & aduenæ) consonet quod de sanctis scriptum est alibi. Confitentes quia peregrini & hospites sunt super terram. Item quod ait Petrus. Obsecro vos tanquam aduenas & peregrinos. Et illud denique Dauidicum, Ne sileas quoniam aduena ego sum apud te, & peregrinus, sicut omnes patres mei. Et respondendum,* QVOD SANCTI SVNT PEREGRINI ET ADVENÆ 1058.
quantùm

Huius rei gratiâ flecto genua mea ad Patrem Domini noſtri Ieſu Chriſti.

FLecto genua mea; vt vel corporis habitu orantis humilitatem ſignificaret, flectebat genua, vt iudicis mentem flecteret; *genua* dicit, vt vel hinc arguantur, qui vnicum genu Deo flectunt; quos ita perſtringit S. Bernardinus Senenſis: *Epheſ. 3. Flecto genua mea ad Patrem Domini noſtri Ieſu Chriſti. Et ad Rom. 14. Viuo ego, dicit Dominus, quia mihi curuabitur omne genu. Qui ergo coram Sacramento Corporis Chriſti ſolum* VNO GENV SE CVRVAT: *ſimilis eſt Iudæis illo modo ſe genuflectentibus coram Chriſto tempore Paſſionis.* Sic ille ſerm. 9. in Dom. 1. quadr. art. 1. cap. 1.

Ex quo omnis paternitas in cælis, & in terra nominatur.

1062. AD æternum Patrem hæc verba referenda in hunc ſenſum: Ex quo patre omnis familia ſiue Angelorum in cœlis, ſiue hominum in terris quantumcumque ea magna ſit, ac celebris, ortum & originem habet; ad quem vt ad Patrem, & caput omnes familiæ etiam nominatiſſimæ reuocandæ ſunt. Nam vox græca *πατρία*, quam interpres vertit *paternitatem*, ſignificat etiam familiam, ſeu cognationem eorum qui ab vno parte ſeu principe, & capite generis orti ſunt. Sed qui in Angelis familiæ ſunt? *Familias in cælis* inquit Eſtius, *non carnaliter intelligere debemus, vt ex coniugiis ortas, ſed metaphoricè pro certis ordinibus, ſeu claſſibus, in quas velut illuſtres familias Angeli pulcherrimo ordine diſtributi ſunt, quorum tamen Princeps, & pater eſt Deus.* Igitur quæ in terris degunt familiæ ita debent conſtitui, vt ordine, concordia, puritate pariari Angelorum familiis poſſint, & re ipſa oſtendere, ſe pro principio, ac capite Deum habere.

Vt det vobis ſecundùm diuitias gloriæ ſuæ, &c.

NVnc explicat quid oret Paulus. Non legas Romanis, aut aliis terrenas diuitias Paolum optaſſe, aut dignitatum culmina, & latitudinem imperij; hæc omnia æquo rerum æſtimatori, INANIA NOMINA SVNT, nec ſtetui Dei mens huc ſe debet demittere, vt ſibi hæc poſtulet dari, aut etiam aliis.

In charitate radicati, & fundati.

1063. IN *charitate radicati.* Pulchrè de hac tradiee Sanctus Auguſtinus ſerm. 44. de tempore. *Impleatur in vobis illud quod Apoſtolus dicit. In charitate radicati atque fundati.* RADIX ENIM OMNIVM BONORVM EST CHARITAS, *ſicut & radix omnium malorum cupiditas. Sicut in charitate nihil vnquam mali, ita in cupiditate nihil vnquam boni poterit inueniri. Iſtæ duæ radices, fratres dilectiſſimi, in duobus agris à duobus plantantur agricolis. Vnam in cordibus bonorum plantat Chriſtus; aliam in cordibus malorum plantat Diabolus.* NEC DE CHARITATIS RADICE NASCETVR ALIQVID MALI, NEC DE RADICE CVPIDITATIS ALIQVID BONI.

Nouarin. in Epiſt. Pauli.

Vt poſſitis comprehendere cum omnibus ſanctis quæ ſit longitudo, & latitudo, & ſublimitas, & profundum.

NEſcit Pauli affectus anguſtias vllas; quod paucis dicit, pro omnibus id dictum vult, omnibúſque concedi, quod non omnibus dicit. *Quæ ſit longitudo*, & *latitudo*, quatuor extenſiones, dimenſionéſque recenſet, nec explicat cuius rei illæ ſint. Quis dubitet de myſteriis Chriſti Paulum loqui? nimirum qui totus in Chriſtum immigrauerat, nihil ferè aliud cogitabat quàm Chriſtum, eáque ſpectabat quæ ſpectabant ad Chriſtum. Nam vt notatum etiam ab aliis eſt: *Videtur Apoſtolus ſignificare his verbis myſteriorum Chriſti magnitudinem ſub typo quodam quatuor extenſionum ſenſibilium.* Allegoricæ huius loci explicationes plures apud Patres extant. Pulchra illa, quam offert Sanctus Auguſtinus epiſt. 112. *Ego*, inquit, *hæc verba Apoſtoli ſic intelligere ſoleo. In latitudine, opera charitatis: in longitudine, perſeuerantiam in bonis vſque in finem: in altitudine, ſpem cæleſtium præmiorum: in profundo inſcrutabilia iudicia Dei.* Has menſuras qui benè animo aſſequetur, & toto affectu comprehendet, & gloriam conſequetur, & comprehendet, quæ ſine menſura eſt.

CAPVT IV.

EPISTOLÆ AD Epheſios expenditur & illuſtratur.

SECTIO I.

1068 *Accepisse simul & dedisse dona in hominibus, quo sensu de Christo sit dictum.*

1069 *Deus à nobis accipit, quod nobis exhibet.*

1069 *In inferiores partes terræ vt Christus descenderit.*

1069 *An ad Infernum damnatorum se Christus contulerit.*

1069 *Christi beneficentia, & misericordia vt collecta.*

1070 *Descendit Christus, vt nos ascendere doceremur.*

1070 *Rarum est, vt quis non alios induat mores, dum in culmine est.*

1070 *Sola est humilitas, quæ exaltat.*

1070 *Suos humilitas effert.*

1070 *Christus an extra cœlos positus.*

1071 *A suis diu non absint superiores, vt in suos influant.*

1071 *Ibi Christus quà homo, non est dicendus esse, vbi in aliquos benignitatis suæ radios non emittit.*

1071 *Christus implet loca, quæ adit; Reges terræ sæpè euacuant.*

1071 *A Christo, qui in cælum ascendit, separari non debemus.*

Obsecro itaque vos ego vinctus in Domino.

1064. OBSECRO *itaque vos ego vinctus in Domino.* Dixisset, ego qui in tertium cœlum raptus sum. An in Apostoli mente grandius est pro Christo pati vincula, quam vel in cœlum ferri? *Nihil est melius*, inquit hîc Sanctus Chrysostomus, *quàm malè pati propter Christum. Non tam Beatum existimo Paulum, quòd raptus sit in Paradisum, quàm quòd coniectus sit in carcerem.* NON TAM ENIM CENSEO BEATVM, QVOD RAPTVS SIT IN TERTIVM COELVM, QVAM EVM CENSEO BEATVM PROPTER VINCVLA. *Nam quòd hæc illis sint maiora, audi quomodo ipse quoque nouerit. Neque enim dixit: Rogo vos ego qui verba audiui ineffabilia. Sed quid? Rogo vos ego vinctus in Domino.*

Obsecro vos; Cum tantam humilitatem Magistri discipulos alloquentis sapiant verba, quàm iustius est ea sapere, quæ ad magistrum habent discipuli? rem ità vrget etiam S. Gregorius lib. 5. Moral. cap. 10. *Ephesiis per Epistolam Paulus dicit: Obsecro vos fratres, ego vinctus in Domino, vt dignè ambuletis vocatione, qua vocati estis. Hinc ergo colligat, si quando aliquid rectè sentit,* QVANTA HVMILITATE OSBEAT MAGISTRO LOQVI DISCIPVLVS: *si ipse Magister Gentium, in his quæ cum authoritate prædicat, tam submissè discipulos rogat; Hinc vnusquisque colligat, eis à quibus benè viuendi exempla percepit: hoc quod benè intelligit, quàm humiliter dicat: Si Paulus illis humili se voce subdit, quos ad vitam ipse suscitauit.*

1065. *Ego vinctus in Domino.* Iactent alij diuitias, alij nobilitatem, alij & supera charismata, Paulus omnibus præfert pro Christo pati. *Reuera*, inquit hîc S. Chrysostomus, *est maxima gratia, & maior illis omnibus* QVAM SOLEM, ET LVNAM SISTERE: QVAM MVNDVM MOVERE. *Hoc maius quàm vincere, & appellare Dæmones. Non illi tam dolent dum fide expelluntur à nobis, vt quando viderint nos mali aliquid pati propter Christum, & vinciri: hoc enim maiorem dat libertatem, & fiduciam.*

Ego vinctus in Domino. Cur non dixit: *Ego Paulus.* An vt à propria afflictione eos ad similes virtutes prouocaret? nimirum EFFICACIVS EXEMPLA EXCITANT, quàm verba; Diceres maiorem Paulo Paulum vinctum esse.

Vt dignè ambuletis vocatione quâ vocati estis, cum omni humilitate, & mansuetudine.

VT sit sensus: Exhortor vos, vt mores, & studia vestra vocationi vestræ, quæ tam excellens est conformetis, vt scilicet sancta sit conuersatio vestra, & ab omni macula immunis. *Vt dignè ambuletis.*, Ambulandum quippè semper nobis est, dum hîc sumus. B. Dionysius: *Vt dignè ambuletis, quotidie in virtutibus proficiendo.* Vocationi suæ non respondet qui semper non proficit.

Cum omni humilitate. Id est, cum multa humilitate, vt scilicet fragilitatis propriæ conscij nulli se præferrent. B. Dionysius sic exponit: *Cùm omni humilitate interiori, & exteriori; in verbis, & factis, ita vt latentem superbiam, & manifestam præsumptionem ac pompam abiiciatis.*

Supportantes inuicem in charitate.

SVpportantes inuicem in charitate. Quid si quis non habeat in quo indigeat ab aliis sustineri, supportari ab aliis? Audi S. Augustinum, qui in Psalm. 99. explicans hunc locum quem paulo aliter extulit, hæc habet. *Sustinentes inuicem, ait Apostolus, in dilectione, satagentes seruare vnitatem spiritus in vinculo pacis. Sustinentes inuicem.* 1066.
NON HABES QVOD IN TE ALIVS SVSTINEAT? *Miror si non est. Sed ecce non sit. Eò robustior es ad cæteros sustinendos, quòd iam non habes, quod in te alij non sustineant. Non sustineris, sustine cæteros. Non possum, inquis, ergo habes quod in te alij sustineant.*

Supportantes inuicem, scilicet seruari pax nequit, nequit vnitas, nisi quilibet alium sustineat, se inuicem omnes tolerent. *Probauis*, inquit ad hæc verba S. Cyprianus de bono patientiæ, *nec vnitatem seruari posse, nec pacem, nisi se inuicem fratres* MVTVA TOLERANTIA FOVEANT, ET CONCORDIÆ VINCVLVM *patientia intercedente custodiant.*

Solliciti seruare vnitatem spiritus in vinculo pacis.

SOllicisi seruare vnitatem spiritus. Sed cum quo seruanda est? Quilibet & secum seruat, & cum proximo: *Ipsa est vnitas*, inquit S. Bernardus serm. 5. in Assumpt. B. Mariæ, *quam magna, & summa diligentiâ obseruandam tradidit Apostolus, dicens: Solliciti seruare vnitatem spiritus in vinculo pacis.*

pacis. Seruitur autem hoc vnitatis bonum duobus modis, ab his, qui curam gerunt ſeruandi, DEBET QVISQVE PERFECTVS VNITATEM HABERE AD SEIPSVM, DEBET ET AD PROXIMVM. *Ad ſeipſum per integritatem, ad proximum per conformitatem Omnis quippe creatura, & maximè rationalis, debet ſuum principium imitari. Si ergo Deus noſter vnus eſt, dicente Moyſe: Audi Iſraël, Dominus Deus tuus vnus eſt: ſed & ille cùm ſit vnus, & idem, atque in ſeipſo perfectus, nec vllo indigeas, ineſt ei tamen benignitas erga nos, & amor ex beneuolentia in nos veniens. Debemus, & nos quiſque ſibi vnus eſſe per integritatem virtutis, & vnum cum proximis per vinculum dilectionis.*

In vinculo pacis. Cum ipſe vinctus eſſet, ad vincula & ſuos vocat, ne tantum honorem illis inuidere videretur. Nimirum vinculis pacis, & vnitatis reſpondere vinculis ferreis, quæ martyrij inſtrumenta ſunt, quilibet poteſt. Vt ferreæ catenæ deſint, non deſint catenæ charitatis.

Vnicuique autem noſtrûm data eſt gratia ſecundùm menſuram donationis Chriſti.

1067. SEcundum menſuram. Cur ergo Ioannes Baptiſta dicit: *Non ad menſuram dat Deus ſpiritum*, Ioan. 3. Reſpondet Sanctus Petrus Damianus ſerm. 67. *ſed mouere poteſt, cur Ioannes Baptiſta perhibeat, quia non ad menſuram dat Deus ſpiritum; cum Paulus è contrario dicat: Vnicuique noſtrûm data eſt gratia ſecundùm menſuram donationis Chriſti?* QVOMODO ERGO NON AD MENSVRAM, ET QVOMODO SECVNDVM MENSVRAM? *Sed quod Ioannes aſſerit non ad menſuram ſpiritum dari, de Redemptore noſtro proculdubio debet intelligi; in quo videlicet habitat omnis plenitudo Diuinitatis corporaliter. Quod patenter agnoſcitur, ſi ipſa textus Euangelici ſeries attendatur. Nam cum præmiſiſſet: non ad menſuram dat Deus ſpiritum, protinus intulit: Pater diligit filium, & omnia dedit in manu eius. Vnde & alibi dicit, Nos de plenitudine eius accepimus.*

Aſcendens in altum, captiuam duxit captiuitatem.

IN altum, Tertullianus legit, *in ſublimitatem;* addi tque ad explicatum: *Aſcendit in ſublimitatem, id eſt, in cœlum: captiuam duxit captiuitatem, id eſt, mortem, vel humanam ſeruitutem; dedit data filiis hominum, id eſt, donatiua quæ Chariſmata dicimus. Eleganter filiis hominum ait, non paſſim hominibus,* NOS OSTENDENS FILIOS HOMINVM, ID EST, VERE HOMINVM APOSTOLORVM. Sic ille aduersùs Marcionem cap. 8. Igitur filium ſe Apoſtolorum probat qui Dei donis ſtudet cumulari.

1068. Aſcendens Elias reliquit pallium Eliſæo. Maiora nobis reliquit, qui maior eſt. *Elias,* inquit S. Chryſoſtomus ſerm. 2. de Aſcenſ. *aſcendens, pallium reliquit Eliſæo: Ieſus autem aſcendens gratiarum dona in diſcipulos dimiſit, quæ non vnum Prophetam;* SED INFINITOS ELISÆOS EFFICIVNT, *atque multò, quàm ille erat, illuſtriores, & clariores.*

Captiuam duxit captiuitatem. Quod ſic aliqui exponunt: Chriſtus cum in cœlum aſcenderet, vnà ſecum adduxit, & in cœlum ſubuexit Inferni ſpolia, id eſt, animas iuſtorum, quæ priùs apud

Nouar in. in Epiſt. Pauli.

Inferos velut captiuæ tenebantur. Alij per *captiuitatem* intelligunt Satanam, & mala per eum inuecta, peccatum, mortem, maledictionem, hæc enim omnia captiuitatem exponens enumerat Theophylactus. Sed cùm Satanas non propriè captus, & alligatus per Aſcenſionem ſit, ſed per Crucem, ideò hic explicatus, quò ad hanc partem non rectè ſe habere videtur; quod notauit etiam Eſtius. Sunt qui mentem Apoſtoli ſic explicant: Chriſtus poſtquam glorioſus in altitudinem cœlorũ aſcendit, multos homines ex omni gente cepit captiuos, idque per ſuos Apoſtolos.

Dedit dona hominibus.

DEdit dona hominibus. Cur ergo Dauid dixit, *Accepiſti dona in hominibus?* An Apoſtolus Prophetæ contrarius, Propheta contradicit Apoſtolo? Hugo Victorinus hîc quæſt. 21. *Tanquam Deus,* inquit, *dedit;* ACCEPIT, NON SOLVM IN SEMETIPSO SECVNDVM QVOD EST HOMO, SED ETIAM IN MEMBRIS SVIS, IN QVIBVS EST, *de qua acceptione agit Propheta: vnde dicit, Accepiſti dona in hominibus.* S. Auguſtinus In Pſalm. 68. ita rem explicat: *Chriſto ergo ſine dubitatione dictum eſt: aſcendiſti in altum, captiuaſti captiuitatem, accepiſti dona in hominibus; nec moueat quod Apoſtolus, idem teſtimonium commemorans non ait: accepiſti dona in hominibus: ſed dedit dona hominibus: ille quippe authoritate Apoſtolicà ſecundùm hoc locutus eſt, quod Deus Filius cum Patre fecit. Secundùm hoc quippe, dedit dona hominibus, mittens eis Spiritum ſanctum, qui Spiritus eſt Patris, & Filij. Secundùm illud verò quod idem ipſe Chriſtus in corpore ſuo intelligitur, quod eſt Eccleſia, propter quod & membra eius ſunt Sancti, & fideles eius, vnde eis dicitur: vos autem eſtis corpus Chriſti, & membra; proculdubio &* IPSE ACCEPIT DONA IN HOMINIBVS.

Dedit dona hominibus: Dauid à quo ſumptum, 1069.
aliter extulerat Pſalm. 67. 19. *Accepiſti dona in hominibus.* Aliud eſt accipere, aliud dare: ſed ſibi hæc contraria non ſunt; accepit enim Chriſtus dona in homines diſtribuenda: ſicque accepiſſe dici poteſt, & dediſſe; quia accepit vt daret. An accipit, quia dat? niſi enim dediſſet priùs dona, ea Deo dare nullus poſſet. *Eſt & alia reſponſio,* inquit Eſtius, *quam latè explicat Ianſenius in annotationibus Pſalmi Dauidici, vt ideo dicatur Apoſtolus mutaſſe verbum accepiſſe in dediſſe; quod ſignificare voluerit, Deum non accipere dona in hominibus, niſi ſua priùs illis det: immò non aliud accipere, quam hoc ipſum, quod dat: vt proinde Deum accipere non ſit diuerſum exiſtimandum ab eo, quod eſt Deum dare.*

Quòd autem aſcendit, quid eſt niſi quia & deſcendit, primùm in inferiores partes terræ?

PEr inferiores partes terræ aliqui terrã ipſam intelligunt, ad quam deſcendit Chriſtus per Incarnationem. Alij exponũt de ſepulchro. Plerique tum ex Græcis, tum ex Latinis Infernum intelligunt, ad quem Chriſtus ſecundùm animam deſcendit, vt Sanctorum animas, quæ ibi tenebantur incluſæ, ſecum ad cœlos victor abduceret. Qui ſenſus, & communior, & probabilior cenſeri ſolet, vt notauit Eſtius, qui addit: *Notandum ſequelam argumenti ab Apoſtolo indicati*

pertinere tantum ad descensum Christi in terram; neque enim Christus in cælum ascendere potuisset eleuatione humana natura quam de terra acceperat, nisi priùs assumptione humana natura in terram descenderet, Qua quidem consequentia supponit in Christo naturam diuinam, quâ cum Patre etiam ante Incarnationem in cælis erat. Caterum Apostolus dicere voluit, inferiores partes terra, ad maiorem expressionem humilitatis Christi, qua non contentus à cælo in terram descendisse, etiam i fima terra loca, consolandi suos causa subire voluit; simul vt plenius ostenderet id quod statim subiungit, Christum implêsse omnia.

Quæri hîc posset an vsque ad Infernum damnatorum Christus penetrauerit. Idem Estius in eam sententiam pendet, quæ asserit Christum minimè ad ea loca se contulisse; *neque enim*, inquit, *decebat*, aut ad OEconomiam assumptæ *carnis pertinebat, vt ad Infernum damnatorum descenderet* Ex quo Christi beneficentiam, ac benignitatem colligas, qui eò se conferre noluit, vbi suæ clementiæ semina non relinqueret, nec illis præsentiam suam exhibere quibus aliquod beneficium non impertiret. Quod si verum, quod aliqui censent, inde aliquos eduxisse Christum ab hac parte, non esset improbabile, ad Infernum damnatorum locum sui præsentiam porrexisse.

Qui descendit, ipse est, & qui ascendit super cælos, vt impleret omnia.

1070. QVi descendit ipse est, & qui ascendit.* Peritè ad hæc verba Sanctus Bernardus serm. 4. in Ascensione Domini: *Christus*, inquit, *qui ascendit. Apostoli verba sunt hac; ego autem credo, eum in hoc ipsô quod descenderit, ascendisse.* SIC ENIM OPORTEBAT CHRISTVM ASCENDERE VT NOS ASCENDERE DOCEREMVR. *Cupidi quidem sumus ascensionis: exaltationem concupiscimus omnes. Nobiles enim creatura sumus, & magni cuiusdam animi, ideóque altitudinem naturali appetimus desiderio.*

Ipse est, & qui ascendit. Et quis in dubium reuocauit, eundem esse, qui in terras humilis descendit, & qui gloriosus in cœlum iuit? An, quia rarum ac singulare est, VT QVIS IN SVBLIMITATE ALIOS NON INDVAT MORES, vt alius videatur euadere; vnde explicare hoc in Christo Apostolus voluerit? Non deposuit humilitatis, & mititatis vestes Christus, dum triumphans ad Patrem iuit, ad Patris dexteram sedit. *Non mutauit*, inquit scitus ille author, *cum honore personam, ipsemet est gloriosus, qui erat abiectus.* Quod singulare est, nec facile in terris videas. Christus dum in hoc mundo ageret, humanus erat, mitis, accessu facilis, misericors, hominum amator & non deposuit hoc ingenium, quia ad cœlestem triumphum euectus est, & in dextera Patris sublimis. Qui ascendit, ipse est qui descendit.

Nisi descendisset, ascendere non poterat, ab ea enim parte, quâ Deus est, quò ascendat non habet, idcirco se demisit, vt haberet quò ascenderet. Idem aptare cuilibet homini possumus, euehi quippè ad gloriam qui cupit, demittere se per humilitatem debet; nam alioquin, vt ait S. Bernardus huc spectans, *qui altè vadit, cadit potiùs, quàm ascendit*, QVIA SOLA EST HVMILITAS, QVÆ EXALTAT, *& per humilitatem ad sublimitatem ascendit, quia hac est via, & non alia pra-ter ipsam*; & S. Thomas hîc ad hanc mentem ait: *Notatur, quòd humiles, qui voluntariè descendunt, spiritualiter Deo sublimante ascendunt.* Nam alioquin, non ascendit, sed in præceps ruit, qui non descendit, sed deiicitur.

Super cælos. In his verbis meritum humilitatis Christi significatur: quasi hoc sibi Apostolus vellet: qui descendit vt profundius non posset, idem ipse merito tantæ humilitatis, ac demissionis sui, tam altè ascendit vt altius non potuerit: scilicet eos effert humilitas, qui se humiliter demittunt, vt euectionis mensura sit profunditas deiectionis.

Super cælos. Hæc verba significant non solùm 1071
super omnes cœlos corporales Christum ascendisse, sed etiam super omnem creaturam spiritualem; sicut enim dignitate, ita & loco superior omnibus creaturis est Christus homo. Porrò censent aliqui ita supra omnes cœlos ascendisse Christum, vt extra omnium cœlorum continentiam locatum eius corpus sit. Alij magis placet in cœlo Christum esse, non extra, aut supra, quæ sententia probabilior censeri solet. *Nam extra cœlum esse*, inquit Estius, *nullius est dignitatis, &, si supra extimum cœlum esset Christus, esset extra Regnum suum, non enim regnat extra cœlos; atqui planè, condecet, vt Rex in Regno suo resideat.* Alioquin hinc occasionem possent Principes, & superiores arripere, qua tuerentur se, si diù à suis abessent. Denique ibi Christus stare, non dicitur, vbi non sunt, in quos bonitatis suæ radiis influat.

Vt impleret omnia. Et quæ omnia impleuit Christus? An omnia quæ de illo scripta? Nonnulli significari his verbis putant, omnia hominum genera spiritualibus donis implenda. Alij ad omnia loca referunt, in hunc sensum: sic factum, vt idem ipse Christus homo potentiâ dominationis suæ repleat omnia, terram, Inferos, cœlum, postquam omnia ea loca ipse adiuit; vt adiuisse, & adimplesse idem sit. Reges terreni plerumque loca euacuant, ad quæ se conferunt, Christus implet.

Descendens à Patre Dei Filius, à Patre non discessit; sic & nos cum illo in cœlo sumus, licèt hîc adhuc corpore simus. Præstat audire, quæ habet S. Augustinus serm. 83. de diuersis: *Sicut enim ille ascendit, nec recessit à nobis: sic & nos cum illo ibi iam sumus, quamuis nondum in corpore nostro factum sit quod promittitur nobis: ille iam exaltatus est super cælos, neque enim propterea nobis desperanda est perfecta, & Angelica cælestis habitatio, quia dixit. Nemo ascendit in cælum, nisi qui descendit de cælo filius hominis qui est in cælo: sed hoc dictum est propter vnitatem quâ caput nostrum est, & nos corpus eius.* CVM ASCENDIT IN COELVM, NOS AB ILLO NON SEPARAMVR *qui de cælo descendit, non nobis inuidet cælum: sed quodammodo clamat, Mea membra estote, si ascendere vultis in cælum.*

SECTIO II.

1071. *Pastoris munus assumere non debet, qui docere non potest.*
1072. *Episcopi labor, & sollicitudo.*
1073. *Qua adificatio Episcopi sit propria.*
1073. *Non annorum habenda ratio, sed perfectionis.*

So

1074 *Se cum aliis enumeraret aliquando, qui ad bonum alios inhortatur.*
1074 *Vento cur noua doctrina comparata.*
1075 *Auaritiæ & libidinis nexus.*
1075 *Auaritia nomen quid ſignificet.*
1075 *Turpes voluptates nunquam cum ſatietate.*
1075 *Vetus homo vt deponendus.*
1076 *Semper renouari debemus, vt inchoare nos quotidie credamus.*
1076 *Vetus homo cuilibet exuendus.*
1077 *Vetus homo quomodo exuendus.*
1078 *Mentiendo, & fallendo, proximum lædere nemo debet.*
1079 *Optare quiſque debet, vt omnis proximus Christi membrum euadat.*
1079 *Veritatem cum omnibus loqui debemus.*
1080 *Iræ diuturnitas impedienda.*
1080 *Quænam ira vtilis ſit.*
1081 *Quanti periculi ſit diu iram apud ſe fouere.*
1082 *Inſaniæ cuiuſdam genus proximo inſidias ſtruere, & in illum ſæuire.*
1083 *Sol iuſtitiæ ſuper iracundiam noſtram non occidat.*
1084 *Sol ſuper vitia noſtra non occidat.*
1085 *Iram in noſtra mente perennare quàm ſit noxium.*
1085 *Nox cur iræ morbum immedicabilem quodammodo faciat.*

Alios autem Paſtores, & Doctores ad conſummationem Sanctorum in opus miniſterij, in ædificationem corporis Christi.

1072. ALIOS *autem Paſtores, & Doctores* Cur hos iungit, cum alios ſeparauerit? ne nos hæc munera abiungeremus. *Nec in Eccleſiis*, ait S. Hieronymus, *qui quam quamuis ſanctus ſit, Paſtoris ſibi munus aſſumere debet, niſi poſſit docere quos paſcit* Eodem ſpectabat, & Iſidorus Clarius hîc, *alios Paſtores, & alios Doctores, ſed iunxit vtrumque, vt* QVI PASTOR EST, SIT ET MAGISTER, *alioquin ne Paſtor quidem eſt, cum rationales oues doctrina præcipuè paſcantur.*

In opus miniſterij. Pulchrè Salmeron hîc diſp. 10. *Expende*, inquit, *verbum in opus. Non* IN OTIVM, AVT QVIETEM, AVT LVXVM: *ſed in opus laboris, & ſolicitudinis de ſalute alterius: nam qui Epiſcopatum deſiderat, bonum opus deſiderat: quod eſt vigilare pro ouibus ſibi commiſſis, & animam ponere pro ouibus, debere eas paſcere pabulo ſpirituali, & temporali, & pro eis preces ad Deum fundere: & qu le ſit futurum hoc opus, declarat, cum addit, miniſterij Non Dominij, aut tyrannidis, quod reprehendit B. Petrus cum ait, Non dominantes in Cleris.*

1073. *In ædificationem.* Ædificationis hîc mentio, *Nouarin. in Epiſt. Pauli.* non deſtructionis ſit. *Expende*, inquit hîc idem Salmeron diſp. 10. *non ait in deſtructionem, vt qui ſerunt hæreſes, & nouas doctrinas. Non etiam in ædificationem corporis proprij, aut domos proprias ditandas, & parentes ex Christi patrimonio locupletandos: ſed corporis Christi, hoc eſt,* AD CORPVS CHRISTI EX NOVIS MEMBRIS ÆDIFICANDVM, *conuertendo infideles ad Christum. Et vt ſeruetur metaphora propoſita, ad deferendos lapides hominum ad Christum, & illos poliendos, & ſuper Christo fundamento applicandos, & roborandos: & ita corpus Christi ſolidiſſima, & pretioſiſſima petra angulari medio Spiritu ſancto coaptentur.*

In menſuram ætatis plenitudinis Christi.

IN *menſuram ætatis plenitudinis Christi.* Conſultò additum, *plenitudinis* ne in annis tantùm ſiſtamus; plena ætas non eſt, ſi ætas tantùm, nimirum plenitudinis habenda ratio, non vacuorum annorum: In menſuram, hîc, inquit Primaſius, *ætatis plenitudinis Christi; vt non* ANNORVM *eius ætatem, ſed plenitudinis imitemur, fidei eius* PERFECTIONEM TENEAMVS.

Vt iam non ſimus paruuli fluctuantes, & circumferamur omni vento doctrinæ, &c.

VT *iam non ſimus paruuli fluctuantes.* Signatè 1074.
non dixit, non *ſitis*, ſed, non *ſimus*, ſe cum aliis enumerans: ſed cur id fecit? *Prudenter Apoſtolus*, inquit hîc Salmeron diſp. 10. *ſe enumerat inter paruulos fluctuantes: non quod ipſe in fide vnquam fuerit, ſed* VT ALII LIBENTIVS EXHORTATIONEM FERANT.

Et circumferamur omni vento doctrinæ Suo pondere non caret quod doctrinam vento compararit; *Congruit metaphora venti*, inquit idem Salmeron diſp. 10. *Quia* VENTVS *circulariter, & in latus mouetur; & nouam ac peregrinam doctrinam ventum vocat, quia cum impetu quodam venit, & non ſolet circumferre niſi paleas, & ſtipulas & arundines; domos autem constructas ſupra petram, aut arbores profundis radicibus firmatas non lædit.* VENTVS *etiam eſt doctrina noua: quia vt non diu ſtare poteſt, ita nec doctrina falſa diu permanere. Mendacium enim citò ruit, quia non habet pondus veritatis.*

Semetipſos tradiderunt impudicitiæ in operationem immunditiæ omnis in auaritiam.

IN *auaritiam*; cur poſt carnis vitia meminit 1075.
auaritiæ? quia vt ait B. Dionyſius, *deſiderantes* TEMPORALIA *ſine quorum vſu*, LIBIDINI *vacare non poſſunt*: adeò vt licet libidinis mancipia opes in libidinibus abſumant, vt abſumere tamen poſſint, auariſſimè coacervant.

In auaritiam. Quid auaritia cum immunditia? AVARITIA, (inquit Eſtius *hîc*) *non ſignificat pecuniarum cupiditatem; ſed in genere vitium, quo quis eo, quod habet, non contentus, ſemper ampliùs expetit, nec modum nec terminum ponens cupiditati, in quacumque tandem re id accidat, ſiue in pecuniis, ſiue in honoribus, ſiue in voluptatibus corporis: hic autem ſermo eſt de* AVARITIA TVRPIVM VOLVPTATVM, *quia nimirum nunquam ſitis, ac cupido hîc ſiſtat; ſed creſcat potiùs. In auaritiam*; Primaſius hîc. *Om-*

niæ, inquit, *crimina auaritiæ nomine comprehendit.* Ferè qui auaritiæ sordibus sputcatur, aliorum criminum spurcitie sordescit.

Deponere vos secundum pristinam conuersationem veterem hominem.

VEterem hominem depónere quid sit, docet Nicetas in S. Gregorium Nazianzenum, orat. 14. dum ait. *Edocti estis deponere veterem hominem, qui corrumpitur secundum desideria erroris. Renouamini autem spiritu mentis vestræ & induite nouum hominem, qui secundum Deum creatus est: quod perinde est, ac si diceret, discite, O Ephesij, veterem hominem, id est, flagitiosam vitam non secus ac vestem quandam exuere.*

Renouamini autem spiritu mentis vestræ, & induite nouum hominem.

1076 ETiam postquam quis renouatus fuerit, renouari rursus debet, vt in Dei obsequio se putet semper inchoasse, & nouus semper ita sit, vt vitæ nouitati semper studeat. Benè S. Gregorius. *Renouamini spiritu mentis vestræ. hinc Psalmista qui ad perfectionis iam culmen peruenerat, quasi inchoans dicebat, Dixi, nunc cœpi, quia videlicet si lassescere ab inchoatis bonis nolumus, valdè necesse est* VT INCHOARE NOS QVOTIDIE CREDAMVS. Sic ille lib. 22. Moral. cap. 2. A veteris hominis mente est se credere innouatione ampliùs non indigere.

Vetus est homo homini cuilibet exuendus, vt victoriam consequatur; quod peritè luctantium similitudine sic explicabat S. Isidorus Pelusiota lib. 2. epist. 161. *Etsi nobis aduersùs carnem, & sanguinem colluctatio non est; at ab his tamen, qui aduersùs carnem, & sanguinem luctantur, palestræ leges edocendi sumus. Quemadmodum igitur illi* NON MODO EXVTIS VESTIBVS *(certandi enim principium est vestes deponere) verumetiam detonsa coma, corpereque oleo delibuto (ne crinibus prehendamur, ac per oleum lubricas aduersarij manus reddant) ita demum in certamen progrediuntur: ad eundem nos quoque modum, si coronam referre cupimus, exuto veteri homine vnà cum ipsius actionibus, atque in eleemosynas insumptis rebus externis, omni cura nudi, ac vestitu carentes, ad virtutis stadium ascendamus, & Olympicum de anima certamen obeamus. Quod si nihil horum facientes certare nobis videamur, atque hoc nomine gloriemur: primum quidem hic quoque à prudentibus viris insipientes videbimur: postea illic etiam certò comperiemus nos à nobisipsis delusos ac circumscriptos fuisse, quùm videlicet non modò corona expertes erimus, verumetiam ad luendas pœnas abducemur.*

1077 Qui exuendus vetus homo sit, & in quo sita hæc veteris hominis depositio, docet his verbis Sanctus Augustinus, lib. de decem chordis c. 7. *Exuite vos veterem hominem, & induite nouum, & ne quis putaret, cùm dixit, exuite vos veterem hominem, & induite nouum:* ALIQVID DEPONENDVM ESSE, AT ALIQVID ACCIPIENDVM, *cùm de mutando præciperet homine: subiecit & ait: Quapropter deponentes mendacium, loquimini veritatem: hoc est, quod ait, Exuite veterem hominem, & induite nouum: hoc dixit, mutate mores. Sæculum diligebatis, Deum diligite. Nugatoria inquirebatis, temporales voluptates diligebatis, proximum diligite.* Nicetas paulo aliter rem versat, ait enim in orat. 41. Sancti Gregorij: *Edocti estis deponere veterem hominem, qui corrumpitur secundum desideria erroris. Renouamini autem spiritu mentis vestræ, & induite nouum hominem, qui secundùm Deum creatus est. Quod perinde est, ac si diceret: Discite, ô Ephesij veterem hominem,* ID EST, FLAGITIOSAM VITAM, NON SECVS AC VESTEM QVANDAM EXVERE.

Qui secundùm Deum creatus est in iustitia, & sanctitate veritatis.

EXponit Apostolus, quem nouum hominem intellexerit, eum scilicet, qui per regenerationem creatus est secundùm Deum, id est diuinæ legi conformatus, in vera iustitia, quò ad proximos: in vera sanctitate, id est munditia quò ad seipsum. Vt vsitato Hebraismo sanctitas veritatis dicatur sanctitas vera, ab omni fictione, & simulatione immunis, qualis sanctitas hypocritarum non est. Hic obuius Apostolicorum verbórum sensus; ille profundior, & occultior quem offert noster Antonius Caracciolus in Sacris suis deliciis, num. 35. vbi ait. *Quid baptismo tingendi vel ipso nascentis Ecclesiæ sæculo conceptis verbis adpromitterent, nemo ferè est qui ignoret: nimirum eos abrenunciare solitos Diabolo, mundo, & carni, antequam Christi militia nomen darent. Hoc igitur est quod vnico verbo Paulus insinuat, videlicet nouum hominem, qui in Ephesiis creatus à Deo fuerat die baptismatis, esse de die in diem renouandum, & intimis sensibus induendum in sanctitate veritatis, hoc est fideli in Deum deuotione, sui addictione, & constante eorum, quæ in baptismo polliciti fuerant, obseruatione. Atque adeo hoc loco neque sanctitas pro morum probitate accipi debet, sed pro dedicatione quâ quis Deo se religiosè deuincit; neque veritas vt opponitur fuco, & assimulationi, sed vt promissi obseruationem significat, sumenda est.* Harum vocum notionem adductis variis scripturæ locis probat, vt sensum quem Pauli verbis subesse censuerat, stabiliret.

Propter quod deponentes mendacium, loquimini veritatem vnusquisque cum proximo suo.

CVm præcepisset, vt veterem quisque hominem exueret, nouum indueret, explicat 1078.
quì præstandum id sit, *Et ne aliquis,* inquit Sanctus Augustinus in Psalmum 24. *arbitretur* DEPONENDAM ESSE ALIQVAM SVBSTANTIAM, *quemadmodum se exspoliat* TVNICA: *aut aliquid forinsecus accipiendum, quomodo accipit aliquis vestimentum, quasi ponens vnam tunicam, assumens alteram: & carnalis iste intellectus non permitteret homines agere in se intus spiritualiter, quod præcipiebat Apostolus: secutus est, & exposuit quid esset, exuite veterem hominem, & induite nouum. Cætera enim lectionis ipsius ad eundem intellectum pertinent; ait quippe quasi dicenti, Et quomodo me exuturus sum veterem, aut quomodo induturus sum nouum? an ipse tertius homo sum depositurus veterem hominem quem habui, & accepturus nouum, quem non habui; vt tres homines intelligantur, & sit in medio qui deponit veterem hominem, & accipit nouum? Ne ergo quisquam tali carnali cogitatione impeditus, minus faceret quam iubetur, & non faciens excusaret*

cuſaret ſe de obſcuritate lectionis, dixit in conſequentibus: quapropter deponentes mendacium, loquimini veritatem, & ecce hoc eſt deponere veterem hominem, & induere nouum.

Quoniam ſumus inuicem membra.

SVperius dixerat, deponendum mendacium eſſe, & veritatem vnumquemque loqui cum ſuo proximo debere; nunc rationem addit, quâ id perſuadeat, quoniam, inquit, ſumus inuicem membra ſub capite Chriſto. *Nimis autem*, vt ille ait, *abſurdum eſt, ſi membra eiuſdem corporis, mentiendo, ac fallendo ſe inuicem lædant*, CVM NIHIL TALE CONTINGAT IN CORPORE NATVRALI NISI PER INSANIAM. Adeo vt ab inſana oriatur mente, ſi quis proximum fallere ſtudeat, & fraudum ſatellitio in eum inſurgat.

1079. *Cum proximo ſuo, quoniam ſumus inuicem membra*; Et nunquid falſitas dici poteſt cum iis, qui à Chriſto ſeparati cùm ſint, nec proximi noſtri ſunt, nec nobiſcum membra ſunt Chriſti? Minimè, cum omnibus in veritate loquendum eſt, quia quilibet noſter eſt proximus, & optare quiſque debet, vt membrum euadat Chriſti, qui non eſt, & tanquam eſſet eum habere, quod tetigit etiam S. Auguſtinus lib. contra mendacium, cap. 6. vbi ait: *Illud, quod Apoſtolus ait: Deponentes mendacium, loquimini veritatem vnuſquiſque cum proximo ſuo, quia ſumus inuicem membra: abſit vt ſic intelligamus ita quaſi loqui mendacium permiſeris cum eis qui nondum ſint nobiſcum membra corporis Chriſti Sed ideo dictum eſt*, QVIA VNVSQVISQVE NOSTRVM DEBET QVEMQVE DEPVTARE, QVOD EVM VVLT FIERI, ETIAMSI NONDVM FACTVS EST, *ſicut Dominus alienigenam Samaritanum proximum eius oſtendit, cum quo miſericordiam fecit Proximus ergo habendus eſt, non alienus, cum quo id agendum eſt, ne remaneat alienus, etſi propter id quod nondum eſt fidei noſtræ, ſacramentique particeps factus, aliqua illi occultanda ſunt vera, non tamen ideo dicenda ſunt falſa.* Et in Pſalm. 24. ita ſcribit: *Quapropter deponentes mendacium loquimini veritatem vnuſquiſque cum proximo ſuo: quia ſumus inuicem membra; ne autem quiſquam veſtrûm ita cogitet fratres, cum Chriſtiano* LOQVENDAM VERITATEM, *& cum pagano mendacium, cum proximo iubemur loqui veritatem; proximus tuus ille eſt, qui tecum natus eſt ex Adam, & Eua.*

Iraſcimini, & nolite peccare.

1080. NOn præcipit Apoſtolus vt iraſcamur, ſed ſenſus eſt, ſi contingat iraſci, cauere ne ira erumpat in opus, nec facite quod ira ſuggerit, nec ſinite eam progredi vſque ad iniuriam. Addit. *Sol non occidat ſuper iracundiam veſtram.* Iræ diuturnitatem prohibet, docétque iram abrumpendam eſſe, & opprimendam, ne ſi diutiùs duret, in vindictæ actum exeat, aut vertatur in odium.

Iraſcimini. Quì vtile alicui eſſe poſſit, ſi ira corripi ſe ſinat? docet his verbis S. Iſidorus Peluſiota lib. 2. epiſt. 239. LICET ETIAM VTILITER IRASCI, *quùm id vel ob Dei gloriam fit; vel ob eos, quibus iniuria infertur; vel vt proximi ad meliorem mentem reuocentur Nam & Moſes, vir alioqui ſumma lenitate præditus, in eos, qui vitulum effecerant, ira exarſit, eóſque funditus de medio tolli iuſſit. Et Phinees iis, qui ſtupri crimine ſe deuinxerant, iratus eſt, eóſque lanceâ interemit. Et Elias Iudæis, eóſque fame attriuit. Et Paulus Elimæ, & Petrus Ananiæ, & Saphiræ Et pater filio, & magiſter diſcipulo ignauia torpenti iraſcitur Nec quiſquam iracundiam hanc eſſe dixerit; verum philoſophiam, & curam ac ſolicitudinem.* (

Sol non occidat ſuper iracundiam veſtram.

1081. QVi de Sole Chriſto hunc locum exponunt, à ſenſu literali abeunt: ſimplicior erit, & literæ cohærentior ſi hanc ſententiam efficiat, iram commotam abrumpite, diuturnam eſſe minimè ſinatis, ne ſi diutius duret, in odium conuertatur Ita ferè Eſtius, qui addit: *Ratio ſchematis eſt, quia Solis occaſus apud Iudæos initium erat diei, quare ſi quem iraſcentem nox occuparet, is iram retinebat vſque in alterum diem.* Alij per Solem rationem intelligunt, vt illa tantùm iracundia admittatur, quâ a nobis rationis nõ ſubducatur Sol. Ita Naclantus hic Qui ſenſus adeo Catharino placuit, vt illum qui de vero Sole hunc locum accipit, penitus, quod nolim, repudiauerit, damnaueritque, hæc eius verba: *Sol non occidat ſuper iracundiam veſtram. Pulcher & verus ſenſus eſt, vt intelligamus de ratione & lumine iudicij, quod eſt veluti Sol, qui non debet occidere ſuper iracundiam noſtram, id eſt, non debet eſſe tam acris & implacabilis ira, quæ conſtituat hominem abſque miſericordia & iudicio furioſum & tanquam beſtiam. Alioqui ſi de hoc Sole corporeo dictum capiamus, Quid ſi quis ab ortu Solis iraſceretur, & antequam Sol occideret per iram ſcelus quoduis perageret, nunquid hoc iniquum non eſſet? Et ſi nullus iraſceretur, ferro hunc & illum percutiens, aut fuſte, an licitũ eſſet, quia Sol non occidit ſuper eius iracundiam? Abſit vt iſta concedamus. Poſſemus etiam forte intelligere his verbis, quaſi admodum cuiuſdam prouerbij. quo Philoſophi vti ſolent, affirmantes eam iram minorem, aut minùs vituperabilem eſſe, quæ citò frangitur & recondit. Prior tamen expoſitio verior, cui & fauere articulus videtur, vt de certo quodam Sole dictum intelligas: præſertim cum hic ſit mos loquendi apud ſcripturas. Vnde Amos Propheta: Occidit Sol in Meridie, & Micheas: Occumbet Sol ſuper Prophetas.*

Vt nos aliquando ira corripiat, diù in nobis manere nõ debet, ne diuini Solis lux nos deſerat, ſi nos iram non deſeramus antequam Sol iſte occidat. Benè S. Auguſt. *Sol non occidat ſuper iracundiam veſtram. Intelligitur quidem ſecundum tempus fratres: & quia etſi ex ipſa humana conditione, & infirmitate mortalitatis quam portamus ſubrepit ira Chriſtiano, non debet diu teneri & fieri pridiana, Eiice illam de corde antequam* OCCIDAT LVX ISTA VISIBILIS, ET NE TE DESERAT LVX ILLA INVISIBILIS. Sic ille in pſal. 25.

Quanti autem ſit periculi diù iram apud ſe fouere, nec aduemente nocte illam reiicere, aptiſſimè explicat Sanctus Ambroſius, cuius hæc ſunt verba in pſal. 36. *Sol non occidat ſuper iracundiam veſtram*: NE DVM DIV DIFFERS, *veniat ille qui calefactum cor excitare conſueuit, & ſtimulet te; inſerat tibi cogitationes, & in ſecreta tui cordis immergat, dicens: vindica iniuriam tuam, virum te eſſe cognoſce, fœminæ infirmitatis eſt, non capere vindictam; ergo contemnere te debuit ſeruus? frater decipere? amicus illudere? & tu*

adhuc tuam non vlcisceris contumeliam ? proscribas necesse est:gladio opo tes insurgas, & dolorem tuum aduersarij morte soleris, vir fuit ille qui suum occidit inimicum,meritoprædicatur: quia ita se vindicauit, vt alius irrogare eo non auderet iniuriam; his stimulis plus accenditur,plus mouetur.

1082. *Sol non occidat*; Ne si abeunte Sole non abeat iracundia, occidat quos corripit. Quibus verbis perstringi illorum sæuitia potest, qui & diù iracundiam apud se retinent, & erumpere in proximorum iniurias, & insidias sinunt. Quod insaniæ genus expendens Sanctus Chrysostomus lib. de compunctione cordis ita scribit: *Si forte irasci accidat, mandatur vt sub die vel iracundias nostras,vel inimicitias finiamus, in hoc enim constringimur præcepto illo quo ait, Sol non occidat super iracundiam vestram:nos contrà, ne hoc quidem contenti sumus, vt iracundiam vltra Solis terminum producamus,sed quod est deterius,& insidias inuicem struimus, sine rebus supplantare proximos cupientes, propria membra mordentes,& comedentes: quod* VTIQVE APERTÆ INSANIÆ EST. Paria sunt quæ in hanc sententiam habet Hugo Victorinus in Regulam Sancti Augustini, cap. 10. *Si forte*, inquit, *accidat irasci, mandatur vt sub die aut iracundiam nostram vel inimicitias nostras finiamus. In hoc constringimur præcepto quo ait, Sol non occidat super iracundiam vestram. Nos contrà nec hoc contenti sumus vt* IRACVNDIAM VLTRA SOLIS TERMINVM PRODVCAMVS, *sed & insidias inuicem instruimus, siue rebus, siue verbis supplantare cupientes proximos, mordentes inuicem & comedentes, quod vtique aperta insania est. Quid enim aliud faciunt insani & Dæmone repleti, nisi membra sua morsibus dilaniant?*

1083. *Sol non occidat.* Aliqui de spiritali animæ sole hæc accipiunt verba. Guarricus Abbas ser. Purificat. B. Mariæ huc collineans infit. *Sol non occidat super iracundiam vestram,id est Christus qui est* SOL IVSTITIÆ, *mentem vestram irascentem non deserat, qui cum ira nunquam habitat.* Et S. August. in psal. 6. *Hinc forsitan*, ait, *dictum est, non occidat Sol super iracundiam vestram, quod interiorem Solem, id est* SAPIENTIAM DEI, *tanquam occasum in se pati arbitratur mens quæ sua perturbatione illum videre non sinitur.*

Sol non occidat super iracundiam vestram. Ne si occidat semel, in iræ & impatientiæ tenebris diù maneamus. *Sol*, inquit Tertullianus de Patient. cap. 12. *super iram nostram si occiderit, periclitamur.* Longa timenda nox, si Sol abeat, & maneat ira. Addit; *Non licet nobis vna die sine patientia manere.*

1084. Quod de ira Paulus dixit, ad cætera etiam vitia extendas. Sanctus Athanasius in vita S. Antonij hic viri perfecti mentem fuisse asserit: *Quod communiter de quolibet*, inquit *præcepto pronunciari existimandum est, ne super iracundia tantum, sed* SVPER ALIO ETIAM PECCATO QVOVIS SOL OCCIDAT, *pulchrum namque & necessarium (cauere) ne vel diurni vitij Sol, vel nocturni peccati, aut omnino cogitati Luna nos condemnet.* Et Sanctus Ambrosius; *Videte*, inquit lib. de Tobia, cap. 14. *ne Sol occidat super* AVARITIAM VESTRAM, *ne Sol iustitiæ vobis occidat, quia iustitiam non tenetis, aut Sol iniquitatis super flagitia vestra condatur.* Idem habet Sanctus Paulinus Epistola ad Desiderium, vbi ad hunc locum spectans ita loquitur: *Si forte in tempore iracundiæ desiderauerit à me pacem suam, non sit meas mea per iracundiæ acerbitatem cruda concordiæ, nec expectem, vt Sol occidat super iram meam, nec occidat vita mea, si ante clauserit vesper diem, quàm extinxerit pax furorem, quod autem de iracundia posui, de omni* VITIORVM GENERE DICTVM PVTA.

Sol non occidat super iracundiam vestram. His verbis eos pungit S. Hieronymus qui diù iram in corde fouent, sic ille scribit, epist. 36. quæ est ad Castorinam: *Quid*, inquit, *agemus nos in die Iudicij, super quorum iram, non vnius diei, sed tantorum annorum Sol testis occubuit?* 1085.

Non occidat. Ne dum Sol abit, passio adolescat: nam & temporis diuturnitate altiores agit radices, & noctis tenebris, Diabolo etiam accedente, morbus fit maior. Peritè rem versat Sanctus Isidorus Pelusiota lib. 2. epist. 189. *Quoniam, quum iracundia rationis, quæ auriga munere fungitur, habenas infregit, hominis mentem extra naturæ terminos plerumque transuersam agit: idcirco Paulus huiusmodi lapsui excogitata non modo optima, sed celerrima medicina, his verbis vsus est: Sol non occidat super iracũdiam vestram, hoc est, Antequam Sol in occasum vergat, naturam agnoscite, furorem extinguite, arrogantiam comprimite: cognationem ac propinquitatem, quæ etiam feris dominatur, complectimini,* NE NOX INTERIECTA MORBVM IMMEDICABILEM EFFICIAT: *nam tum Diabolus idoneum tempus nactus, ea quæ contigerunt, magis inflammat, ad vltionem irritat, ad inimicitiam exstimulat, ad accusationes excitat, iniuriarum memoriam parit, innumeráque hinc mala procreat. Nam quòd Diuus Paulus, vt hæc exscinderet, dissidentes quam ocissimè inter se reconciliari iusserit, ex eo patet, quod mox subiunxit: Nolite locum dare Diabolo, qui exiguos effectus, magnos occultè reddit, eáque quæ facilè curari possunt, vix, aut etiam nullo modo curabilia efficit.*

SECTIO III.

Spiritus

1092 *Spiritus Sancti monita contemnere quàm sit graue:*

1093 *Indignè Eucharistiam sumere quàm magni flagitij res sit.*

1093 *Spiritale sigillum malis moribus non resignandum.*

1094 *Clamor apud Apostolum quid significet.*

1094 *Clamoris & indignationis prauitas.*

1094. *Qui aliis benefacit, sibi beneficus est.*

Nolite locum dare Diabolo.

1086. N*Olite locum dare Diabolo.* Significat eum, qui sinit iram diu apud se morari, locum Diabolo dare; cum diù ira reseruata in vindictæ accrescat consensum, *per quem Diabolus* (vt ille ait) *iam incipit in homine dominari.* Licèt enim id etiam in aliis accidat vitiis, accidit tamen præcipuè in hoc præcipuo. Hinc & Sanctus Augustinus ser. 71. de diuersis. per iram Diabolo ianuam aperiri affirmat; hæc illius sunt verba ad hæc verba spectantia: *Quid stultius, quàm inimicum forinsecùs deuitare, & multo peiorem in præcordiis intimis retinere? vnde Apostolus dicit: Sol non occidat super iracundiam vestram; móxque subiungit: neque detis locum Diabolo, tanquam hoc agat qui non citò iram pellit ex animo: vt per illam veluti per* IANVAM ADITVM PRÆSTET DIABOLO.

Vbi ponendam iram dixit ante diei finem; adiicit locum Diabolo non esse dandum, vt nexu *innuat vniuersa,* locum Diabolo date qui in corde iram retinet. *Iram transire vult*, inquit hîc Sanctus Ambrosius, *nec retineri in pectore, vt die orta, cum die decidat: quia si in animo manserit, dat occasionem Diabolo gloriandi. Necesse est enim vt iratus animus malè cogitet: quod cupit Diabolus.* INVENIT ENIM MENTEM PARATAM AD MALVM, *cui se inserens effectu suo decipit hominem factum ad vitam, quia hominis cogitare est, Diaboli implere.*

1087. *Nolite locum dare Diabolo.* Locum ille Diabolo dat qui peccati occasionem non vitat. Sanct. Cyprianus epist. 62. *Ne Diabolo*, inquit, *insidianti & sæuire cupienti, ad nocendum detur occasio, quando & Apostolus dicat? Nolite locum dare Diabolo. Liberanda est vigilanter de periculosis locis nauis, ne inter scopulos & saxa frangatur. Excunda est velociter de incendio sarcina, priusquam flammis superuenientibus crenetur.* NEMO DIV TVTVS EST PERICVLO PROXIMVS. *Nec euadere Diabolum seruus Dei poterit, qui se Diaboli laqueis implicauit.*

Nolite locum dare Diabolo, Et quânam ratione locus Diabolo datur? Sanctus Isidorus Pelusiota lib. 2 cap. 189. *Qui exiguos affectus, magnos occultè reddit, eaque quæ facilè curari possunt, vix aut etiam nullo modo curabilia efficit.*

Nolite locum dare Diabolo. Satis impudenter se Diabolus ingerit, absque eo quòd locus illi detur, & veluti inuitetur ad ingressum, quod illi maximè præstant, qui otio torpent, desidiæ se dant. Benè Naelantus Episcopus Clugiensis hîc: *Et si cunctis in rebus Satanas se impudenter iniiciat; & si quoduis peccatum illi aditum faciat;* MAXIME TAMEN ILLI LOCVM PARAT ACEDIA, *quâ non solùm facile otiamur, sed etiam diuinis rebus oscitanter attendimus.* Hinc & antiqui illi Patres, acedia correptum à multis Dæmonibus impugnari asserebant; bonis operibus operam dantem, ab vno.

1088. Locus Diabolo in voluntate datur malâ voluntate, ipsa seducit se, dum se sinit ad mala duci, aut se dat ad mala. *Audi Apostolum*, inquit Sanctus Augustinus serm. 33. de diuersis in appendice; *Neque detis locum Diabolo.* TV MALA VOLVNTATE LOCVM DEDISTI; *intrauit, possedit, vtitur; si locum non dares, non possideret.* Possidet te hostis tuus, quia tu priùs hostis tui fuisti, fuisti proditor, locum dedisti diabolo, Deo neglecto, repudiato Deo, & à te, quantùm in te est, excluso.

Nolite locum dare Diabolo. Cordis ostium claudendum est ne Diabolus intret. Peritè Sanctus Augustinus in psal. 140. CLAVDE OSTIVM TVVM NE TENTATOR INGREDIATVR. *Tentator non cessat pulsare vt irrumpat, si clausum inuenerit, transit; ideo Apostolus, quia in nostra potestate est ostium claudere, ostium cordis non parietum, ibi enim & cubiculum: quia ergo in nostra potestate est,* HOC OSTIVM CLAVDERE, *neque detis, inquit, locum Diabolo. Etenim si intraut & possidet, attende quia tu negligenter clausisti, aut claudere neglexisti; Quid est autem claudere ostium? hoc ostium tanquam duas habet valuas, cupiditatis, & timoris; aut cupis aliquid terrenum, & hac intrat; aut times aliquid terrenum, & hâc intrat; timoris ergo & cupiditatis ianuam claude contra Diabolum; aperi ad Christum? quomodo ipsas valuas aperis ad Christum? cupiendo Regnum cælorum, timendo ignem Gehennarum, per cupiditatem sæculi Diabolus intrat, per desiderium vitæ æternæ Christus intrat.*

Omnis sermo malus ex ore vestro non procedat.

1089. S*Ermo malus.* Legunt aliqui, *verbum turpe*, quod ad illa quoque verba extendit Clemens Alexandrinus, quæ quis altè de se sentiens emittit. *Vnde*, inquit, *infert: Turpe verbum ex ore vestro non exeat. Id autem turpe est, quod procedit* EX OPINIONE QVAM DE SE QVIS CONCIPIT: *sed si quod est bonum ad ædificationem vtilitatis, vt det gratiam audientibus.* Sic ille lib. 1. stromatum.

Vt det gratiam audientibus.

V*T det gratiam audientibus.* Non dicit vt auditoribus sit gratus, sed vt det gratiam audientibus, ne placere tantum quæras qui doces, & non potiùs iuuare. *Non dicit*, inquit, hîc Caietanus, *vt sit* GRATVS, AVT ACCEPTVS AVDIENTIBVS, SED VT DET AVDIENTIBVS GRATIAM, *ad significandum, quorsum tendat* VTILITAS *sermonis ad instructionem, suasionem, cautelam.*

Et nolite contristare Spiritum Sanctum Dei, in quo signati estis.

1090. C*Vm Spiritus Sanctus Deus sit, propriè contristari non potest? At qui peccat quantùm* in

in se est, Spiritum Sanctum contristat; quod maximè facit, qui obscœna, & impura verba, de quibus loquutus fuerat Apostolus, loquitur, & Spiritum Sanctum e cordibus audientium expellit. Huc facit sensus, quem verba producta producunt ex mente Estij, tanquam si dixisset: *Nolite per obscœna, vel qualitercunque scandalosa verba Spiritum Sanctum è cordibus audientium expellere.* Præterea, ex mente Sancti Thomæ, *Spiritus Sanctus dicitur contristari, quando contristatur ille in quo est* SPIRITVS SANCTVS; vt videant quam grauiter peccent qui proximos tam facilè contristant, & e suæ tranquillitatis suggestu deiiciunt.

Et nolite contristare Spiritum Sanctum; Quì vanis sermonibus lætitia affici loquentis cor queat, cum Spiritum Sanctum huiusccmodi sermones contristent? Rem appositè vrget Sanctus Petrus Damianus serm. 73. vbi ait: *Audiant quid Paulus Ephesiis dicat: omnis*, inquit, *sermo malus ex ore vestro non procedat, sed si quid bonum est, ad ædificationem opportunitatis fidei, vt det gratiam audientibus; & quia nonnulli Deum prius bene viuendo lætificant; sed postmodum superflua quæque, & peruersa loquendo contristant; illico subiunxit: Et nolite contristare Spiritum Sanctum Dei in quo signati estis in die Redemptionis. Perpendant miseri quæ illis lætitia in vanis sermonibus potest lenocinanter obrepere, quibus sciunt se non potentem sæculi, non etiam quemlibet &c.*

1091. *Nolite contristare Spiritum Sanctum.* His vêrbis à spectaculis fideles auocabat Tertullianus lib. de spectac. c. 15. *Deus præcepit Spiritum Sanctum, vt potè pro natura sua bono tenerum & delicatum, cũ tranquillitate, & lenitate, & quiete, & pace tractare, non furore, non bile, non irâ, non dolore inquietare. huic quomodo* CVM SPECTACVLIS *poterit conuenire? omne enim spectaculum, sine concussione Spiritus Sancti non est.*

Et nolite contristare Spiritum Sanctum; cum sermonem malum ex ore emittendum non esse dixit, statim addidit Spiritum Sanctum non esse contristandum, vt quanti sit criminis ore labi vel hinc colligatur. Rem appositè vrget Sanctus Petrus Damianus serm. 75. *Et quia*, inquit *nonnulli Deum priùs bene viuendo lætificant, sed postmodum superflua quæque & peruersa loquendo contristant, illico subiunxit: Et nolite contristare Spiritum Sanctum Dei in quo signati estis in die redemptionis. Perpendant miseri, quæ illis lætitia* IN VANIS SERMONIBVS *potest lenocinanter obrepere, quibus sciunt se non potentem sæculi, non etiam quemlibet sanctum hominem, sed ipsum Spiritum Sanctum, qui proculdubio Deus est, contristare.*

1092. *Nolite contristare Spiritum Sanctum.* Si tristitiæ capax esset Spiritus Sanctus contristaretur, cum à cordis illud nostri sinu per peccatum excludimus. Naclantus Episcopus Clugiensis in hunc locum: *Metaphoricus sermo est; & contristatio Spiritus Sancti, nobis à Deo in Christo impartiti expulsio eius est, quandoquidem cum à nobis recedit, qui nobis impensissimè fauet,* NON NISI CONTRISTATVS VIDETVR ABIRE.

Nolite contristare Spiritum Sanctum. Quì contristari Spiritus Sanctus potest, qui veræ lætitiæ est fons? *Cum benè agimus*, inquit Sanctus Ambrosius, *gaudet in nobis Spiritus Sanctus datus nobis, videns monita sua proficere vtilitatibus nostris, sicut dictum est à Domino, ita gaudium erit in cœlo in vno peccatore pœnitentiam agente. Gaudet ergo Spiritus Sanctus saluti nostræ, non sibi, qui nõ indiget lætitiâ: ita è contrario si obedientes ei non fuerimus, contristatur, quia non habet profectum in nobis: vult enim nos pertinere ad vitam. Non tamen sic contristatur vt patiatur, quippe cum impassibilis. Sed cum eum contristatum dicit nostri causa, hoc significat quia dixerit nos,* EO QVOD LÆSERIMVS EVM, CONTEMNENDO MONITA EIVS. *Contristatio itaque eius indignitas nostra est, quæ filios nos Dei prohibet appellari.*

1093. *Nolite contristare Spiritum Sanctum.* Siste hîc, & mecum pende: si verba edere, quæ ad fidem non ædificant, Spiritum Sanctum contristant; quid erit, Verbum ipsum indignè edere in Eucharisticâ mensâ? Rem vrget Sanctus Basilius lib. 1. de Baptis. dum ait. *Cum Apostolus tradiderit nobis, quòd & is, qui bonum verbum prolatum non ad ædificationem fidei dispensat, contristet Spiritum Sanctum: ita debemus etiam attendere,* QVID SIT IVDICIVM EIVS, QVI INDIGNE EDIT ET BIBIT.

In quo signati estis. Vtile est quod ab hac obsignatione colligit Sanctus Ambrosius lib. 1. de virginibus, *Apostolus in Spiritu nos dicit esse signatos, quoniam Patris imaginem habemus in Filio, sigillum Filij habemus in Spiritu. Hac Trinitate signati caueamus diligentius ne quod accepimus pignus in cordibus nostris, aut* MORVM LEVITAS, AVT VLLIVS ADVLTERI FRAVS RESIGNET.

Omnis amaritudo, & ira, & indignatio, & clamor, & blasphemia tollatur à vobis cum omni malitia.

1094. ET *clamor.* Itane etiam clamorem inter hæc vitia numerat? Non quemcumque clamorem damnat Apostolus, sed qui ex ira magna erumpit. *Et clamor*, inquit Dionysius Carthus. *idest* SERMO IMPETVOSVS; *vel irrationabilis eleuatio vocis*; quod iraræ indicium, superbæ signum est mentis.

Mirum, quòd indignationem & clamorem inter minima scelera locet, quod expendens Sanctus Isidorus Pelus. lib. 1. epist. 328. aiebat, *Blasphemia vsque adeo clamor & indignatio & ira grauior est, vt etiam priorem hac, illam magnus atque ingenti animo præditus Paulus collocarit.*

Donantes inuicem sicut & Deus in Christo donauit vobis.

ALiqui vertunt; *donantes vobismetipsis*; & qui potest aliquis aliquid sibi donare; *Tanquam significetur*, inquit Estius hîc ex Sancto Hieronymo, *eum qui benefacit alteri, ipso bono opere* IN SE IPSVM ESSE BENEFICVM, cum in ipsum resiliat, quod alteri exhibet.

* * *

CAPVT

CAPVT V.

EPISTOLÆ AD *Ephesios expenditur & illustratur.*

SECTIO I.

1095 *Conformitas in dilectione animam Christo maritat.*

1095. *Sacrificium, quo Christus se obtulit quàm nobile.*

1096. *Auaritia & immunditia cæterorum vitiorum radix.*

1096 *Pecunia vitiis ministrat materiam.*

1096 *Quàm grauis res sit auaritia.*

1097 *Lingua procacitas frænanda.*

1098 *Malè viuere, & vitam æternam sperare, præsumptio potiùs est quam spes.*

1099 *Quum peccatum regnat in homine, totus homo peccatum dicitur, & tenebræ.*

1100 *Lux in Domino sumus, in nobis tenebræ.*

1100 *Nemo sibi lumen est: à Deo habet, quod luceat.*

1101 *Probanda quæ sint opera, quæ Deo placent.*

1101 *A malorum exemplo quàm timendum.*

1102 *Ab aliorum peccatis abesse debet, qui in ea debet inuehere.*

1102 *Bonorum vita, tacita quædam malorum redargutio.*

Ambuláte in dilectione sicut & Christus dilexit nos.

1095. AD dilectionem nos Christus inuitauit, dum dilexit, Sanctus Bern. serm. 8:. in Cant. expendens hæc verba ita scribit: *Ambulate in dilectione, sicut & Christus dilexit nos.* TALIS CONFORMITAS MARITAT ANIMAM VERBO, *cum cui videlicet similis est per naturam, similem nihilominus ipsi se exhibet per voluntatem, diligens sicut dilecta est. Ergo si perfectè diligit, nupsit.*

Et tradidit semetipsum pro nobis oblationem & hostiam Deo in odorem suauitatis.

O*Blationem & hostiam.* Nulla ista gratior oblatio, nullum sacrificio isto ditius, sacratius. In aliis accepere coronam Sancti: in isto etiam exhibet Christus. Præclarè Sanctus Leo serm. 12. de Pass. Domin. *Quis est, qui tradidit semetipsum pro nobis oblationem & hostiam Deo in odorem suauitatis?* AVT QVOD VNQVAM SACRIFICIVM SACRATIVS FVIT, *quam quod verus Pontifex altari Crucis per immolationem suæ carnis impe suit? Quamuis enim in conspectu Domini multorum Sanctorum pretiosa mors fuerit; nullius tamen insontis occisio, propitiatio fuit Mundi. Acceperunt iusti, non dederunt coronas; & de fidelium fortitudine exempla nata sunt patientiæ, non dona iustitiæ: singulares quippe in singulis mortes fuerunt, nec alterius quisquam debitum suo funere soluit; cum inter filios hominum solus Dominus noster Iesus Christus extiterit, in quo omnes crucifixi, omnes mortui, omnes sepulti, omnes etiam sint suscitati.*

Fornicatio autem & omnis immunditia, aut auaritia, nec nominetur in vobis, &c.

O*Mnis immunditia, aut auaritia.* Cur hæc duo tantum enumerat vitia? An, quia hæc cæterorum fons sunt? *Omnia crimina*, inquit hîc Primasius, *breuiter comprehendit, duas nominando* RADICES, à quibus alia vitia pullulant. 1096.

Aut *auaritia.* Post carnis vitia cur auaritiæ meminit? *Quia pecunia*, (inquit Lyranus hîc) MINISTRAT MATERIAM, *factis tam talibus vitiis; ideo subditur, aut auaritia, per quam illicitè acquiritur pecunia.*

Aut auaritia. Graue crimen auaritia est, quæ inter tam grauia numeratur, quod expendens Sanctus Ambrosius hîc ait; QVAM GRAVIS RES SIT AVARITIA, *hinc animaduertendum est, quando fornicationi & immunditiæ comparatur: à qua nihilominus dissimulamus, & sic a nobis videtur, quasi quædam culpa nullius momenti, cùm sit graue peccatum.*

Nec nominetur in vobis; idest vt inquit B. Dionysius Carthusianus; *non solùm non sit, sed nec exprimatur in vobis, seu inter vos*: Addit. *Per hoc docet Apostolus, quàm longè debeant esse* MAGNA PECCATA AB HIS, QVI STVDENT PERFECTIONI. 1097.

Aut stultiloquium aut scurrilitas.

A*Vt stultiloquium, aut scurrilitas.* Hæc vitia impudicitiæ nexuit & auaritiæ, vt à nexu, eorum grauitatem colligamus. *Quanto cautela studio*, inquit Sanctus Petrus Damianus serm. 73. LINGVÆ PROCACITAS FRÆNANDA SIT, *si quis nosse desiderat; inter quæ crimina ab eodem Magistro Gentium numeretur, attendat. Fornicatio, inquit, & omnis immunditia, aut auaritia nec nominetur in vobis (sicut decet Sanctos) aut turpitudo, aut stultiloquium, aut scurrilitas, quæ ad rem non pertinet. Vbi enim fornicationem, immunditiam, atque auaritiam texuit, ibi etiam indifferenter scurrilitatem, & stultiloquium nominauit; vt manifestè detur intelligi, linguæ malum grauissimis criminibus in offensione coniunctum, a quibus in ipsa non est prohibitione discretum.*

Sed magis gratiarum actio.

SCilicet nominetur, ex ore vestro prodeat, facetiarum nimirum loco, & scurrilium verborum, quibus mundi homines in congressibus oblectare alios solent. Plerique Græco nomine,

εὐχαριστίας

εὐχαριστία, quod hîc habetur, putant eam virtutem significari, qua grati, hoc est gratiosi apud homines appellantur. Nam vt stultiloquũ, aut scurram non decet esse Christianum, ita sermo eius debet esse sale conditus, vt gratiam apud auditores habeat, nec sua scabritie displiceat; qui sensus B. Hieronymo arrisit, & maximè ad contextus consequentiam facit, vt alij quoque notauere.

Non habet hereditatem in Regno Christi & Dei.

1098. IN *Regno Christi & Dei.* Nimirum vnum Patris, & Filij Regnum est, vt est vna Diuinitas; à regno excidet, qui regnum diuidit: *In regno Christi, & Dei*, ait Sanctus Ambrosius lib. 3. de fide, cap. 2. *ergo vnum Regnum & vna Diuinitas.*

Nemo vos seducat inanibus verbis: propter hac enim venit ira Dei in filios diffidentiæ.

IN *filios diffidentia.*; Aliqui legunt: *In filios insuasibilitatis*: Alij: *In filios inobedientia.* Sanctus Cyprianus: *In filios contumacia.* Posset etiam verti: *In filios incredulitatis*; Qui se totos omnibus vitiis traduot, spem fidémque suam futurorum bonorum expectatione nutrire non possuot, ac fouere. Sanctus Thomas hîc: *Dicit autem*, inquit, *in filios diffidentia, quia sic peccantes diffidunt de vita aterna, quia si sic faciens* SPERARET VITAM ÆTERNAM, MAGIS ESSET PRÆSVMPTIO, *quam spes, qua est certa expectatio futura beatitudinis ex meritis.*

Eratis enim aliquando tenebræ, nunc autem lux in Domino.

1099. CVr, *Tenebra*, potiùs dicuntur fuisse; quàm, tenebris obuolutæ? *Notandum est*, inquit hîc Sanctus Thomas, *quod indeterminatè non dicit, Tenebrosi. sed, Tenebra. quia, sicut quilibet videtur esse id quod principaliter est in eo (sic tota ciuitas videtur esse Rex; & quod Rex facit, ciuitas dicitur facere) ita*, QVANDO PECCATVM REGNAT IN HOMINE, TVNC TOTVS HOMO DICITVR PECCATVM ET TENEBRÆ. Sicut è conuerso, lux dici potest, si gratiæ lumine illustretur, & virtutibus splendeat.

Eratis enim aliquando tenebra. Peccatores non tantùm tenebras habent, sed etiam tenebræ sũt, *Apostolus dicit*, inquit Sanct. Augustinus ser. 90. de Temp. *Fuistis aliquando tenebra, nunc autem lux in Domino: vt filij lucis ambulate.* QVANDO FVIMVS TENEBRÆ, *fratres? Vtique quando vias noctis ambulauimus: idest, quando malum cogitauimus, malum diximus, malum etiam operati sumus. Postea verò venientes ad Christum per ipsius gratiam, relinquamus opera tenebrarum, & benè cogitando, bene loquendo, benè operando, viam lucis currere festinemus.* Paulò aliter versat hæc eadem verba idem Sanctus Doctor serm. 256. de Temp. dum ait: *Fuistis aliquando tenebra, nunc autem lux in Domino. Si ergo lux in Domino, tenebra sine Domino. Porrò, si lux in Domino & tenebra sine Domino, accedite ad eum, & illuminamini.* Alioquin si quis ab eo recedat, tenebris adeo inuoluetur, vt tenebræ fiat.

Lux in Domino. Cùm tenebras eos diceret, 1100.
non addit, *In Domino*, Addidit, quum lucem eos vocauit; quia scilicet à nobis est, quòd tenebræ simus; à Deo, quòd simus lux. Pulchrè S. Augustinus in Psal. 54. *Tenebra* IN VOBIS; *lux* IN DOMINO; & luculentius serm. 8. de Verb. Dom. *Audiant: Fuisti enim aliquando tenebra, nunc autem lux in Domino; nam, quando tenebra, in te, non in Domino. Iterum, quando lux*, NON IN TE, SED IN DOMINO. *Quid enim habes, quod non accepisti?* Rem eandem perpensè habet idem Sanct. Pater in Psal. 25. Nolo hîc eius verba desiderari, sic ipse: *Nunc autem lux. Non sine causa lux estis. Noli putare teipsum esse lucem. Illa est lux, qua illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum. Tu autem per teipsum, per malam voluntatem, per auersionem tuam tenebratus eras: modò luces. Sed subiecit statim, ne superbirent illi, quibus dictum est, Nunc autem lux; & addidit*, IN DOMINO. *Sic enim ait: Fuistis aliquando tenebra, nunc autem lux in Domino. Ergo*, SI PRÆTER DOMINVM, NEC LVX. *Si autem ideo lux, quia in Domino; quid habes, quod non accepisti?* In Domino lux: à se habet quisque, quòd tenebras habeat, tenebræ sit. *Lux*, inquit idem Sanctus Augustinus serm. 30. de Verb. Apost. *sed vbi? In Domino, quia non tibi potes lucere. Accedendo illuminaris, recedendo tenebraris. Quia* NON TIBI LVMEN TV IPSE ES, *aliundè illuminaris. Accedite ad eum, & illuminamini.*

Fructus enim lucis est in omni bonitate, & iustitia, & veritate.

AC si diceret; Fructus, quem lux gratiæ profert, in omnium virtutum genere, bonorúmque operum est situs. *In omni bonitate* Sanctus Thomas hæc tria sic aptat, *vt bonitas referatur ad cor, iustitia ad opus, veritas ad os*, sicque integrè se filium lucis homo probet, lucis opera, fructúsque producens.

Probantes quid sit beneplacitum Deo.

PRobantes; scilicet in morem prudentissimi 1101.
trapezitæ, qui sculptum numisma vt ait Sanctus Hieronymus, non solùm oculo, sed & pondere, & tinnitu probat; sollicitè explorantes, quæ sint opera Deo placita, & quod est consequens, sola illa faciatis; scite quippe solum, & non facere parum prodest: probanda sunt quæ sint opera Deo placita in ordinem ad opus.

Et nolite communicare operibus infructuosis tenebrarum.

CVr dixit potiùs *Nolite communicare operibus infructuosis*, quàm, *nolite opera infructuosa facere?* Ephesius à malorum consortio, & malo improborum exemplo valde timuit; COMMVNICAT *quippè huiusmodi operibus*, vt ait Estius, *qui ea facientibus consortem se prabet similia faciendo.*

Magis autem redarguite.

VErborum ordinem notat; Priùs dixerat: 1102.
Nolite communicare operibus infructuosis tenebrarum

nebrarum vt nimirum se culpis immunes seruarent; deinde adiicit: *magis autem redarguite; nimirum* AB ALIORVM PECCATIS ABESSE DEBET, QVI IN EA DEBET INVEHERE, ne aliorum se Medicom exbibeat, qoi eodem ac illi morbo corripitut, & sæpe grauioti.

Arguit & qui reptehendit, & qui prodit, ac manifestat; qui lucis opera præstat, opera tenebrarum prodit, & detegit: nisi dicamus, PROBORVM VITAM ESSE QVANDAM MALORVM REDARGVTIONEM, vt absque vllis verbis improbi à malis reptehendantur, cùm bona opera bonorum elucent, quibus tacitè malorum mala opera damnantur. Non nudis fit verbis redargurio: fit & exemplis. Pulchrè Cornelins. *Magis autem redarguite; tum* VERBO, *tum* EXEMPLO *pura & sancta vita.* Acriter in aliotum peccata quilibet inuehitur, licèt alioquin taceat, si litet puritati, sanctitatis exempla præbeat.

Sectio II.

1103 *Animæ somnus qualis, & quam noxius.*
1104 *Cunctationes in bono amouendæ.*
1104 *Redimi tempus quinam possit.*
1105 *Mali dies quinam sint.*
1106 *Spiritu inebriari quàm salubre.*
1106 *Luxuria, vini primogenita filia.*
1107 *Vini abusus damnatus, non vsus.*
1107 *Vino dediti ad omnia flagitia admittenda proni.*
1107 *Spiritu Sancto repleri an in nobis sit.*
1108 *Vbi meretricia cantica, ibi Dæmones congregantur: vbi spiritualia, ibi spiritus gratia aduolat.*
1109 *Pro omnibus gratiæ agendæ, & semper.*
1110 *Ipsamet gratiarum actio, gratiarum agendarum materia.*
1110 *Obedientia superioribus vt præstanda.*
1111 *Vxores in viris Christum considerent.*
1111 *Vxores à maritis tanquam seruæ minimè tractandæ.*
1111 *Christi exemplo regere vxores suas vt viri debeant.*
1111 *Christum vt caput non cognoscit, qui proximum lædit.*

Surge, qui dormis, & exsurge à mortuis, & illuminabit te Christus.

1103. NOn de somno corporis sollicitus erat Paulus, sed de animæ; idcirco non dixit, *& illuminabit te Sol iste*, quem vident qui vigilant, sed *Christus* qui verus animæ est Sol. Pulchrè Beda ex B. Augustino: SOMNVS *animæ, est obliuisci Deum suum. Quæcunque anima oblita fuerit Deum suum; & tanquam in somno agentibus deliramenta culturæ idolorum. Sic sunt enim qui colunt idola, quomodo qui vident in somnis v... Si autem euigilet anima ipsorum, intelligit à quo facta est, & non colit quod ipsa fecit. Dicit ergo quibusdam Apostolus. Surge qui dormis, & exurge à mortuis, & illuminabit te Christus. Nunquid corpore dormientem excitabat Apostolus? Sed excitabat animam dormientem quando ad hoc eam excitabat, vt illuminaretur à Christo.* Huc spectabat & illud, quod habet Clemens Alexand. Adm. ad Gentes. A SOMNO *quidem certè excitat, & ab ipsis tenebris eos qui aberrauerunt facit surgere. Expergiscere, inquit, qui dormis, & exurge à mortuis, & illuminabit te Christus Dominus, Sol resurrectionis, qui ante Luciferum gignitur, qui largitus est vitam propriis radiis.*

Nouarin. in Epist. Pauli.

Surge, qui dormis. ita vt nullas moras trahas, nec de die in diem differas. Aptè Hildebertus epist. 74. *Surge ergo, qui dormis; & exurge à mortuis, & illuminabit te Christus. Surge citò: surge hodiè; quia nimirum morti proximum est, crastinam expectare medicinam. Surge inquam, citò: quia,* NISI CITO SVRREXERIS, *citò egeris pœnitentiam, citò venies, qui mouebit tuum candelabrum de loco suo, & Episcopatum tuum accipiet alter.* 1104.

Redimentes tempus, quoniam dies mali sunt.

REdimentes tempus. Quanam ratione redimi à nobis tempus possit, explicat Sanct. Epiphanios tom. 3. aduers. Hæres. lib. 1. hæresi. 42. *Apostolus dixit, Redimentes tempus. Atqui neque dies* EMVNTVR *à nobis, nec pro illis pretium vllum persoluimus: sed, ad patientiam ac tolerantiam, animique constantiam exprimendam, eam loquendi rationem adhibuit.*

Redimentes tempus. Aliqui codices legunt, *Redimentes occasionem.* Nimirum adipiscendæ salutis occasio non solùm expectanda est; sed omnis diligentiæ, studij ac laboris pretio est emendà. Qui tempus redimi possit, docet S. Gregorius lib. 5. Moral. cap. 28. *Benè Paulus admonet dicens: Redimentes tempus, quoniam dies mali sunt. Tempus quippe* REDIMIMVS, *quando anteactam vitam, quam lasciuiendo perdidimus, flendo reparamus.* Et S. Augustinus hom. 5. ex 50. ita docet: *Quis est homo qui vult vitam, & diligit videre dies bonos? In hac autem vita iubet nos Apostolus redimere tempus, quoniam dies mali sunt; & quid est* REDIMERE TEMPVS, *nisi, cùm opus est, etiam detrimento temporalium commodorum ad æterna quærenda & capessenda spatia temporis comparare?* Vt videas plerosque tempus perdere, in quo se putant redimere, dum toti in cumulandis rebus terrenis sunt, cœlestium & æternorum obliti.

Quoniam dies mali sunt. Et quinam mali sunt? 1105.
Ab ea quoque parte, quà mali eos bonos putant; quia falsæ voluptatis specie nos decipiunt. Mali sunt, quia ad malum alliciunt incautos. *De his diebus* (verba sunt S. August. serm. 17. de Verb. Dom.) *quos agimus, ait Apostolus: Redimentes tempus, quoniam dies mali sunt. Non sunt ergo dies mali, quos agimus in corruptela huius carnis, in tanta, vel sub tanta sarcina corruptibilis corporis, inter tantas tentationes, inter tantas difficultates: vbi falsa voluptas, nulla securitas gaudij, timor torquens, cupiditas auida, tristitia arida? Ecce quàm malos dies, & nemo vult finire ipsos malos dies, multùmque hinc rogant homines Deum, vt diu viuant. Quid est autem diu viuere, nisi diu torqueri?*

Et nolite inebriari vino, in quo est luxuria.

1106. NOlite inebriari vino. Noxia vini ebrietas est: bona est, quæ à Spiritu Sancto est, quo impletos nos cupit Apostulus. *Vino qui inebriatur*, inquit ad hæc verba Sanctus Ambrosius lib. 5. de Sacrament. cap. 3. *vacillat & titubat:* SPIRITV QVI INEBRIATVR, RADICATVS IN CHRISTO EST. *Et ideo præclara ebrietas quæ sobrietatem mentis operatur.*

In quo est luxuria; Luxuriam vini primogenitam vocat Origenes, homil. 7. in Leuiticum explicans hæc verba. *Sobrietas*, inquit, *omnium virtutum mater est, sicut è contrario ebrietas omnium vitiorum. Apertè enim pronuntiauit Apostolus dicens: Vinum, in quo est luxuria, vt ostenderet ex ebrietate veluti* PRIMOGENITAM FILIAM *generari luxuriam.*

1107. Vini abusum inhibuit, non vsum; atque idcirco inebriandi vsus est verbo, quod expendens Sanctus Prosper lib. 2. de Vita contemplat. cap. 22. ait: *Iam de vino abstinendo, vel percipiendo quid dicam? vnde Sanctus Apostolus certam fixit regulam, dicens: Nolite inebriari vino, in quo est luxuria: quasi diceret: Luxuriam facit, & nutrit* VINI PERCEPTIO NIMIA, NON NATVRA. *Et propterea, non vti nos vino, sed inebriari prohibet: quandoquidem infirmum stomachum moderatus vsus vini confortat: ebrietas animum, corpúsque debilitat.*

In quo est luxuria. Græcè, *ἀσωτία*. Vbi Catharinus: *De vino ad literam possumus intelligere; In quo est luxuria. Non tamen per luxuriam intelligas Veneream solùm libidinem; nam vox Græca ἀσωτία, luxum potiùs significat.* Qui vino sunt dediti, AD OMNIA FLAGITIA ADMITTENDA SVNT PRONI.

Sed implemini Spiritu Sancto.

QVasi in nostra potestate sit Spiritu Sancto repleti, cur igitur dixit, *implemini*? nodum plerique videre. *Quærit hic Thomas post Chrysostomum*, inquit Estius, *an Spiritus Sanctus sit in nostra potestate? Ad quod breuiter respondetur non esse, nisi quatenus per Dei gratiam liberè exercemus opera bona, quæ sunt Spiritus Sancti dona, & per quæ Spiritu Sancto magis magisque replemur, vt explicat Chrysostomus. Nam ipsum secundùm se Spiritum Sanctum, qui Deus est, & Dominus omnium in nostra potestate esse, nullo modo fatendum est.* Sic ille beatus Dionysius hunc locum ita explicat: *Implemini spiritu, idest ita viuatis, & corda vestra sic occupetis, vt in gratiâ Spiritus Sancti proficiatis, quotidie; Deus enim vnicuique influit, secundùm quod se disponit, aut capax efficitur.*

Cantantes, & psallentes in cordibus vestris Domino.

1108. QVam vtilia cantica spiritualia sint, quàm noxia, quæ impuritatem exhalant, docet Sanctus Chrysostomus hæc Pauli verba explicans: *Quod qui canunt cum intelligentiâ, vocent Spiritus gratiam, audi quid dicat Paulus: Nolite inebriari vino, in quo est luxuria: sed implemini Spiritu; subiungit autem etiam quo nam sit implendi ratio: canentes & psallentes in cordibus vestris Domino, quid est in cordibus vestris? Cum intelligentia, inquit, vt non os quidem, inquit, verba loquatur, mens autem extra versetur vndequaque diuagans: sed vt lingua ab anima audiatur; & quemadmodum vbi quidem est cœnum, eò porci concurrunt: vbi autem sunt aromata, & suffitus, apes illic habitant: ita vbi sunt quidem* MERETRICIA CANTICA, ILLIC CONGREGANTVR DÆMONES: VBI AVTEM CANTICA SPIRITVALIA, ILLVC ADVOLAT SPIRITVS GRATIA, ET OS SANCTIFICAT, ET ANIMAM. Sic ille in psal. 41.

Gratias agentes semper pro omnibus in nomine Domini nostri Iesu Christi Deo, & Patri.

QVod ait pro omnibus, dubium est an de rebus loquatur, an de hominibus. 1109. Rectè id ad res coercent plerique Interpretes; sed cur non explicat pro quibus rebus agendæ gratiæ Deo sint; pro omnibus dixit, VT ET PROSPERAS ET ADVERSAS COMPREHENDERET; aduersæ res incipiunt esse prosperæ si ad pietatem nos vrgeant, vrgeant ad Deum.

Qui pro omnibus gratias agendas indicit, indicat & pro aduersis gratiarum actionem offerendam esse. *Christianorum propria virtus est*, inquit Sanctus Hieronymus, *etiam in his quæ aduersa putant*, REFERRE GRATIAS CREATORI: *nam in beneficiis Dei, quæ nobis accedunt, gratulari, hoc & Gentilis facit, & Iudæus.* Magis exigitur ab eo, qui ab omni parte est maior; & in huius Epistolæ commentario lib. 3. cap. 5. in hanc sententiam: *Quod ait, gratias agentes, & semper, & pro omnibus: dupliciter intuendum, vt & in omni tempore, & pro omnibus, quæ nobis accidunt, Deo gratias referamus: vt non tantùm pro his quæ bona putamus, sed etiam quæ nos coarctant, &* CONTRA NOSTRAM VENIVNT VOLVNTATEM, *in Dei præconium mens læta prorumpat.*

Pro omnibus, adeò vt ipsa gratiarum actio 1110. materia gratiarum agẽdarum sit; quod ex Theophylacto notabat Estius hîc dum ait. *Pulchrè verò Theophylactus ex hac generali sententia Apostoli, colligit ac docet, ipsam quoque nostram* GRATIARVM ACTIONEM *inter ea bona, quæ per Christum habemus, &* PRO QVIBVS AGENDÆ *sunt Deo gratiæ, numerandam esse.*

Subiecti inuicem in timore Christi.

SVbiecti inuicem. Alius erga alium; licet non sit reciproca subiectio, nisi quod etiam ille, cui alij subiiciuntur, potest illis vicissim subiici affectu, & humilitatis exercitio; vt se aliorum seruum reputet, qui aliis præsidet. Huc spectauit B. Dionysius hîc dum ait: *Prælati per humilitatem, & charitatem subdunt se inferioribus, subditi verò ex debito obedientiæ subiiciuntur Prælatis.* Sicque sibi inuicem licet diuersa ratione, subiecti sunt.

Obedientiam præstare subditi superioribus debent, sed in Christi timore, vt non ad oculum id fiat, sed ex animo, & propter Deũ. Aliqui legunt, *in timore Dei*, idest vt exponit Theophylactus, Dei timorem præ oculis habentes, & non solùm spectãtes temporale cõmodum; aliuquin

suo

suo potius commodo subditus seruiet, quam superiori, si commodum suum præcipuè spectet.

Mulieres viris suis subditæ sint sicut Domino.

1111. S*icut Domino.* Non dixit, *Sicut Dominis*; ne quis dominotum ius in vxores velut in ancillas apod viros crederet residere *Dixit*, inquit Estius, *Sicut Domino, Christo: idest*, IN VIRIS SVIS CONSIDERANTES CHRISTVM DOMINVM, *qui est caput, & sponsus Ecclesiæ.* Feliciora coniugia essent, si mulieres viros respicerent vt Christum, vt Christo viris obsequerentur.

Sicut Domino. Non dixit, *Sicut dominis*, ne, seruas quis crederet vxores, & tanquam seruas eas tractaret. Scitè Caietanus: *Non dicit sicut dominis, quia non mandat* VXORES ESSE VELVT SERVAS MARITORVM: *quod significaretur, si dixisset, sicut dominis. Sed dicit, sicut Domino; hoc est, sicut Christo, hoc est voluntariè, & ex amore*; tanquam viri Christum ipsum referrent.

Quoniam vir caput est mulieris, sicut Christus caput est Ecclesiæ.

NImitum ita maritus vxori suæ præesse debet, vt Ecclesiæ suæ præest Christus; vxoris vtilitatem spectans, commodúmque non suum, vt Christus fecit: *Sicut enim Christus*, inquit hîc Estius, *præest Ecclesiæ suæ, eamque gubernat, ac protegit, ad ipsius Ecclesiæ vtilitatem: ita maritus vxori suæ præesse debet*, EAMQVE REGERE AD BONVM EIVS, AC TOTIVS FAMILIÆ. Abit à suo munere si in malo præeat, & suo exemplo vxorem ad malum vir prouocet.

Caput Ecclesiæ Christus est, qui proximum non respicit, non habet tanquam membrum, Christum tanquam caput non cognoscit. Grauiter rem expendit Sanctus Chrysostomus homil. 1. aduersùs Iudæos. *Quomodo Christum Ecclesiæ caput confiteris? nam caput natura omnia membra copulat, & ad se diligenter conuertit, colligátque. Si nihil tibi commune est cum membro tuo:* NEQVE CVM FRATRE QVID COMMVNE EST TIBI, NEQVE CAPVT HABES CHRISTVM. Vt videant, quam male de Christo sentiant, qui in fratres sæuiunt, lædunt proximos, in proximos debacchantur.

SECTIO III.

1112 *Ecclesia in omnibus vt subiecta Christo dicatur.*
1113 *Ecclesia quando sine macula.*
1114 *Christus talem Ecclesiam habet, qualem sibi facit.*
1114 *Duplicitas in sermone vitanda.*
1115 *Præsumptio, non fiducia, Regnum cæleste sperare eum, qui criminibus est oppressus.*
1115 *Etiam peccata occulta vitanda.* Nouatin. in Epist. Pauli.
1115 *Cui rugæ displicent, displicere crux non debet.*
1119 *Amat carnem suam qui eam affligit, vt spiritui subdatur.*
1117 *Martyres vt carnem suam odio non habuerint.*
1118 *Nemo mentem suam odio habeat.*
1118 *Citra affectum caro amanda.*
1119 *Anima plusquam caro amanda.*
1119 *Caro ad vitium minimè nutrienda.*
1120 *A carne sua quisque discat Deum diligere, & mentem suam.*
1121 *Caro vt nutrienda, & fouenda.*
1121 *Coniuges contentiones verborum fugiant.*
1121 *Vxores viros suos ita timeant, vt etiam ament.*
1121 *Alienos viros non facilè cognoscere mulier quærat.*

Sed, sicut Ecclesia subiecta est Christo, ita & mulieres viris suis in omnibus.

PRoh quàm perfecta vxoris ad virum obedientia esse debet cum 1112.
Ecclesiæ ad Christum obedientiam referat? In omnibus dixit, scilicet ad quæ se viri potestas, & superioritas extendit? Sed dicat hîc aliquis, in Ecclesia multos malos esse, qui nō Christo obediunt, sed Diaboli perficiunt desideria, quì igitur dici potest Ecclesiam in omnibus subiectam esse Christo, cum in omnibus suis membris non sit? An satis est subiectam esse per bonos, qui præcipua illius portio sunt, ac etiam ferè tota, si membra non numeres, sed expendas; Scitè Estius hîc: *Multi in Ecclesia mali sunt, non Christi, sed Diaboli voluntatem facientes: quomodo igitur absolutè dicitur Ecclesiam Christo subiectam esse in omnibus? Respondeo id absolutè de Ecclesia verificari, quod ei competit secundum* PARTES PRÆCIPVAS MAGISQVE PROPRIAS, *id est, eas quæ eundem cum capite spiritum participant. Huiusmodi autem sunt soli boni. Quâ ratione etiam sancta vocatur Ecclesia in symbolo fidei.* Nam malorum ratio quo ad hanc partem nulla habenda est. Esse quippe non videtur, qui Christo non est subiectus.

Vt exhiberet ipse sibi gloriosam Ecclesiam, non habentem maculam, aut rugam, aut aliquid huiusmodi.

CVr dicturus Ecclesiam sine macula, sine ruga futuram, *Gloriosam*, prius vocauit? An, vt 1113.
innueret, tunc perfectè sine macula rugáque iuuentam iri, quando gloriosa erit? & vix in tantis malis, in quibus versatur ad tantam puritatem posse peruenire? S. Augustinus huic sensui præiuit lib. de Perfect. iustit. contra Cœlestium c. 15. *Tunc plena*, inquit, *atque perfecta erit Ecclesia, non habens maculam, aut rugam aut aliquid huiusmodi quia tunc etiam erit verè gloriosa Quidni enim non tantum ait, vt exhiberet Ecclesiam non habentem maculam, aut rugam, sed addidit, Gloriosam satis significauit,*

significauit, quando erit sine macula, & ruga, aut aliquid huiusmodi: TVNC VTIQVE QVANDO GLORIOSA. *Non enim modo in tantis malis, in tantis scandalis, in tanta permixtione hominum pessimorum, in tantis opprobriis impiorum dicendum est eam esse gloriosam, quia Reges ei seruiunt, vbi est periculosior maiorque tentatio: sed tunc potius gloriosa erit quando fiet, quod idem ait Apostolus: cùm Christus apparuerit vita vestra; tunc & vos apparebitis cum ipso in gloria.*

1114. *Vt exhiberet ipse sibi.* Talem non haberet, nisi talem ipse sibi exhiberet. Sanctus Bernard. ser. in natiu. S. Ioannis Baptistæ: *Et licèt velit gloriosam sponsam non habentem maculam, aut rugam, aut aliquid eiusmodi, non tamen quærit talem. Vbi enim illam inueniret? sed talem* POTIVS IPSE FACIT: TALEM SIBI EXHIBET IPSE.

Non maculis tantùm carere debet, quæ Christi est sponsa, sed & rugis; nimirum, vt aliena ab operum prauitate sit, & à sermonis duplicitate. Tetigit istud etiam Sanctus Gregorius lib. 13. Moral. cap. 4. inquiens: *Has rugas in electis suis sancta Ecclesia non habet; quia videlicet nesciunt aliunde se foris ostendere, & intus aliud habere. Vnde rectè egregius Prædicator dicit: Vt exhiberet ipse sibi gloriosam Ecclesiam non habentem maculam aut rugam. Maculam quippe, & rugam non habet quæ & turpitudine operis, &* DVPLICITATE SERMONIS CARET.

1115. *Non habentem maculam aut rugam.* Ferit hisce verbis Sanctus Cæsarius Arelatensis homil. 16. eos, qui, lethalibus criminibus onusti, confidunt se Cœleste Regnum intraturos. Sic enim ille scribit: *Aptauit sibi Ecclesiam non habentem maculam, & rugam. Si cum macula, & ruga intrare in vitam æternam nemo poterit: quâ conscientia* CAPITALIBVS CRIMINIBVS OPPRESSVS ALIQVIS *intraturum se esse in eam confidit, nisi se emendando, & eleemosynas dando mundauerit?* Præsumptio non fiducia est, Regnum sperare eum, qui criminibus onustus est.

Vera Christi sponsa nec maculam habere debet, nec rugam, idest nec manifestis peccatis deturpari, neque occultis. Beatus Dionysius sic explicat hæc verba. *Non habentem maculam, idest peccatum mortale* APERTVM, *aut rugam idest peccatum mortale* OCCVLTVM, *sed mundam ac simplicem*; vt maximè aberrent, qui de mundicie sibi inaniter blandiuntur, quia extimè apparent à maculis immunes, intus sordibus fœdantur.

Non habentem maculam, neque rugam. Qui rugis vult carere, sinat se in mortificationis cruce extendi. Festiuè Sanctus Augustinus enarrat. in psal. 132. vbi hæc habet: *Vt exhiberet sibi gloriosam Ecclesiam, non habentem maculam, neque rugam, mundatur vt non habeat maculam, extenditur vt non habeat rugam, vbi eam* EXTENDIT FVLLO, *nisi in ligno? videmus quotidie à fullonibus tunicas quodammodo crucifigi.* CRVCIFIGVNTVR, VT RVGAM NON HABEANT. Igitur cui rugæ displicent displicere crux non debet.

Nemo enim vnquàm carnem suam odio habuit.

1116. NEmo *enim vnquam carnem suam odio habuit.* Et non videntur carnem odio habere, qui eam affligunt, macerant, ac quodam mortificationis telo petunt? Odium istud à vero amore est, totus est amor; lenis ista sæuities est, & blanditiis omnibus blandior dura ista carnis afflictio. *Ideo Sancti*, inquit hîc Sanctus Thomas, *affligunt, & macerant carnem suam, vt subdatur spiritui ad repressionem concupiscentiarum: quia caro concupiscit impediens acquisitionem virtutum, nos disponentium ad bonorum vltimum. Et ideo* QVI SIC AFFLIGIT CARNEM SVAM VT SVBDATVR SPIRITVI, NON ODIT EAM, *sed procurat bonum eius, quia bonum eius est, quod subiiciatur spiritui, sicut bonum hominis est quod subiiciatur Deo.*

Nemo enim vnquam carnem suam odio habuit. 1117.
Quid? Nunquid non Martyres odio carnem suam habuerunt, minimè carni suæ consuluerunt, dum amarent in eam homines sæuire. *Non carnem*, inquit Sanctus Augustinus ser. 102. de diuers. *tanquam inimicam vel contempserunt, vel persequuti sunt Martyres (nemo enim vnquam carnem suam odio habuit) magis ei consuluerunt. Quando eam negligere videbantur, quando in ea fideliter persistentes, temporalia tormenta tolerabant,* ÆTERNAM ETIAM IPSI CARNI GLORIAM COMPARABANT. B. Laurent. Iustinian. de Triump. Christ. agone c. 19. *Omnes, inquit, naturali impulsu quemadmodum diuturnâ fœlicitate viuere appetunt; ita tormenta refugiunt, pericula trepidant, atque tota, qua valent, industria animæ exitum differre conantur. Hoc autoritate sua roborans Apostolus inquit: Nemo vnquam carnem suam odio habuit: sed magis eam fouet, & nutrit. Verùm, cum plurimos Sanctorum legamus vltrò se exposuisse cruciatibus, mortémque minimè declinasse, cùm possent, hos nequaquam dixerim pœnarum seu exitus caruisse metu, sed illum tunc vitæ desiderio superasse. Habebant planè in seipsis pariter pauorem mortis, & immortalitatis affectum. Præcedebat tamen amor odium, & perpetuæ vitæ gustus (gratia operante) separationis homini vincebat metum. Supra naturam Diuinitus donum hoc illis erat prærogatum. Planè nihil humanæ naturæ adscribendum est, quum potestate absolutâ Deus operatur in homines.*

Odio non habet homo carnem suam, nec debet habere mentem animámque, alioquin amens dici debet, qui mentem animámque non amat. Aelredus lib. 3. Spec. charit. cap. 2. *Nemo*, inquit, *vnquam teste Apostolo carnem suam odio habuit. Et, si non carnem,* MVLTO VTIQVE MENTEM, *quam quilibet homo etiam nesciens magis diligit quam carnem: nemo est enim, qui non malit infirmus carne, quàm insanus viuere mente.* 1118.

Sanctus Maximus cent. 3. num. 9. hunc locum ita legit, ita versat: *Nemo, inquit Apostolus, suam ipsius carnem odit; sed suggillat eam, & in seruitutem redigit, nihil amplius illi exhibens præterquam victum, & amictum; atque hæc sola, quantùm ad vitam sustentandam exigit necessitas. Adhunc itaque modum aliquis* CITRA AFFECTVM CARNEM SVAM AMARE POTEST: *& sicut* FAMVLAM *Diuinarum rerum alit, & fouet illam his solum adhibitis, quibus eius necessitatem complere solet.* 1119.

Quilibet in carnis suæ amorem fertur: cur non iustius feratur in animam? *Nemo vnquam carnem suam odio habuit, & anima non ametur?* inquit Sanctus August. homil. 37. ex 50. *Discamus ergo, fratres,* AMARE ANIMAS NOSTRAS. *Omnis voluptas sæculi transitoria est. Est amor vtilis: est amor noxius. Amor amare impeditur. Amor noxius recedat, & amor vtilis succedat.*

Non

Non eſt malum nutrire ſuam carnem, non eſt malum fouere; niſi talis nutritio foueat malum, malum nutriat. *Apoſtolus ait*, inquit Sanctus Leo ſerm. 1. de Reſurrect. Dom. *Nemo enim carnem ſuam odio habuit, ſed nutrit, & fouet eam, cum* VTIQVE NON AD VITIA, *non ad luxuriam, ſed ad debitum ſit alenda; & fouenda ad famulatum; vt teneat ordinem ſuum renouata natura, nec peruerſè ac turpiter ſuperioribus inferiora præualeant, aut inferioribus ſuperiora ſuccumbant; &, vitiis animum ſuperantibus, id fiat ſeruitus, vbi debet eſſe dominatus.*

1120. *Nemo enim carnem ſuam odio habuit*; Amari caro poteſt, ſed ſine illius iniuria, qui carnem fecit; quod ſi amanda caro, cur non potiùs amanda anima, amandus proximus, amandus Deus? Benè Petrus Bleſenſis lib. de charitate c. 14. *Nemo carnem ſuam odio habuit; ſi verò diligat carnem, fortius tenetur* DILIGERE DEVM, *& proximum ſuum ſicut ſeipſum, nemo ſi quidem carnem ſuam odio habuit: Si vero diligat carnem, fortius tenetur diligere* ET MENTEM. *Credo ſiquidem quòd omnis homo magis appetit ſanum eſſe mente, quam carne.* Huc ſpectat & illud, quod habet Hugo Victorinus lib. 1. Miſcellaneorum tit. 79. vbi ita ſcribit: *Nemo enim carnem ſuam odio habuit. Timeo pro carne mea, quam odire non poſſum. O fallax deceptio! Ergo* CARNEM AMABIS, ET CREATOREM BLASPHEMABIS? *Quid ergo ſibi vult, quod ait: Qui amat animam ſuam pluſquam me, non eſt me dignus. Si animam rectè plus amare non potes, carnem potes?*

Sed nutrit, & fouet eam, ſicut & Chriſtus Eccleſiam.

1121. S*icut & Chriſtus Eccleſiam.* Adiectio iſta docet nutriendam carnem eſſe, non carnis vitia. S. Petrus Venerabilis lib. 2. epiſt. 7. *Nemo carnem ſuam odio habuit: ſed nutrit, & fouet eam ſicut & Chriſtus Eccleſiam. Sicut, inquit, Chriſtus Eccleſiam, nutrit quippe Chriſtus, & fouet Eccleſiam*, NON MALITIAM: *iuſtitiam*, NON IMPIETATEM: *naturam, non iniquitatem.* Idem præſtet, qui carnem ſuam nutrit.

Et erunt duo in carne vna.

E*Runt duo in carne vna*, Addit S. Auguſt. ſer. 45. de verb. Dom. *Si ergo duo ſunt in carne vna, duo ſunt* IN VOCE VNA. Vt inter ſe non diſcrepent, vnitatem in omnibus ſeruent, à verborum contentionibus abſtineant.

Vxor autem timeat virum ſuum.

TImorem in vxore commendat, amorem non excludit, imo tacitè exigit, nam cum cap. 2. ad Titum præcipiat, vt mulieres viros ſuos ament, & hic timorem exigat, indicat amori coniunctum timorem eſſe debere, & amorem timori.

Virum ſuum. Græcè eſt tantùm, *virum*, quam lectionem habet etiam Sanctus Hieronymus. Poteſt additio iſta ſignificare, mulieri alienos viros adeo non timendos, vt ab eorum aſpectu, atque notitia, quantum ipſi licet, ſe ſubducat. Hoc ipſo à pluribus commendari mulier meretur, quò pauciores cognoſcit, cognoſcitur à paucioribus.

Nouarin. in Epiſt. Pauli.

CAPVT VI.

EPISTOLÆ AD Epheſios expenditur & illuſtratur.

SECTIO I.

Fily, obedite parentibus vestris in Domino.

1122. IN *Domino.* Iure hoc adiecit, *vt intelligamus* (verba sunt Caietani ad hæc verba) NON ESSE OBEDIENDVM PARENTIBVS, *nisi secundùm Deum præcipiant, magis enim oportet obedire Deo, quàm hominibus;* Et iuste contemni pater potest, qui diuinorum præceptorum contemptor, ea iubet quæ fieri Dei lex prohibet.

Honora patrem tuum, & matrem tuam, quod est mandatum primum in promissione, vt bene sit tibi.

CVr primùm hoc mandatum dicitur, quod in ordine quintum est? Primum in secunda tabula est; vt notat S. Petrus Dam. opusc. 44. c. 5. vbi explicat cur *promissionis* dicatur. *Tria planè,* inquit, *præcepta in vna tabula, septem verò descripta fuisse in illa, ex hoc maximè colligitur, quod beatus Apostolus ad Ephesios ait: Filij obedite parentibus vestris in Domino, hoc enim iustum est: honora patrem, & matrem, quod est mandatum primum in promissione; vt benè sit tibi, & sis longæuus super terram: Cur autem primum hoc mandatum dicitur, nisi quod in principio secundæ tabulæ positum est. Quod etiam* IN PROMISSIONE *dicitur, quia quod in aliis præceptis non inuenitur, hoc præceptum longæuitatis promissio sequitur.* Sic ille.

Vt benè sit tibi. Mirum, quòd huic solo mandato lex mercedem apposuit, cur id factum, *Ne aliquis,* inquit Sanctus Thomas hîc, *credat, quod honoratio parentum* NON SIT MERITORIA, *quia naturalis est, ideo addit, vt sit longæuus super terram.* Etiam præmij oblatione, ac promissione mercedis ad præcepti huius impletionem prouocare nos Deus voluit, ad quod sola lex naturalis sufficere videbatur.

Serui obedite dominis carnalibus cum timore, & tremore.

1123. DOminis *carnalibus.* Græcè, *Dominis secundùm carnem,* idest quibus secundum corpus, ac ministeria quæ ad corpus spectant deberis seruitutem, & obnoxij estis. *Cum timore, & tremore.* Cur hæc duo iungit, cum vnum satis esse videretur? *Timor intus* (inquit hîc Caietanus) *tremor extra est. Non extimè tantum* REVERERI DOMINOS SERVI DEBENT; *sed etiam intimè, ne hypocrisim ac simulationem eorum obsequia sapiant.* Simplicius alij magnam sollicitudinem hac phrasi censent significari.

In simplicitate cordis vestri sicut Christo.

AC si diceret: Recto, simplicíque corde dominis vestris seruite, non secus ac si Christo ipsi seruiretis; *vel potius,* inquit Estius, *sicut Christo, id est in dominis vestris, quibus seruitis,* CHRISTVM DOMINVM PER ILLOS QVODAMMODO REPRÆSENTATVM PRÆ OCVLIS HABENTES, *vt ea consideratio vos moneat ad benè, & ex animo dominis vestris seruiendum.* Quod si hæc in carnales dominos præstanda sunt, quàm iustius in spirituales fiant, qui perfectius Christum ipsum referunt, & eius locum tenent?

Non ad oculum seruientes, quasi hominibus placentes.

NOn *ad oculum seruientes.* Pulchrè hæc verba explicabat Sanctus Augustinus in psal. 70. *Si seruus tibi non ex animo seruiat, manus eius, faciem eius, præsentiam eius potes videre, cor eius non potes: & tamen ait illis Apostolus, non ad oculum seruientes; & quid est non ad oculum? quid enim, visurus est Dominus meus quomodo illi seruiam, vt dicas mihi, non ad oculum seruientes? adiecit, sed quasi serui Christi; Dominus homo non videt, sed* DOMINVS CHRISTVS VIDET.

1124 *Quasi hominibus placentes.* Placere hominibus potest homo si in hominibus Deum latentem spectet, & placere Deo studeat hominibus propter Deum placens. Benè Sanctus Augustinus: POTEST HOMO HOMINI VTILITER PLACERE SI PROPTER DEVM PLACEAT, IDEST VT DEO PLACEAT, ET GLORIFICETVR, *cùm dona eius attenduntur in homine, aut per ministerium hominis accipiuntur; cùm autem sic homo placet, non iam homo, sed Deus placet.* Et nulli displicere debet sic placere.

Quasi hominibus placentes. Et quid mali est, si seruus domino suo seruiat, & seruiendo placeat? *Non quòd vetet,* inquit bonus ille Auctor, *seruire, & placere hominibus, sed quòd nolit seruum prudentem ad eos primum respicere,* SED AD DEVM IN IIS RELVCENTEM, *esto mali sint. Quia licet Deum non repræsentent ratione malitiæ, idest vt præcisè mali sunt, repræsentant tamen ratione potestatis, atque illis propter Deum in rebus licitis seruitur meritò, & placetur, secus in illicitis;* in quibus ille maximè quoad hanc partem Deo placet, qui displicet hominibus.

Et vos Domini eadem facite illis, remittentes minas.

ITane præstare eadem seruis Domini debent, quæ Dominis præstant serui? Et vbi status, & conditionis discrimen? *Eadem dixit,* inquit Estius, *non opere aut officio, sed modo, & proportione. Nam mutua seruorum ac dominorum officia diuersa sunt. Itaque sensus est: sicut oportet seruos ex animo, & liberaliter seruire dominis suis; ita vos domini, vicissim* NE TRACTATE SERVOS VESTROS SERVILITER, *sed humaniter ac benignè vos erga illos gerite.*

Induite vos armaturam Dei, vt possitis stare aduersùs insidias Diaboli.

1125. INduite *vos armaturam Dei.* Aliqui legunt, *Omnia arma Dei.* Et qui vnus homo omnia potest Dei arma induere? An induit, qui vnum induit Christum? *Manifestissimè comprobatur,* inquit S. Hieronymus, *omnia arma Dei, quibus nunc indui iubemur,* INTELLIGI SALVATOREM ET *vnum atque idem sit dixisse: Induite vos omnia arma Dei, quasi dixerit.* INDVITE DOMINVM IESVM CHRISTVM. *Quæ autem alia arma Dei possumus existimare, quibus induendus est, qui habet aduersùs Diaboli dimicare versutias, excepta virtute, qua Christus*

Christus est? hic enim, qui sic fuerit indutus, potens erit contra vniuersas insidias Diaboli repugnare.

Induite vos armaturam Dei. Cæteris qui armis in pugna armatus incedit, inermis est. Milites nos vult S. Paulus, & pugnas ostendit, ostendit hostes. Sed quisnam exercitus huius, huius aciei dux? Superna Dei gratia est. Pulchrè S. Gregorius Nyssenus orat. 2. in Quadragint. Martyr. *O qui præclarè exercitati sunt! qui peritiam bellandi in aciem aduersùs Diabolum instructam transtulerunt, non gladio manus armantes, neque clypeum ligneum obiicientes, neque areâ galeâ muniti; sed armaturam Dei sumentes, quam Præco, & dux Ecclesiæ, diuinus ille Apostolus describit, scutum, & loricam, & galeam, & gladium; ita tendebant aduersùs copias aduersariorum.* DVX AVTEM ERAT HORVM QVIDEM COELESTIS GRATIA: *Diaboli autem aciei is, qui mortis imperium tenet.*

Aduersùs insidias. Nimirum, insidiis potiùs nobiscum pugnat, quàm armis Diabolus: immò ipsius arma, insidiæ sunt. *Non dixit*, inquit hîc S. Chrysostomus, *aduersùs pugnas, neque aduersùs bella, neque enim incautè, & inexpertè nobiscum geris inimicus; sed ex insidiis, quæ dicuntur, μεθοδεῖαι. Quid est autem, Μεθοδεία? Μεθοδεῦσαι est decipere, & compendiariâ viâ ac ratione capere ac superare: quod quidem fit, & in artibus, & in orationibus, & in factis, & in lucta in iis, qui nos seducunt; vt exempli causâ dico, Nunquam* APERTA PROPONIT PECCATA: *non dicit idololatriam seu cultum idolorum; sed aliter id instruit; verum viâ agens compendiariâ, & adoriens ex insidiis: hoc est, probabilem reddens orationem, & vtens prætextibus.*

Quoniam non est nobis colluctatio aduersùs carnem, & sanguinem, &c.

1126. SI nobis colluctatio contra carnem, aut sanguinem non est, cur ergo corpus suum se castigasse Paulus asserit? *Nonne sancti pugnant contra carnem, & sanguinem*, inquit Hugo Victorinus, *contra malos homines, vel contra vitia, quæ ex carne?* Respondet quæst. 38. *Non est* NOBIS *colluctatio* TANTVM CONTRA CARNEM, ET SANGVINEM; SED ETIAM CONTRA DÆMONES. Vnde hic Auctor censet supplendam vocem, *tantùm*. Ita Caietanus, Sanctus Thomas. Simpliciter sensus hic solet censeri. Non est nobis lucta cum hominibus, qui mortales sunt, & infirmi, nec cum hostibus corporeis, sed cum incorporeis, & immortalibus, id est, cum Dæmonibus; Quòd si homines mali nos oppugnant aliquando, non tameo ea oppugnatio reputanda est corporalis, sed vt spiritualis, quia scilicet per illos tanquam per instrumenta Dæmones Dei seruos oppugnant. Huc spectat quod habet Sanctus Augustinus in Psalm. 55. *Non est nobis colluctatio aduersùs carnem, & sanguinem, sed aduersùs Principes, & Potestates, & spiritalia nequitiæ, id est, aduersùs Diabolum, & Angelos eius:* QVIA ET QVANDO PATIMVR HOMINES IMPORTVNOS, ILLE INSTIGAT, ILLE INFLAMMAT; ILLE TANQVAM VASA SVA MOVET. *Attendamus ergo duos hostes, quem videmus, & quem non videmus; hominem videmus, Diabolum non videmus: hominem videamus; Diabolum non videamus: hominem diligamus, Diabolum caueamus:* Ex quo fit, vt plerumque nos ab hominibus oppugnari credamus, cum præcipuè nos oppugnent Dæmones: est quidem nobis etiam cum hominibus pugna, sed iis tanquam organis, ac instrumentis Dæmones vtuntur, vt in homines per homines sæuiant. Scitè Beda ex B. Augustino: *Non est nobis colluctatio aduersùs carnem, & sanguinem, id est aduersùs homines quos videtis sæuire in vobis. Vasa sunt, alius vtitur.* ORGANA SVNT, *alius tangit. Immisit se (inquit) Diabolus in cor Iudæ, vt traderet Dominum. Ais aliquis, Quid ergo feci? Audi Apostolum. Neque detis locum Diabolo. Tu mala voluntate locum dedisti. Intrauit, possedit, vtitur, si locum non dares, non possideret. Ergo nos admonens ait: Non est nobis colluctatio aduersùs carnem, & sanguinem: sed aduersùs Principes, & Potestates. Potest quisquam putare aduersùs Reges terræ, aduersùs potestates sæculi? Quare? Ipsi non caro, & sanguis? semel dictum est non aduersùs carnem, & sanguinem. Auertere ab omni homine.*

In hac lucta, ac pugna solos nequitiæ spiri- 1127.
tus in medium producit Apostolus, tanquam hi soli hostes sint. Quia nimirum cæteri hostes mitescere possunt; Satanici adeò nobis cœleste Regnum inuident, vt inuidiam numquam ponere velint, & iram; vt ab hac parte hostis nomen soli sustineant ob sæuitiam, quam perpetuam immortales habent. De qua re audiendus S. Augustinus in Psalm. 76. *Non est vobis colluctatio aduersùs carnẽ, & sanguinẽ, sed aduersùs Principatus, & Potestates, & rectores Mundi tenebrarũ harũ, aduersùs spiritalia nequitiæ in cœlestibus; ergo aduersùs Diabolum, & Angelos eius inimicitias exercemus, rectores eos Mundi dixit, quia ipsi regunt dilectores Mundi, non enim regunt Mundum, quasi rectores sint cœli, & terræ; sed Mundum peccatores dicit. Et Mundus eum non cognouit. Talem Mundum illi regunt, qui non cognoscunt Christum; contra hos habemus inimicitias perpetuas. Denique quaslibet habeas inimicitias aduersùs hominem, cogitas finire, siue illius satisfactione, si ille te læsit, siue tuâ, si tu læsisti, siue vtriusque si vos inuicem læsistis, laboras satisfacere, & concordare: cum Diabolo autem, & Angelis eius,* NVLLA CONCORDIA EST, IPSI NOBIS INVIDENT REGNVM COELORVM, MITESCERE OMNINO ERGA NOS NON POSSVNT.

Non est nobis colluctatio. Minus timendus Sa- 1128.
tanicus hostis est, cùm statim hostem se per apertam luctam prodit; maior timendi occasio, cum blanditur; nam vt ait Sanctus Ambrosius, de Paradiso, cap. 12. *Non semper quasi apertus hostis ingreditur, sed sunt quædam potestates* QVÆ AMOREM SIMVLENT, *gratiámque prætendant, vt paulatim cogitationibus nostris venenum suæ iniquitatis infundant: à quibus oriuntur illa peccata quæ vel ex delectatione, vel ex quadam mentis facilitate nascuntur. Sunt etiam aliæ Potestates, quæ veluti colluctantur nobiscum. Vnde Apostolus ait, quia non est nobis colluctatio, aduersùs carnem, & sanguinem, sed aduersùs Principes, & Potestates & rectores huius Mundi, tenebrarum harum, aduersùs nequitiam spiritualium, quæ sunt in cœlestibus, volunt enim hac quadam contentione nos frangere, & veluti quoddam animæ nostræ corpus elidere.*

Huius colluctationis tempus locúmque non expressit Apostolus, vt sciremus semper, & vbique oobis contra illos pugnam ineundam, præsertim cum bonis nostris operibus ad certamen veluti prouocentur. Sanctus Leo serm. 1.

in

in quadrag.ira scribit, *Audiamus dicentem Apostolum. Non est nobis colluctatio aduersus carnem, & sanguinem, sed aduersus principes, & potestates, aduersus mundi rectores tenebrarum harum, contra spiritualia nequitiæ in cœlestibus. Et non ignoremus, quod hi hostes nostri, contra se geri omnia sentiunt, quæcumque nos pro nostra salute agere tentamus, & hoc* IPSO QVOD BONI ALIQVID APPETIMVS ADVERSARIOS PROVOCAMVS.

1128. *Aduersus carnem, & sanguinem.* Ac si diceret, qui perfectione cæteris sunt superiores, Satanicos timere hostes debent. Didimus Alexandrinus lib. contra Manichæos huc flectebat: *Corinthiis cum essent pueri, scribit Paulus, adhuc teneri eos passionibus carnis; tentatio, inquit, vos non apprehendat nisi humana; horum enim tentationes, & certamina ad res humanas restringuntur; de se autem, & de similibus, & æqualibus, & æquè robustis scribit, non est nobis colluctatio aduersus sanguinem, & carnem, sed aduersus Principes, & Potestates, & rectores Mundi tenebrarum harum: quæ perinde sunt, vt si diceret, Vobis,* QVI ALTIVS ASCENDISTIS, *non est pugna aduersus carnem, & sanguinem, id est, aduersus humana, sed aduersus superiores ordines aduersariorum.* Huc etiam spectant, quæ habet Ioannes Cassianus lib. 5. cap. 19. innuens à minoribus certaminibus eundum ad maiora esse, & frustra se in istis sibi victoriam polliceri, qui in illis corruerit: *Si ad hos* TRIVMPHORVM GRADVS CVPIMVS CRESCENTE VIRTVTE CONSCENDERE, *eodem nos quoque ordine oportet præliorum inire certamina, & primùm cum Apostolo dicere: Sic pugno, non quasi aerem verberans; sed castigo corpus meum, & seruituti subiicio, vt hoc conflictu superato rursus, cum eò possimus dicere: non est nobis colluctatio aduersus carnem, & sanguinem, sed aduersus Principatus, aduersus Potestates, aduersus Mundi rectores, tenebrarum harum, contra spiritalia nequitiæ in cœlestibus; aliter enim congredi cum illis nullo modo poterimus, nec spiritales pugnas merebimur experiri, carnali deiecti conflictu, & colluctatione ventris elisi.*

1129. *Non est nobis colluctatio.* De his hostibus, déque nostra contra illos pugna hæc habet B. Laurentius Iustinianus tract. de patientia cap. 4. cum producta verba produxisset. *Non ignoremus, quod hi hostes nostri contra se omnia tractamus: & hoc ipso quod aliquid boni appetimus, aduersarios prouocamus. Hæc enim inter nos atque illos per diabolicæ inuidiæ fomitem inueterata dissensio est: vt quia illi à bonis exciderunt, ad quæ nos Deo auxiliante prouehimur, nostris iustificationibus torqueantur. Si ergo nos erigimur, illi corruunt: si nos conualescimus, illi infirmantur. Remedia nostra plagæ ipsorum sunt: quia curatione vulnerum nostrorum vulnerantur. Ipsorum namque est mala suggerere, sed nostrum est non consentire.*

1130. *Non est nobis colluctatio;* quæ in hac spiritali contra nequitiæ spiritus lucta seruandæ sint leges, docebat his verbis Sanctus Isidorus Pelusiota lib. 1. epist 161. *Et si*, inquit, *nobis aduersus carnem & sanguinem colluctatio non est, & ab his tamen qui aduersus carnem & sanguinem luctantur,* PALÆSTRÆ LEGES EDOCENDÆ SVNT. *Quemadmodum igitur illi non modo exutis vestibus (certandi enim principium est vestes deponere) verum etiam tonsa coma, corporéque oleo delibuto, ne crinibus prehendantur, ac per oleum lubricas aduersarij manus reddant, ita demum in certamen progrediuntur: ad eundem nos quoque modum si coronam referre cupimus, exuto veteri homine, vna cum ipsius actionibus, præcisisque atque in eleemosynas insumptis rebus externis, omni cura nudi, ac vestitu carentes, ad virtutis stadium ascendamus.*

Sed qui nudus ad luctam eat, cum tanquam 1131.
militem armet vnumquemque Apostolus, aut certè doceat quæ arma vnicuique induenda sint? Quid? quod ante dixerat. *Induite vos armaturam Dei.* Vtrumque præstari potest, & tanquam miles armari, ita tamen vt inter arma præcipua nuditas sit. Sanctus Chrysostomus hom. 3. ad Populum, militem, & Athletam qui exercere simul Dei seruus possit, his verbis docet: *Non est nobis lucta aduersus sanguinem & carnem, sed aduersus principes, & potestates: induite igitur armaturam Dei, vidisti* ATHLETAM, *vidisti militem: Si Athleta es, nudum in certamen te descendere oportet, si miles,* ARMATVM AD PVGNAM *consistere necesse est; quomodo igitur vtraque hæc simul esse possint, & nudum esse, & non nudum? & indutum, & non indutum? quo tandem modo ego dicam? exue vitæ negotia, &* ATHLETA FACTVS ES: *indue arma spiritualia, & factus* ES MILES?

Ineunda igitur nobis cum Satanico hoste est 1132.
pugna, qui vires amittit, si nos nostras exeramus; acquirit, si nos debiles inueniat; *Si illi resistimus,* inquit B. Laurentius Iustinianus de discipl. monast. conuersat. cap 5. *fugit à nobis, si autem ei præbemus assensum, dominium sibi vendicat in nobis. Debilitate nostra fit fortis, sed virtute infirmus. Nostrum est aut percutitur, aut perimit nos. Igitur, ô tu, qui vocaris à Domino, omnem abiice metum, Domino tecum pugnante, & ne trepides cum spiritualibus potestatibus habere conflictum. Incipe præliari viriliter, & intelliges experientia te docente,* QVOD MALIGNI SPIRITVS NIHIL POSSVNT CONTRA TE SINE TE.

SECTIO II.

1133 *Satanici spiritus sæuitia erigere nos debet, non deiicere.*

1134 *Totum fere in Diabolum referendum, quod à malis hominibus boni patiuntur.*

1135 *Dæmones cur Principes tenebrarum dicti.*

1135 *Impiorum tenebræ in lucem mutari possunt.*

1136 *Christiani hominis magnificentia dum cum rectoribus Mundi certat.*

1137 *Quanta nocendi auiditate Dæmones in homines sæuiant*

1137 *Dæmonum tanto maior malitia, quanto natura nobilior.*

1138 *Aërea Dæmonum potestas.*

1138 *In cœlestibus agere cur nequitiæ spiritus dicantur.*

1139 *Spiritualia arma & inuulnerabilia vt induenda.*

1139 *Dies malus, dies pugnæ dictus.*

1140 *Iustitia*

1140 *Iuſtitia diuerſis virtutum ſpeciebus nectitur.*

1140 *Contra tentationis tela, fidei ſcutum multum valet.*

1140 *Fidei ſcutum quàm neceſſarium contra hoſtem inuiſibilem.*

1140 *Chriſti ſponſa quo ſe gladio armare debeat.*

1140 *Os aperire quinam præcipuè dicatur.*

1141 *Eâ mente ſuſtinere tribulationes debemus, vt alios potiùs conſolemur, quàm aliorum requiramus conſolationem.*

1141 *Spiritualia bona aliis maximè optanda.*

1141 *Omnibus prodeſſe quærit qui Deum amat.*

Sed aduersùs Principes, & Poteſtates, aduersùs Mundi rectores tenebrarum harum.

1133. SED *aduersùs Principes & Poteſtates.* Hoc idcirco monuit Apoſtolus, non vt nos deiiceret; ſed vt contra eos animaret, vt torporem, deſidiamque omnem excuteremus. Præiuit Sanctus Chryſoſtomus lib. 1. de Prouidentia cap. 4. vbi ait: *Dum illius immanitatem, perpetuáſque inſidias, ac fraudes varias ſolliciti metuimus, ſomnum immodicum excludimus, vigilamus ſobrij, ſempérque Dei reminiſcimur; quod autem iſta mea ratio non ſit, ſed Beati Pauli, ipſum audias licet, eiſdem ferè verbis fideles dormientes excitantem. Nam Epheſiis cum ſcriberet ſic ait: non eſt nobis colluctatio aduersùs carnem & ſanguinem, ſed aduersùs Principatus & Poteſtates, aduersùs Mundi rectores tenebrarum huius ſæculi, aduersùs ſpiritualia nequitiæ in cæleſtibus, hæc autem cum diceret,* NON DEIICERE STVDEBAT AVDITORVM ANIMOS, SED POTIVS ERIGERE.

Aduersùs Principes, & Poteſtates. Quò maiori ſtudio nos deiicere hi hoſtes ſtudent, & ad terrena deprimere, hoc nos ardentius in cœleſtia debemus ferri. Hinc illud S. Ambroſij lib. de bono mortis, cap. 6. *Sunt Principatus aeris, & Poteſtates Mundi, qui nos velut de muro deiicere animæ, vel impedire rectè gradientes, vel ad altiora tendentes quærunt deponere, & ad terrena reuocare. Sed nos multo magis ad* SVBLIMIA MENTEM ERIGAMVS, *verbum ſequentes Dei.*

1134. Contra nequitiæ ſpiritus, malóſque Angelos ita nos armat Apoſtolus, ac ſi contra carnem ſanguinémque, contra homines dimicandum nobis non eſſet; & non etiam homines hoſtilem in homines mentem habent? An non mala ab hominibus malis patiuntur boni? Patiuntur, ſed Diabolo inſtigatore, & inflammatore, vt totum ferè in Diabolum referendum, quod ab hominibus malis ferunt boni. Scitè Sanctus Auguſtinus in Pſalm. 55. *Scimus quia non eſt nobis colluctatio aduersùs carnem & ſanguinem, ſed aduersùs Principes, & Poteſtates, & ſpiritalia nequitiæ: id eſt, aduersùs Diabolum & Angelos eius: quia & quando patimur homines importunos,* ILLE INSTIGAT, ILLE INFLAMMAT, *ille tanquam vaſa ſua mouet. Attendamus ergo duos hoſtes, quem videmus, & quem non videmus. Hominem videmus, & Diabolum non videmus: hominem videamus, Diabolum non videamus: hominem diligamus, Diabolum caueamus: pro homine oremus, contra Diabolum oremus.* Huc faciunt & hæc eiuſdem Sancti Doctoris verba, quæ ille offert ſerm. 8. de verbis Domini: *Meritò ille hinc ſibi tutelam prouidit aduersùs inimicos non conſpicuos, carnem & ſanguinem miſerandam potiùs, quam cauendam: ſed aduersùs illos inimicos contra quos Apoſtolus nos hortatur, vt armemur, non eſt nobis colluctatio aduersùs carnem & ſanguinem,* id eſt, *aduersùs homines quos videtis ſæuire in vos,* VASA SVNT, ALIVS VTITVR; ORGANA SVNT, ALIVS TANGIT. *immiſit ſe, inquit, Diabolus in cor Iudæ vt traderet Dominum.*

Tenebrarum rectores & Principes Dæmones 1135.
dicuntur, id eſt, peccatorum qui tenebras referunt; vt vel hinc peccatorum, & Dæmonum ſimilitudo colligatur. Præclarè Sanctus Paulinus ad Seuerum epiſt. 2. *Vnde &* PRINCIPES TENEBRARVM DICVNTVR, *quia ſecundùm Apoſtolum tenebræ appellantur peccatores, quibus vt ſui ſimilibus Dæmonia principantur.*

Tenebrarum harum; Dilectores Mundi tenebras vocat, vt explicat B. Auguſtinus; tenebræ ſunt, ſed tales vt facilè in lucem mutari queant, facilè illuminari à Chriſto poſſint. Hæc huius Sancti Doctoris verba apud Bedam: *Rectores Mundi tenebrarum harum. Quid eſt Mundi tenebrarum harum quibus eſt rector? Dilectoribus ſuis, & infidelibus plenus eſt Mundus. Hos appellat Apoſtolus tenebras. Harum rectores Diabolus & Angeli eius. Hæ tenebræ non naturales ſunt, non incommutabiles ſunt,* MVTANTVR ET LVX EFFICIVNTVR. *Credunt & credendo illuminantur. Quod cum eis factum fuerit audient. Fuiſtis enim aliquando tenebræ, nunc autem lux in Domino.*

Aduersùs mundi rectores. Chriſtiani viri ma- 1136.
gnificentia hinc elucet, qui conſtitutus in terra cum mundi huius rectoribus, & contra ſpiritalia nequitiæ dimicat, hinc illud S. Ambroſij lib. 4. in Euangelium Lucæ cap. 4. vbi ait. *Docet igitur Scriptura diuina, non ſolùm contra carnem & ſanguinem, ſed contra inſidias ſpiritales tibi eſſe certamen.* VIDES MAGNIFICENTIAM CHRISTIANI VIRI, QVI CERTAT CVM RECTORIBVS MVNDI: *& licet conſtitutus in terris, aduersùs ſpiritalia nequitiæ quæ ſunt in cæleſtibus animi virtute decernis. Non enim de terrenis contendimus, vt dimicemus in terra, ſed ſpiritalibus propoſitis præmiis de regno Dei & Chriſti hæreditate.*

Aduersùs mundi rectores tenebrarum harum, qui 1137.
inuidiâ correpti toti in hominum ruinam, perniciémque intenti ſunt; nec prece, pretioque placantur, vt loquitur B. Laurentius Iuſtinianus lib. de Monaſt. conuerſat. cap. 3. vbi hæc habet: *Non in hoc conflictu bellum arripitur cum hominibus tantùm, qui interdum prece placantur, vel pretio abiguntur, aut fugâ declinantur: ſed etiam aduersùs Principatus & Poteſtates, aduersùs rectores tenebrarum harum, contra ſpiritualia nequitiæ in cæleſtibus, qui ſunt malitiâ pleni,* NOCENDI AVIDITATE ACCENSI, *pugnandi aſſiduitate, & tentandi calliditate conſpicui. Inimicantur etenim homini, vt laborum eius diripiant mercedem: ſuadent mala, vt conſentientibus bonum auferant gratiæ.*

Contra

Contra spiritualia nequitiæ in cælestibus.

C*Ontra spiritualia nequitiæ*; Dæmones ita describit, sed cur naturæ nomen posuit? *Adscribitur*, inquit hic Estius, *naturæ nomen spiritualia ad insinuandum, quod* DÆMONVM TANTO MAIOR EST MALITIA, QVANTO NATVRA NOBILIOR, *quemadmodum Thomas bene explicat.*

In cælestibus. Propinquum nobis aërem hîc intelligit, quòd plenus iste aër sit contrariis fortitudinibus; & præcipuè in aëre habitant, vt iter ad cœlum impediant, vt huc, illuc tentandis hominibus incubent, quos tentant. Aëris etiam potestates dicuntur, vt & à loco, & à nomine disceremus AEREAM ESSE EORVM POTESTATEM, nec nocere nisi volentibus posse. *In cælestibus.* Addit ad explicatum Neropius in Bibliotheca. *Non quod spiritus nequam in cælestibus agant: sed quod* IN EA COELESTI CONVERSATIONE VIVENTIBVS *adversentur.*

1138. *In cælestibus.* Sanctus Athanasius homil. in Sanctum Pascha sic explicat hunc locum: *Vides te hostili agmine cinctum, & ferventem pugnam? Quanam ergo de re hoc bellum geritur? Quodnam pugnæ huius præmium? Idem ille dux* (Paulus) *subiungit, In cælestibus, hoc* EST DE COELESTIBVS BONIS, *propter immortalitatem armatur, & pro immutabilitate decertat: Confligit, vt Christi præsentia fruatur. Hæc cælestia bona sunt: hæc illi eripere studet. Sed non relinquit pugnantem te suo præsidio nudatum: induit te armis Patris sui.*

Propterea accipite armaturam Dei, vt possitis resistere in die malo.

1139. A*Ccipite armaturam Dei.* Pulchrè de his armis Clemens Alexandrinus admonit. ad Gentes, *Armemur*, inquit, *pacificè induentes thoracem iustitiæ, & fidei clypeum assumentes, & galeam salutaris imponentes, & acuamus gladium Spiritus, quod est Verbum Dei. Ita nos Apostolus ordinat pacificè.* HÆC SVNT ARMA NOSTRA INVVLNERABILIA. *His armati, confligamus instructâ acie adversus malum, ignita mali iacula extinguamus aqueis, a verbo tinctis cuspidibus, beneficia remunerantes gratis benedictionibus.*

Vt possitis resistere in die malo. Et quinam dies malus dicitur? *Diem malum* (inquit hîc Theodoretus) *vocat* DIEM PVGNÆ, *nomen ei imponens à Diabolo, qui in ea suam exercet operationem.*

Et induti loricam iustitiæ.

1140. I*Nduti loricam iustitiæ.* Aptè *loricæ* nomen iustitiæ aptauit. *Sicut lorica*, inquit Primasius hîc, *multis armillis intexitur vel circulis; ita &* IVSTITIA DIVERSIS VIRTVTVM CONNECTITVR SPECIEBVS. *Munit autem non solùm pectoris conscientiam: sed & ventris continentiam, necnon & ad femorum pertingit libidinem coërcendam.*

In omnibus sumentes scutum fidei, in quo possitis omnia tela nequissimi ignea extinguere.

I*N omnibus.* Aliqui referunt ad tentationes, vt scutum fidei opponatur aduersariis, nam vt ait Estius: *Nihil efficacius ad superandas Diaboli, carnis, & mundi tentationes, quam si quis fidem suam diligenter exerceat, ac frequenter ante mentis oculos ponat bona nobis in futuro promissa.* Dixerat Dauid: *Arma & scuta comburet igni*, hoc fidei scutum tela ignita extinguit; vnde subdit statim Paulus: *in quo possitis omnia tela nequissimi ignea extinguere.*

Ignita tela vt extinguat fides sic explicat S. Cyrillus Hierosolymit. Catechef. 5. *Est ne quidquam Diabolo horribilius? Sed aduersus hunc arma alia habemus nulla, nisi fidem:* SCVTVM INCORPOREVM ADVERSVS HOSTEM INVISIBILEM. *Emittit enim varia tela, & configit in tenebris non vigilantem. Sed, quum non apparet hostis, scutum habemus firmum fidem, quemadmodum Apostolus dicit: In omnibus assumentes scutum fidei, in quo omnia tela inimici ignea extinguatis. Ignitum sæpè telum, turpis voluptatis concupiscentia, a Diabolo emittitur: sed fides* SVBIICIENS MENTI IVDICIVM, ET REFRIGERANS MENTEM, EXTINGVIT TELVM.

Et galeam salutis assumite, & gladium spiritus.

G*Ladium spiritus.* Hic gladius etiam puellis conuenit, vt sponsum suum æmulentur. Pulchrè S. Paschatius in Psalm. 44. *Gaude sponsa, quia fortissimum duxisti sponsum & armatum: quinimmò* ARMATA ET IPSA GLADIO VERBI DIVINI, *de quo ait Apostolus: Gladium spiritus assumite, quod est verbum Dei, quatenus & ipsa tuo armatu respondeas propugnatori & defensori.*

Pro omnibus sanctis, & pro me, vt detur mihi sermo in apertione oris mei.

P*Er Sanctos fideles intelligit; humilitatis autem est quod se post alios nominat, vt obseruat Theophylactus; Addit Paulus quid pro se orari velit, *Vt detur mihi sermo in apertione oris mei*; vt dum os, inquit meum aperio, causa Euangelij, ac si innuere vellet os suum præcipuè Euangelicæ prædicationi addictum.

Pro quo legatione fungor in catena.

AC si diceret: Euangelij causa fungor 1141.
Apostolica legatione, sed in vinculis sum constitutus; adeo vt cum Gentium iure legati sint illæsi, & ab omni violentia, & iniuria immunes, ego qui summi Dei sum Legatus, in vinculis detineor, & ius omne in me violatur. Ex hoc loco colligitur hanc Epistolam a Paulo scriptam dum in vinculis esset. Nimirum vinciri Apostolus potuit, non potuit vinci, quin in vinculis ipso positu liberior eius charitas in omnes excurrebat.

Ita vt in ipſo audeam pro vt oportet me loqui.

SEnſus eſt: Vt in eo, id eſt, Euangelio prædicando, audacter, & liberè agam, & Apoſtolica libertate vtar, loquens ſicut oportet loqui. Quibus verbis rectè docet, diuini muneris eſſe Euangelium prædicare, & à Deo petendum, vt aptè quis hoc munus queat exercere.

Vt autem & vos ſciatis, quæ circa me ſunt, quid agam, omnia vobis nota faciet Tychicus.

IDeſt, quæ ad me pertinent, vel quomodo ſe res meæ habeant, quid agam in carcere conſtitutus, manifeſta vobis Tychicus faciet; niſi quod illa formula, *quæ circa me ſunt*, tacitè inſinuat omnes tribulationes circa illum fuiſſe, vt Apoſtolicam mentem non ſubirent, nec poſſent de conſtantiæ ſuggeſtu Paulum deiicere; licet primus ſenſus ſimplicior ſit, & literæ cohærentior, præſertim quòd familiaris hæc phraſis Apoſtolo, eáque paſſim vtitur.

Vt conſoletur corda veſtra.

NE ſcilicet animis deficiatis ob meas tribulationes, quas pro vobis, & pro Euangelio patior. Vides quàm alio à mundi more incedat Paulus? Solent qui extra tribulationes aliquos mittere, aut etiam ire ad eos, qui tribulationibus obſequuntur, in vinculis ſunt; hic contra Paulus in vinculis poſitus miniſtrum mittit, qui Epheſios conſoletur. Nimirum ea mente ab Euangelico doctore ſuſtineri tribulationes debent, vt conſolari alios potiùs poſſit, quam alienâ indigeat conſolatione.

Pax fratribus, & charitas, cum fide Deo Patre, & Domino Ieſu Chriſto.

PRæcipua bona Epheſiis precatur; non facilè repetias imprecatum bona, quæ à mundi cultoribus tanti ſolent fieri, diuitias, dignitates, diuturnam vitam. Cœlo natus contemnere hæc debet, nec mentem adeo demittere Paulus poterat, vt hæc ſuis optaret, cum potiùs paſſim ad rerum terrenarum contemptum omnes inhortaretur verbis, omnes exemplo prouocaret.

Pax fratribus. Cur, *fratribus*, dixit, & non vt Epiſtolæ ratio exigere videbatur, *vobis*? Reſpondet Eſtius: *Quod autem dicit fratribus, & non vobis, innuit ſe cupere hanc Epiſtolam etiam aliis per Aſiam Chriſtianis communicari.* Vt videas quàm latè ſe Pauli charitas effunderet, quàm omnes neſciret anguſtias, ſcilicet.

OMNIBVS PRODESSE QVÆRIT, QVI OMNIVM DOMINVM VERÈ AMAT.

Finis Epiſtolæ ad Epheſios expenſæ, & illuſtratæ.

CAPVT

CAPUT PRIMUM EPISTOLÆ AD PHILIPPENSES EXPENDITUR ET ILLUSTRATUR.

SECTIO I.

Paulus & Timotheus, serui Iesu Christi omnibus Sanctis in Christo Iesu, qui sunt Philippis cum Episcopis & diaconibus.

P*AVLVS & Timotheus.* Cur non hîc se Apostolum vocat? 1142.
Vt cuiusdam necessitatis fuisse discremus, quum se vocauit. Hîc non putauit necessarium; & idcirco hunc titulum suppressit. *Apostolum se tacet*, inquit S. Ambrosius ad hæc verba, *quia iis scribit, qui de illo rectè sentirent:* IDEO DIGNITATEM SVAM SVPPRIMIT, *erat enim his manifesta.* Igitur non pro voluntate, sed pro necessitate tam illustri titulo vtebatur, cum videlicet illa tractabat, quibus auctoritatem conciliare oportebat. Atque adeo rei opportunitate non exigente à tam eximiâ appellatione abstinebat, modestiæ, & humilitatis magister. Sanctus Chrysostomus: *Cum scribit*, inquit, *Timotheo & Corinthiis, Apostolum se nominat, quia illic multa ordinaturus erat; ideo Apostoli auctoritatem assumpsit; hic vero nihil tale iniungit, sed velut pares æquals eos honore prosequebatur:* Abeunt ab hoc more, qui titulos suos semper iactant, vt putent se à dignitate excidisse, si dignitatis titulos non efferant. Benè bonus ille Auctor Pauli exemplum expendens: *Discant hinc Prælati, discant nobiles, non inaniter Præfecturas suas, honores,*

honores, nobilitatem passim iactare; discant & scriptores singulas librorum paginas nominis sui inscriptione cum legentium molestia & tædio non opplere; nam inanitatis maximæ signum exhibet qui implet.

Serui Iesu Christi. Seruitus omni liberior libertate. *Conditionem fatetur*, inquit hîc B. Ambrosius: *quia, qui Christum confitetur Dominum,* HIC MAGIS LIBER EST, *& habet salutem.* Tantum qui seruus est Christi Iesu, totum se illius obsequio mancipet, non dimidiatum, nam vt ait S. Chrysostomus. *Qui seruus Christi est, is verè peccati liber est, & germanus Christi seruus nullius est alterius seruus. Alioquin non esset plane Christi seruus, sed dimidiatus*, sicque serui Dei titulum non sustinet, cum vnius non sit, duobus Dominis seruire, contraria nimirum iubentibus.

1143. *Cum Episcopis & diaconibus.* Cur Presbyteros omittit? An Episcopi nomine Presbyteros intelligit? *Quid hoc?* inquit S. Chrysost. hîc. *An vnius ciuitatis multi erant Episcopi? Nequaquam, sed Presbyteros ista nomine appellauit: tunc enim nomina adhuc erant communia, atque ipse etiam Episcopus vocabatur Diaconus: idcirco, ad Timotheum scribens, inquit: Diaconiam, id est, ministerium tuum imple, cum tamen ille Episcopus esset, quod constat ex verbis illis ad eundem scriptis: Manus citò nemini imposueris.*

Sed cur ad Clerum scribit: cùm alibi ad vniuersos fideles Epistolas nulla facta sacrorum hominum mentione? Productus S. Chrysost. hîc hãc quæstionem in medium producit, quam & soluit. *Hoc loco*, inquit, *non iniuria quæret quispiam, quid causæ sit, quamobrem, cum nusquam alibi ad Clerum scribat (non ad eum, qui Romæ, non qui Corinthi nõ qui Ephesi) sed generatim dicat, Omnibus Sanctis, vel fidelibus, dilectis: hic ad Clerum scribat. Nimirum, quoniam* CLERICI IPSI FVERANT, *qui literas ad eum dederant, & fructum protulerant, ipsique ad eum miserant Epaphroditum.*

Gratia vobis & pax à Deo Patre nostro.

A *Deo Patre nostro.* Patris & Filij meminit: cur non & Spiritus Sancti? An quia intelligitur in eius donis? Cum gratiam & pacem dixerit, Spiritus Sanctus intelligebatur, à quo hæc dona sunt: vt non fuerit necesse, expressiorem fieri de illo mentionem. TANTI DONA DEI FIERI DEBENT, VT IN EIS CLAVDI ET ILLE EXISTIMETVR, QVI ILLA EXHIBET: adeò vt Personæ Diuinæ loco substitui dona possint, quæ sunt ab illa.

Gratias ago Deo meo in omni memoria vestri.

G*Ratias ago Deo meo.* Familiare est Paulo gratiarum actionem præmittere, vt exemplo suo ad paria alios prouocet. *Est autem gratiarum actio*, inquit Salmeron hîc disp. 2. CENSVS QVEM DEVS PRÆCIPVE A NOBIS EXIGIT; *non quod ipse sui causa humanis laudibus delectetur, sed vt per hanc viam nos ipsi excitemur ad confectandam nostram salutem. Nam gratias agendo testamur nos omnia, quibus vtimur, è manu Dei accepisse.* Huoc censum qui non soluit, Dei donis se reddit indignum, & omnibus meretur priuari.

Gratias ago Deo meo. Maximè in gratitudinem propensus Paulus, de aliorum beneficiis gratias agit: quia, quæ aliena erant, putabat sua. COLLA. *Nouarin. in Epist. Pauli.*

TVM SIBI BONI EXISTIMANT, QVICQVID BONI CONFERTVR IN ALIOS. Amor scilicet vnit, quos natura discriminat. Quam ab inuidorum mente aliena, gratitudinis indoles est? Inuidi ablata sibi putant, quæ aliis exhibentur: gratis putant dari sibi, quæ dantur aliis.

Deo meo. Cur sibi soli vendicat eum, qui omnium est Deus? *Sed & hoc*, inquit hîc Origenes, *Deo meo, non est otiosè accipiendum: non enim vox ista potest esse nisi Sanctorum, quorum Deus dicitur; sicut Deus Abraham, Isaac, & Iacob. Non potest Dominum* DEVM SVVM DICERE *is, cui Deus venter est, aut cui auaritia Deus est, aut gloria sæculi, aut pompa mundi, aut potentia rerum caducarum, Deus est.*

Deo meo. Effert Paulus gratitudinem suam, dum hæc profert. *Dispicito*, inquit S. Chrysost. hom. 2. in Epist. ad Rom. QVANTO CVM AFFECTV GRATIAS AGAT: *non enim dicit, Deo; sed, Deo meo, quod & Prophetæ factitant, quod commune est, sibi priuatim factitantes.*

Super communicatione vestra in Euangelio Christi, à prima die vsque nunc.

AC si diceret: Gaudeo & gratias ago ob hoc præcipuè, quod estis facti participes 1144.
Euangelij Christi, credendo scilicet, & fidem ipsam operibus bonis exercendo, idque perseueranter ab initio vestræ conuersionis, vsque ad diem hanc, adeo vt nec Pseudo-Apostolorum fraudes, nec tribulationes quas sustinuistis, vos ab ea, quam iniuistis via in errores veteres deduxerint. *Non ergo agebat gratias*, ait Salmeron disp. 2 *quòd annus esset fertilis, quod omnia vili pretio venirent, quòd illorum Vrbs esset præcipua earum, quæ sunt in Prouincia Macedonia, quæ etsi dona Dei, pro quibus etiam debebantur gratiæ;* SED EVANGELII COMMVNICATIO MAXIMVM EST OMNIVM BENEFICIORVM, *quod potest alicui ciuitati contingere. Et vbicumque est hæc communicatio, nihil potest obesse, nec captiuitas, nec gladius, nec fames, nec mors; denique neque Diabolus, neque Infernus, nisi per nos steteris, & velimus succumbere.* Licèt igitur de omnibus agendæ gratiæ Deo sint, sunt tamen præcipuè de præcipuis.

Super communicatione vestra in Euangelio. Græci, quod multis etiam ex Latinis placuit, hoc explicatu donant hæc verba: Gaudeo, ac Deo gratias ago, pro eo quod communicaueritis, id est, subsidium contuleritis ad Euangelium Christi prædicandum, nimirum necessaria ministris eius exhibendo, vt videantur in eo munere aliqui participare, qui auxilium aliquod conferunt, & quantum possunt munus illud obeuntes adiuuant. Quod ad illos omnes transferas qui insigne opus facientibus auxiliatem manum admouent. Benè S. Chrysostomus: *Non potes*, inquit, *ieiunium ferre, non solitudinem; non humi cubare, non integras noctes vigilare: licet tibi harum omnium rerum mercedem recipere*, SI ALIA QVADAM RATIONE REM TVAM GESSERIS, *nempe si eum-, qui istos labores capit, cures, recrees, foueasque assiduè, & laborem, qui in illis certaminibus sustinetur, leuem reddas, ille quidem stat pugnans, ac vulnera excipiens. Sic vero à certamine redeuntem cura, obuiis manibus suscipe, sudorem absterge, recrea, solare, lassam animam foue, ac refice.* PROFECTO SI TANTA CVM ALACRITATE SANCTIS INSERVIAMVS,

PARTICIPES MERCEDVM, QVÆ ILLOS MANENT, ERIMVS.

Super communicatione vestra in Euangelio. Simplicius alij communicationem in Euangelio non ad eleemosynarum largitionem transferunt, sed ad participationem in fide, in bonis operibus. Scholia Græca sic habent: *super communicatione in Euangelio, id est, super eo, quod cum aliis nationibus communicastis, & participastis in Euangelio apprehendendo, vel quod consortes fueritis nobiscum in Euangelio, & in hac doctrina permanseritis, & permaneatis.* Dum autem communicationis, & participationis meminit, indicat se dum pro aliorum beneficiis & gauderet, & gratias ageret, suorum non fuisse oblitum, quin studiosè hæc illis inseruisse.

Confidens hoc ipsum, quia qui cœpit in vobis opus bonum, perficiet vsque in diem Christi.

QVi cœpit. Non dixit, *vos qui cœpistis*, nec *perficietis*, sed *perficiet*, vt diuinam gratiam ita commendaret. Hinc illud S. Augustini: *Deus nisi homines illius gratia defuerint, sicut cœpit opus bonum, ita perficiet, operans velle, & perficere.* Licèt hoc ipsum quod quis gratiæ Dei non desit, ipsi gratiæ tribuendum sit.

Socios gaudij mei omnes vos esse.

1145. G*Audium*, plerique putant vocari vincula, & tribulationes quas pro Euangelio Paolus sufferebat, quarum participes Philippenses erant effecti; ita Theophylactus, Cornelius, Estius, & alij; vt hinc colligatur, adeo pressuras & tribulationes gaudium non inficere, vt augeant, cùm gaudij quoque nomine circumscribantur, quæ gaudium existimantur extinguere. Quàm sæculi homines etiam in re ista errant, cum gaudium lætitiámque perficiant, ac stabiliant, quæ putant tollere, & auferre? *Ideo socios suos*, inquit hic Seaynus, *Paulus appellat Philippenses, quoniam suarum passionum*, QVAS GAVDIVM NVNCVPAT, *ob animi sui erga illos propensionem, participes illos censeat.*

Gaudij mei. Græcè extat, *gratia mea.* Ita tribulationes, passionésque suas circumscribit Apostolos, GRATIAM *autem*, inquit hîc Estius, PASSIONES SVAS VOCAT, QVIA PATI PRO CHRISTO MAGNA GRATIA EST; *de qua Philippensibus hoc ipso capite congratulans ait: vobis donatum est non solùm, vt in eum credatis, sed etiam vt pro illo patiamini.* Cum igitur gratia sit, gratiæ pro illo Deo agendæ sunt.

Testis enim mihi est Deus, quomodo cupiam omnes vos in visceribus Iesu Christi.

DEum in testimonium vocat, quia rem asserebat, quæ erat occulta, & in cordis abditis latebat. Iurat autem Paulus, non quòd timeret, ne sibi fides à Philippensibus haberetur, *sed ex affectu animi*, inquit S. Chrysostomus, *vtque illis hoc sit persuasissimum.* O illos felices, quorum causa Paulus iurat, vtque amorem suum erga illos significaret!

Omnes vos. Optimus dilectionis modus, qui non coërcetur ad vnum, sed ad plures, sed ad omnes extenditur. A veri amoris notâ abit ille amor, qui non ad omnes fertur, nec à Deo fonte dimanat. Nam vt ait Sanctus Chrysostomus: *Quid proderit, quòd aliquem vehementer amas? humana est illa dilectio, si verò non est humana, sed propter Deum diligis, dilige omnes.* Amoris, & amicitiæ venenum amor singularis est. Vetus ille: *Nec vnum quidem amauit qui plusquam vnum amare non potuit.* Quàm noxius amor sit, qui ad plures non porrigitur, scitâ explicat similitudine Sanctus Chrysostomus, dum ait: *Si oculus omnem prouidentiam, & curam, quam pro vniuerso corpore habet, in solam manum deriuaret, ac reliquis membris omnino contemptis vni illi intenderet, an non totum perderet? absque dubio: ita & nos si charitatem quam in vniuersam Ecclesiam extendere debemus, in vnum, & alterum coarctauerimus, & nobis ipsis, & illis, totique Ecclesiæ perniciem inferemus; ista namque non sunt charitatis, sed dissidij, schismata nempe, & ruptura biulca. Nam si ex integro homine diuulsam accepero partem, ipsa quidem scissura sibi est vnit a, & est continens, & conglutinata; cæterum sic quoque est scissura, quoniam reliquo non est vnita corpori.*

Vt sitis sinceri & sine offensa in diem Christi.

IN diem Christi. Diem præcipuè suum Christus putat, quum sua suis communicat. Sed cur non potiùs dies ille dicatur gloria donandorum, quàm donantis? An, quia SVVM CHRISTVS PVTAT, QVICQVID ELECTIS EXHIBET?

Opponat hic aliquis; Illo die extremi Iudicij non præmiis tantum bonos afficier, sed & malos æternis adiicier pœnis: ergo non minùs à bonorum felicitate, quam à malorum cruciatibus diem Christi extremum illum vocare possumus; soluit hunc nodum, qui dixit, *Christum de electorum felicitate & gloria, ac de sibi propria, hac die decernere: supplicia omnia, quæ ea die rectus rerum æstimator & iudex de reprobis sumpturus est*, AB IPSIVS VOTO ET INTENTIONE QVAM LONGISSIME ESSE, *quasi, dum ipse pacatissimo ingenio, gratanti animo iustis beatitudine afficiendis obuiam eat, reproborum peccata ei ex aduerso procedant, & in ipsius benignitatem incurrant.*

In diem Christi. Extremum Iudicij diem, Christi diem dictum à probæ notæ Auctoribus notatum est. Sed cur hîc potissimum dies hoc titulo insignitur? An quia diuitiarum suarum thesauros suis aperiat, nec animas solùm, sed etiam corpora superæ gloriæ stolâ donabit? Aptè ille: *Deus ea potissimum de causa extremum diem*, DIEM SVVM APPELLAT, *quòd diuitiarum thesauros in homines tunc effundere decreuerit, non animas solùm (vt ad eum vsque diem) sed corpora etiam immortalibus gaudiis beando.*

Quæ circa me sunt, magis ad profectum venerunt Euangelij.

QVæ circa me sunt. Sic tribulationes, labores & dura, quæ patiebatur circumscribit 1146.
Apostolus, Apostolicam in hoc quoque mentem efferens, innuens ita circa ipsum omnia esse, vt eius animum non peruaderent, nec pectoris ipsius sinum subirent. Scilicet, qui CIRCA SE HABET ADVERSA omnia, puto, quod iam sit factus supra se, seipso maior. Vide quæ de hac eadem formula superius dixi.

Et

Et plures è fratribus in Domino confidentes vinculis meis, &c.

C*Onfidentes vinculis meis.* Pende vt vincula causas Dei non opprimant, sed tueantur. In medium vincula produeuntur, non miracula, mortuotum resurrectio siletur, maius à vinculis speratur auxilium, gloria maior. Benè S. Chrysostomus. *Vides* VINCVLORVM FORTITVDINEM *magis, quam* RESVRRECTIONEM MORTVORVM *esse gloriosam?* Obscurat alia facinora, licèt alioquin illustria malorum tolerantia.

Confidentes vinculis meis. Aliqui ex Græco legunt, *Persuasi vinculis meis*, vt suas voces habere tribulationes videantur, quas boni fortiter sustinent: *quasi vinculis* (inquir ille) SVA ETIAM LINGVA SIT, *qua Christi religionem sublimissimè proloquatur, & ad eam amplectendam efficacius promoueat.* Nimirum vel Stentoreâ voce vocem habent grandiorem aduersa, quæ æquo animo Dei serui ferunt; & maiori vi spectatorum animos penetrant, quàm posset sermo efficaciter fusus.

Confidentes vinculis meis. Et quì fiduciam patere Pauli vincula potuere, & non potius timorem? Hoc etiam quærebat Estius, & quæstionis solutionem posuit, dum dixit: *Quomodo vincula Pauli fiduciam excitauerunt fratribus, quà redderentur audentiores ad prædicandum Christum? Nempè quia videbant Pauli captiuitatem, & vincula crescere ad* PROFECTVM EVANGELII; *ex hoc enim successu magis animabantur ad loquendum verbum Euangelij.* Scilicet quò magis arctabatur Paulus, eò magis Euangelij extendebatur fructus: Vt videas Dei seruis prodesse, quæ obesse putabantur, & eorum labores promouere, quæ illos impedire credebantur.

SECTIO II.

1147 *Quisnam possit dicere: Mihi viuere Christus est.*

1147 *Gaudij, non tristitiæ materia charorum obitus sit.*

1148 *Ingens Pauli in Deum amor.*

1148 *Inter lucra putandum à peccatis sæculi vitiisque liberari.*

1149 *Mors carnis, animæ lucrum.*

1149 *Non est facile scire, quid cuique sit melius.*

1150 *Dissoluendi verbo cur vsus Apostolus cùm de morte ageret.*

1151 *Desiderium dissolui cur se habere dixerit Paulus.*

1151 *Totus in Christum immigrauerat Paulus cupiens hinc migrare.*

1152 *Æterna vt auidè Paulus desideraret.*

1153 *Solùm post mortem cum Christo esse videmur.*

1154 *Vicariam fidei vicem vt tribulationes gerant*

1154 *Pro Christo pati, coronarum loco habendum.*

Mihi enim viuere Christus est, & mori lucrum.

M*IHI enim viuere, Christus.* Alij 1147.
legunt: *Mihi vita Christus.* Sanctus Gregorius Nyssenus hom. 15. in Cantic. hæc habet ad horum verborum explicatum: *Quum dicit, mihi viuere Christus est, tantùm non clamat iis verbis,* NVLLAM IN IPSO AFFECTIONEM HVMANAM CRASSAMQVE VIVERE: *non voluptatem, non dolorem, non iram, non metum, non timiditatem, non trepidationem, non fastum, non audaciam, non iniuriarum tenacem memoriam, non inuidiam, non affectionem animi ad vindictam, non auaritiam, non honoris, non gloriæ libidinem; non quidquam eorum, quæ animum quadam erga se affectione polluunt. Sed solus, inquit, ille mihi superest, qui nihil est horum: etenim, abrasis (quasi poliendo) vniuersis, quæ ipsius in naturam non cadunt; nihil in me habeo, quod non in ipso sit: eâque de causa mihi viuere Christus est.*

Et mori, lucrum. Adeo vt gaudij non tristitiæ materia eharorum obitus, & abitio sit. Pulchrè Sanctus Cyprianus tract. de mortalit. *Cum chari quos diligimus, de sæculo exeunt,* GAVDENDVM POTIVS QVAM DOLENDVM. *Cuius rei memor beatus Apostolus in Epistola sua ponit, & dicit: Mihi viuere Christus est, & mori lucrum. Lucrum maximum computans, iam sæculi laqueis non teneri, iam nullis peccatis, & vitiis carnis obnoxium fieri; exemptum pressuris angentibus, & venenatis Diaboli faucibus liberatum, ad lætitiam salutis æternæ Christo vocante proficisci.*

Mihi enim viuere Christus est: & mori, lucrum. 1148.
Ex his Pauli verbis ingentem Pauli in Deum amorem colligebat Sanctus Gregorius lib. 1. in Ezechielem hom. 15. vbi ita scribit: *Pensemus qualis thalamus Pauli mens fuerat, qui dicebat: Mihi viuere Christus est, & mori lucrum Omnipotenti Deo in quantum* SE AMORE CONIVNXERAT, *qui sibi vitam Christum tantummodo, & mori lucrum esse deputabat.*

Et mori lucrum. Inter lucra ponendum, eo loco poni, vbi vel leuibus peccatis non simus obnoxij. *Quasi sapiens,* inquit S. Ambros. lib. de bono mortis, cap. 2. *lucrum mortis amplectitur. Lucrum est euasisse incrementa peccati:* LVCRVM, *fugisse deteriora, & ad meliora transisse.* Primasius quoque: *Lucrum maximum computans, iam sæcularibus laqueis non teneri, iam* NVLLIS PECCATIS, ET VITIIS CARNIS OBNOXIVM FIERI: *quod post hanc vitam sine dubio est futurum.* Et S Bernardus serm. 6. de Aduentu Domini: *Sciebat nimirum non priùs liberandum se esse à pessima* ILLA RADICE, *quæ carni infixa est, a lege peccati quæ est in membris nostris, donec & ab ipso corpore solueretur: vnde & cupiebat dissolui, & cum Christo esse, sciens quòd peccatum separans inter nos, & Deum: penitus auferri non poterit, donec liberemur a corpore.*

Et mori lucrum. Luctum animæ, carnis est 1149.
mors, quia anima in cœlum euolat, adhæret Christo. Beatus Laurentius Iustinianus de Triumph. Christi agone cap. 28. ait: *Mihi viuere, Christus est; & mori lucrum.* NAM MORTEM CARNIS ANIMÆ LVCRVM PVTAT, *dum, relicto huius sæculi ærumnoso exilio, in cœlestis aulæ patriam lætus possessurus ingreditur.*

Quòd, si viuere in carne, hic mihi fructus operis est, & quid eligam ignoro.

1150. ET *quid eligam ignoro.* Et cur ignorare se dicit quid eligat, cum statim subiiciat multo melius esse cum Christo? Tu, Bone, elige, qood melius, hoc enim bonorum est, illud eligere, quod melius; & quis nesciat multo melius esse cum Christo, quàm viuere hîc in terris? Ait Estius, *Sed hoc illo melius esse poterat consideratum secundum circumstantias, nimirum, ratione permagnæ vtilitatis, quam vita Pauli in carne mortali esset adhuc allatura Ecclesiæ Christi, cum interim lucrum vitæ cœlestis ei integrum maneret, percipiendum suo tempore. Hæc igitur erat Apostolo* IVSTA RATIO DVBITANDI. Nimirum non est facile scire quid cuique sit melius, vt totum in Dei voluntatem reiicieodum sit.

Desiderium habens dissolui, & esse cum Christo multò magis melius.

D*Issoluendi* cur potius vsus est verbo, quam *Moriendi*? An, vt innueret in morte animas non perire? Pulchrè Estius hic: *Non dixit, Mori, sed, Dissolui, vt significet,* MORTEM HOMINIS NON ESSE INTERITVM ANIMÆ; *sed partium permanentium, id est, corporis, & animæ dissolutionem, ac separationem; quæ tamen per se non erat Paulo expetenda, sed propter illud consequens, esse cum Christo, ad quod sine morte media veniri non poterat.*

Ligatum se fatetur, qui cupiebat dissolui, & tamen ita ligatus, ac compeditus totum mundum Euangelio informauit, quod expendens S. Augustinus in Psalm. 145. hæc habet: *Non illi fuerunt graues compedes,* CVM IPSIS COMPEDIBVS TOTO ORBI EVANGELIVM PRÆDICAVIT: *Spiritus charitatis rapuit compedes, & circumiuit quantùm potuit. Sed tamen quid dicit? concupiscentiam habens dissolui, & esse cum Christo, quid est dissolui? à compedibus mortalitatis absolui, & tamen misericordiâ volebat esse in compedibus, propter alios compeditos, quibus ministraret, manere, inquit, in car-
1151. ne, necessarium propter vos.*

Desiderium habens dissolui. Et cur. 2. Cor. 5. 4. dicebat? *Nolumus expoliari.* Nunquid Apostolus Apostolo contrarius est, & Paulus Paulo aduersatur? *Cæterum,* inquit Estius, *quod hîc dicit Apostolus: desiderium habens dissolui, & esse cum Christo: quomodo non pugnet cum eo, quod dicit. 2. Corinth. 5. Nolumus expoliari, facilè iudicabit lector, si cogitet illic Apostolum loqui iuxta desiderium naturale; hîc autem* EX VOLVNTATE RATIONALI, *quâ petebat esse cum Christo, quod sine dissolutione sui non posse fieri sciebat.*

Desiderium habens dissolui, & esse cum Christo. Totus nimirum in Christum immigrauerat, qui migrare cupiebat ad Christum, séque ipsum, suáque omnia reliquerat, qui esse volebat cum Christo. *Puto,* inquit Richardus Victorinus part. 1. tract. 1. cap. 5. de Exterminat. mali, *quia Apostolus* TOTAM COGITATIONVM AFFECTIONVMQVE SVARVM MVLTITVDINEM TRANSEGERAT, *quum dicebat: Cupio dissolui, & esse cum Christo. Quid enim sibi de huius vita desideriis reliquerat, qui nec ipsam vitam præ nimio
1152. Christi desiderio diligebat?*

Desiderium habens dissolui. Vinctus & ligatus erat, qui cupiebat solui. Dissolui non quærit, qui non cogitat se ligatum. *Benè Paulus,* inquit S. Gregor. lib. 3. Moral. cap. 30. ÆTERNA DESIDERANS, *sed tamen adhuc corruptionis suæ sarcinam portans, vinctus clamat: Cupio dissolui, & esse cum Christo. Dissolui enim non quæreret, nisi se procul dubio vinctum videret. Hæc autem vincula, quia certissimè rumpenda in resurrectione conspexerat, iam quasi rupta gaudebat Propheta, cum diceret: Dirupisti vincula mea: tibi offero hostiam laudis.*

Multò magis melius. Sanctus Augustinus legit, *Multò magis optimum.* Sed non est nouum insoléńsque etiam profanis, comparatiuo comparationis addere particulam, *Magis,* quod alibi fusè probaui. Hîc præter morem pondus etiam habet: nam (vt ait Estius) *Apostolus non simpliciter dixit, multò melius; sed, multo magis melius, videlicet comparatiuum duplicans, vt vehementem excessum significaret, quasi dicat; multò longéque melius, aut infinitis partibus melius, quam permanere in carne; vt hoc illius respectu ne desiderandum quidem sit.*

Et esse cum Christo. Et non cum Christo erat 1153
etiam ante solutionem? Cùm diceret nihil esse, quod eum à Christo posset separare, vtique cum Christo erat, adhærebat Christo: sed hîc loquitur de cœlesti beatitudine, qua perfectissimè cum Christo sunt beati, & bonorum illius plenè fiunt participes; ac si anteà non fuissent, tam perfecta supera beatitudo est. Prætereà SOLVM POST MORTEM CVM CHRISTO DICIMVR ESSE; ac si vix esse cum illo videatur, qui in eo est statu, vt excidere ab eius gratia possit, atque adeò sine illo esse. Verè cùm Christo est, qui esse sine Christo non potest.

Permanere autem in carne necessarium propter vos.

P*Ropter vos.* S. August. tract. 5. in Epist. 1. S. Ioannis: *Propter eos, inquit, volebat viuere, pro quibus paratus erat mori:* O candem mentem illi circumferrent, qui aliorum curam habent!

Quia vobis donatum est pro Christo non solùm vt in eum credatis, sed vt etiam pro illo patiamini.

MItum! fidem cum tribulationum perpes- 1154.
sione ita componit, & nectit, vt simile Dei donum vtrumque esse videatur; ac si (vt ille ait) VICARIAM FIDEI VICEM TRIBVLATIONES GERANT: *vt, sicut fides, & intellectum illustrat, & errantem hominem ad Deum manuducit; ita labores mentem peccatori indant, & ad bonam frugem eum redire cogant,* hominique hominem reddant, qui, rebus secundis, & deliciis obseptus, à se abierat.

Sed vt etiam pro illo patiamini; vt tanquam gloriæ quædam primitiæ sint pro Christo pati, & coronarum loco habendum istud sit; quod voluit etiam Sanctus Isidorus Pelusiota lib. 4. epist. 104. vbi hæc Pauli verba tangens, ait: *Generosus ille Christi Dux militiæ, ea quæ pro ipso sustinet,* PRO CORONIS *habet, dum ait: vobis dedit Deus non solum in ipsum credere, sed etiam pro ipso pati. Nam vt iam omittam, inquit, futura bona, etiam ipsæ passiones, per quas etiam ipsi Domino communicamus, maxima sunt* PRÆMIA, *&* CORONÆ *longè*

pulcherrima

pulcherrima. Licet paſſionibus coronæ non eſſent conſtitutæ, adhuc ſine coronis non eſſet pati, quia hoc ipſum nobilis corona eſſet, inſigne diadema. Igitur.

NON EST MALVM MALA PATI, EST PATI MALE.

CAPVT II.

EPISTOLÆ AD Philippenſes expenditur & illuſtratur.

SECTIO I.

1155 *Quilibet alium ſuperiorem exiſtimet ſe ipſo.*

1155 *In aliorum ſalutem velut in ſcopum mens dirigenda.*

1156 *Hominum ingenium eſt, vt, quod alius habet, ſe reputet perdidiſſe.*

1156 *Etiam in ſola æſtimatione rapacitas eſſe poteſt.*

1156 *Chriſti ſubmiſſio, & humilitas ab amore, & ſpontanea eius bonitate.*

1157 *Exinanire ſe Chriſti exemplo vt quilibet debeat.*

1158 *Chriſti exinanitio quàm nobis profuerit.*

1158 *Amor fecit vt ſe Dei Filius exinaniret.*

1158 *Chriſti exinanitio in Euchariſtiæ ſacramento.*

1158 *In Chriſto exinanitio Maieſtatis fuit, non bonitatis & miſericordiæ.*

1159 *Corde & affectu ſe quiſque demittere debet*

1160 *Chriſtus exinaniuit ſe, vt nos repleret.*

1160 *Triumphat de Deo amor, quo ſe exinaniuit.*

1160 *Se ipſa, vt ſe Deus euacuauerit, quo nos in Euchariſtia ditaret.*

1161 *Caro tanquàm ſerua ſubiici debet.*

1161 *Quàm humilem ſerui formam Chriſtus induerit.*

1162 *In ſimilitudinem hominum factus cur Chriſtus fuerit.*

Sed in humilitate ſuperiores ſibi inuicem arbitrantes.

1155. SENSVS eſt: per humilitatem alius alium arbitretur iudicétque ſuperiorem, id eſt, præſtantiorem melioremque. Verè alio ſuperior eſt, ſi ſanctior alio, ſi melior ſit. Id autem ex animo fieri debet, non ſimulatè. *Nouarin. in Epiſt. Pauli.*

Præclarè S. Auguſtinus lib. 83. Quæſt. q. 71. *Non hoc*, inquit, *ita debemus exiſtimare vt non exiſtimemus, ſed nos exiſtimare fingamus, ſed verè* EXISTIMEMVS ALIQVID OCCVLTVM ESSE POSSE IN ALIO, QVO NOBIS SVPERIOR SIT, *etiamſi bonum noſtrum, quo illo videmur ſuperiores eſſe, non ſit occultum*. Incipit ſe ipſo maior fieri qui ex animo quemlibet credit ſe ipſo maiorem.

Et qui alter alteri ſuperior eſſe poteſt, aut poteſt quilibet cogitare eſſe quemlibet? Noluit Apoſtolus alterius humiliationem, alterius ſuperbiam fouere, ac nutrire, & idcirco iſtud adiecit. Opportunè rem verſat S. Gregorius lib. 34. Moral. c. 17. *Magiſter Gentium dicit: facti ſumus paruuli in medio veſtri; hinc diſcipulos admonens ait: ſuperiores ſibi inuicem arbitrantes: nam quia iniquus quiſque inferiorem ſe omnem quem cognouit, putat: è diuerſo iuſtus ſtudet*, VT SVPERIOREM QVEMLIBET PROXIMVM ATTENDAT. *Ac ne dum ſe aly alter humiliat, humiliatio iret alteri in elationem, bene vtramque partem admonuit, dicẽs: ſuperiores ſibi inuicem arbitrantes, vt in cogitationibus cordis, & ego mihi illum præferrem, & viciſſim ille me ſibi: vt cùm ab vtraque parte cor inferiùs premitur, nullus ex impenſo honore ſubleuetur.* Quin eò ſe profundius demittat, quò altius euehitur.

Non quæ ſua ſunt ſinguli conſiderantes, ſed ea quæ aliorum.

QVi ſua tantùm quærit perdit ſe, qui ſuis tantùm commodis ſtudet, ſuo incommodat profectui. *Conſiderantes.* Magna Græcè voci vis ſubeſt. Benè Eſtius: *Græca vox, quam Interpres vertit, conſiderantes, ſignificat ſpectare, & præ oculis habere* VELVT SCOPVM. *Breuiter ſenſus eſt: Nemò ſtudeat priuatis commodis, ſed omnium ſaluti: Nemò communi vtilitati rem priuatam anteponat.* Multis ſe bonis priuat, qui priuatum tantùm commodum quærit.

Non rapinam arbitratus eſt eſſe ſe æqualem Deo.

AC ſi diceret; Non fuit furtum, quòd Chriſtus Deus, Deo ſit Patri æqualis: ſed nunquid qui alteri æquatur aliquid ſurripit ab illo? 1156.
An ab eo quod quis inter homines magno fit æqualis, aufert illi quod non ſit ſolus magnus? vnde hominum ingenium hoc eſt, vt QVICQVID ALTER HABET, HOC SE REPVTENT PERDIDISSE; ab hac rapina alienus fuit Chriſtus, Patri fuit æqualis, nec à Patre aliquid ſurripuit, qui eiuſdem cum illo eſt naturæ.

Non rapinam arbitratus eſt. Hinc colligit Gillebertus Abbas etiam in mente poſſe eſſe rapinam, nec manibus tantùm furtum committi; ſed & exiſtimatione, & linguâ; hæc eius verba ſerm. 18. in Cantica. *Rapacitatem non putas, ſi pecunia parcis, famam decerpis? Non concupiſcis poſſeſſionem, & laceras opinionem? Quid tibi emolumenti aliena diminutio confert, aliena ſi corrodis bona? Et quid tibi inde accreſcit? Euidentiô forſitan veritate alienæ virtutis conteruntur in ore tuo dentes, quos ad derogandum parauerat. Non audes corrodere, non tamen potes collaudare. Iam alienum bonum verbo non* CARPIS: *numquid ideo non* RAPIS? *Quomodo non rapacitas, vbi euidens bonum debito defraudas teſtimonio, & verum*

alterius gloriam etsi mendacio non corrumpis, silentio tamen supprimis? Vis audire in sola ETIAM ÆSTIMATIONE RAPACITATEM ESSE? *Non rapinam, inquit Apostolus, arbitratus est esse se aqualem Deo. In inuidam animam non potest intrare æstimatio boni de bonis alienis.* Ex quo fit, vt furti sæpe reus sit, qui se credit non esse; quin eò magis est, quò est rei maioris, & pluris faciendæ.

Non rapinam arbitratus est esse se aqualem Deo. Rapina fuisset, si Christus par in omnibus Deo non esset, atque adeo omnibus modis Deus. *Arbitratus est.* Hæc quippè dignitas non potuit non esse Christo nota. *& cur dixit*, inquit hîc Salmeron, *Christum hanc dignitatem non ignorasse?* VT INTELLIGAMVS, ISTAM SVBMISSIONEM AB AMORE, ET SPONTANEA BONITATE, AC VOLVNTATE PROFECTAM, *atque vt omnibus sit perfectum obedientia, & submissionis, & charitatis exemplar.*

1157. *Non rapinam arbitratus est*; Non fecit, quod fecit Adam, qui rapinæ studens, quod habere non potuit, perdidit quod habebat; Præstat hîc sistere, quæ affert ad hunc locum S. Augustinus in Psalm. 683. *Non rapinam arbitratus est esse se aqualem Deo: & tamen semetipsum exinaniuit, formam serui accipiens. Omninò non rapuit. Sed quis rapuit?* ADAM. *Quis rapuit primò? Ille, qui seduxit Adam. Quomodo rapuit Diabolus? Ponam sedem meam ad Aquilonem, & ero similis Altissimo. Vsurpauit sibi quod non acceperat. Ecce rapinam. Vsurpauit sibi Diabolus, quod non acceperat: perdidit, quod acceperat; & de ipso calice superbia sua, ei quem decipere volebat, propinauit. Gustate, inquit, & eritis sicut dij. Rapere voluerunt diuinitatem, perdiderunt felicitatem.* Eodem spectabat Estius hîc, dum ait: *Latenter taxatur Diaboli, & hominis superbia, qui diuinitatem appetendo, quodammodo eam rapuerunt, & propter hanc humiliati sunt vel inuiti.*

Semetipsum exinaniuit, formam serui accipiens.

EXinaniuit se Deus, & vermis intumescat? Occinat sibi quisque illud Arnobij Afri huc spectantis in Psalm. 115. *Si Dominus rerum exinaniuit seipsum, & pro me formam serui suscepit,* QVID EGO MISER FACIAM? Cur se non demittat seruus, cum se Dominus adeo demiserit, vt serui formam habitúmque susceperit?

1158. Exinaniuit se, ne nos inanes essemus. Exinanitioni respondit beneficentiæ plenitudo. Exinaniuit se, *quà dignam tanta* EXINANITIONE BENEFICENTIAM *in nos transfunderet*, inquit Acha. Melit. Episc.

Exinaniuit semetipsum. Amor nimirum, quo erat plenus fecit, vt seipsum propter nos exinaniret. Scitè Sanctus Cyrillus Alexandrinus lib. 10. in Ioannem, cap. 9. vbi totum hunc locum ita versat: *Quum in forma Dei esset Vnigenitus, non rapinam arbitratus est se esse equalem Deo:* SED SVO ERGA NOS AMORE EXINANIVIT SEIPSVM *formam serui accipiens. Quod facere voluit, vt omnes ad veram pietatem, & virtutem conduceret, vt miraculorum suorum splendore, & gloria, potentiam Deitatis sua ostenderet.*

Exinaniuit se Dei filius cum carnem sumpsit, plusquã se exinaniuit, cum post Incarnationem se panis fragmento in Eucharistiæ Sacramento vniuit. Rem ita versat Ioannes Eusebius. *Quod si exinanitio dicta fuit ab Apostolo Incarnatio filij Dei, cum Verbum diuinum se vniuit excellentissima anima, & carni humanitatis Christi, cuius perfectio cæterorum hominum perfectionem superauit, & ipsis Angelicis spiritibus fuit admirabilis, quo nomine compellare debemus hanc stupẽdam dignationem filij Dei, cum nostris corporibus, ruinosis, morbidis, cõtaminatis, misellis vnitur in hoc Sacramento? Quin dicere ad hoc debemus? quid facere: quantum tenemur humiliari? nam si ille qui totum est, se pro nobis plusquam, vt sic dicam, exinaniuit & quasi in nihilum redegit, flectens genu coram miseris creaturis; Nos qui nihil sumus, cur saltem hoc non agnoscimus, vt in humilitate nostra conseruantes nos, magnitudinem diuinam suscipiamus?*

Se Dei Filius exinaniuit. Maiestatis exinanitio fuit, non fuit bonitatis, non misericordiæ; quæ eò plenior apparuit, quò se magis Dei Filius exinaniuit. S. Bernardus: *Hoc, inquit, est propter quod exinaniuit se formam serui accipiens, qui in forma Dei Patri aqualis erat: sed exinaniuit maiestate, & potentia,* NON BONITATE, ET MISERICORDIA. Sic ille serm. 1. in Natali Domini.

Semetipsum exinaniuit; ita tamen vt æquali esset æqualis, nec desineret esse quod erat; *Cum in forma Dei esset*, inquit S. Augustinus in Psalm. 74. *non rapinam arbitratus est esse aqualem Deo. Apostoli verba sunt. Et quid accepit? Sed semetipsum exinaniuit formam serui accipiens. Si enim formam serui accepit, ita & tempus accepit. Demutatus est ergo? Diminutus est? Exilis redditus? In defectum lapsus? Absit. Quid ergo? Semetipsum exinaniuit formam serui accipiens. Exinanisse se dictus est, accipiendo inferiorem,* NON DEGENERANDO AB ÆQVALI.

Semetipsum exinaniuit. Non alius ipsum exinaniuit, sed ipse seipsum. *Ipse se exinaniuit*, inquit B. Bernardus serm. 42. in Cãtica: *ipse se humiliauit, non necessitate iudicij, sed nostri charitate. Poterat nimirum vilem se, & contemptibilem demonstrare; sed planè non reputare, quoniam sciebat seipsum.* VOLVNTATE PROINDE HVMILIS FVIT, *& non iudicio, qui talem se obtulit, qualem esse nesciuit. Magis autem placuit minimum reputari, qui se summum non ignorabat. Denique ait: Discite a me, quia mitis sum, & humilis corde. Corde dixit, cordis affectu, id est, voluntate. Itaque necessitatem excludit, qui voluntatem confessus est. Non enim quomodo ego vel tu inuenimus nos in veritate dignos dedecore, & contemptu, dignos omni extremitate, & inferioritate, dignos etiam suppliciis, dignos plagis: non inquam ita & ille: qua tamen omnia expertus est, quia voluit tanquam humilis corde.* 1159. Istud idem vrgebat Salmeron hîc disp. 5. *Dicendo*, inquit, *semetipsum, ostendit spontaneam submissionem, & humiliationem,* MVLTI ENIM HVMILIANTVR AB ALIIS, SED NON HVMILIANT SEMETIPSOS.

Semetipsum exinaniuit. Idem ab illis præstari par est, qui Christi serui sunt; B. Bernardus serm. de S. Benedicto post producta verba; *Et vos, inquit, fratres charissimi* EXINANITE VOS, *humiliate vos, seminate vos, perdite vos. Seminate corpus animale, & resurget corpus spiritale. Perdite animas vestras, & in vitam aternam seruabitis eas.*

Exinaniuit se, vt repleret nos, nos etiam nobis ipsis frequenter exinaniuit, vt repleat se ipso. 160.
S. Ambrosius lib. 4. Exameron cap. 8. hæc Apostoli versabat verba: *Donauit hoc ei qui omnibus donauit gratiam* EXINANIVIT EAM VT REPLEAT, QVI ETIAM SE EXINANIVIT VT OMNES REPLERET.

PLERET. *Exinaniuit enim se vt descenderet nobis: descēdit nobis, vt ascenderet omnibus, ascendit enim, inquit, super omnes cœlos, vt impleret omnia; itaque qui exinanitus aduenerat, de plenitudine sua Apostolos adimpleuit, vnde vnus ex his dicit; Nam de plenitudine eius omnes nos accepimus.*

Exinaniuit se; tantùm amor potuit; quid enim aliud plenitudinem ipsam exinaniret nisi id amor effecisset? Adest Sanctus Bernardus, *Quis hoc inquit, fecit? Amor dignitatis nescius, dignatione diues, affectu potens, suasu efficax. Quid violentius?* TRIVMPHAT DE DEO AMOR. *Quid tamen tam non violentum? Amor est. Quæ est ista vis, quæso, tam violenta ad victoriam, tam victa ad violentiam: Denique semetipsum exinaniuit, vt scias amoris fuisse quòd plenitudo effusa est, quòd altitudo adæquata est, quod singularitas associata est.* Sic ille serm. 64. in Cantica. S. Leo ser. 5. de Natiuit. sic hæc verba explicabat: *Exinanisse se dicitur, tanquam se propria virtute* EVACVAVERIT: *dum in ea humilitate, quâ nobis consuluit, non solùm Patre, sed etiam seipso factus est inferior.*

Exinaniuit. Non defuere, qui hæc verba de Eucharistiæ Sacramento interpretati sunt, in quo maximè se Dei Filius exinaniuit, ac vt versiones aliquæ habent, *se euacuauit.* Pulchrè bonus ille Auctor: *Vt nos suo corpore, ac deitate, atque adeo* SE TOTO DITARET, NIHIL SIBI RETINVIT, *quin nobis tradiderit. Nempè hoc est se ipsum exinanisse, siue vti Augustinus legit, euacuasse, & egenum factum esse, vt nos ditaret, nihil sibi, nihil seipso muneratis facere reliqui.* Pende quò Dei in nos amor, ac liberalitas euaserit, se quodammo se ipso Deus euacuauit, vt nos ditaret.

1161. *Formam serui accipiens*; Formam accepit serui, quia carnem induit, quæ tanquam serua subiici debet, non tanquam domina dominari; Benè Clemens Alexandrinus lib. 3. Pædag. c. 1. *Cùm caro,* inquit, *serua sit, quemadmodum testatur Paulus, quomodo quis iure ancillam lenonis instar exornauerit: Quod enim id quod carneum est,* SIT SERVI FORMA, *dicit de Domino Apostolus, cum se ipsum exinanisse serui formâ accepta, externum hominem seruum appellans priusquam seruiisset, & carnem suscepisset Dominus.*

Formam serui accipiens, accepit formam serui, quia natura non erat seruus, vt nos sumus: *Accipiens*, inquit ad hæc verba S. Basilius Seleuciæ Episcopus, orat. 9. *non creatus vt nos; mansit enim quod erat, & quod non erat sumpsit.* Humilitatem exercere voluit, diuinitatem non potuit amittere, sicque factum vt diuinitas humilitati iuncta humilitatem efferret.

Formam serui accipiens. Aliter de forma Dei loquitur, ac de forma serui, de illa; *cum in forma,* inquit, *Dei esset*; de ista, *formam serui accipiens,* quod non sine mysterio factum notabat Sanctus Ambrosius hîc dum ait: *Formam Dei non* ACCEPISSE DICITVR, SED ESSE IN FORMA DEI: *serui autem formam accepisse, dum quasi peccator humiliatur. Serui autem ex peccato fiunt, sicut Cham filius Noe, qui primus meritò nomen serui accepit. Non enim mihi, sicut quibusdam, videtur sic formam serui accepisse, dum homo natus est.*

Formam serui accipiens, non quamlibet formam serui Christus accepit, sed omnibus humiliorem; præclarè Sanctus Bonauentura de perfectione vitæ cap. 6. *Filius* inquit, *erat, & factus est seruus, & non solum formam serui, vt subesset, accepit, sed etiam mali serui, vt vapularet, & erat non solum seruus seruorum Dei; sed vt seruus seruorum Diaboli factus, seruiens infima peccatorum peccata expurgando.*

In similitudinem hominum factus, & habitu inuentus vt homo.

NOn in *similitudinem hominis* dixit, sed *hominum*, vt vnus è similitudine putaretur, vt singularitatem fugeret ne à Diabolo cognosceretur. Pulchrè Sanctus Bernardus de Passione Dom. serm. 4. *In similitudinem, inquit, hominum, non hominis. Christus enim in vniuersali hominum miseria pressius, & profundius se immersit, ne subtilis ille Diaboli oculus magnum hoc pietatis deprehenderet Sacramentum. Ideo habitu & omni habitu inuentus est vt homo, nec in eo quantùm ad natura debitum, signum aliquod singularitatis apparuit.* 1162.

In similitudinem hominum factus; Non quia verè non esset homo; sed quia si de homine peccatis subiecto sit sermo, homini sit similis, non homo, quia ab omni peccato alienus erat: Hinc Catharinus; *In similitudinem hominum factus, Non quia verè non esset homo, si consideretur natura quæ à Deo fuit, & mansit in homine etiam peccatore: sed quod non erat homo secundùm naturam, quam homo ex peccato contraxit, sed similis homini* SECVNDVM INFIRMITATEM, *& corruptibilitatem, & passiones, quibus propter peccatum subiectus est homo.*

In similitudinem hominum factus; Cur *similitudinis* nomine est vsus, cum verus homo sit? An ne veritati naturæ quis crederet adnexas vitiorum maculas, quæ naturam ita afficiunt, vt inficiant? *Dum in similitudine hominum*, inquit Sanctus Hilarius lib. 10. de Trinit. *constitutus, & habitu repertus vt homo, species quidem* ET VERITAS CORPORIS HOMINEM TESTETVR, *sed naturam vitiorum, qui vt homo sit habitu repertus, ignoret. In similitudine enim naturæ, non vitiorum proprietate eius generatio est. Nam quia in eo quod formam serui accepit, natiuitatis videbatur significata esse natura, subiecit: in similitudine hominum constitutum, & habitu repertum vt hominem, ne natiuitatis veritas naturæ quoque per vitia infirmis proprietas crederetur.*

SECTIO II.

1163 *In humilitate nunquam sistendum.*
1163 *Obedientia ex vera humilitate est.*
1163 *Demittere se Domini exemplo seruus debet.*
1164 *Demisit se Dei Filius, vt nos eueheret.*
1164 *Vt se omni creaturæ Christus humiliaret.*
1164 *Quàm errent, qui à dignitatis culmine se putant excidere, si se demittant.*
1165 *Quàm grata Deo humilitas sit.*
1165 *Pauci humiliant se: multi humiliantur.*
1165 *Exinanire se quisque debet Christi exemplo.*

1166 *Christus, ne perderet obedientiam, perdidit vitam.*
1167 *Christi obedientia in morte subeunda.*
1167 *Obedientia Christi exemplo exercenda.*
1168 *Deum vt Deo homo debeat.*
1168 *Quantum vera humilitas mereatur.*
1168 *Vera humilitatis fructus.*
1169 *Iesu nomen vt cælum, ac terram contineat.*
1169 *Admonitiones laudationibus temperandæ.*
1169 *Vera obedientiæ nota, absente superiore, perfectius obedire.*
1170 *Prosperitas valde timenda.*
1170 *Quam mirum in sublimitate humilem mentem circumferre.*
1170 *Cur cum timore, & tremore salus operanda*
1170 *In egregiis virtutum facinoribus nemo se iactet.*
1171 *Magno, & assiduo studio salus operanda.*
1171 *Tota vita Dei sacranda est obsequiis.*

Humiliauit semetipsum factus obediens vsque ad mortem, mortem autem Crucis.

1163. NOn satis Deo fuit se vsque ad serui formam exinanire, vt in ea quoque se studuerit deiicere obediens factus Patri vsque ad mortem; vt vel hinc discamus IN HVMILITATE NVNQVAM SISTENDVM ESSE, sed semper se quemlibet debere demittere dum viuit. Humilitatem porrò obedientiæ præmisit, quia VERA OBEDIENTIA NON NISI EX VERA HVMILITATE EST; & sicut superbiæ est, subiici nolle, ita humilitatis est obedire.

Quis superbus adeò magnus, qui non se demittat, dum cogitat se demisisse Deum; *Quod si Deus*, inquit Sanctus Augustinus serm. 52. de diuersis, *Creator cæli ac terræ cùm Deus esset, homo factus est, & humiliauit semetipsum vsque ad mortem, mortem autem Crucis: quantò autem superbire non debet terra & cinis? Videte, fratres, quantùm se humiliauit propter homines Deus.* QVANTVM SE DEIICERE DEBET SERVVS, *quando ad tantam humilitatem descendit & Dominus. Quæ humilitas, charissimi si plenissimè ab hominibus possidetur, etiam ad charitatem vsque proficiet. Nam dum alter alterum existimat superiorem: dilectio facit æqualitatem. Vnde non se ipse homo despiciat, propter quem vtique ista subire dignatus est Deus.* Istud idem Sanctus Pater vrgebat serm. 54. de verbis Domini: *si Christus descendens erigit iacentem, vnde te tamen erexit Dominus tuus: attende, humilitate erexit, factus obediens vsque ad mortem, humiliauit semetipsum,* PRINCEPS TVVS HVMILIS, ET TV SVPERBVS? *caput humile, & membrum superbum? absit, non enim esse de corpore capitis humilis, qui amat superbum.*

Demisit se Dei Filius, vt nos eueheret; *Idcirco*, inquit Sanctus Paulinus, *Rex gloriæ, & Dominus, Maiestatis exinaniuit se, formam serui accipiens, & inuisibilem magnitudinem suam visibili abiectione contexit, vt nos veteri illo malè concepta arrogantia morbo, foris altos, intus obrutos, in formam sublimitatis suæ per formulam* NOSTRÆ IN SE HVMILITATIS ATTOLLERET; Sic ille Epistol. 2. ad Amandum. 1164

Humiliauit semetipsum, & cui se humiliauit, imò & cui non se humiliauit Dei Filius? præstat hîc sistere quæ habet Ioannes Eusebius: *Quæ creatura potest dici cui non se humiliauerit? Humiliauit se Angelis; quid opus erat vt veniret Angelus ad confortandum illum qui Deus erat, cùm verbo suo posset destruere vniuersum? Quid opus fuit dicere Angelorum legiones posse illum vindicare, & resistere comprehensoribus suis, quasi ipse non posset? Ieiunus & famelicus quid opus erat vt acciperet cibum, & velut eleemosynam ab Angelis, cùm ipse posset lapides in panes conuertere? Humiliauit se hominibus, Matri & Iosepho obediens, humiliauit se impiissimis Principibus, Herodi, Cæsari, Caiphæ, Pilato, iniusta mandata adimplendo, oneribus & iudiciis eorum parendo. Humiliauit se, hominibus vilibus & seruis, vt Malcho, carnificibus, & aliis: humiliauit se creaturis omnibus, patiens in se sæuire frigus, æstus, ferrum, crucem, spinas, arundines, sputa; subiecit se denique Dæmonibus: traditus est in hora Passionis potestati tenebrarum, & passus est duci se à Diabolo super Pinnaculum Templi. Nulla est creatura, à sublimiori vsque ad viliorem, ab optima vsque ad pessimam, cui non se subiecerit Creator pro me.*

Humiliauit se Dei Filius, non tamen diuinitatem amisit; illorum mentem arguens, qui à dignitatis se culmine putant excidere, si se demittant. Sanctus August. tract. 51. in Ioannem: *Humilitatis, inquit, magister est Christus qui humiliauit semetipsum, factus obediens vsque ad mortē, mortem autem Crucis.* NON ITAQVE AMITTIT DIVINITATEM, QVANDO NOS DOCET HVMILITATEM: *in illa est Patri æqualis, nos vt essemus creauit: per quod nobis est similis; ne periremus redemit.* 1165.

Humiliauit se vt humiles nos redderet, humiliauit vt sublimior appareret, & hinc colligeremus quàm grata Deo humilitas sit. Pulchrè Euseb. hom. 2. de symbolo; *Humiliauit itaque semetipsum factus obediens vsque ad mortem, vt sublimior appareret, & Angelis, & hominibus inclinata sublimitas. Quid agis inter hæc superba mortalitas?* ECCE DEVM NON MINVS DELECTAT HVMILITAS, *quàm Maiestas.*

Humiliauit semetipsum, quod est paucorum, licet humilientur multi; Peritè hîc Caietanus: *Multi humiliantur ab aliis*, SED NON HVMILIANT SEMETIPSOS. *Tales sunt dæmones, & qui inuiti atque nolentes succumbunt potentioribus. Verum Dominus noster semetipsum humiliauit volens: imò etiam desiderans facere voluntatem Patris.*

Exinaniuit se Dei Filius & idem non præstabit homo: ad cuius exemplum id Deus præstitit? *Deus* inquit Ioannes Eusebius *vt fieret homo, exinaniuit se: nonne vt homo fiat Deus, vnus spiritus cum Deo, debet exinaniri? exinanitio tui erit, te semper æstimare & curare tua, ac si merum nihil esses, nullam circa te cogitationem insultare, quæ*

sapiat

ſapiat aliquid tui, & terrenum, denudare te prauis affectibus & habitibus, vt nihil tui habeas, velut ſi recèns a Deo creatus eſſes è nihilo. Deus ſe exinaniuit pro te, gerendo ſe, ac ſi non eſſet, tuam ſalutem duntaxat curans, velut ſi tu eſſes: tu ita cura diuina, quoad poſſis, quaſi Deus eſſes. Debes exinaniri ſummo modo, & diſtare à te ſeto infinito modo, pluſquam ſi non eſſes: Quod fiet ſi fias aliud per gratiam & amorem, tranſiens a te ad Deum, qui infinitè diſtat a nihilo, & ab omni eſſentia.

1166. *Factus obediens vſque ad mortem*; vt iure dixerit Sanctus Bernardus, *ne perderet obedientiam perdidit vitam*: hanc obedientiam ex magna charitate prodiiſſe ita teſtatur Sanctus Iſidorus Peluſiota lib. 1. epiſt. 10. *Nihil apud Deum tanto in pretio eſt, quam charitas: ob quam & homo factus eſt, & ad mortem vſque obediens. Eaque de cauſa diſcipuli quoque illi qui primi ab eo vocati ſunt, duo fratres extiterunt, ex quo ſtatim per ipſa initia ſapientiſſimus Saluator illud indicauit, ſe diſcipulos omnes ſuos fraterno amore copulari velle.*

Caute dicturus Apoſtolus, *factus obediens vſque ad mortem*, præmiſit hæc verba, *habitu inuentus vt homo*, vt ſtatim colligeremus mortem non Diuinitatis fuiſſe, quæ mori non poteſt, ſed ratione incarnationis; Sanctus Ambroſius lib. 2. de fide cap. 3. legens, *Specie inuentus vt homo*, ſic habet: *ſcriptum eſt: Et ſpecie inuentus vt homo, humiliauit ſemetipſum factus obediens vſque ad mortem. Et hominem præmiſit, & vſque ad mortem dixit, vt intelligeremus obedientiam mortis non diuinitatis fuiſſe, ſed incarnationis, qua & officia noſtra ſuſcepit, & nomina.*

1167. *Factus obediens vſque ad mortem*; In eo maximè ſe obedientem oſtendit, quia vt Patri obſequeretur, mortem pro hominibus ſubiuit; *Porro*, inquit hîc Eſtius, *quamuis omnes humanæ Chriſti actiones ex obedientia proceſſerunt, iuxta illud quod ipſe ait Ioan. 6. quia deſcendi de cœlo, non vt faciam voluntatem meam; ſed voluntatem eius commendat Apoſtolus* IN MORTE SVBEVNDA, *tum quia actus ille fortitudinis omnium difficillimus eſt; tum quia per mortem executus eſt Chriſtus opus noſtræ redemptionis.*

Factus obediens vſque ad mortem. Cur non in nobis obedientia viuat, cum & in noſtrum exemplum vſque ad mortem ſit factus obediens Dei filius? *De quo Apoſtolus*, inquit B. Laurentius Iuſtinianus, tract. de humilit. cap. 5. *ſemetipſum exinaniuit formam ſerui accipiens, factus obediens vſque ad mortem. Sed etiam Matri ſubdi per obedientiam non eſt dedignatus ad noſtri inſtructionem, & noſtræ ſuperbiæ confuſionem, qui frequenter renuimus ſubiici illis, & ſuperioribus. Diſce ergo, ô homo*, DISCE TERRA SVBDI, *diſce populis obtemperare, erubeſce ſuperbe cinis. Deus ſe humiliat, & tu te exaltas? Deus ſe hominibus ſubiicit, & tu dominari geſtiens hominibus, tuo te præponis authori?*

1168. *Mortem autem Crucis*; Quo grauiora pro nobis Deus tulit, maiora Deo debemus; Quid? Deo Deum ipſum à quo ſumus redempti debemus. Præclarè Saluianus lib. 2. ad Eccleſiam Catholicam: *Qui cum, vt Apoſtolus ait: in forma Dei eſſet, humiliauit ſemetipſum vſque ad mortẽ, mortem autem Crucis: non contentus ſcilicet ſimplicem pro nobis ſubire mortem, niſi ipſam voluntariæ necis ſuſceptionem ſummorum ſuppliciorum perpeſſione cumulaſſet. Pro hoc ergo ſolo, quid ſoluere homo poterit cui ſe per vltimam pœnarum acerbitatem Chriſtus impendit? Aut quid pro ſe dignum Domino repenſabit,* QVI IPSVM DEO A QVO REDEMPTVS EST DEVM DEBET? *Hæc ergo cauſa eſt quà deuotiores eſſe nos Dominus ſibi velit: quia tam magno deuotionem noſtram pretio comparauit.*

Propter quod & Deus exaltauit illum.

PRopter quod & Deus exaltauit illum; Quid humilitate ſit conſequutus exprimit, vt ſpe ſublimitatis veræ veram humilitatem amaremus; *Quid, & quantum* HVMILITAS MERETVR; inquit Sanctus Ambroſius hîc; *oſtendit vt magis hanc appeteremus calcatà iactantià.*

Et donauit illi Nomen quod eſt ſuper omne nomen.

E*T donauit illi Nomen quod eſt ſuper omne nomen.* Vt humilitatis hic fructus ſit, quòd Nomen ſuper omne nomen conſequutus fuerit Chriſtus. Nimirum nihil non magnum à ſui demiſſione velut à radice ſperandum eſt. Eximiè 1169.
Sanctus Cyrillus Alexandrinus lib. 3. in Ioannem cap. 20. *Honor, atque gloria mundi fugienda iis eſt, qui volunt gloriam Dei conſequi: ſtultum enim omninò eſt ſi æterna Regna deſideras, Regna huius mundi appetere. Caducam igitur gloriam, quæ ſuperbiæ, ac fiatui coniuncta eſt, quaſi acerbum hoſtem fugiamus, & humilitatis decorem amplectamur, alter alteri cedentes, vt B. Paulus monet, dicens: Hoc ſentite in vobis, quod & in Chriſto Ieſu: qui cùm in forma Dei eſſet, non rapinam arbitratus eſt ſe eſſe æqualem Deo, ſed ſeipſum exinaniuit, formam ſerui accipiens, in ſimilitudinem hominum factus, & habitu inuentus vt homo: humiliauit ſeipſum, factus obediens vſque ad mortem, mortem autem Crucis: propter quod & Deus illum exaltauit, & donauit illi Nomen, quod eſt ſuper omne nomen.* PERSPICIS QVOMODO VOLVNTARIA HÆC HVMILITAS FVLGENTISSIMVM AFFERT FINEM. *Vides quomodo radix multorum exiſtit bonorum, ſenſus nequaquam elatus: Vnigenitus enim Patris Filius humiliauit ſeipſum propter nos, & ab hac humilitate carnis cum ipſa carne in dignitatem, & gloriam Dei rediit. Hoc modo in nobis quoque intelligendum eſt.*

Nomen quod eſt ſuper omne nomen non eſſe aliud quàm nomen Dei, ſiue Domini, bonorum Auctorum cenſio fert; vt fruſtra ſint, qui de Ieſu nomine hunc locum exponunt, hoc quippè nomen Ieſus iam ante ille acceperat, atque adeo de hoc dicere non poterat Apoſtolus poſt Reſurrectionem donatum illi hoc nomen fuiſſe; quod notauit etiam noſter Antonius Caracciolus in ſuis Decuriis ſacris, & adductis variis diuinæ Scripturæ locis firmat. Et Eſtius: *Nemo exiſtimet Apoſtolum loqui de nomine Chriſti proprio, quod eſt Ieſus; nam illud nomen multo ante exaltationem impoſitum ei fuit, & ab hominibus agnitum, ſed nomen intelligit Dei, aut Filij Dei.* Addit nonnullis interiectis: *Dicitur autem Deus hoc nomen ei donaſſe, quando rem nominis fecit innoteſcere, ſcilicet poſt eius Reſurrectionem, & Aſcenſionem in cœlum. Tunc enim cœpit ab hominibus agnoſci verus Dei Filius, veriſque Deus, & vt talis honorari, ac glorificari.*

Vt

Vt in nomine Iesu omne genu flectatur cælestium, terrestrium, & infernorum.

1169. GEnuflexio humiliationem, & subiectionem significat. Sensus igitur est, omnes quicunque vsquam sunt, cognoscentes eum qui Iesus vocatur, Dei esse filium, ac verum Deum esse, submittent se illi, illum adorabunt. Vnde in huius rei protestationem, sic obseruabat Sanctus Vincentius Ferrerius, veteri Christianorum more, soli nomini Iesu, quando nominatur, reuerentia fit.

Cælestium, terrestrium, & infernorum. Per *infernos*, siue vt Græcè habetur, *subterraneos* aliqui putant animas significari, quæ in infernis locis purgantur; has quippè Iesu nomen maximè venerari non est dubium. Communior expositio est, per *inferos* significari Dæmones, cæterósque damnatos, quorum supplicij locus infernus est; sed subiectionem genuflexionis nomine significatam intelligi eam, qua quis alicui siue libenter ac spontaneè, quomodo cœlites omnes genuflectunt, & submittunt se; siuè coactè, qui modus Dæmonibus competit, ac damnatis.

Cælestium, terrestrium. Iesu nomen cœlum, terramque continere olim dicebat Sanctus Irenæus lib. 2. cap. 41. *Iesus autem nomen secundùm propriam Hebræorum linguam litterarum est duarum, & dimidia, sicuti periti eorum dicunt, significans Dominum eum,* QVI CONTINET COELVM ET TERRAM. Sed quomodo continet? si singulæ litteræ quod familiare Hebræis est, singulas producant dictiones scilicet. *Iaho, Samaim, Vaares,* hoc est, *Dominum, cœlum, terram, vel cœli, terra;* vt notauit etiam noster Antonius Caracciolus in suis Decuriis num. 44. vbi addit: *Huiusmodi interpretatio nominis Iesu etiam ab Apostolo Paulo suis, nisi fallor indicata, cum ait ad Philippenses 2. In nomine Iesu omne genu flectatur cælestium, terrestrium, & infernorum; quasi dicat, ipsum Iesu vocabulum præsefert* DOMINIVM COELI, ET TERRÆ; *ob id ad tanti Nominis prolationem procumbant, & qui in cœlo sunt, & qui in terra, atque adeo & qui subtus terram, hoc est inferis terra latibulis degunt.*

Itaque charissimi mei (sicuti semper obedistis) non sit in præsentia mei tantum, sed multo magis nunc in absentiâ mea, cum metu & tremore vestram salutem operamini.

SIcut semper obedistis. Monet simul & laudat, facilius ferunt se moneri, qui efferuntur, iubentúrque vt non tam alios imitentur quàm se ipsos; ADMONITIONES, inquit Sanctus Chrysostomus, LAVDATIONIBVS *temperanda sunt; nam hoc modo in bonam partem accipiuntur, cùm eos, quos monemus ad suam ipsorum imitationem prouocamus.*

Sed multo magis nunc in absentia mea. Hæc veræ obedientis nota, vt non imperantis præsentia ad obedientiam vrgeatur, sed obedientiæ amore, & fructus; *Humilitatem*, inquit hìc Caietanus, *& obedientiam in* ABSENTIA MAIOREM EXIGIT, *quam olim in præsentia: vt pote vt non habeant rationem præsentia, sed incrementi meritorum.*

Cum metu, & tremore: Etiam tunc timendum cum prosperitas nos ambit, ac rerum abundantia fulcit; secundæ res maxime sunt aduersæ, ni saluti cooperentur. Sanctus Augustin. in psal. 85. *Apostolus*, inquit *dicit: Cum timore, & tremore vestram ipsorum salutem operamini Deus enim est qui operatur in vobis,* QVICQVID ERGO PROSPERVM VENIT, FRATRES, MAGIS METVENDVM EST: *quæ putatis prospera, magis tentationes sunt. Venit hæreditas, venit copia rerum, abundat circumfluentia nescio cuius fœlicitatis, tentationes sunt ista, cauete ne vos ista corrumpant.* 1170.

Cum metu, & tremore. Sancti huius metus & timoris causam statim adiicit, quum dicit: *Deus est enim, qui operatur in vobis & velle & perficere.* Horum verborum nexum sic expendebat Sanctus Augustinus in psalm. 65. *Audi vocem Apostoli. Cum timore, inquit, & tremore vestram salutem operamini. Quare cum timore & tremore? subiecit causam: Deus enim est, qui operatur in vobis & velle & perficere bona voluntate. Si ergo Deus operatur in te: gratià Dei bene operaris, non viribus tuis.* ERGO SI GAVDES, ET TIME; NE FORTE, QVOD DATVM EST HVMILI, AVFERATVR SVPERBO. Huc etiam spectat idem Sanctus Pater in Psalm. 103. vbi ita scribit: *Cum timore & tremore vestram ipsorum salutem operamini. Cum timore & tremore: Deus enim est qui operatur in vobis: dicis, ô Paule, operamini: dicis, vt operemur, quare cum timore & tremore? Deus enim est, inquit, qui operatur in vobis, ideo cum tremore, quia Deus operatur, quia ipse dedit, non ex te est quod habes, cum timore & tremore operabaris*: NAM SI NON TREMVERIS EVM, AVFERET QVOD DEDIT.

Cum metu, & tremore. Non istud dixit Apostolus, vt seruitutis, ac timoris illi spiritum inhalaret, sed vt nemo de egregiis virtutum facinoribus se iactaret, nemo sibi eum fastu tribueret, si quid laude dignum perfecisset. Benè Sanctus Prosper: *Vigilant tentatoris insidiæ, vt vbi proficit deuotio subrepat elatio, & vt homo de bono opere in se potiùs, quam in Domino glorietur, sed sollicitudo nos Apostoli contra hoc periculum monet dicentis: cum metu, & tremore vestram salutem operamini: Quantò ergo in mandatis Dei plus proficiunt, tantò maiores habent causas formidinis, & tremoris. Ne de ipsis probatis augmentis mens sibi benè conscia, & laudis auida in superbiæ rapiatur excessus, & fiat immunda vanitate, dum sibi videtur clara virtute.* Succinit aptis, licet paucis verbis Sanctus Anselmus dum ait: *quando iubet, vt operentur, liberum eorum conuenit arbitrium; sed ideo cum timore, & tremore, ne sibi tribuendo, quod benè operentur, de bonis, tanquam suis extollantur operibus.* Quod si cum timore opera quæ ad salutem spectant, exercenda sunt, quanto metu corripi debent, qui ea faciunt, quibus sibi viam sternunt ad gehennam, & adeo suam salutem non operantur, vt operibus malis salutis suæ hostes fiant?

Operamini, Græcè κατεργάζεσθε, quod verbum studium & curam inuoluit vt notabat Sanctus Chrysostomus. *Non dixit*, inquit, *tantum ἐργάζεσθε, sed κατεργάζεσθε, idest, non quouis modo operamini, sed accuratè,* MAGNOQVE CVM STVDIO *operamini.*

Vestram salutem operamini. Græcè κατεργάζεσθε *Peragite, perficite*, vt non satis sit per aliquod tempus

tempus iis quæ ad ſalutem pertinent operam dediſſe, niſi id vſque ad extremum ſpiritum extendatur. Non plenè Deo ſeruit, qui in eius ſeruitute certos tẽporis terminos ſibi præfigit; Par eſt vt rotam vitam Dei obſequiis ſacrer, qui omnibus vitæ momentis beneficia à Deo accipit, & Deo debet, quod eſt. *Operamini.* Nullum tempus decernit, vt omne includeret, adeo vt viuere & ſalutẽ operari eiſdem limitibus coerceantur; vix videtur viuere, qui bene non operatur.

Sectio III.

1172 *A ſe ipſo vt quiſque timere debeat.*
1172 *In re ſalutis quilibet operetur, quod poteſt.*
1173 *Iræ & murmurationis magnus nexus.*
1173 *Vitanda murmuratio cum ea præſtanda, quæ iubent Superiores.*
1173 *Illata conuicia ferre patienter iuſti debent.*
1174 *Viri magni alienam præcipuè vtilitatem ſpectent.*
1174 *Errores in magnis maximè notantur.*
1174 *Superiorum exemplum malum quàm cæteris noceat.*
1174 *Fideles alienis profectibus nati.*
1175 *Paſtores vt Solis curſum referant.*
1175 *Quò ſpectarit Paulus, cum dixit, in vacuum ſe non laboràſſe.*
1176 *Boni non gaudij, non triſtitiæ, cauſa.*
1177 *Quam exiguus bonorum Paſtorum numerus.*
1178 *Militaria verba cur frequens vſurpet Paulus.*
1178 *Gratia curationum vt conceſſa Paulo.*
1179 *Vix doloris materia illi deeſt, qui animarum curam habet.*
1179 *Eccleſia miniſtros non plenè honorat, qui omnes non honorat.*
1180 *Quod Chriſti ſeruis fit, in Chriſtum reſilit.*
1180 *Animæ præparatio pro re ipſa æſtimatur.*
1180 *Subditorum facinora ita efferenda vt ſuperbia comprimatur.*

Deus eſt enim qui operatur in vobis velle, & perficere per bonam voluntatem.

1172. AC ſi conſequens ſit, vt quiſque timeat ex eo quòd noſtram ſalutem Deus operetur, ne ſcilicet ex bonis operibus ſuperbiendi quis anſam capiat, & diuinæ gratiæ ope deſtituatur; Præclarè S. Leo ſerm. 8. de Epiph. Dom. *Dicente*, inquit, *diſcipulis Domino, ſine me nihil poteſtis facere, dubium non eſt, hominem bona agentem à Deo habere, & effectum operis, & initium voluntatis. Vnde & Apoſtolus copioſiſſimus fidelium cohortator, cum timore*, inquit, *& tremore veſtram ſalutem operamini. Deus eſt enim qui operatur in vobis & velle & operari, pro voluntate. Et hæc Sanctis cauſa eſt tremendi atque metuendi; ne ipſis operibus pietatis elati, deſerantur ope gratiæ*, ET REMANEANT IN INFIRMITATE NATVRÆ.

Deus eſt enim qui operatur in vobis velle. Itane hac de cauſa timendum, cum potiùs hoc videatur omnem timorem excutere, & abolere? quis enim timeat, cum gratiæ largitor Deus velle operetur in nobis? An non timendum quia Deus operetur, ſed quia operatur in nobis, id eſt nobis cooperantibus; HOMO ENIM DEI AVXILIVM QVODAMMODO IMPEDIT ET RETARDAT; quin ſæpè etiam fruſtratur omnino; à nobis eſt quod nobis timeamus, non eſt à Deo.

Et Deus operatur noſtram ſalutem, & ſimul nos eam iubemur operari; nemo enim ex ſe ſuã ſalutem operari poteſt, indiget Dei adiutorio, ita tamen vt otio non torpeat, nec indormiat deſidiæ; *Si Deus eſt*, inquit S. Auguſt. ſer. 94. de tẽpore, *qui operatur in nobis, quare dictum eſt, veſtram ipſorum ſalutem operamini? Quia ſic Deus in nobis operatur*, VT ET NOS OPEREMVR. *Adiutor meus eſto. Deſignat eſſe operatorem, qui inuocat adiutorem.*

Omnia facite ſine murmurationibus.

SIne murmurationibus. Aliqui codices habent, *ſine ira*, quia ſcilicet, eorum, quibus iraſcimur dicta, factàque curioſius rimamur, facilè carpimus, facilè reprehendimus, VT MAGNVS IRÆ, ET MVRMVRATIONIS SIT NEXVS; ſed illa lectio pleriſque non probatur: 1173.

Omnia autem facite ſine murmurationibus. Murmurationes plerique ad eas querimonias referunt, quas multi in virtutum actibus maximè vſurpare ſolent; *opera enim virtutum*, inquit S. Thom. *ſunt difficillima, & in his habet locum murmuratio*; niſi quod hunc locum facit potiùs torpor, & negligentia noſtra, quàm difficultas ipſa virturis. *Ingratus ſeruus*, inquit Primaſius, *quia grauia Domini ſui queritur eſſe præcepta.* Leuia erunt; ſi amoris pondus adiiciatur.

Sine murmurationibus. Tunc maximè murmurationes vitandæ cum ea præſtanda, quæ iubent Superiores; nam alioquin opus quod facit inficit, qui contra Prælatos murmurat. Benè ille ex ſancti Anſelmi mente: *Superiùs dictum eſt, cum timore, & tremore veſtram ſalutem operamini, & nunc præcipitur, vt* SINE MVRMVRE CVNCTA FACIANT, *id eſt æquo animo laborent in operibus bonis, quæ iubentur à Prælatis ſuis.*

Inter quos lucetis ſicut luminaria in Mundo.

SIcut luminaria in Mundo. Ferenda quæcunque illata conuicia hæc verba exclamãt; huc certè ſpectant quæ diſertiſſimè habet Sanctus Auguſt. in Pſal. 93. *Quemadmodum*, inquit, *non curant luminaria cæli, niſi quomodo exerceant dies & noctes, quamuis tanta mala videant fieri ſuper terram. Sed facile eſt fortè, vt ferant iuſti iniquitates malorum, quæ non in ipſos fiunt. Sed ſicut ferunt quæ in alios fiũt, ſic ferant, & quæ in ipſos fiunt. Non enim propterea debent ferre & tolerare, quia in alios fiunt: & ſi in ſe fiant, non debent perdere tolerantiam. Nam qui perdiderit tolerantiam, cecidit de cælo: qui autem fixum habet cor in cælo, terra ipſius laborat in terra. Quanta &*

& de ipsis luminaribus fingunt homines, & patienter ferunt: QVOMODO IVSTI PATIENTER DEBENT FERRE OMNES ETIAM DE SE FALSAS CRIMINATIONES? *Hoc ipsum quod iam dudum dixi, quia illa stella Mercurij est, & illa stella Saturni est, & illa stella Iouis est: conuicia fiunt stellis. Quid illæ, cum audiunt tanta conuicia? Nunquid mouentur, aut non exercent cursus suos? Sic & homo qui in natione peruersa, & tortuosa habet verbum Dei, sicut luminare est fulgens in sæculo.* Nimirum quò quis splēdidius virtute lucet, eò fortiori animo ferre debet iniurias, quibus reddi maior virtus potest, si patientiâ veluti concoquantur, & in bonum sanguinem, vt ita loquar, vertantur.

1174. Luminaria referunt viri magni & perfecti commodis alienis nati potiùs, quam suis, qui non minus communem vtilitatem spectant, quã propriam. Præclarè philosophatur Elias Cretēsis in orat. 23. S. Greg. *Neque luminarium*, inquit, *est in seipsis splendorem circumscribere, verum ad alios diffundere: nec item Christianorum, suam duntaxat, ac non etiam* ALIENAM VTILITATEM SPECTARE; *quos scilicet Apostolus* LVMINARIA *haud immerito appellat.* Hoc est indignus titulo, qui sua tantum commoda quærit, prodesse aliis negligit.

Sicut luminaria. Boni ita vitæ sanctitate cæteris prælucent, ac statim in illis quælibet luminis retractio notetur, & eo magis quo illi maiores, ac sanctiores. Rectè philosophatur hîc Salmeron. *Sicut*, inquit, *Solis, & Lunæ ecclipses magis sunt obseruabiles, quàm occultationes aliarum stellarum, ita si quis impius malè* VIVIT, PAVCI ID OBSERVANT, PAVCI DE EO CONQVERVNTVR; *si vero quisquā eorum, qui gloriantur de Euangelio vel leuiter peccauerit, mirum est quanta conuitia, & contumelias in eum iaculentur. Debent ergo qui Christum profitentur aliis prælucere, ne Christus & sui malè audiant.* Quod iis maximè expendendum qui in culmine sunt, & dignitatis officiique sublimitate super alios sūt. Nimirum maximè notabiles sunt in illis lapsus, qui maximi apud alios existimantur. Ergo qui bonus est, diligenter peccata cauere debet, ne eò maius damnum cæteris ereet, quò ipse est maior.

Sicut luminaria. Luminaria dicuntur, vt nouerint se alienis profectibus, & commodis natos; S. Chrysost. lib. 3. aduersùs vitup. vitæ monast. ita philosophatur. *Hominem non vt sibi ipsi tantùm prodesset creauit Deus, sed vt multis; idcirco Paulus quoque fideles homines luminaria appellat, & ex ipsa appellatione manifestans*, OPORTERE FIDELES CÆTERIS QVOQVE VSVI ESSE. *luminare quippè quandiu seipsum tantum modo illuminat, luminare profectò non est.* Qui igitur luminaria appellantur, omnibus seruiant, omnibus prosint, vt appellationi respondeant.

1175. *Sicut luminaria.* adeò vt vitâ moribusque omnibus luceant, lumen Solémque referant. Æquitátem, clementiam in Rectoribus Doctoribusque, Solis exemplo bonus quidam Autor scitè commendabat. *Sol*, inquit, NON RECTO PER COELVM MEATV FERTVR; SED OBLIQVO, LENI ATQVE MODERATO; *& tamen Orbis vniuersi machinam æquali temperie calefacit: ita & probi Pastores seu Rectores populorum se se populi nonnunquam ingenio, studiis & moribus aliqua ex parte accommodare debent. vt melius sit iis consultum, quos regi par est non summo iure (quod summa iniuria) sed potius æquitate, suauitate atque clementia. id enim nos docet atque admonet vel ipsa rerum rerum natura.* Sicque Sol rectè fertur, etiam si recto non feratur cursu; quod notent qui super alios sunt, sed aliis se nolunt aptare, in omnes seueri, ac plerumque iniurij qui summo iure in omnes agunt.

Non in vacuum cucurri, neque in vacuum laboraui.

IN vacuum Paulus se dixit non laborasse. Habuit istud non à se, sed à Christi laboribus & pœnis. *Ille*, inquit Sanctus Ambrosius lib. 7. epist. 47. de Christo loquens, *maledictum in Cruce factus est, vt tu benedictus esses in Dei Regno. Ille dehonestatus & depreciatus est, nec aliquid existimatus. Ille dicebat: In vacuum laboraui, per quem meruit Paulus dicere: Non in vacuum laboraui, vt boni operis fructum, & Euangelicæ prædicationis* GLORIAM SVIS CONFERRET SERVVLIS, *per quem vniuersi sarcina laboris absolueretur.*

Idipsum autem & vos gaudete, & congratulamini mihi.

ET *congratulamini mihi.* Cur non potiùs dixit, 1176.
mihi compatimini, præsertim quod immolationis & sacrificij sui mentionē fecerat? S. Chrys. hinc colligit, quam bona mors sit, sed bonis; vt lætitiæ causa sit, & gaudij: *Sed etsi immolor supra sacrificium, & obsequium fidei vestræ; gaudeo & congratulor omnibus vobis; idipsum autem & vos gaudete, & congratulamini; quid vis? morieris ô Paule, & ad societatem voluptatis homines aduocas? quid tibi quæso accidit? non equidem morior, inquit, sed ad meliorem vitam transeo; Vt igitur homines magistratum ineuntes*, PLVRIMOS LÆTITIÆ SIBI SOCIOS *ac participes futuros accersunt: Sic & Paulus* AD MORTEM PERGENS, GAVDII SVI CONSORTES FVTVROS VOCABAT *est enim requies quædam mors, laborum finis sudorúmque retributio, ac certaminum præmium & corona.* Hactenus ille hom. 51. quæ est de SS. Bern. & Prosdoc. Igitur voluptatis materiam illud putant Dei serui, quod tristitiæ arbitrantur mundi cultores.

Neminem enim habeo tam vnanimem, qui sincera affectione pro vobis sollicitus sit.

QVam exiguus bonorum Pastorum nume- 1177.
rus? Paulus vnum Timotheum reperit; quod expendens S. Augustinus serm. 49. de tempore, ita scribit: *Misi vobis Timotheum, qui vos commonefaciat vias meas, & quid ait, misi Pastorem qui vos commoneret vias meas? id est, quia quomodo ambulo, & ipse ambulat; & mittens Pastorem, quid ait? neminem enim habeo tam vnanimem, qui syncera affectione pro vobis sollicitus sit, nonne cum illo erant multi? Sed quid sequitur? omnes enim sua quærunt non quæ sunt Iesu Christi: id est, ego vobis Pastorem mittere volui; nam multi mercenarij sunt: sed non oportuerat vt mercenarius mitteretur, ad alias res & negotia peragenda mittitur mercenarius: ad illas autem quas tunc volebat Paulus, pastor erat necessarius* ET VIX INVENIT VNVM PASTOREM INTER MVLTOS MERCENARIOS, *quia pauci pastores, multi mercenarij.*

Sicut

Sicut patri filius mecum seruiuit in Euangelio.

1178. MEcum seruiuit. Benè Catharinus: *Non dixit, mihi seruiuit; sed mecum: quia ambo serui Iesu Christi erant. Sed B. Paulus in eo negotio erat vt pater, instructor, atque admonitor illius.* Timotheum porro Paulo socium fuisse in prædicando Philippensibus Euangelio Christi, non est dubium; quod significauit hîc Apostolus, vt quem laboris socium habuit, haberet & gloriæ.

Necessarium autem existimaui Epaphroditum fratrem & cooperatorem, & commilitonem meum, &c.

ET *commilitonem meum.* Parum erat, fuisse cooperatorem, adiecit quod maius, commilitonem eum extitisse; *cooperator*, inquit Theophylactus, *operam aliquam præstat, in rebus tamen nullius discriminis; commilito verò in admodum periculosis, & in quibus de vita agitur, & salute.*

Et commilitonem. Frequens Paulus verbis vtitur, quæ ad militiam spectant, SÆPE MILITARIA ADHIBET VERBA; vt Christi se militem probet, & Christi sibi militiam maximè placere ostendat.

Nam & infirmatus est vsque ad mortem.

ITa vt esset morti proximus, quæ si accidisset, doloris, & tristitiæ causa Paulo extitisset, vt ipse subiicit; sed cur ipse per gratiam curationum Epaphroditum à morbo non liberauit? An quia sciebat hoc donum non sibi concessum, sui, seu Epaphroditi causâ, sed aliorum, & ad publicam Ecclesiæ vtilitatem? An quia non sanabat *domesticos*, ait Estius, *ne suspicio fidelibus oriretur, rem ex composito agi; sed ab aliis oblatos, externos, & ignotos, ne quâ suspicione obscuraretur diuinum miraculum? Veruntamen quo ad Epaphroditum attinet, omnino existimandũ est precibus Apostoli pro ipso orantis fuisse liberatum periculo, ac sanitati redditum.*

Et ego sine tristitia sim.

1179. ET *ego sine tristitia sim.* Alij legunt; *vt magis dolore vacem*, alij *mœrore*; Scitè hic Oecumenius, *Non dixit, gaudeo, imo neque simpliciter dixit, sine mœrore, sed magis vacem mœrore, ostendens, quod* PROPTER DISCIPVLOS NVNQVAM DOLORIS EXPERS *erat.* Scilicet vix à mœrore liber prorsus est, qui animarum curam suscepit; Non deest illi doloris materia, cui animarum est cura commissa. Hinc & illud boni Auctoris: *Annotant Græci Apostolum non absolutè dixisse, sine tristitia, sed vsum comparatiuo, vt insinueret animum suum numquam prorsus mœrore vacuum. Vnde dicebat Romanorum 9. Quoniam tristitia mihi magna est & continuus dolor cordi meo. Atque adeo* ÆGRE PASTORIS NOMEN SVSTINENT, QVI, CVM MVLTIS PERICVLIS SINT OVES EXPOSITÆ, TRISTITIA NVLLA, NVLLO SENSV AFFICIVNTVR, NVLLO DOLORE. hos Pastoris vmbram voces, non Pastores.

Et eiusmodi cum honore habetote.

ET *eiusmodi cum honore habetote.* Græcè est: *& tales honorabiles habete.* Vt sit sensus, quod notauit etiam Estius: *Non eum solum, sed & ALIOS EI SIMILES HABETE IN PRETIO, AC DEBITO HONORE afficite, etiam in suppeditandis stipendiis, iuxta illud 1. Tim. 5. Qui benè præsunt presbyteri, duplici honore digni habeantur.* Ex quo discis, non plenè Dei ministros honorare, qui vnum quempiam honorant, nec pares pari honore prosequuntur.

Nouarin. in Epist. Pauli.

Quoniam propter opus Christi vsque ad mortem accessit.

OPus Christi vocat opus factum pro Christi nomine, & ad eius Euangelium promouendum; vt innuat in Christum resilire, quod in eius seruos fit. Nam iuxta plerosque Doctores, præsertim Græcos, hunc sensum faciunt hæc verba: Quia dum mihi ministrat propter Christum in vincula coniecto, periculo se mortis exposuit. Tunc enim periculi res plena erat, familiarius accedere, & secretius colloqui cum eo cui Nero Imperator infensus erat. 1180.

Tradens animam suam.

GRæcè, *Malè consulens animæ suæ*; idest, vitam suam negligens, nullâ vitæ suæ ratione habita; licet alioquin benè consulat, qui in seruorum Dei obsequium vitam suam contemnit, & vitæ fœlicis loco habet pro illis mori. S. Ambrosius sic expressit: *Tradens in interitum animam suam* Animi præparationem interpretans rem ipsam vt re ipsa exhibitam.

Vt impleret id, quod ex vobis deerat erga meum obsequium.

VT sit sensus: Quoniam vos longè abestis, nec mihi Apostolo vestro obsequium vestrũ, ac ministerium vt cuperetis præsentes præsenti valeris exhibere, ipse tanquam vester legatus hunc defectum suppleuit. Pro *obsequio*, græcè est, λειτουργία qua voce docent Græci significari ministeriũ publico nomine debitum, eóque Paulo vsum tradunt Græcorum commentarij, quod notauit etiã Estius, *vt Philippenses reuocaret à* FASTV ET ANIMI TVMORE, *ac ne sibi placerent velut qui magnum aliquod, & indebitum Paulo præstitissent.* Nimirum ita subditorum facinora efferẽda & commemoranda a superioribus sunt, vt in elationẽ rapti non perdant, quod acquisierant.

CAPVT III.

EPISTOLÆ AD Philippenses expenditur & illustratur.

SECTIO I.

1181 *Ærumnæ in Christo, gaudij materia esse possunt.*

1181 *Totus homo vt circumcisio esse debeat.*

1182 *Plerique contemnunt quæ non habent, non contempturi, si haberent.*

1182 *Quæ mundus lucra putat, Dei serui computant inter damna.*

1183 *Quò quis ardentius amat Christum, eo viliora censet, quæ auocant à Christo, Christum non sapiunt.*

1183 *Videant superiores, ne subditi intumescant.*

1183 *Semper in bono proficiendum, Pauli in hac re exemplum.*

1184 *Qui simul perfectum, & imperfectum se Paulus vocet.*

1184 *Perfecti est, se imperfectum existimare.*

1185 *Christi seruus perfectionem præcipuè cogitat*

1185 *In Dei obsequio nunquam sistendum.*

1186 *Vita nostra sit, meliora desiderando exerceri.*

1186 *In virtutum adeptione nunquam sistendum est.*

Gaudete in Domino.

1181. G*Audete in Domino.* Gaudium, quod extra Dominum, extra gaudij veri limites est. *Rectè dixit* inquit hîc S. Chrysostomus, *In Domino, non Mundi modo, nam hoc non est gaudere.* ÆRVMNÆ, *inquit, quæ secundùm Christum,* IPSÆ GAVDIVM HABENT.

Nos enim sumus circumcisio.

N*Os enim sumus circumcisio.* vt hæc sit quædam iusti hominis definitio; & ab homine abeat, qui totus non est circumcisio. Peritè S. Chrysostomus hîc: *Minimè autem dixit: In nobis enim est circumcisio, sed, Nos sumus: ac meritò quidem*: HOC ENIM EST HOMO CIRCVMCISIO, *virtuti congruens: hoc est verè homo.*

Quamquam ego habeam confidentiam & in carne.

1182. PLerique contemnunt quæ non habent, non contempturi si haberent; non ita Paulus; qui in circumcisione carnali fiduciam non habebat, nec gloriam, licet posset; *Quamquam*, inquit, *& ego habeam* CONFIDENTIAM *in carne*, vbi Sanctus Hieronymus; *Ne quis putet me hoc ideo dicere*, QVIA EGO GLORIANDI CAVSAM NON HABEAM, *& idcirco non glorier*: Huc spectauit etiam Estius hîc, dum ait: *Sensus est: Non ideo reiicio confidentiam, quæ in carne est, quod mihi hac in parte gloriandi materia desit.* SOLENT ENIM HOMINES EA CONTEMNERE IN ALIIS, QVÆ IPSI NESCIVNT, AVT NON HABENT. *At ego, inquit, habeo, quod in aliis contemno, ac possem si vellem, perinde vt illi in carne gloriari, & confidere: quo magis certè mihi ea contemnenti credendum est; vt si quis nobilis nobilitatem generis contemnendam doceat, vt rem vanam, facilius ei creditur.*

Sed quæ mihi fuerunt lucra, hæc arbitratus sum propter Christum detrimenta.

QVæ Mundus *lucra* putat, Dei serui computant inter damna. Festiuè Sanctus Ambrosius in Psalm. 118. octon. 5. vbi hæc habet: *Sanctus* LVCRA ISTA NON NOVIT, *sed omnia hæc detrimentum arbitratur, vt Christum lucretur; & rectè, quod enim putamus lucrum esse pecuniæ*, DAMNVM EST ANIMÆ, *quia virtutis est detrimentum.*

Veruntamen existimo omnia detrimentum esse propter eminentem scientiam Iesu Christi Domini mei.

V*Eruntamen existimo.* Græcè. *Quin etiam existimo*, vt plus quam dixerit, dicat, in hunc sensum: Non solùm vitam quam in Iudaismo duxi, reputaui propter Christum detrimentum, verum etiam omnia quæ tunc magnifaciebam, genus, sectã, legis peritiam. Quicquid ad Christum non me ducit, quicquid Christum non sapit, arbitrur esse detrimentum, idest, non solùm minimè vtile, sed etiam damnosum. Quò enim quis ardentius amat Christum, eò viliora vocat & censet quæ auocant à Christo.

Non quòd iam acceperim, aut iam perfectus sim: sequor autem, si quomodo comprehendam.

N*On quòd iam acceperim, aut iam perfectus sim.* 1183.
Qui alios exulcerat, cur hîc adeo se demisit? An, ne, laudati, aliquis eos superbiæ æstus corriperet? *Quoniam*, inquit hîc S. Ambrosius, *in tota Epistola gaudere se testatur in eis, & laudat obedientiam eorum & fidem*; NE FORTE QVASI HOMINES INFLATIONE (*eò quod iam digni essent*) EXTOLLERENTVR, *nunc per suam personam adhuc deesse sibi ad iustificationem implendam apertâ voce declarat, vt contendant addere in operibus bonis. Si enim hic, qui tanta præditus dignitate est, adhuc deesse sibi ad perfectionem confitetur: quanto magis hi intelligerent elaborandum sibi esse, vt iustificationum merita adipiscerentur?*

Tot laboribus perfunctus Paulus, & tot virtutibus, vt ita loquar, elaboratus, se perfectionem non arbitratur assequutum, adhuc multa sibi credit deesse; & nos nosipsos fallimus, putantes apprehendisse, quod ille dicebat se minimè consequutum? *Nondum igitur apprehendit*, inquit B. Dionysius Carthusianus, *sed proficit. Hæc dicit de se ipso Apostolus, ne aliquis nostrûm quantumcunque laudetur, vanâ elatione infletur, sed* CONETVR PROFICERE EXEMPLO TANTI APOSTOLI, *nec vnquam dicere audeat, sufficit mihi, cum non proficere sit deficere.*

Minimè se perfectum esse hîc fatetur: cur 1184.
ergo subiicit? *Quicumque ergo perfecti sumus.* Sanctus Ambrosius lib. 3. Offic. cap. 2. IPSVM PAVLVM LEGO PERFECTVM ET NON PERFECTVM; *nam, cum dixisset: Non quòd iam acceperim, aut iam perfectus sim: sequar autem sic, vt comprehendam, statim subiecit: Quicunque ergo perfecti sumus. Duplex est enim forma perfectionis: alia medior, alia plenos numeros habens: alia hîc, alia ibi: alia secundùm hominis possibilitatem, alia secundùm perfectionem futuram.*

Aut

Aut iam perfectus sim: incipit ad perfectionem tendere qui se non esse perfectum cognoscit: S. Augustinus in Psal. 38. *Non ait, quotquot perfecti hoc sapietis, sed quotquot, inquit, perfecti hoc sapiemus, cum paulo ante dixisset, non quia iam acceperim, aut iam perfectus sim: aliter ergo hic non potes esse perfectus nisi* SCIAS HIC TE NON ESSE POSSE PERFECTVM. *hac ergo erit perfectio tua, sic te quadam transiliisse vt ad quadam properes: sic te quadam transiliisse vt recte aliud ad qua omnibus transactis transiliendum est.*

Fratres, ego me non arbitror comprehendisse.

1185. ALiqui pro *Comprehendisse*, legunt *apprehendisse*; sed cur non explicat quid non comprehenderit, quid non fuerit assequutus? Verus Dei cultor vix aliud cogitat, quam quod ad perfectionem spectat, non dignitatum culmen apprehendere, non diuitiarum copiam assequi curat, sed perfectionem, cuius respectu omnia alia pro nihilo habet.

Ego me non arbitror comprehendisse. Verba elationi in quocunque deprimendæ maximè idonea. Rem sic vrget S. Ephræm Syrus: *Post tot pericula, tantaque rectè facta, cum summa animi humilitate, & modestia dicebat: fratres, ego meipsum nondum existimo comprehendisse, ista vero dicebat*, VT ELATIONEM FVNDITVS TOLLERET: *cum sciret quantam iram in eos concitet qui illam amant.* Sic ille tract. de euers. superbiæ. Quis sibi plus arroget, quàm arrogauerit Paulus tot egregiis facinoribus nobilis, & in cœlo ipso eruditus?

Ego me non arbitror comprehendisse. Quis ergo tam se in sublime erigat? quis de se tam superbè sapiat, vt se arbitretur comprehendisse? *Quis audet dicere*, inquit S. Augustinus in psal. 178. *Quia comprehendit, & dicit, non me arbitror apprehendisse. Et quid ais Paule? Adhuc curro, inquit, vt apprehendam.* ADHVC PAVLVS IN VIA EST, ET TV TE PVTAS IN PATRIA.

1186. Hoc ipso maximè comprehenderat, quod se arbitrabatur non comprehendisse; *se humiliando*, inquit hîc Sanctus Ieronymus, *omnibus gloriam tollit, & vniuersos* PROVOCAT AD PERFECTIONEM. Sanctus Augustinus tract. 4. in epist. 1. Beati Ioannis ita hunc locum versat, & cum sequentibus nectit: *Fratres ego me non arbitror apprehendisse; quid ergo agis in hac vita, si nondum apprehendisti? vnum autem, que retro oblitus, in ea que ante sunt extentus secundum intentionem sequor ad palmam superna vocationis; extentum se dixit: & secundùm intentionem sequi se dicit, minorem se sentiebat ad capiendum quod oculus non vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis ascendit:* HÆC EST VITA NOSTRA VT DESIDERANDO EXERCEAMVR, *Tantum autem nos exercet sanctum desiderium, quantum desideria nostra amputauerimus ab amore sæculi;* & in Psalm. 38. ita scribit. *Fratres ego meipsum non arbitror apprehendisse, & ne diceres, si non apprehendit Apostolus, ego apprehendi: perfectus non est Apostolus, & ego perfectus sum vide quid agas, attende quid dicat, quid ergo ais Apostole? nondum apprehendisti, nondum perfectus es? quid ais? ad quam actionem me hortaris? quid mihi imitandum sequendúmque, proponis? vnum autem, inquit, qua retro sunt oblitus, in ea qua ante sunt, extentus, secundùm intentionem sequor ad palmam superna vocationis Dei in Christo Iesu: secundùm intentionem non secundùm peruentionem, non secundùm apprehensionem; non relabamur vnde transilimus, nec remaneamus in illis in que iam venimus. Curramus, intendamus, in via sumus: nec tam sis securus ex eis que transisti, quam sollicitus pro eis ad qua nondum peruenisti.*

Ego me non arbitror comprehendisse. Quis ergo tam superbè de se sentiat, vt maiorem se Paulo censeat; & eò peruenisse se credat, quò se non peruenisse fatetur Apostolus? Rem benè vrget B. Laurentius Iustinianus lib. de Obedient. c. 20. vbi post verba producta ait. *Vidésne Paulum plenum Spiritu Sancto, perfectione atque virtute, se minimè arbitrari esse perfectum? quamobrem currebat, & se ad altiora extendebat, ad perfectiora exercebat, quatenus comprehenderet, in quo & ipse comprehensus erat à Christo Iesu. Hac quippe eruditione sacra admonemur, vt in adeptione* ET VSV VIRTVTVM NVNQVAM, QVOD ACTVM EST, CREDAMVS ESSE SATIS.

SECTIO II.

1187 *Ascendere qui quærit cum Christo, Christi membrum sit.*

1188 *Omnia temporalia pro transactis habenda.*

1188 *Quanti referat, eorum qua retro sunt, obliuisci.*

1188 *Nimis hærere peccatis remissis, aut considerare diutius bona iam facta, profectum nostrum vt impediat.*

1189 *A perfectionis cursu nemo cesset.*

1189 *Præsentibus nemo delectetur.*

1190 *Præteritorum vt obliuisci debeamus.*

1191 *Præterita mala vita obliuio commendata.*

1192 *Nemo se putet ad perfectionis culmen peruenisse.*

1192 *Perfectis simul & imperfectis cur se annumeret Paulus.*

1192 *Non solùm scriptis, & sermonibus; sed etiam moribus se qui præest, formam subditis debet exhibere.*

1193 *Omnium salus optanda.*

1193 *Gulosi religio descripta.*

1194 *Quinam sint qui Deum suum ventrem faciunt.*

1194 *Cor in Cælo vt esse debeat.*

1195 *Animus Christianorum, Cælestium cogitationi sit deditus.*

1196 *Sanctè viuentibus est quædam cognatio cum Angelis.*

1197 *Conuersatio nostra in Cælis vt esse possit dum hîc fluctuamus.*

1198 *Abiecti animi terrena cogitare.*

1198 *Tutus à laqueis, qui in Cælo mente versatur.*

1199 *Humiles cælesti lumine illustrandi.*

1100 *Corporis negligenda cura: anima præcipua habenda ratio.*

1200 *Corporis reformatio quàm insigne opus.*
1200 *Diuinarum personarum æqualitas.*

Vnum autem, quæ quidem retro sunt obliuiscens, ad ea verò, quæ sunt priora, extendens meipsum, ad destinatum persequor, ad brauium supernæ vocationis Dei in Christo Iesu.

1187. PAulo aliter legit hunc locum S. August. serm. 234. de Temp. vbi hæc verba expendens ait: *Vide extentum: vide ad superna tendentem. Sequor, inquit, ad palmam supernæ vocationis Dei in Christo Iesu. Ambulandum ergo est, nec pedes vngendi, nec iumenta quærenda, nec nauis prouidenda; Affectu curre, amore ambula, charitate ascende. Quid quæris? Viam. Inhære Christo qui descendendo, & ascendendo seipsum fecit viam. Vis ascendere? Ascendentem tene: tu enim per teipsum leuare te non potes; quia nemo ascendit in Cœlum, nisi qui de Cœlo descendit, Filius hominis, qui est in Cœlo. Si nemo ascendit, nisi qui descendit: ipse autem est Filius hominis, Dominus noster Iesus.* VIS ET TV ASCENDERE? MEMBRVM IPSIVS ESTO, QVI SOLVS ASCENDIT.

1188. Quæ retrò sunt, temporalia sunt: quæ ante verò, æterna. Illa pro præteritis habenda: ista tanquàm habenda in futuro. *Omnia,* inquit Sanctus August. in psal. 89. *quæ* TEMPORIS FINE CLAVDVNTVR, PRO TRANSACTIS HABENDA SVNT. *Vnde & ea sibi Apostoli Pauli postposuit intentio, quæ retrò sunt obliuiscentis (vbi temporalia cuncta oportet intelligi) & in ea, quæ ante sunt extenti, quæ appetitio est æternorum.*

Quæ quidem retro sunt, obliuiscens ad. Eorum discrimen, qui; quæ retrò sunt, non obliuiscuntur, scitâ, nec vlla obliuione sepeliendâ similitudine explicat S. Chrys. hæc spectans in psal. 119. *Iis, qui ascendunt, postquam in altum euecti fuerint, vna est cautio ac securitas, quando, non quantum ascendimus, respexerimus; & ita superba, & elatæ mentis euaserimus:* SED QVANTVM RESTAT CONSPICATI FVERIMVS: *Quod etiam Paulus significans, dicebat: Eorum, quæ retrò sunt, obliuiscens; ad anteriora autem nos extendemet.*

Ad ea, quæ sunt priora extendens me ipsum. Græcè pro *extendens*, est ἐπεκτεινόμενος, quod propriè significat, *extensus*, cuius verbi vim sic expendebat Salmeron disp. 6. *Nota,* inquit, verbum ἐπεκτεινόμενος, *quod significat extensus, idest qui pedibus non currentibus extendit se corpore ad scopum, vt eum manu attingat idest, extendit se ad perfectiora crescendo de virtute in virtutem; nam hic est mos cursorum, non metiri quantùm via confecerint, sed quantùm supersit ad metam attingendam cernere; nam hærere peccatis præteritis, an sint remissa, vel considerare bona quæ gessimus plurimi ea faciendo, aliud non est,* QVAM PROFECTVM NOSTRVM REMORARI. Et qui hoc præstat non vtiliter se extendit, sed cum magna iactura se contrahit, & hoc ipso fit minor, quòd ad maiora non pergit, & quod est maius, non aspirat.

Extendens. S. August. legit, *Extensus.* Obseruat signatè dictum, *Extensum*; non, *Distensum.* 1189.
Hæc eius verba ser. 2. de Sanct. c. 6. *Antequam perueniamus ad vnū, multis indigemus. Vnum nos extendat, ne multa distendant, & abrumpant ab vno. Ipsum vnum, dixit Apostolus Paulus, quia nondum perceperat. Ecce quid: Non me arbitror apprehendisse. Vnum autem, quæ retrò oblitus, in ea, quæ ante sum, extensus. Non distendit, sed extendit; vnum enim extendit; non distendit. Multa distendunt, vnum extendit. Et quando extendit? Quandiu hic sumus. Cùm venerimus colliget, non extendit. Vnum autem, quæ retrò oblitus; in ea, quæ ante sunt; extensus secundùm intentionem. Ecce extensionem, nunquam distensionem. Secundùm intentionem sequor ad palmam supernæ vocationis Dei in Christo Iesu.*

Ad ea verò, quæ sunt priora, extendens meipsum. Cur idem non præstent, qui à Pauli perfectione non paulum abeunt? *Ergo,* inquit hic S. Chrys. *qui iam se perfectum putat, nihilque sibi deesse ad virtutis absolutionem,* IS A CVRSV CESSABIT, QVASI QVI TOTVM IAM TENEAT: *at, qui se adhuc à metà abesse cogitat, is nunquam à cursu cessat. Hoc igitur & nos æstimare semper debemus, etiamsi sexcenta obinerimus virtutis officia: etenim, si Paulus post sexcentas mortes, post tanta pericula hoc secum putabat, multò magis nos.*

Ita præteritorum obliuisci debemus, vt Apostoli exemplo præsentibus non delectemur. S. August. in psal. 57. *Quæ retro oblitus, in ea quæ ante sunt extentus: non dixit, quæ retro oblitus, &* EX PRÆSENTIBVS OBLECTATVS *eum dicit: in ea quæ ante sunt extentus, his præsentibus non obsurduit.* 1190.
Sanctus Ambrosius lib. de Noë, & Arca cap. 31. qui Apostolus præteritorum esset oblitus sic explicat: *Apostolus superiora obliuiscebatur. priora appetebat: sed* OBLIVISCEBATVR, *vt absconderet persecutionis errores, vt tegeret superiora delicta, bonisque operibus obumbraret.*

Quæ quidem retrò sunt obliuiscens. Ad hæc verba respiciens B. Augustin. apud Bedam, hæc habebat: *Adhuc sequor, adhuc proficio, adhuc ambulo, adhuc in via sum, adhuc me extendo, nondum perueni. Ergo si & tu ambulas, si te extendis, si ea quæ ventura sunt cogitas,* OBLIVISCERE PRÆTERITA, *noli in ea respicere, ne ibi remaneas, vbi respexerit. Mementote vxoris Loth.*

Quæ retro sunt oblitum se Paulus ait: paria præstet, qui vocatur ad paria. S. Augustinus in psal. 122. ad hæc verba spectans ait. *Vnum autem,* inquit, *quæ retro sunt oblitus. Hoc fac & tu, & vitam* PRÆTERITAM MALAM OBLIVISCERE. *Si te delectauit aliquando vanitas, non te delectet.* Ab hac mente abeunt qui præterita cupiunt, & futurorum obliuiscuntur; hinc illud Sancti Hieronymi lib. 2. in Ieremiam, cap. 7. *Contra Apostoli sententiam; qui* PRÆTERITORVM OBLIVISCEBATVR, *& in priora se extendebat, fecere contraria: vt præterita saperent, & futura contemnerent.* 1191.

Quæ retro sunt obliuiscens. Qui & idem præstari à nobis possit, his verbis docebat Sanct. Augustinus in Psal. 128. *Quæ retro sunt oblitus, hoc fac & tu, &* VITAM PRÆTERITAM MALAM OBLIVISCERE. *Si te delectauit aliquando vanitas, non te delectet, quæ retro oblitus, inquit, in ea quæ ante sunt extentus, secundum intentionem sequor ad palmam supernæ vocationis Dei in Christo Iesu. Audio vocem Dei desuper, & curro vt apprehendam, non enim dimisit me in via remanere, quia non cessat alloqui*

alloqui me : ergo fratres, non ceſſat Deus alloqui nos, nam ſi ceſſat, quid eſt quod agimus? quid eſt quod agũt lectiones Diuinæ, & cantica Diuina? obliuiſcimini ergo quæ retro ſunt, & in ea quæ ante ſunt vos extendite. Et ſerm. 29. de verbis Domini paulo aliter rem verſat in hunc modum : *Spes ergo ad hoc nos hortatur,* VT PRÆSENTIA CONTEMNAMVS, FVTVRA EXPECTEMVS: EA QVÆ RETRO SVNT OBLIVISCENTES, *cum Apoſtolo in anteriora extendamur. Sic enim dicit : vnum autem quæ retro oblitus, in ea quæ ante ſunt extentus, ſecundum intentionem ſequor ad palmam ſupernæ vocationis Dei in Chriſto Ieſu; nihil ergo tam inimicum ſpei quam retro reſpicere : id eſt; in eis rebus, quæ prætérlabuntur, & tranſeunt, ſpem ponere : ſed in his quæ nondum data ſunt, ſed danda quandoque, quæ nunquam tranſibunt.*

1192. *Ad deſtinatum perſequor.* Quis ergo perfectum ſe putet, cum non ſe putauerit Paulus? Quis currere deſinat, cum non deſierit Apoſtolus? *Nullus in hac vita*, inquit S. Auguſt. in pſal. 83. *perueniſſe ſe dicat; quis enim poteſt iam perfectus eſſe, quàm Paulus & tamen ait : Fratres, ego me non arbitror apprehendiſſe. Vnum autem, quæ retro oblitus; in ea, quæ ante ſunt, extentus, ſecundum intentionem ſequor ad palmam ſupernæ vocationis Dei in Chriſto Ieſu. Vides Paulum* ADHVC CVRRERE, ET TE IAM EXISTIMAS PERVENISSE?

Quicunque ergo perfecti ſumus, hoc ſentiamus.

QVicunque ergo perfecti ſumus.* Cur ſe inter perfectos numerat, qui paulò ſuperiùs dixerat? *Non quòd iam acceperim, aut iam perfectus ſim.* Sanctus Auguſt. ſer. 15. de Verb. Apoſt. ita nodum ſoluit : *Dixerat, Non ſum perfectus; & dicit : Quotquot perfecti, hoc ſapiamus. Ego me non arbitror apprehendiſſe. Non quia iam acceperim, aut iam perfectus ſim. Et dicit : Quotquot perfecti, hoc ſapiamus. Perfecti, & non perfecti :* PERFECTI VIATORES, NONDVM PERFECTI POSSESSORES. Alioquin ille multùm diſtat à perfectione, qui ſibi nihil deeſſe putat, nam nemo tam perfectus viator eſt, qui ire ad perfectiora non poſſit, ac etiam debeat; hoc enim viatoris perfectio eſt, ſemper ad perfectionem tendere, ſemper in perfectione proficere.

Sicut habetis formam noſtram.

S*Icut habetis formam noſtram.* Aliqui ex Græco vertunt, *ſicut habetis formam nos.* Quam lectionem ſic expendebat Salmeron diſp. 6. *Græci*, inquit, *habent, ſicut habetis formam nos*, VT NON FORMAM DE SCRIPTIS SEV DE LITTERIS MORTVIS ACCIPIANT, SED DE LITTERIS VIVIS, QVÆ SVNT MORES PROBI, ET OPERA LVCENTIA AD ÆMVLATIONEM. Nam informis, vt ita loquar, forma illa eſt, quam quis nudâ ſcriptione exhibet, nudis ſermonibus offert. Probam formam dat, qui probitatis eſt forma, forma ſanctitatis; facilè in hominum memoria obliteratur, quod ſolis literis exhibetur, moribus aliud ac ſcripta loquantur loquentibus.

Multi enim ambulant, quos ſæpe dicebam vobis (nunc autem, & flens dico) inimicos Crucis Chriſti: quorum finis interitus; quorum Deus venter eſt.

VEtum iſe veræ charitatis cultorem prodit, 1193.
dum inimicos quoque Crucis Chriſti eo affectu proſequitur, vt affectum ſecutæ lacrymæ fuerint. *Notandum*, inquit Sanctus Hieronymus, *quod vero affectu* OMNIVM SALVTEM OPTAVERIT, *qui etiam inimicos Crucis Chriſti deflebat, vltrò in interitum properantes.*

Quorum Deus venter eſt. Integram guloſi religionẽ ſic deſcribebat Tertullianus aduerſ. Phych. cap. 16. *Deus tibi venter eſt; &* PVLMO, *templum; &* AQVALICVLVS, *altare; & Sacerdos,* COCVS; *& Sanctus Spiritus,* NIDOR; *& condimenta, chariſmata; & ructus Prophetia. Apud te agape in* CACABIS *feruet, fides in* CVLINIS *calet, ſpes in* FERCVLIS *iacet.* Irreligioſa religio iſta eſt, & à Satanicâ officina iſta paratura.

Quinam ſit, qui ventrem ſuum, Deum ſuum 1194.
faciat, explicat in hunc modum Nicetas in orat. 40. Sancti Gregor. Nazianz. *Apoſtolus de iis, qui vitam in delicijs agunt, verba faciens, ait: Quorum Deus venter eſt; nam, qui ventri plus æquo inſeruiunt, deliciáſque ei ſubminiſtrant, eum quodammodo* DEVM FACIVNT. Cui ſacrificia quodammodo offerunt, dum voluptates contra diuinæ legis præſcriptum ſectantur.

Noſtra autem conuerſatio in Cœlis eſt.

N*Oſtra autem conuerſatio in Cœlis eſt.* In Cœlis vt conuerſemur, à terra corde recedendum eſt, cogitatio in Cœlum efferenda; immò & aliquid, quod hîc habeamus, illuc tranſmittendum eſt. *Apoſtolus dicit*, inquit S. Auguſtinus in Pſalm. 48. *Noſtra enim conuerſatio in Cœlis eſt. Corpore ambulamus in terra, corde habitamus in Cœlo. Habitamus ibi, ſi illuc aliquid mittimus, quod ibi nos teneat. Nemo enim inhabitat corde, niſi vnde cogitat: inde autem cogitat, vbi theſaurizat. Theſaurizauit in terra: cor ipſius à terra non recedit. Theſaurizauit in Cœlo;* COR IPSIVS DE COELO NON DESCENDIT. *Domino apertè dicente : Vbi eſt theſaurus tuus, illic & cor tuum erit.* In cœlo igitur cor ſit, ſitque cœlum ipſum cor noſtrum.

Noſtra autem conuerſatio in Cœlis eſt. Non di- 1195.
xit, *Mea*; ſed, *Noſtra* : nam hæc verorum Chriſtianorum vera nota, & conſignatio eſt, mente Cœlo cœleſtibuſque hærere, Mundo neglecto. Peritè Sanctus Macarius homil. 5. *Dictum eſt: Noſtra autem conuerſatio in Cœlis eſt; in eo enim veri Chriſtiani diſcrepant ab vniuerſo genere hominum. Nec paruum eſt inter vtroſque diſcrimen, ſicuti prædicebamus : nempe in eo, quod* ANIMVS ATQVE INTELLECTVS CHRISTIANORVM COGITATIONI COELESTI SEMPER SIT DEDITVS, *æternaque bona contemplatur propter communicationem Spiritus Sancti, quia deſurſum ex Deo nati ſunt, & in veritate, & potentia filij Dei meruerunt euadere; atque ad ſtatum, & ſtabilitatem, & requiem imperturbatam non ſine multis laboribus atque ſudoribus longa poſt tempora peruenerunt, nullo ſubinde cribro agitati, neque vanis, & inſtabilibus cogitationibus fluctuantes. In quo melioris ſunt conditionis, quam Mundus: propterea quod ment*

ipsorum, & cogitatio animi sit in pace Christi, & dilectione Spiritus Sancti; sicuti Dominus, de eiusmodi viris mentionem faciens, aiebat, eos transisse à morte ad vitam;

1196. *Nostra autem conuersatio in Cœlis est.* Non nudè dixit: *Nostra mens in cœlis est*, sed, *Conuersatio*, vt Cœlestes quoque ciues cum iis versari indicaret, qui in cœlestia feruntur, in terris licet sint. Nequeo hîc supprimere, quæ habet S. Ambrosius serm. 87. *Ait Apostolus: Nostra autem conuersatio in Cœlis est, & Cœlestium conuersatio potest esse nobiscum; hoc est, vt qui vita viuimus Angelorum, rectè consortium mereamur.* EST ERGO SANCTE VIVENTIBVS QVÆDAM INTER SE COGNATIO, CONIVNCTIO ATQVE SOCIETAS; *nec interest vtrum in Cœlis maneant, an in terris: Angelici sint habitus, vel humani; dummodò in iis sit eadem vita vel sanctitas. Conuersatio enim connectit, quos separat elementum: & diuersis licèt corporibus diuidantur, iisdem tamen actibus coniunguntur. Atque ideo fit, vt Sancti sibi quodam consortio cohærentes, à se inuicem non discedant; & modò Angeli ad terras veniant, modò homines ad Cœlestia transferantur; ac profectu meliore, quibus vita communis est, incipiunt illis viuendi etiam elementa esse communia.*

1197. *Nostra autem conuersatio in Cœlis est*, Et quì in cœlis esse potest, cum sine fluctibus, sine tentationibus non sit? Sanctus Augustinus in Ps. 58. scitâ id explicat similitudine, dum ait: *Conuersatio nostra in Cœlis est, in carne enim ambulantes, inquit, non secundùm carnem militamus; iam desiderio ibi sumus, iam spem in illam terram, quasi anchoram præmisimus, ne in isto mari turbati naufragemus: quemadmodum ergo de naui quæ in anchoris est, rectè dicimus quòd iam in terra sit, adhuc tamen fluctuat, sed in terram quodammodo educta est contra ventos, & contra tempestates: Sic contra tentationes huius peregrinationis nostræ*, SPES NOSTRA FVNDATA IN ILLA CIVITATE IERVSALEM, *facit nos non abripi in saxa.*

1198. *Nostra autem conuersatio in Cœlis est*; Hoc dicere non potest, qui terræ, & terrenis hæret. Vtiliter Sanctus Ambrosius in Psal. 45. *Sed dicit; Nostra conuersatio autem in cœlis est. Transi ergo mundum, vt incipias* ESSE SVPRA MVNDVM. Mundo ipso incipit maior esse, qui se supra mundum effert, & mundum calcat.

In cœlis est. Abiecti ergo est animi terrena cogitare, hærere terrenis; sublimis est in sublimia, in cœlestia ferri. Sanctus Isidorus Pelusiota lib. 3. epist. 186. huc spectans, infit: *Apostolus, vir sapientissimus, cùm eos, qui terrena sapiunt, obiurgasset, his verbis vsus est, Nostra autem conuersatio in cœlis est: iis videlicet, qui praua, & improba faciunt, eos qui ingentia, & præclara opera edunt, opponens. Illi enim* VILES ET ABIECTI SVNT: *hi autem animi magnitudine præditi, atque insignis cuiusdam proceritatis.* Ille verè magnus cui omnia parua, quæ in mundo putantur magna.

In cœlis est; Qui ita effert se, vt in cœlo conuersetur, facilè vitabit laqueos, & retia, quæ in terris, in terrenis rebus delitescunt. Festiuè Sanctus Ambrosius lib. 6. Hexam. cap. 8. *In superioribus nemo tendit retia*, LAQVEVM NVLLVS ABSCONDIT. *Ideo cuius conuersatio in supernis est, huius non soles in prædam venire captura.* In prædam non venit, sed pro præda cœlum ipsum habet, qui mundum, & mundana omnia negligit, nec creaturis adhæret, vt adhæreat Creatori.

Vnde etiam Saluatorem expectamus Dominum nostrum Iesum Christum.

Corpus reformabit, qui animam prius sal- 1199.
uauit. *Venit Saluator animarum*, inquit B. Thomas, *Veniet iterum Saluator corporum. Iam viua est radix, sed nondum rami viuificati.* Nimirum ei rei potior cura impendenda erat, quæ potior, & anima corpori in cura præferenda, quæ in perfectione præfertur.

Qui reformabit corpus humilitatis nostræ configuratum corpori claritatis suæ.

Corpus humilitatis nostræ. Id est corpus hoc mortale, ac corruptibile, Licèt Sanctus Bernardus humilitatis nomen audiens hinc colligat solos humiles illustrandos: sic ille scribit serm. 47. in Cantica: *An non verè vel tunc maximè se lilium conuallium comprobabit, cum reformabit corpus humilitatis nostræ configuratum corpori claritatis suæ? Non ait corpus nostrum, sed corpus humilitatis nostræ: vt huius lily miro, & sempiterno candore solos significet* HVMILES ILLVSTRANDOS.

Reformabit corpus; Qui scilicet priùs animam 1200.
reformauit: hunc ordinem seruare nos quoque debemus, vt prima nobis cura sit animæ saluandæ; id quod opportunè monebat idem Sanctus Bernardus serm. 6. de aduentu Domini: *Sequendum nobis est sine dubio caput nostrum: vt videlicet prima nobis reparandarum sit sollicitudo animarum, pro quibus ipse iam venit, & quarum prius mederi studuit corruptioni*; CORPORIS VERO CVRAM ILLI TEMPORI MAGIS RESERVEMVS, ET DIFFERAMVS IN ILLVM DIEM, *quo reformandi corporis gratiâ est venturus, sicut meminit Apostolus dicens: Saluatorem expectamus Dominum nostrum Iesum Christum, qui reformabit corpus humilitatis nostræ configuratum corpori claritatis suæ.*

Secundùm operationem quâ etiam possit subiicere sibi omnia.

IVre hoc adiecit, ne quis in dubium reuocaret, & quæ de corporis reformatione dixerat; indicans simul quàm magnum hoc futurum opus sit: Sanctus Chrysostomus in psal. 109. horum verborum nexum expendens aiebat: *Qui transformabit corpus humilitatis nostræ, vt simus conformes corpori gloriæ eius. Deinde quoniam rem dixerat* MAGNAM ET INEFFABILEM, *subiunxit, secundum operationem quà potest omnia sibi subiicere. Ne quæras, inquit, quomodo, & quanam ratione, potest enim quæcumque vult.*

Quà etiam possit subiicere sibi omnia. Et cur alibi dictum est; Patrem Filio omnia subiecturum? Vt ostendatur eandem Patris, & Filij, & potentiam esse, essentiam, & diuinitatem, quod notauit etiam Estius hîc. Me tibi, Amor, lubens subiicio, etiam si alioquin non essem. Claudo, & obsigno.

PRÆSTAT DEO SE SVBIICERE, QVAM QVÆ EXTRA DEVM, HABERE SVBIECTA.

CAPVT IV.

EPISTOLÆ AD *Philippenses expenditur & illustratur.*

1201 *Amabiles homines reddit eorum bonitas, & perfectio.*

1101 *De proximi bonis non secus, ac de nostris gaudendum.*

1201 *Laudes vt ad magna prouocent, & facilia reddant, quæ difficilia.*

1201 *Iis, quos Paulus conuertit, tanquam corona redimiendus.*

1202 *Stare vt coram Deo debeamus.*

1202 *Perseuerantia in bono commendatur.*

1102 *Etiam leuibus morbis medica adhibenda manus.*

1202 *Discordia euellenda.*

1102 *Superiores suorum turbationem anteuertant.*

1203 *Iucunditate semper afficitur, qui in Domino manet; etiamsi torqueatur.*

1203 *Ipsum lugere, cur gaudere in Domino sit.*

1204 *Continuæ lætitiæ & gaudij causa, solus Deus.*

1204 *Non in sæculo, sed in Deo verum gaudium.*

1205 *Gaudio grauida pœnitentium lacryma.*

1205 *Gaudere in Domino qui quærit, Domini præcepta impleat, & omnia aduersa pro illo æquo animo patiatur.*

1206 *Nulla calamitas tam grauis, quæ lætitiam nostram poßit inficere.*

1206 *Etiam præmia, quæ expectantur, gaudij materia eße debent, & præcipua.*

1207 *Modestia commendatio Christi exemplo.*

1207 *Quænam solicitudo probanda, quænam improbanda.*

1208 *Petitiones nostræ in oratione cur apud Deum debeant innotescere.*

1208 *Diuina mysteria non facilè, non temerè perscrutanda.*

1209 *Cogitationi bonæ, & bona actio iūgatur.*

1210 *Etiam in humilitate scientia vt necessaria sit.*

1210 *Diuitem animum habeat, qui etiam diuitiarum thesaurum non habet.*

1211 *Scire penuriam pati, scire abundare, magnorum est.*

1211 *Oblatio quo animo fieri debeat.*

1211 *Verus Pastor quid curare præcipuè debeat.*

1212 *Eleemosynis, Deo electum sacrificium offertur.*

1212 *Multa habet, qui paucis contentus est.*

1212 *Vberiores Ecclesiarum fructus percipientes, vt pauperiores sint.*

1212 *Pauperiores, lætiores & liberaliores sunt.*

1212 *Benè de quolibet sentiendum nisi aliter constet.*

1212 *Etiam in malorum aulis litare probitati quis potest.*

Itaque, fratres mei charißimi, & desideratißimi, gaudium meum, & corona mea.

MIRVM quòd tanta suauitate Philippenses, tam blandis titulis, & beneuolentiam præseferentibus verbis vtatur, cur id præcipuè in eos factum? *Quia cæteris perfectiores*, inquit Primasius. Vt nihil sic amabiles reddit homines, quam illorum bonitas, ac perfectio, sic ardentius ferri in eos amor noster debet, qui ardentius in perfectionem, bonitatémque feruntur. 1201.

Gaudium meum. Gaudium suum Philippenses vocat Apostolus, quod insigni profectu, quem in Christiana religione fecerant, singularis gaudendi occasio Paulo essent, *Nam Christianæ charitatis hæc nota est, de proximi bonis*, NON SECVS AC DE PROPRIIS GAVDERE. Quod maximè magistris, ac parentibus conuenit, cum illi de discipulorum profectu, isti de filiorum bono valdè lætentur.

Gaudium meum, & corona mea. Nullam blanda hæc compellatio adulationem sapit, *non otiosè, aut inaniter*, vt scitus ille Auctor notabat, *laudes adhibet Paulus, sed tunc signatè, cum de re aliqua perdifficili eos incipit monere, nulla enim tam acuta calcaria, quam laudis. Ideo subdit: sic state.* Adulatoria qui verba alicuius auribus admouent, adeo non dicunt, *state*, vt eos potius à sua in bono firmitate conentur deiicere, sicque deinceps *iacent*, qui bibulas blandis verbis aures offerunt.

Suos, coronam suam vocat quâ insignius præcipuè apparebit cum ad Iudicium omnes sistemur; quod notabat B. Thomas à Villa noua, conc. 2. de Iudicio; *Ad Philippenses ait: Fratres mei charissimi, & desideratissimi, gaudium meum, & corona mea. Quia videlicet ex eorum salute fulgentissima tunc in capite* EIVS CORONA FVLGEBIT; *immensáque illi gloria redundabit.* Regum diadematis hanc coronam Paulus præfert, & docet præferendam.

Sic state in Domino charißimi.

AD perseuerantiam eos inhortatur, dum ait, *state*; neç enim de nudo corporis situ loquitur Apostolus; Sanctus Chrysostomus eleganter explicat hunc locum, dum ait: *Stare honestè nihil aliud est*, NISI ITA STARE *vt hominem conuenit, qui coram Deo immortali stat, cum horrore tremoréque, cum sobrio, parato, studioso que animo, nam id quoque vocabulum pertinere ad animam. Paulus idem docet, cum dicit: Sic state in Domino charissimi; etenim vt sagittarius qui suarela directurus sit, probè ac scitè priusquam mittat, quemadmodum consistat procurat, & vbi se per directum calci* 1202.

proposita accurate constituit, tum iacere incipit: idem etiam tu agere debes: enim sagitta pessimum illud infestúmque hostis Diaboli caput transfigere cupias, cura de statu cogitationum tuarum accipere prius, vt ex directo, & sine vllo impedimento fixo pede tela tua probè in illum possis dirigere. Sic ille hom. 4. de incomprehensibili Dei natura.

Sic state in Domino charissimi. Et quì iubentur *stare*, cum aliàs ad cursum omnes Paulus prouocare soleat? Quomodo stare possunt qui currunt, aut currere qui stant? Non pugnantia loquitur Apostolus, sed sibi maximè consentientia, nam de instantia, & perseuerãtia loquitur in virtutum stadio, *& in percurrendo*, vt ille ait, *perfectionis stadio, quæ sine indefesso proficiendi ardore non subsistit. Quare perinde fuit dicere, sic state, ac si dixerit;* DVRATE IN CVRSV, SIVE FIRMITER IN CVRRENDO PERSISTITE.

Euodiam rogo, & Synthychen deprecor, idipsum sapere in Domino.

CVr has præcipuè mulieres nominat; An quia præcipuæ erant, & maximè in Sanctos beneficentiâ nobiles, quæ tamen non nihil inter se diffidebant, vt idcirco adiiciat. *Id ipsum sapere in Domino?* Sanctus Thomas hîc. *Hæ*, inquit, *duæ mulieres sanctæ, ministrabant sanctis in Ciuitate Philippensis, & fortè erat aliqua* DISCORDIA *inter eas, ideò eas ad concordiam reuocat.* Ne malum serperet, & magna inferret damna, & à molliori sexu, quod sæpè accidit, ad fortiorem transiret. Vt hinc superiores discant etiam leuibus morbis medicam manum admouere, ne maiores fiant, dum contemnuntur.

Quorum nomina sunt in libro vitæ.

NE cogeretur omnes nominare, hac omnes formulâ comprehendit; *quod ponit*, inquit hîc Sanctus Thomas, *ne si alios non nominabat turbarentur; quasi dicat, non est magnum si non scribo omnium nomina, quia* SVNT SCRIPTA IN MELIORI LOCO. Nimirum cauere Superiores debent, vt suorũ turbationẽ anteuertant, nec de aliquibus inuidiosè loquãtur, adeò vt cæteri turbẽtur.

Gaudete in Domino semper: iterum dico, Gaudete.

1203. G*Audete in Domino semper.* Pulchrè Athanasius: *Non gaudere simpliciter dixit; sed, in Domino: qui enim in Domino manet, etiamsi* TORQVEATVR, *& laceretur*, IVCVNDITATE SEMPER AFFICITVR.

Gaudete in Domino semper. Quid est, *Semper? Quando non interrumpitur peccato*, inquit S. Thomas, peccatum quippe cum vero gaudio non cohæret: statim ab anima gaudium tollit, quùm animã corripit, & subit. Præterea gaudere semper debemus, etiam quùm premimur, & quùm dura ob Deum patimur. *Et, qui in Deo est*, inquit S. Chrysostomus, *semper gaudendum*, ETIAMSI PREMATVR, AC QVIDVIS PATIATVR.

Gaudete nos semper iubet Apostolus: & Christus beatos vocat, qui lugent. Non sunt aduersa ista: etiam, qui lugent, gaudere possunt, sed in Domino. Pulchrè hunc locum versat hic Theophylactus: *Gaudete in Domino semper. Quomodo igitur Dominus dixit? Beati, qui lugent. Quia* ILLVD IPSVM LVGERE EST GAVDERE. *Non enim simpliciter dixit, Gaudete, sed in Domino, qui autem in Domino est, semper gaudet, etiamsi torqueatur vel dilaceretur. Reuertebantur, inquit, à concilio gaudentes, quoniam digni habiti essent pro nomine Iesu contumelia affici.* 1204.

Cum *in Domino* dixit, continuæ lætitiæ, gaudijque causam indicauit, verè gaudere nequit, qui extra Deum gaudet Eximie Sanctus Chrysostomus: *Gaudete semper, sed addidit*, CONTINVÆ VOLVPTATIS CAVSAM, *cum dixerit: Gaudete in Domino semper; in Domino gaudens, ex accidente nullo voluptate hac excidere potest. Alia nempe cuncta in quibus gaudemus, mutabilia sunt, & transitu facilia, & facile vertuntur; nec hoc solum habent molestum, sed etiam quòd manentia, non tantam nobis afferunt voluptatem, vt ex aliis nascentem tristitiam repellant, & obumbrent.* Sic ille hom. 18. ad Populum Antiochenum.

Gaudete in Domino semper. Verè gaudere non potest, qui extra Dominum gaudium quærit. Peritè hæc verba versat Sanctus Augustinus serm. 37. de Verb. Dom. *Gaudere*, inquit, *nos Apostolus præcipit*, SED IN DOMINO, NON IN SÆCVLO: *quicumque enim voluerit amicus esse huius sæculi (sicut scriptum est) inimicus Dei reputabitur. Sicut autem non potest homo duobus dominis seruire, sic nemo potest gaudere, & in sæculo, & in Domino. Multum inter se hæc duo gaudia differunt, súntque omninò contraria. Quando gaudetur in sæculo, non gaudetur in Domino: quando gaudetur in Domino, non gaudetur in sæculo. Vincat gaudium in Domino, donec finiatur gaudium in sæculo. Gaudium in Domino semper augeatur: gaudium in sæculo semper minuatur, donec finiatur. Non ideo ista dicuntur, quoniam, in hoc sæculo quùm sumus, gaudere non debemus: sed, vt, iam in hoc sæculo constituti, iam in Domino gaudeamus.* 1205

Gaudete in Domino, gaudete. Si gaudendum semper, quando fundendæ lacrymæ, cum Christus lugentes vocet beatos? An gaudio grauidæ pœnitentium lacrymæ sunt? *Cum Christus dicat*, inquit hîc S. Chrysostom. *Beati, qui lugent, & væ ridentibus, quid nunc significans Paulus ita inquit? Gaudete in Domino semper. Non sanè aduersatur Christo, absit. Væ enim Christus dixit ridentibus, ridentibus risum Mundi huius, qui ex rebus præsentibus oritur: & lugentes beatos prædicauit, non quouis modo lugentes ex familiarium, ac rerum suarum amissione; sed eos, qui compunguntur, qui sua lugent mala, qui peccata sua expendunt, aut etiam aliena.* NON EST AVTEM EIVSMODI LVCTVI CONTRARIVM HOC GAVDIVM: QVINIMO A LVCTV ILLO GAVDIVM HOC PROCREATVR: *nam, qui luget sua mala, & confitetur, is gaudebit. Præterea verò licet lugere quidem propter peccata sua, gaudere autem Christi causâ. Quoniam igitur vexabantur rerum molestarum perpessione (vobis enim datum est, inquit, non solum vt in eum credatis; sed vt etiam pro illo patiamini) propterea inquit: In Domino gaudete. Idem enim significat, ac si dixisset: Talem vitæ rationem ostendite, vt gaudendum sit. Quando igitur, quæ ad Deum pertinent, nullum apud vos impedimentum habuerint, gaudete.*

Gaudete in Domino. Extra gaudij veri limites se locat, qui gaudium extra Dominum quærit. Sed qui gaudere in Domino possumus, si eius voluntatem impleamus: eius mandata perficiamus,

aut

aut etiam aliquid pro eo patiamur. Benè S. Baſilius in regulis breuioribus cap. 163. *Cuiuſmodi*, inquit, *eſt, quod in Domino gaudium eſt? & quid eſt quod facientes gaudere debeamus?* Reſpondet. *In his quæ ſecundum mandatum Domini fiunt gaudere, eſt in Domino gaudere. Quocirca quandocumque* MANDATA DEI EXEQVIMVR, *aut propter nomen Domini* ALIQVID PATIMVR, *gaudere, & gratulari inter nos debemus.* Nulla aduerſitas vero aduerſatur gaudio, ſi cor Dei amore æſtuet.

1206. *Gaudete in Domino ſemper.* Nulla debet eſſe calamitas tam grauis, nulla tribulatio tam dura, quæ de lætitiæ, & gaudij ſuggeſtu deiicere Chriſtiani hominis mentem queat, vel hac ſola cogitatione, quòd pro hominibus homo, Dei Filius factus eſt. Appoſitè Sanctus Chryſoſtomus hom. 15. in Epiſt. ad Corinth. *Filius Dei propter te, homo factus eſt, à morte te liberauit, in Regiam vocauit. Qui ergo talia aſſecutus es, & aſſequeris,* QVOMODO NON DEBES TOTA VITA DIEM FESTVM AGERE? *Nemo ſit ergo triſtis propter paupertatem, & morbum, & inſidias: noſtri enim feſti eſt totum tempus. Et ideo dicit Paulus: Gaudete in Domino: gaudete, iterum dico, gaudete. In diebus feſtis nullus ſordidis eſt indutus veſtibus: nec vos ergo.*

Iterum dico gaudete. Ac ſi ſemel id dixiſſe ſatis Apoſtolo non fuerit. S Bernard. ſerm. 4. in Vigilia Natiuit. Domini, ait: *Gaudete in Domino ſemper, iterum dico gaudete. Gaudete, inquit, de exhibitione, iterum gaudete de promiſſione: quoniam & res plena gaudio, & ſpes plena gaudio eſt. Gaudete quia iam percepiſtis dona ſiniſtræ,* GAVDETE QVIA EXPECTATIS PRÆMIA DEXTERÆ.

Modeſtia veſtra nota ſit omnibus hominibus.

1207. M*Odeſtia veſtra nota ſit.* Quæ virtutum aliarum veluti venuſtas, & ſpecies eſt. Modeſtiam, Chriſti exemplo, hunc Apoſtoli locum afferens ſic ſuis ſuadebat B. Bernardus ſerm. 4. in Vigil. Natiuit. Dom. *Modeſtia veſtra, ait Apoſtolus, nota ſit omnibus hominibus. Dominus propè eſt. Dignum eſt enim, vt & modeſtia noſtra nota ſit, ſicut Domini Dei noſtri modeſtia cunctis innotuit. Quid enim magis incongruum, quam vt immoderatè agat homo conſcius propriæ infirmitatis; quandoquidem apparuit inter homines* MODESTVS DOMINVS MAIESTATIS?

Nihil ſolliciti ſitis.

AC ſi diceret, cùm Dominus vobis adſit, abeſſe à vobis ſollicitudo omnis debet. Sed aliquis hic illud opponat, quod habet idem Paulus Rom. 12. *Qui præeſt in ſollicitudine*; cur igitur hìc abſolutè ait, *nihil ſolliciti ſitis.* An Paulo Paulus contrarius eſt? Non eſt. Alia eſt ſollicitudo quæ diligentiam importat, & torpori, ac negligentiæ opponitur; alia quæ nimiam animi anxietatem ſignificat cum ſpei defectu. Hanc Paulus prohibet, illam commendat, ſic in Pauli concordiam Paulum vocat etiam Sanctus Thomas hìc.

Petitiones veſtræ innoteſcant apud Deum.

ET quid eſt, quod notum Deo non ſit! cur igitur dixit innoteſcant: Sanctus Thomas: 1208.
Innoteſcant, id eſt, approbentur ante Deum, & appareant quaſi digna, & ſancta Solitâ Sacræ Scripturæ phraſi, quâ Deus ſcire ea dicitur, quæ probat, neſcire quæ improbat, ſic & B. Bruno: *Innoteſcant, id eſt, cognita, & approbata ſint apud Deum. Tunc apud Deum* INNOTESCIT PETITIO, *ſi qui petit* IVSTVS EST, *& quod petit* IDONEVM EST. Vtrumque neceſſarium eſt, & vt bonus ſit, qui orat, & cauſam bonam habeat.

Cum gratiarum actione petitiones veſtræ innoteſcant apud Deum.

CVr gratiarum actionē petitionibus præmittit, cùm prius aliquid petatur, quo obtento gratiæ Deo agantur? An vt ſic innueret quàm citò, quam certò orantium preces Deus exaudiat? Pulchrè illi: *tàmque certò exauditus vt antequam orans poſtulet, gratias referre poſſit pro veluti iam recepta. Cum gratiarum actione petitiones veſtræ innoteſcant apud Deum. Quiſnam ô Apoſtolo orationis eſt ordo? prius gratias agere, poſtea orare? è contra didici: ſed cum Deo qui tam citò, & tam certò exaudit, hunc ſanè ordinem ſeruare poſſumus, gratias nimirum agere, & poſtea orare: quaſi poſſit dicere quiſquis orat: Gratias ago Domine, pro hoc quod flagito beneficio: nam quod petij, ex certa ſpe iam adeptus ſum.*

Innoteſcant apud Deum. Signatè, *Apud Deum*, dixit: non, *Apud homines*, apud hos enim præſtat non innoteſcere, ne per iactantiam, orationum, & precum vis effluat velut per quaſdam rimas. S. Auguſtinus ſerm. 121. cap. 9. de Verb. Apoſt. *Innoteſcant*, inquit, *apud Deum per tolerantiam, non apud homines* PER IACTANTIAM.

Et pax Dei, quæ exſuperat omnem ſenſum, cuſtodiat corda veſtra.

QVa exſuperat omnem ſenſum. Si ſuperat pax, quantò magis, qui pacem iſtam exhibet? S. Ambroſius lib. 1. de fide cap. 5. ita rem vrget: *Mihi impoſſibile eſt generationis ſcire ſecretum. Mens deficit, vox ſilet, non mea tantùm, ſed Angelorum. Supra Poteſtates, ſupra Angelos, ſupra Cherubim, ſupra Seraphim, ſupra omnem ſenſum eſt, quia ſcriptum eſt: Pax autem Chriſti, quæ eſt ſupra omnem ſenſum. Si pax Chriſti ſupra omnem ſenſum eſt: quemadmodum non eſt ſupra omnem ſenſum tanta generatio? Tu quoque manum ori admone:* SCRVTARI NON LICET SVPERA MYSTERIA.

Hæc agite, & Deus pacis erit vobiſcum.

SIgnatè hoc poſtremum adiecit, non di- 1209.
xit: *hæc cogitate*, neque enim à nuda cogitatione tantum ſperari bonum poteſt: *Hæc agite, non enim*, ait hìc Sanctus Hieronymus, *ſola ſine actu ſufficit cogitatio, & Deus pacis erit vobiſcum, ſi hæc non* MODO COGITETIS, SED ETIAM FACIATIS.

Gaudete

Gauisus sum autem in Domino vehementer, quoniam tandem aliquando refloruistis pro me sentire.

REfloruistis; S. Augustinus legit: *Repullulastis*, sic autem hunc locum versat in Psalm. 49. *Verè terra fructuosa cui gaudet Apostolus quando ei miserunt ad necessitates eius. Non quia quæro datum, inquit, sed requiro fructum, & gratias agit dicens: quia tandem aliquando repullulastis pro me sapere,* REPVLLVLASTIS VT ARBORIBVS DICIT, *quæ sterilitate exaruerant quadam.*

Ego enim didici, in quibus sum, sufficiens esse.

PEritè hæc verba, & expendit, & explicat S. Ambrosius lib. 2. Offic. cap. 17. *Ego autem didici, in quibus sum, sufficiens esse. Sciebat enim omnium malorum radicem esse auaritiam; & ideo suo contentus erat, alienum non requirebat. Satis mihi, inquit, est, quod habeo: siue parum, siue plurimum habeam, mihi plurimum est. Signato verbo vsus est. Sufficit mihi, inquit, in quo sum; id est, nec deest, nec superfluit. Non deest, quia nihil quæro amplius:* NON SVPERFLVIT; *quia non soli mihi habeo, sed pluribus.*

Scio & humiliari, scio & abundare (vbique & in omnibus institutus sum) satiari, & abundare, & penuriam pati.

1210. SCio & humiliari. Etiam in humilitate scientia necessaria est. *Non ergo*, inquit S. Ambrosius lib. 2. Offic. cap. 17. *indocta humilitas; sed, quæ habeat sui modestiam & scientiam, laudi datur. Est enim humilitas formidinis, est & imperitiæ atque ignorantiæ, ideò & Scriptura ait: & humiles spiritu saluabit. Præclarè ergo dixit: Scio & humiliari.* ID EST, QVO IN LOCO, QVA MODERATIONE, QVO FINE, IN QVO OFFICIO, IN QVO MVNERE. *Nesciuit Pharisæus humiliari, ideo deiectus est: sciuit Publicanus, ideo iustificatus est.*

Singulare in Paulo, quòd scierit abundare; cùm multi nesciant, etsi diuites sint. Præstat hîc sistere, quæ habet ad hæc verba S. Ambrosius lib. 2. Offic. cap. 17. *Sciebat & abundare Paulus,* QVI ANIMVM HABEBAT DIVITEM, ETSI THESAVRVM DIVITIS NON HABEBAT. *Sciebat & abundare, quia non quærebat datum in pecunia, sed requirebat fructum in gratia.*

1211. *Scio & abundare, & penuriam pati.* Et quid hoc magnum, magne? Multorum est pati penuriam, sed paucorum scire pati: quin & scire abundare, vt abundantia non noceat. *Paulus dicebat*, inquit S. Augustinus lib. de bono coniug. cap. 22. *Scio & abundare, & penuriam pati. Penuriam quippe pati, quorumcunque hominum est:* SED SCIRE PENVRIAM PATI MAGNORVM *est. Sic & abundare quis potest: scire autem &* ABVNDARE *non nisi eorum est, quos abundantia non corrumpit.*

Non quia quæro datum, sed requiro fructum abundantem in ratione vestra.

NOn quia quæro datum, sed requiro fructum. Licet datum, fructus & profectus esset indicium: qui enim ob charitatis amorem sua exhibet, multum se indicat profecisse. Nolo hîc desiderari horum verborum commentarium, quem offert S. Augustinus lib. 2. de Sermone Dom. in mont. *Apostolus dicit de oblatione, quæ fit in Sanctos: Non quia quæro datum, sed requiro fructum id est, quod quæro datum vestrum, non hoc quærò, sed fructum vestrum, hoc enim indicio apparere poterat, quantum profecissent in Deum,* CVM ID LIBENTER OFFERRENT: *quod non propter gaudium de muneribus, sed propter communionem charitatis ab eis quærebatur.*

Datum non quærebat, sed fructum, quia non erat ex iis Pastoribus qui neglectis ouibus, sui curam habent & pascunt se. Idem S. Augustinus lib. de Pastoribus cap. 2. ad hanc mentem ad hæc verba ita scribit: *Bene fecisti communicare necessitatibus meis; ego enim didici in quibus sum sufficiens esse. Scio & abundare & penuriam pati. Omnia possum in eo qui me confortat, veruntamen vos bene fecistis vsibus meis mittere. Sed vt ostenderet in eo quod illi bene fecerunt, quòd non ipse quæreret, ne inter illos esset qui se ipsos pascunt, non oues, non tam sua gaudet subuentum esse necessitati, quam illorum gratulabatur fœcunditati; quid ergo ibi quærebat? non requiro, inquit, datum, sed requiro fructum; non vt ego, inquit,* EXPLEAR, SED NE VOS INANES REMANEATIS.

Habeo autem omnia, & abundo: repletus sum acceptis ab Epaphrodito, quæ misistis, odorem suauitatis, hostiam acceptam, placentem Deo.

ELeemosynis electum Deo sacrificium offerri 1212.
ex his Pauli verbis colligebat Sanctus Cyprianus tract. de orat. Dom. dum ait. *Beatus Apostolus Paulus in necessitate pressuræ auditus à fratribus, opera bona quæ sunt, sacrificia Dei dixit esse. Saturatus sum, inquit, recipiens ab Epaphrodito ea quæ a vobis missa sunt, odorem suauitatis,* SACRIFICIVM ACCEPTVM, ET PLACITVM DEO. *Nam quando quis miseretur pauperis, Deo fœnerat: & qui dat minimis, Deo donat, spiritaliter Deo suauitatis odorem sacrificat.*

Habeo autem omnia, & abundo. Et qui *omnia* habebat, & abundabat, qui fors non multa acceperat, sed pauca? An hoc dixit, quia ei, qui necessariis contentus, pauca videntur multa, videntur omnia? Cupiditatem habendi aufer, ea quæ re ipsa pauca erant fiunt multa, fiunt omnia: omnia habet, cui nihil deest, qui nihil cupit. Præterea, *cum dixit, abundo*, ait hîc Salmeron, *ciuiliter dictum videri potest, vt etiam cum dixit, omnia, qui fortè pauca acceperat. Sicut egentes, inquit, multos autem locupletantes; tanquam nihil habentes, & omnia possidentes.* Addit statim: *Nescio enim quomodo diuinâ prouidentiâ fieri videmus,* VT QVI VBERIORES ECCLESIARVM FRVCTVS PERCIPIVNT, ABVNDANTIVS SINT ÆRE ALIENO CONSTRICTI, *& in eis magis accenditur, quæ nunquam expletur, cupiditatis sitis. Contra verò,*

verò, qui hæc lucra spernunt, vt sua, vel tenuiori forte vtantur, sunt contenti & læti, & ita abundant; vt possint esse aliis auxilio. Sicque pluta videntur habere, qui habent pauciora, cùm sitis ipsa habendi ea ipsa minuat, quæ possidentur.

Salutate omnem Sanctum in Christo Iesu.

SAnctos fideles omnes vocat, sed eur hoc titulo omnes indiscriminatim nobilitantur? *Fideles*, inquit hîc Estius, *ab Apostolo Sancti vocantur, quia membra sunt Ecclesiæ sanctæ, nec aliter de vnoquoque eorum opinari debemus, nisi fortè aliud constet.* A quâ mente alienè illi abeunt, qui malè de omnibus sentiunt, etiam de bonis, & à sanctitate longè esse omnes credunt.

Salutant vos omnes Sancti, maximè autem qui de Cæsaris domo sunt.

M*Aximè autem qui de Cæsaris domo sunt.* Cor hanc salutationis partem adiicit Apostolus? An vt Philippenses, dum audiunt, Euangelium vsque in Neronis aulam penetrasse, & summo gaudio replerentur, & magis in fide confirmarentur? Perpensè Remigius: *Addidit, maximè qui de Cæsaris domo sunt, vt Philippenses acueret, & instigaret ad fidem firmandam & bonis operibus laborandum. Quasi diceret: ô Philippenses, attendite, si illi, qui apparitores Imperatoris sunt, & semper assistere debent in Palatio illius, venerunt ad fidem, pro nihilo deputantes iram Imperatoris, & viriliter in fide, & doctrina laborant; quantò magis vos debetis feruenti animo fidem seruare, bonisque operibus insistere, qui longe ab aula remoti, Regali non estis in aula, neque terremini visu malignorum Principum. Nam manente Apostolo in carcere in domo Imperatoris, multi ex domo Cæsaris veniebant ad eum, docti ab illo baptizabantur; in tantum, vt sicut iam diximus, domum persequutoris facerent Ecclesiam Redemptoris.* Nemo igitur dominorum sæuitiam in sui excusationem affectat.

NERO IPSE NVLLI NOCERE POTEST, NISI SVI QVILIBET SIT NERO.

Finis Epistolæ ad Philippenses expensæ, & illustratæ.

CAPVT

CAPVT PRIMVM EPISTOLÆ AD COLOSSENSES EXPENDITVR ET ILLVSTRATVR.

1213 *Pauli vincula sanctitatem quandam cur scriptioni affricauerint.*

1213 *Gratiarum actio cur pro gratulatione posita.*

1213 *Nihil adeo perfectum cui adiici aliquid non possit.*

1214 *Euangelium vt apud nos dominetur.*

1214 *Cauere Superior debet, ne subditorum animi nimis deiiciantur.*

1215 *Nemo adeo perfectus, vt proficere non indigeat.*

1215 *Fructus cur bona opera vocata.*

1216 *Hæreditas cur sortis nomine significata.*

1217 *Perfectè vt nos Christus liberauerit.*

1217 *Peccatum homines ab Angelis dirimebat.*

1218 *Diligentia difficilia quæque facilia facit: socordia è contra.*

1219 *Gaudere de afflictionibus quam magnum sit.*

1220 *Adhuc vt in membris suis Christus patiatur.*

1220 *Plura pati Christus desiderauit, quam re ipsa sustinuerit.*

1220 *Exigua Christi amori videbantur quæ pro nobis passus est.*

1120 *Quam magno & inexplebili patiendi desiderio Christus teneretur.*

1220 *Christi Sacerdos pro Ecclesia Dei sustinere passiones debet.*

1220 *Pro Christo pati quam sit eximium.*

1220 *Humanarum afflictionum quam excelsa laus.*

1213. EPISTOLÆ huius excellentiam vel ab hoc collige, quòd scripta à Paulo est, dum in vinculis esset, vt sanctitatem quandam vincula scriptioni affricarent. Præclarè S. Chrysostomus in huius Epist. Comment. *Sancta quidem sunt omnes Epistolæ Pauli:* ALIQVID AVTEM HABENT AMPLIVS, QVÆ EO VINCTO MITTVNTVR, *cuiusmodi sunt Epistola ad Ephesios, ad Timotheum, & hæc præsens, nam ea quoque missa est, cum esset in vinculis, sicut scribens quoque dicebat: Propter quod etiam vinctus sum, vt manifestem illud ita, vt oportet me loqui.*

Gratias agimus Deo, & Patri Domini nostri Iesu Christi, semper pro vobis orantes.

GRatias agimus Deo. Putant aliqui hîc, & alibi Apostolum gratiarum actionem posuisse pro gratulatione; sed cur id fecerit docet his verbis Salmeron disp. 2. *Semper autem* GRATVLATIONIS LOCO PONIT GRATIARVM ACTIONEM, *quò doceat in omni gaudio protinus debere nobis occurrere diuinæ memoriam bonitatis, quia eius beneficium est, quicquid nobis lætum, & faustum contingit.* Addit, *& suo exemplo nos tacitè commonefacit, vt, non tantum ea, quæ nobis, sed & quæ aliis Dominus contulit munera gratiarum actione prosequamur.*

Semper pro vobis orantes. Orationem gratiarum actioni iungit, vt innuat semper nobis aliquid deesse ad perfectionem, ad vlteriora, sublimioráque pergendum, vt ita de obtentis simus grati, vt obtinendorum simus cupidi. Bene idem Salmeron hîc disp. 2. *Semper pro vobis orantes, id est gratias agimus Deo semper pro vobis orantes, vel quoties pro vobis oramus, ita vt gratiarum actio, & oratio coniuncta sint,* ET SIGNIFICAT NIHIL ESSE TAM PERFECTVM IN HOC MVNDO, VT NON SEMPER ALIQVID DESIT; *nam & Ecclesia perpetuo eget progressu, & incremento, quod oratione est impetrandum. Qui enim optimè cœpit, potest quotidie centies deficere.*

Audientes fidem vestram in Christo Iesu, & dilectionem quam habetis in Sanctos omnes.

ET *dilectionem, quam habetis in Sanctos omnes.* Cur, non in omnes etiam infideles cum ad eos quoque dilectio porrigatur? *Non loquitur, Apostolus,* inquit Estius, *de solo dilectionis affectu, qui facilè pertingit ad omnes, sed de effectu & opere, maximè quo ad subuentionem necessitatis atque inopiæ proximorum. Quæ in re, cum non possit Christianus beneficium præstare omnibus; primo loco facere id debet erga fideles, iuxta illud Gal. 6. Operemur bonũ ad omnes, maximè autẽ ad domesticos fidei. Et Rom. 12. Necessitatibus Sanctorum communicantes.*

Quod

Quod peruenit ad vos.

1214. ITa peruenit, vt etiam manserit, non enim aduenit vt abierit, & recesserit; hinc aliqui vertunt. *Quod præsens est apud vos*; quod aliqui exponunt, DOMINATVR APVD VOS, quod fit, cùm ex Euangelij præscripto suam quisque vitam instituit, & seruit quilibet Euangelio.

Sicut didicistis ab Epaphra charissimo conseruo nostro.

COnseruum suum Epaphram dicit, cur non & concaptiuum, quod in magnam eius laudem resiliret? *Mirum*, inquit hic Estius, *cur Epaphra mentionem faciens non addat, & concaptiuo meo, sicut loquitur in Epistola ad Philemonem pariter missa; Non parum enim hoc faceret ad laudem Epaphræ, quem hic instituit commendare, nisi fortè ideo hoc reticere voluit in hac Epistola, ne Colossenses intellecta pressurà & periculo sui doctoris,* CONSTERNARENTVR, ANIMVMQVE DEIICERENT. Nimirum cauere Superior debet, ne subditorum animi à fortitudinis constantiæque suggestu cadant.

Non cessamus pro vobis orantes & postulantes.

1215. CVr non potiùs gratias egit auditis iis de Colossensibus quæ Epaphras narrauerat? An egit licet non dixerit; addidit orationem, quia quantumuis illi profecerint, semper aliquid adiici poterat, quod precibus debebat obtineri; vt vel hinc dicamus, neminem adeo perfectum qui proficere adhuc non indigeat, dum hic est; scitè scitus ille Auctor. *Non dubium autem quin Apostolus auditis iis quæ Epaphras narrauerat, gratias egerit Deo, sicut initio dixit, sed hic orationis potius meminit, quoniam etsi esset materia gratiarum actionis, intelligebat tamen non parum adhuc illis deesse,* QVOD PRECIBVS A DEO PETERE OPORTERET. Alioquin illi multum deest, qui nihil sibi putat deesse, nec orationem fundit, vt petat quod non habet.

In omni opere bono fructificantes.

FRuctum omnis generis bonorum operum ferre fideles debent; non benè, plenéque fructificat, qui quo ad aliquod bonum opus fœcundus est, quo ad cætera est sterilis; sed cur *fructus* bona opera vocat? *Opera bona*, inquit Estius hìc, *fructus vocat, quia sicut* FRVCTVS TERRÆ *temporariam hanc vitam conseruant: ita* BONORVM OPERVM FRVCTVS *pariunt nobis æternam vitam, iuxta illud Rom. 6. Habetis fructum vestrum in sanctificationem, finem verò vitam æternam.*

Qui dignos nos fecit in partem sortis Sanctorum in lumine.

1216. SOrtis nomino hæreditas cur significatur? SORTEM VOCAT, inquit ex Theophylacto idem Estius, *vt ostendat quod sicuti sors non est humanæ industriæ, neque conatus, sed fortunæ potius videtur, ita non ex nostris meritis Regno donamur, aut digni iudicamur, id est, ad Regnum eligimur sed diuinæ totum est gratiæ*, vt à maxima imbecilli-

tate nascatur aliquid in hac re viribus suis tribuere.

Qui eripuit nos de potestate tenebrarum.

QVi eripuit. Benè hic Primasius. *Notandum est, quia ipse nos eripuit,* NON NOSTRA VIRTVS *vel natura, quâ eramus filij iræ.*

Qui eripuit nos de potestate tenebrarum. Ille nos eripuit: nos eripere nos non poteramus. *Non dixit*, inquit hic S. Chrysostomus. *A tenebris; sed à potestate, in nos enim magnam habuit potestatem, & in nos dominatum obtinuit. Est enim graue, vel solum esse sub Diabolo: cum potestate autem est hoc quoque grauius.*

In quo habemus redemptionem.

IN quo habemus redemptionem. Græcè est ἀπολύ- 1217.
τρωσις, cuius nominis vim expendens Theophylactus hic ait: *Non dixit autem, λύτρωσιν, hoc est, liberationem; sed, ἀπολύτρωσιν, hoc est, Redemptionem: id est,* PERFECTE NOS LIBERAVIT, *vt ne deinceps impingeremus, neque efficeremur mortales tanquam obnoxij peccato Adami.*

Quoniam in ipso condita sunt vniuersa in cœlis & in terra, visibilia & inuisibilia.

IN ipso condita sunt vniuersa, ita tamen, vt condita sint etiam per ipsum, quod notauit S. Ambrosius lib. 3. de Spiritu Sanct. cap. 12. *Paulus ait: Quoniam in ipso condita sunt omnia in cœlis & in terra, visibilia & inuisibilia. Nunquid, quum dicit, In ipso,* NEGAVIT PER IPSVM: *Non negauit vtique, sed asseruit.*

Per eum reconciliare omnia in ipsum, pacificans per sanguinem Crucis eius, siue quæ in terris, siue quæ in cœlis sunt.

ET quomodo per Christum Angeli reconciliati sunt, quos constat partim non peccasse, partim peccasse irreconciliabiles; Non dixit cœlestia Deo reconciliari, aut cum Deo pacificari, sed cœlestia, & terrestria, id est, Angelos, & homines inter se: *quod fit*, ait Estius, *cùm tollitur obstaculum peccati, quod* HOMINES AB ANGELIS DIRIMEBAT.

Gaudeo in passionibus pro vobis.

AMor quæ dura sunt, mollia & suauia fa- 1218.
cit, & facilia quæ difficilia diligentia facit; torpor & negligentia quæ facilia sunt, difficilia reddit. Rem Pauli & Iudæorum exemplo ita probat Sanctus Chrysostomus in Psalm. 111. *Vt scias ea hoc modo se habere, &* MVLTORVM SOCORDIAM EA QVÆ SVNT FACILIA, FACERE DIFFICILIA; *Studium autem* AC DILIGENTIAM FACILLIMA *ea quæ sunt alioqui difficillima; Quando manna fruebantur Iudæi, id & ægrè ferebant, & mortem exoptabant: Paulus autem cum fame conflictans gaudebat, & exiliebat; illi quidem dicebant: anima nostra arida est in manna, eduxisti nos vt interficeres, eò quod non essent monumenta in Ægypto? Paulus autem dicebat, gaudeo in passionibus meis, & suppleo ea quæ desunt afflictionibus Christi in carne mea. quibus nam passionibus? fame, siti, nuditate, & aliis omnibus.*

1219. *Gaudeo in passionibus.* Volue Pauli Epistolas, nec leges dixisse Apostolum se gaudere, quòd raptus in cœlum fuerit, sed tantùm cum tribulationibus afficeretur, premeretur passionibus. Vt rectè innueret, tutiorem esse gaudendi occasionem, cum vrgemur malis, quàm cum felicitate aliqua ambimur. Præterea, hinc colligere possumus quàm in sublime se Pauli animus extulerit, cū ea quæ molestiam creare aliis solent, gaudium, lætitiámque in eius anima parerent. Ad hanc eandem mentem nos Apostoli exemplo inuitabat Sanctus Chrysostomus hom. 52. in Genesim, vbi ait: *Ne tristes simus in tentationibus, neque afflictiones grauatim feramus: Sed & gaudeamus, iuxta Beatum Paulum: Nunc, inquit,* GAVDEO DE AFFLICTIONIBVS MEIS; VIDISTI ANIMAM GRATAM, *nam si in afflictionibus gaudebat, quomodo potuit vnquam in tristitiâ esse? Si quæ alios afficiunt tristitia, ij si pariant lætitiæ occasionem, cogita, oro, in quo statu illius erat anima.*

Adimpleo ea, quæ desunt passionum Christi, in carne mea, pro corpore eius, quod est Ecclesia.

1220. NVnquid aliquid deest Christi passionibus, nunquid non perfectissimè Redemptionis negotium impleuit Christus? Impleuit, sed qui semel passus est in se ipso atque in propria carne, adhuc in membris suis patitur, *Sensit igitur Apostolus*, Estij verba sunt ad hæc verba, *se, patiendo afflictiones in carne sua, quadam parte supplere ea, quæ Christo adhuc patienda supersunt;* NON QVIDEM IN IPSO, SED IN MEMBRIS.

Ea quæ desunt passionibus Christi Et quid defuit Christi Passionibus? An defuere ea, quæ ille pati pro nostro amore optabat? amori eius videbantur exigua, quæ passus est, plura alia pati desiderabat, quæ sibi defuisse ille credidit, quia ea, non est passus reipsa, sed nudo desiderio. Quæ Martyres, quæ alij eius serui patiuntur, pati Christus ipse in se volebat. Audiendus Ioannes Eusebius cuius hæc sunt verba, ad hanc mentem: *Quid ægrè fers adimplere quæ desunt passionibus Christi? Christus pro gloria Dei non tantùm voluit pati flagella & Crucem, sed omnes cruciatus hominum optauit, & hunc ipsum laborem, qui modò te molestat. voluit sentire; qui defuit passionibus eius, hoc est desiderio ardentissimo Passionis maioris, & totius cruciatus. Gaude pro Christo, illum ferre, qui deberes immensum fauorem æstimare, vnum flagellum suscipere, ut Christo non infligeretur: at si toleras patienter hunc leuem laborem, qui defuit voto Christi, eris contentus Christus, & consolaberis illum. O Iesu amantissime quid affligor in tribulationibus meis, si habeo hoc solatium, vt te consoler in eis?*

Adimpleo quæ desunt passionibus Christi. Vt multa pro nobis fuerit Christus passus, carnificum sæuities amoris eius magnitudini par non fuit, expleri passionibus patiendi cupiditas non potuit, sicque non contentus pati in se ipso, pati etiam voluit in Martyribus, in illisque omnibus, qui deinceps essent passuri. Aptè ad hunc sensum bonus quidam Auctor, cuius inedita opera adhuc sunt, OEcumenij sententiam explicans ait. *Tametsi Christi Redemptio fuerit procul dubio nedum sufficiens, sed etiam (vt Psaltes cecinit) copiosa, & (vt ille ait) supra omne ingenium, & ineffabili ratione Christus perfectè expleuerit omnes eximij Redemptoris partes: adeo nihilominus ardenter Dei Patris gloriam, & hominum salutem amabat, vt, si opus fuisset, multo maiora tormenta pœnásque diuturniores grauioresque pertulisset. Abiit igitur ad mortem* CHRISTVS CVM INEXPLEBILI PRO NOBIS PATIENDI DESIDERIO, *quasi qui maiora pati deberet; voluitque, vt, quem ipse pœnarum cumulum non soluit, Apostoli Martyrésque sui deinceps velut suo nomine soluerent: videlicet vt hoc saltem modo quam maximus accessus fieret ad cumulum aggerémque pœnarum, quas ipse Christus in seipso pro nobis soluere, si opus fuisset, & Pater annuisset, meditabatur. Hoc itaque est, quod dicit his verbis Apostolus: Ego soluo, quod Christus soluere cupiebat. Ego pro mea virili parte adimpleo, quæ Christi passionibus desunt. Quod Christo nostræ salutis amantissimo reliquum erat, patiendi animo, ipse ego (inquit) patior. Præclara certè expositio, quæ Christi & Pauli amorem ardorémque patiendi ob oculos ponit.* Hactenus Auctor iste, cuius verba digna fuerunt, quæ hîc sisterentur.

Adimpleo quæ desunt passionibus Christi Scilicet Pauli passio complementum est Passionis Christi: quàm excelsa laus huiusmodi afflictionum, vt rei plenissimæ & perfectissimæ sint complementum! Aliter Hildebertus Pauli passionem commendabat, nempe à motiuo sic inquiens: *Paulus passus est pro Christo: Christus pro Mūdo.* Igitur licet Christi Passio, inquit nobilis Author, à persona diuinior sit, quàm Pauli; à motiuo proximo, vt vocant, valde excellit passio Pauli, vt rectè possit dici, eius complementum, decus, & perfectio.

Pro corpore eius, quod est Ecclesia. Hoc ad omnes Sacerdotes pertinere asserit S. Ambr. in Psal. 37. *Vt adimpleam, inquit, quæ desūt tribulationum Christi in carne mea pro corpore eius, quod est Ecclesia, cuius sum factus Minister. Videmus, quid nobis suscipiēdum sit, qui* MINISTERIVM SACERDOTALE SVSCEPIMVS: *vt non solùm pro nobis, sed etiam pro Ecclesia Domini sustinere fortiter passiones corporis debeamus.* Abeunt à suo munere Sacerdotes, qui adeo pro Ecclesia non patiuntur, vt magnum præiudicium ex illis patiatur Ecclesia.

CAPVT II.

EPISTOLÆ AD Colossenses expenditur & illustratur.

1221 *In spiritu suis semper præsens sit Superior, etiamsi de facie eos non viderit.*

1221 *Quod Christus naturaliter habet, hoc per gratiam habent fideles.*

1222 *Ordo maximè faciendus.*

1222 *Mali Doctores hominum prædæ vt inhient.*

1222 *Philosophiæ abusus improbatus.*

1223 *Tuta Philosophiæ lex quænam sit.*

1223 *Sapientia humana interpolatrix veritatis, cur cauenda ex Apostoli præscripto.*

Christiani

Et quicunque non viderunt faciem meam in carne.

1221. CVR addidit in carne? Vt innueret in spiritu fuisse præsentem, quæ præsentia pluris facienda, quàm carnis est; ex his verbis aliqui colligunt Laodicaæ Apostolum non fuisse: quod tamen nullum curæ, ac sollicitudini præiudicium afferebat, *non enim minorem*, vt ille ait, *Colossensium & cæterorum, à quibus nunquam visus fuerat*, CVRAM SALVTIS HABEBAT, *quam eorum quibus præsens Christum prædicauerat.*

In quo sunt omnes thesauri sapientiæ & scientiæ absconditi.

VIdetur Apostolus Apostolo contrarius: qui enim in vno Christo thesauri omnes sunt cum idem dicat. 2. Cor. 4. 7. nos thesaurum istum habere in vasis fictilibus? Non sunt hæc aduersa, sed maximè inter se cohærent. Quod Christus naturaliter possidet, hoc nos per gratiam possidemus. *Is, qui dicit, Apostolus*, inquit Sanctus Petrus Damianus opusc. 6. cap. 1. *Habemus thesaurum istum in vasis fictilibus, idem etiam confitetur: Quia in pectore Iesu sunt omnes thesauri sapientiæ absconditi. Si autem in pectore Iesu sunt omnes thesauri, & nihil excipitur: quid ergo relinquitur quod in vasis hominum fictilibus recondatur. Sed*, QVOD ILLE TOTVM NATVRALITER POSSIDET, HOC ILLI PER GRATIAM PARTICIPATIONE ILLIVS IVXTA MENSVRAS HABENT.

Gaudens & videns ordinem vestrum.

1222. VIdes in Colossensibus ordinem præcipuè laudare, cum alia multa potuisset, vt quanti

Nouarin. in Epist. Pauli.

ordo sit faciendus hinc colligas. scitè Estius: *Obserua*, inquit, *Apostolum cum in Colossensibus alia plura laudare posset, præcipuè tamen* ORDINEM, DE QVO GAVDERET, COMMENDARE VOLVISSE: *Est enim ordo commune bonum, consistens in debita collocatione, seu dispositione partium, respectu totius: Cui contrariatur quicquid vsquam inordinatè agitur, id est, omne peccatum, adeo vt Tullius dicat in Paradoxis, Quicquid peccatur, perturbatione ordinis peccari.*

Videte, ne quis vos decipiat per Philosophiam, & inanem fallaciam secundùm traditionem hominum.

ALiqui ex Græco vertunt: *Videte ne quis sit, qui vos deprædetur per Philosophiam*, hoc malorum doctorum est hominibus veluti PRÆDÆ INHIARE, ac fraudibus agere cum vi non possint; nec Philosophiam quæ est scientia rerum naturalium, damnat vt noxiam, aut vt inutilem tenet, sed contra eos agit qui Philosophia abutebantur, ex veris principiis falsa colligentes, dum de iis, quæ sunt fidei Christianæ & humanæ mentis captum excedunt, secundùm causas naturales iudicare volunt, & diuina humanis mensuris metiri, mentitur qui sic metitur. Hinc illud S. Ambrosij lib. 1. de fide cap. 5. *Nonne ex* PHILOSOPHIA *omnem impietatis suæ traxerunt colorem?* quo scilicet omnem virtutem deuenustarent.

Melioris, tutiorisque Philosophiæ legem nos docebat Sanctus Isidorus Pelusiota ex eiusdem Pauli mente; sic enim ille scribit lib. 1. epist. 325. TVTÆ PHILOSOPHIÆ LEX *ac certè exacta puritatis regula hæc nobis à Diuino viro Paulo præscripta est, vt mortificemus membra nostra, quæ sunt super terram; quamobrem si ipsius placita sequi studes (omnino autem sequeris si Monasticam vitam colere cupis) linguæ celeritatem fræno coerce. Maximum enim terrenorum omnium membrorum lingua est, vt quæ ægrè retineri possit.*

Ne quis vos decipiat, Tertullianus; *ne quis vos circumueniat*, additque causam, quâ motus Apostolus fuit, vt hoc monitum exhiberet: sic ille scribit de præscript. aduersus hæreticos cap. 7. *Videte ne quis vos circumueniat per Philosophiam & inanem seductionem secundùm traditionem hominum, præter prouidentiam Spiritus Sancti; fuerat Athenis, & istam* SAPIENTIAM HVMANAM, AFFECTATRICEM, INTERPOLATRICEM VERITATIS, *de congressibus nouerat, ipsam quoque in suas hæreses multipartitam, varietate sectarum inuicem repugnantium.*

In ipso inhabitat omnis plenitudo Diuinitatis corporaliter.

TOta Diuinitas totum implet corpus, totum inhabitat. Peritè Sanctus Leo serm. 10. in 1224.
solenit. Natiuit. Dom. *In Christo habitat omnis plenitudo Diuinitatis corporaliter. Totum igitur corpus implet tota Diuinitas: & sicut nihil deest illius Maiestatis, cuius habitatione repletur habitaculum; sic nihil deest corporis, quod non suo habitatore sit plenum.*

Tota in Christo habitat Diuinitas; Igitur qui Christianus dicitur, ad summum adspiret perfectionis, cum sciat se ab eo nomen accepisse, in quo Diuinitatis plenitudo est. Benè rem vrget S. Ambrosius in Psalm. 118. oct. 12. CHRISTIANVM CVM DICO, PERFECTVM DICO, *in Christo enim plenitudo Diuinitatis est: cuius nomen vsurpas; cuius vocabulum geris, interpretationem vocabuli* PERFECTIONEMQVE *cur refugis?*

Corporaliter. Hac voce vsum carnis veritati, quæ in Christo est, astruendæ, notabat S. Leo serm. 8. in Festo Natiu. Dom. vbi post productum verbum subdit. *Non dixit, Spiritaliter; sed, Corporaliter, vt veram intelligamus substantiam carnis, vbi est plenitudinis Diuinitatis inhabitatio corporalis, quâ vtique tota etiam repletur Ecclesia, quæ, inhærens capiti, corpus est Christi.*

Qui est caput omnis Principatus, & Potestatis.

SVb his duobus ordinibus cæteros omnes Angelicos Ordines comprehendit nam omnium Angelorum caput est Christus, omnes regit, sub sua potestate omnes tenet, & illorum bonum procurat. Notandum tamen eo sensu non dici Angelorum caput esse Christum, vt Angeli sint eius membra; cùm eiusdem naturæ cum capite non sint, vnde *nusquam legimus Angelos dici* CORPVS, *aut* MEMBRA *Christi*; hoc enim solis hominibus quadrat.

Cum etiam Dæmones vocentur Principatus, Potestates, & Virtutes, quæri potest, an Dæmonum quoque *caput* dici Christus possit, & illorum *Rex?* Aliqui non incongruum id putarere. Seorsum aliis visum, & signate Estio, qui ait: *Caput autem bonorum Angelorum Christus vocatur, in quantum est Rex eorum, vt B. Thomas explicat, id est, quatenus sic eos regit, vt ipsorum bonum procuret. Hoc enim est Regis officium respectu populi, & capitis respectu corporis. Ex quo satis iam liquet Christum,* NEQVE CAPVT, NEQVE REGEM DÆMONVM DICI POSSE, *vtpote quibus vtitur tantum propter bonum aliorum, scilicet electorum.* Obiter hinc discis, ægrè Regis titulum illum sustinere, qui subditorum bonum non procurat, sed suum tantùm, & suis commodis dumtaxat militat, oblitus subditorum.

Delens, quod aduersùs nos erat chirographum.

1225. DE chirographo, quod in Cruce deletum est, ita censet S. Athanasius quæst. 14. *Deleuit Deus, quod aduersùm nos erat chirographum in Cruce. Quid autem fuerit chirographum, audi: Cum peccasset Adam, & accepisset manu sua de ligno, comedissétque: scriptum est eius manu peccatum, quod apud se scriptum Diabolus habuit. Cum autem in ligno, hoc est, in Cruce penderet Christus, & per suas manus clauis vulneraretur,* TVNC IN CRVCE SCRIPTVM ILLVD AFFIXIT ET DELEVIT. *Ipse namque Diabolus, qui chirographum illud transgressionis Adam tenebat, tandiu tenuit, donec a Cruce in Christo ligaretur.*

Et expolians Principatus & Potestates, traduxit confidenter palam triumphans illos in semetipso.

SEd quâ re Dominus expoliauit Dæmones? Dionysius Carthusianus, *expoliauit priuans prædâ, quam ceperant, puta animabus, seu hominibus, quos suo dominio subdiderant, inducendo eos ad culpam*, & qui spoliati Dæmones, cum tot animarum millia possideant æternis pœnis cruciandas? & hæ iure ab ipsis possidentur, sed tanto nouæ prædæ desiderio teneantur, vt quasi paucas, aut nullas animas socias in pœnis, & veluti captiuas haberent, semper non suis insidiantur: Facilius dici posset: Dæmones expoliasse, imperium ab illis auferens, quod sibi in homines vsurpauerant, & actu in illos exercebant.

Expolians Principatus, & Potestates, potestatem suam, suam virtutem suúmque amorem sic ostendens. Reliquum est vt quisque in hisce spoliis inueniatur. Hoc cupiebat Sanctus Bernardus epist. 190. vbi ait: *Vtinam ego inueniar* IN HIS SPOLIIS, *quibus spoliata sunt contra se potestates, traductus & ipse in possessionem Domini.* Inter hæc Domini spolia inuenietur, qui se spoliabit se ipso, suique amore, & Christum Christi imitatione induet.

Palam triumphans illos in semetipso. Id est, triumphans de illis scilicet hostibus deuictis, atque subiectis. Vt sensus integer totius loci sit, vt notauit etiam Estius: *Et Principatus, seu Potestates aduersarias, hoc est, Dæmones exutos, atque spoliatos imperio, quod habebant in homines, palam ostentauit, omnibusque spectandos exhibuit in triumpho, quem de iis egit, victoriâ per semetipsum, suísque viribus, ac sanguine partâ. Schema sermonis Apostolici sumptum a victoribus, qui præcipuos ac potentiores captiuos in triumpho cum ostentatione ducere solent.*

Traduxit. Græcè est, ἐδειγμάτισεν, id est, *ostentauit*, & sic aliqui etiam legunt, & inter alios Sanctus Ambrosius: Sanctus verò Augustinus *exemplauit.* Sed quæri hîc potest, quibusnam deuictos Dæmones ac spoliatos Christus ostentauit? Responderi solet, beatis Angelis, iustisque hominibus ostentasse, qui virtutem Crucis eius per fidem cognouerunt; sed hæc ostentatio perfectissime continget in die Iudicij extremi, quando coram toto mundo Dæmonum malitia, & imbecillitas à Christo victore cum maxima eorum ignominia declarabitur, quod in malorum quoque hominum confusionem cedet, qui à tam imbecillibus hostibus nimia desidiâ correpti, fuere deuicti.

Nemo ergo vos iudicet in cibo, aut in potu.

DE legalibus hîc Apostolum loqui non est dubium, non de ciborum discriminibus 1226.
quibus domandæ carni fideles vtuntur. Quod si quis obiiciat, si de legalibus agit Paulus, cur hic potus mentionem facit, cùm in lege nullus potus vt immundus inhibitus reperiatur? *Respondeo*, inquit Estius vt huic dubitationi occurrat, *Scribas, & Pharisæos legalibus à Deo per Moysem institutis, multas alias obseruationes ab ipsis adinuentas, quo admodum religiosi, & sancti haberentur,*

rentur, adiunxiſſe. Veriſimile igitur eſt ex horum traditione etiam genera quædam potiùs interdicta fuiſſe. Addit: *Quamquam dici poteſt cum Caietano, potum ſecundùm legem fuiſſe immundum, ſi fortè biberetur ex vaſe carente operculo, nam huiuſmodi vas immundum eſſe lex ſtatuit Numerorum 19.*

Et verò etiam in potu Hebræos multa immunditiæ genera olim obſeruaſſe, & nunc quoque obſeruare non eſt dubium. Et in primis, vt ex illorú monumẽtis collegi, quemcumque liquorem, qui quocunque modo oblationi ſacrificij extranei eſſet deſtinatus, habent pro immundo, adeo vt ſi vel vnica huius vini, aut liquoris guttula in quamcunque magnam quantitatem vini iniciatur, totum vinum reddatur immundum; cum alioquin in rebus aliis hæc immundities non cõtrahatur niſi ſaltem ſexageſimam partem referat res iniecta integræ quantitati rei cui iniicitur comparata, nam ſi minor quam ſexageſima pars ſit, immundam rem non reddere Hebræi cenſent. Ita de vino, aliiſque liquoribus affirmãt, quæ diis libantur. Prætetea immundum vinum habetur, & liquor omnis expreſſus ex arboris fructu nondum tribus annis abſolutis. Denique liquor omnis, & potus immũdus apud Hebræos eſt, qui ab inoculatis arboribus ſit, vt diuerſarum arborum ſubſtantiæ in vnum aliquo modo coaleſcant. Hanc eandem ob cauſam dicunt vinum eſſe immundum, ſi ab vua exprimatur quæ ex vite collecta ſit, ſub qua triticum aliudve legomen natum eſſe contigerit, ne ſcilicet, inquiunt, diuerſarum ſpecierum ſubſtantiæ miſceantur; quod intelligitur de iis ſeminibus, quæ ſtudio, & deditá operá ſub vite terræ fuerint commiſſa, non de iis, quæ ſponte ſub vite ſint nata. Hæc ad Pauli lucem dicta ſint, vtque appareat etiam Hebræos vt auidiſſimè vbique ſuperſtitiosè ſuorum maiorũ inſtituta bibant, id etiam in potu feciſſe. Nimirum Dei præcepta qui temerè temerant, & facilè violant, hominum leges ridiculas errore maximè deplorando, ſuperſtitioſiſſimè obſeruãt.

Aut in parte diei feſti, aut Neomeniæ, aut Sabbatorum.

ID eſt: Nemo vos iudicet ob feſtum aliquod Iudaïcum, aut Neomeniæ, hoc eſt, Calendarum, aut Nouilonij diem, aut Sabbata non obſeruata; ſed quodnam eſt diſcrimen inter diem feſtum, & Sabbatum, cùm etiam Sabbatum dies feſtus ſit? An diem feſtum hîc vocat illum qui ſemel in anno occurrit, vt Paſcha, Pentecoſtes, Scenopegia, qualis dies non eſt aut Neomenia, aut Sabbatum.

In parte diei feſti? Quæri hîc poteſt, cur *in parte diei feſti* potiùs dicat, quam, *in die feſto.* Caietanus ſic exponit: *in partitione feſti à non feſto tam in diebus quam in menſibus, & Sabbatis.* Alij *in parte*, id eſt, in negotio, quaſi dicat, in obſeruatione dierum feſtorum. Sunt qui ita reſpondent: In parte diei feſti dicit, & non in die feſto, quod iudaïzantes non exactam feſtorum obſeruationem à Coloſſenſibus exigerent, quando nec ipſi legis cæremonias per omnia ſeruarent, ſed ſatis illis erat, ſi cum circumciſione reliquam legem facerent à Gentilibus ſaltem ex parte ſeruari, & ſic eos ad ritum Iudaïcum ſe traduxiſſe gloriari poſſent. Iſtud & in pleroſque Chriſtianorum Mundus, & Diabolus tentant, nimirum vt ſaltem ex parte legem Diaboli obſeruent, & partem diei feſti Satanicis ludictis, & choreis addicant. Vt gloriari poſſit, ſe multos cultores habere, LICET NON INTEGRVM DIEM FESTVM SATANICIS LEGIBVS EXERCENDIS IMPENDANT, ſed aliquid temporis etiam cultui Dei veri. Totum cum Satanas non poteſt à nobis extorquere, partem accipit, vt totum inficiat.

Nouarin. in Epiſtola Pauli.

Nemo vos ſeducat volens in humilitate, & religione Angelorum.

V*Olens in humilitate, & religione Angelorum;* id eſt, tritá Græcorum phraſi, affectans humilitatem, & religionem Angelorum. Vt ſit horum verborum ſenſus: Cauete ne quis vos per affectatam humilitatem, & religionem Angelorum decipiat. Sed mirum, cui nunc humilitatem tribuit, ſtatim poſt ſuperbum eum pronuntiat, dum ait: *Fruſtra inflatus ſenſu carnis ſuæ.* Vbi Eſtius; *Quæret aliquis quomodo nunc inflatum dicat, cui modò tribuebat humilitatem. Facilis eſt reſponſio,* NON HVMILITATEM SIMPLICITER, SED AFFECTATAM, *quæ vtique falſa eſt,* ILLIC INTELLIGI. Scilicet falſa humilitas vera ſuperbia eſt, & ſimulatæ quoque humilitatis vitio deturpatur.

CAPVT III.

EPISTOLÆ AD Coloſſenſes expenditur & illuſtratur.

SECTIO I.

1227 *Carnalia minimè cogitanda.*
1227 *Mundi & carnis cura ſepelienda.*
1227 *Qui ſapere & deguſtare ea poſſumus, quæ nec oculus vidit, nec in cor hominis aſcenderunt.*
1227 *Mundo terreniſque moriatur, qui in cælum cupit euolare.*
1228 *Vita iuſtorum glorioſa in charitate latet vt in radice.*
1229 *Laudibus & vituperationibus vt mortui eſſe debeamus.*
1230 *Qui ſæculo ſunt mortui, viuunt Deo.*
1230 *Quinam ad vitam mortui iudicandi ſint.*
1231 *Vita iuſtorum quò magis ab omnium oculis abſcondita, eò magis fæcunda.*
1231 *Nemo hîc fulgere quærat, nemo ſe iactet.*
1232 *In cælo vt ſepelire vitam noſtram debeamus.*
1233 *Sepeliri huic Mundo vt debeamus.*
1233 *Vitam ſuam abſcondere in Chriſto vt quiſque debeat.*

1234 *Auaritia inter carnalia vitia reposita, quia fomentum eis præstet.*
1234 *Idololatriam vt auarus exerceat.*
1235 *Auaritia nexus & idololatriæ.*
1235 *Etiam minora vitia tanquam periculosa vitanda.*

Si consurrexistis cum Christo, quæ sursum sunt quærite, vbi Christus est in dextera Dei sedens: quæ sursum sunt sapite, non quæ super terram.

1227. *QVæ sursum sunt, quærite.* Adeò vt in carne non sapiamus, quæ carnem sapiunt. *Apostolus dicit*, inquit S. Augustin. in Psal. 97. *Quæ sursum sunt quærite, vbi Christus est in dextera Dei sedens: quæ sunt sursum sunt sapite, non quæ super terrã. Quid est? Quæ sursum sunt quærite. Id est: carnem excedite,* NOLITE CARNALIA COGITARE. Addit Estius expendens hanc phrasim: *Quærite quæ sursum sunt, id est, cogitationes, & studia vestra conferte ad res supernas, cælestes, ac diuinas; id enim est quærere scripturæ phrasi.*

Si consurrexistis. Qui cum Christo resurgere amat, omnem carnis, & mundi curam debet sepelire, & mente in cœlestia sic ferri, in perennatura; Opportunè S. Ambrosius lib. 3. de Virgin. *Itaque* CARNIS ET MVNDI SEPELITE CVRAM: *quia cum Christo resurrexistis, quæ sursum sunt quærite, vbi Christus est.*

Quæ sursum sunt sapite. Si cœlestia amas, & quæris cœlum, Cœlum fies. *Cœpisti sapere*, inquit S. Augustinus in Psalm. 96. *quæ sursum sunt, & non quæ super terram:* NONNE FACTVS ES COELVM? *Carnem portas, & corde iam cælum es; conuersatio enim tua in cælis erit.*

Quæ sursum sunt sapite; sed qui sapere, ac degustare ea possumus quæ nec oculus vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis ascenderunt? Pulchrè rem explicat Catharinus hîc: *Ac si dixerit, Gustando probate. Sed quomodo degustantur cum sursum sint? Et quâ ratione probari possunt, cum non viderit oculus vnquam, nec auris audierit, nec in cor hominis ascenderint, quæ præparauit Deus diligentibus se? Audi modum: Degustatur interim in ipsa arrha quam bonus est Deus rectis corde. Non enim dimisit nos omninò pignoris expertes, immò arrhabone, ad stabiliendam promissionem.* ET IN HOC EST PRÆGVSTATIO; *alioqui, nullo cœlesti dulciario (vt ita dicam) allecti crustulo, quis operaretur, cùm simus natura mali, & laborum fugitantes? Ecquis ærumnas huius ærumnosæ vitæ posset non succumbens tolerare?*

Mortui enim estis, & vita vestra est abscondita cum Christo in Deo

HOc idcircò adiecit, vt innueret, Mundo, terrenísque rebus mori debere, qui in cœlum euolare cupit, & sapere quæ sunt sursum. Audiendus hîc S. Ambrosius, qui lib. 3. de Virg. huc spectans, ait: *Terrenum tibi Apostolus consortium negat, & vltra naturæ propemodum terminos alis ad cælum docet spiritualibus euolandum. Quæ sursum sunt, inquit, sapite, non quæ super terram. Sed quia hoc impossibile erat in hoc corporis velut claustro reclusis, & quia defunctis corporibus anima fertur ad superiora reuolare, alligata dum viuimus, quadam nostra lege naturæ, ideo addidit: Mortui enim estis, & vita vestra abscondita est cum Christo in Deo.* SI ABSCONDITA EST CVM CHRISTO IN DEO, NON APPAREAT MVNDO. *Christus enim mortuus est mundo, viuit Deo.*

Mortui licèt fideles videantur, in Christo viuunt. Abscondita in eo, veluti in radice, vita illorum est, quamuis mortui aridíque videantur. Quod herbæ arborísque exemplo, quæ in hyeme videtur arida, foliis impletur in æstate, explicabat S. August. in Psalm. 48. *Non apparent merita iustorum, & quasi nominatur fælicitas impiorum. Tandiu videtur herba lætior quàm arbor, quandiu hyems est: herba enim per hyemem viget; arbor per hyemẽ arida videbatur, expletur foliis, profert fructus: herba autem arescit. Videbis honorem arboris: herba arida est. Sic & modò iusti laborant, antequam veniat æstas.* EST VITA IN RADICE: *nondum apparet in ramis. Radix autem nostra, Charitas est. Et quid ait Apostolus? Vt sursum debeamus habere radicem, vt vita sit pastor noster; quia habitatio nostra non debet recedere de cœlo: quia in hac terra debemus sicut mortui ambulare, vt suprà viuentes, infrà mortui simus; non vt suprà mortui, infrà viuamus. Quia ergo non debet recedere vita nostra, & cor nostrum de supernis, quid ait Apostolus? Mortui enim estis. Et (ne timeres) vita vestra abscondita est, ait, cum Christo in Deo. Ecce vbi est radix nostra. Quando autem apparebit honor noster tanquam in foliis, & fructibus, sequitur & dicit: Cum Christus apparuerit vita vestra, tunc & vos cum illo apparebitis in gloria, & erit mane.* 1228.

Mortui enim estis. Ad vitam mors ista, & malè moreretur, qui benè non esset mortuus. Qui huic sæculo est mortuus, Deo viuit. Mortuum refert qui nec laudibus superbit, nec iniuriis mouetur, quin nec sentit illas, nec sentit istas. Præclarè Sanctus Bernardus serm. 7. in Quadragesima, vbi huic menti subscribens scribit: *Quis igitur est magis alienus ab actibus sæculi, quam peregrinus? Profectò quibus dicit Apostolus, Mortui enim estis, & vita vestra abscondita est cum Christo in Deo. Peregrinus nimirum potest facilè occasione viatici plus quàm oporteat, & detineri quærendo, & prægrauari portando: mortuus, si desit etiam ipsa sepultura, non sentit. Sic vituperantes vt laudantes, sic adulantes audit vt detrahentes;* IMO NEC AVDIT, QVIA MORTVVS EST: *Omnino fælix* MORS, *quæ sic immaculatum seruat, imo penitus alienum facit ab hoc sæculo.* 1229.

Mortui enim estis. Iure vitæ præferas hanc mortem. *Bona* HÆC MORS (inquit Gillebertus Abb. serm. 26. in Cant. ad hæc verba) *quæ veterem sepelit natiuitatem, nouam inducit. Mors bona, quæ seruitutem absorbet, generat libertatem.*

Mortui enim estis. Cur mortuos vocat, quorum vitam in Deo absconditam asserit? An quia qui sæculo sunt mortui, viuunt Deo? An quia mori nos vult ad vitam, qui viuebamus ad mortem? Sanctus Augustinus. *Mortui enim estis. & vita vestra abscondita est cum Christo in Deo,* MORI NOS VVLT VT VIVAMVS, *quia viximus, vt moreremur.* Sic ille tract. 23. in Ioannem cap. 5. Fœlix qui sibi moritur, & mundo, vt mundi conditori verè viuat. 1230.

Mortui

Mortui enim estis. Verè viuunt, qui ita mortui sunt: vera quippe est vita, mundo, Mundique voluptatibus mori. *Apostolus ait*, inquit Beatus Laurentius Iustinianus, serm. de Vita solitar. *Mortui enim estis, & vita vestra abscondita est cum Christo in Deo.* SANE ILLI SPIRITVALITER IVDICANDI SVNT MORTVI, *qui Mūdi delectationibus, voluptatibus carnis, ac visibilibus cunctis renunciantes, ex corde & remotiori solitudine soli Deo viuere decreuerunt.*

1231. *Vita vestra est abscondita.* Quò magis abscondita, & ab hominum oculis iustorum vita subducta est, eò solet esse fœcundior & vtilior. Beatus Laurentius Iustinianus serm. de vita solitar. producta verba solitariis aptans, ait: *Horum vita, quamuis à Mundi dilectoribus infructuosa esse censeatur, & mortua, vtpote in sæculi agibilibus minus intenta;* EST TAMEN PERVTILIS ATQVE FOECVNDA. *Latet quidem in terræ visceribus arboris radix; corporisque oculis, quando videtur, apparet contemptibilis atque deformis: & tamen ex eadem prodit ligni duritia, asperitas corticis, foliorum amœnitas, redolentia florum, fructuúmque dulcedo. Quandiu hæc viget, arbor germinando fructificat: ipsa autem arescente radice, omnis arboris pulchritudo marcescit, ligniúmque infœcundum efficitur, flammarum incendio concremandum. Quicquid autem radicem diximus inuisibiliter operari in arbore, æquè Anachoretarum, Deoque militantium agere in Ecclesia arbitrandum est vitam.*

Qui vitam in Christo absconditam circumfert, apparere non gestit, nec se iactat, aut sua. *Apostolus ait*, inquit Sanctus Ambrosius lib. 3. Offic. c. 5. *Quia vita vestra abscondita est cum Christo in Deo. Nemo ergo* HIC FVLGERE QVÆRAT, *nemo sibi arroget*, NEMO SE IACTET. *Nolebat se Christus hic cognosci: nolebat prædicari in Euangelio nomen suum, cum in terris versaretur. Venit vt lateret sæculum hoc. Ergo & simili modo abscondamus vitam nostram, Christi exemplo: fugiamus iactantiam, prædicari non expectamus. Melius est hic esse in humilitate, ibi in gloria.*

1232. *Et vita vestra abscondita est cum Christo in Deo.* Nemo ergo externum gloriæ splendorem quærat, nemo humanæ laudi litet, vita in Deo abscondita, ab omni externæ gloriæ luce se debet subducere. Vtile ex his verbis monitum colligebat Sanctus Ambrosius lib. 3. de Virg. *Vita vestra abscondita est cum Christo in Deo.* SI ABSCONDITA EST CVM CHRISTO, NON APPAREAT MVNDO.

In tuto vitam locat, qui eam abscondit in Christo; fœlix, cui aptari illud potest, quod ad Seuerum scribens Seuero dicebat Sanctus Paulinus epist. 2. *In* COELO SEPELISTI VITAM TVAM, *quam in Christo abscondisti*: tunc verè vita vocari potest, cum tali sepulchro conditur, tali loco absconditur, ac sepelitur. Sepulchrum istud aliis mansionibus non comparo tantum, sed etiam præfero. O possem etiam vitam meam cœlo totam insepelire, vt in cœlo incipiam viuere, æternùm in cœlo victurus.

1233. Abscondita est in Christo; ac si parum esset quempiam huic Mundo mortuum esse nisi etiam sepeliatur. Festiuè ad hunc locum S. Petrus venerabilis: *Hæc te mortali huic vitæ non tantùm mortuum*, SED ETIAM SEPVLTVM *sui conclusione tibi ipsi assiduè repræsentat, & quodammodo tibi, atque Colossensibus Apostolicâ voce inclamat: mortui enim estis, & vita vestra abscondita est cum Christo in Deo. Quod licet spiritualiter intellectum, tibi multisque aliis commune sit, si tamen etiam corporaliter cogitetur, tuum pene singulariter hoc tempore sit. Nam etsi plurimi carnalibus actionibus moriuntur, nullus tamen ante carnis mortem, carnis sepulchrū ingreditur. Tu autem vt verè te mundo ostendas mortuum, ipsum adhuc viuens intrasti sepulchrum. Sed attendendum tibi est charissime, & omnimodis satagendum: vt quod de te humana opinio existimat, hoc in te diuinus oculus agnoscat; ingressus es quippe, vt dixi sepulchrum: ideoque quicquid mundi prius in te vixerat, totum tecum necesse est esse sepultum.* Sic ille lib. 1. epist. 20. Poterat rem aptius explicare, versare vtilius?

In Deo abscondit vitam suam, qui adhuc in terris positus mente in cœlo est; vt dicere illud possit, quod huc spectans dicebat Sanctus Chrysostomus: *Aliam communionem quæro, quæ cœlos superat: illic nostra est conuersatio, & vita, vita enim nostra inquit*, ABSCONDITA EST CVM CHRISTO IN DEO. *Neque enim terram habitamus, sed commigrauimus in supernam metropolim, aliam veram lucem habemus, aliam patriam, & ciues alios, & cognatos.* Sic ille in psal. 143.

Et auaritiam, quæ est simulachrorum seruitus.

ET *auaritiam.* Mirum, quod inter carnis vitia numeret Apostolus auaritiam. REPONITVR, inquit Lyranus, INTER CARNALIA VITIA; QVIA FOMENTVM EIS PRÆSTAT; *quia per pecuniam habentur cibi, & potus, lecti molles, & cætera huiusmodi ad luxuriam excitantia.* 1234.

Quæ est simulachrorum seruitus. Quì idololatriam auarus exerceat, explicat in hunc modum Ioannes Cassianus de Spirit. philargyr. cap. 7. *Beatus Apostolus, huius morbi noxia venena prospiciens, non solum eam radicem esse omnium malorum, verum etiam idolorum seruitutem pronunciauit, dicens: Et auaritiam (quod in Græco dicitur φιλαργυρία) quæ est simulachrorum seruitus. Cernis igitur ad quantam labem rabies hæc per gradus singulos crescat, vt etiam idolorum vel simulachrorum seruitus Apostoli voce pronuncietur; eo quòd, figura Dei, & imagine prætermissâ (quam deuotè seruiens Deo immaculatam in semetipso debuit custodire)* HOMINVM FIGVRAS IMPRESSAS AVRO DILIGERE PRO DEO MALVIT ET TVERI.

Sed quid auaritia cum idolorum cultu, vt hoc eam nomine indigitet Apostolus? Nodum soluit Sanctus Ambrosius hic, dum ait: *Non immeritò sub vno nomine vtrumque malum ostendis; pene enim vno explentur opere. Quia, sicut* IDOLOLATRIA *vni Deo auferre nititur gloriam, ne quod eius peculiare est, solus habeat, nomen Diuinitatis sibi soli condignum: ita &* AVARITIA IN DEI SE RES EXTENDIT, *vt, si potest fieri, vnus, & solus creaturam eius sibi vsurpet, quam Deus communem omnibus fecit. Vnde dicit Deus per Prophetam: Meum est aurum, & meum est argentum. Vtraque igitur Deo est inimica, ambæ enim Deo abnegant, quæ eius sunt.* Hunc eundem locum aptè etiam versat Guerricus Abbas serm. in die Purif. dum ait *Muniamus thalamum nostrum, ne auaritia, quæ est radix omnium malorum, rediens introeat, nosque ab vnius Dei cultura abstrahat, idolorum cultores faciat. De qua inter cetera sic ait Apostolus ad discipulos suos: Mortificate membra vestra, quæ sunt super* 1235.

terram : fornicationem, immunditiam, libidinem, concupiscentiam malam, & auaritiam, quæ est idolorum seruitus. ECCE AVARITIAM IDOLOLATRIÆ COMPARAT. *Et meritò; quia, sicut vni Deo idololatria nititur auferre gloriam, ne solus habeat nomen Deitatis : ita auarus in Dei res se extendit, vt solus vsurpet, quæ Deus omnipotens in vsum plurimorum fecit.*

Nunc autem deponite & vos omnia : iram, indignationem.

IRam, indignationem. Qui grauiora damnauerat, ad minora descendit, & hæc quoque reiicienda docet. *Nunc ab his,* inquit ad hæc verba S. Amb. *prohibet, quæ minora peccata videntur; ne fortè, quia superius, quæ* GRAVIORA *sunt, mortificanda mandauit, hæc admittenda, aut quasi* NON PERICVLOSA *non fugienda putarentur.*

SECTIO II.

1236 *Virtutibus vt quis induatur.*
1236 *Totus homo renouandus*
1236 *Priùs homo vetus exuendus, quàm nouus induatur.*
1237 *Viscera misericordiæ vt induenda sint.*
1237 *Virtutis facilitas vnde collecta.*
1238 *Charitas vt omnes virtutes informet.*
1238 *Vinculum perfectionis cur Charitas dicatur, non fastigium.*
1239 *Beneficiorum custos, beneficiorum memoria.*
1239 *Habitare in nobis verbum Dei, non hospitari debet.*
1239 *Ab alienis viris mulierum cogitatio auocata.*
1240 *Viris cur vxorum dilectio iniuncta.*
1240 *Altè animo insidet, quod quisque à pueritia ebiberit.*
1241 *Patres in filios nimis duri non sint*
1241 *Christus impensam sibi seruitutem putat, quæ hominibus impenditur.*
1242 *Omne bonum opus, obsequium & seruitus Dei vt sit.*
1242 *Quid timere debeant, qui iniuriis seruos onerant.*
1242 *Cur tam multus in seruis instituendis Apostolus fuerit.*
1242 *Seruorum institutionem non negligant Superiores.*

Expoliantes vos veterem hominem cum actibus suis, & induentes nouum.

1236. QVi exuere veterem hominem debent, & induere nouum debent, & noui hominis habitum, scilicet virtutes; *quibus* INDVIMVR, ait hîc S. Thomas, *quando quicquid exteriùs apparet, est virtutibus ornatum.* Nemo igitur sibi de virtutibus blandiatur, nisi illas induat vt vestimenta, & externè quoque probet, se illis exornatum.

Expoliantes vos veterem hominem. Cùm hominē dicit, totum intellige, qui vetustatem ab omni parte circumferebat. Peritè S. Macarius hom. 2. *Quum ait Apostolus: Exuite veterem hominem.* INTEGRVM DICIT, *nempè oculos habentem oculis suis adiectos, caput capiti, aures auribus, manibus manus, & pedes pedibus: totum enim hominem, animam videlicet, & corpus, improbus ille maculauit. Distorsit itaque, & induit hominem veteri homine, & polluto, impuro, atque Dei inimico, nec legi Dei subdito, nempe ipso peccato, ita vt iam non videat homo, quemadmodum ei libet; sed perperam videat, atque audiat, habēs pedes festinantes ad malum perpetrandum, & manus paratas ad iniquitatem admittendam, cor etiam cogitans praua. Deprecemur ergo nos quoque Dominum, vt exuat nos homine veteri; quia solus ille potest à nobis auferre peccatum : nam fortiores nobis sunt, qui nos captiuos duxerunt, & detinent in suo regno.*

Rectus ordo, nec inuertendus. Prius exuendus homo vetus est, quàm nouus induatur. Frustra enim vitæ sperat nouitatem, qui vitam veterem non abiurat. *Apostolus,* inquit S. Aug. de Fide, & oper. c. 16. SANVM ORDINEM TENENS, *aicit: Exuite veterem, & induite nouum. Et ipse Dominus clamat : Nemo assuit pannum nouum vestimento veteri, & nemo mittit vinum nouum in vtres veteres.*

Induite vos ergo, sicut electi Dei, sancti & dilecti, viscera misericordiæ.

INduite vos ergo viscera misericordiæ. Non nudè 1237.
dixit, vt misereantur: sed induenda misericordiæ viscera præcipit. Cuius verbi vim sic expendebat S. Chrysost. hom. 14. in Epist. ad Roman. *Vides exactam verbi vsurpationem, vt perpetuò misericordiā à nobis deposcat. Neque enim simpliciter dixit: Misereamini; sed, Induimini; videlicet, vt, quemadmodum vestis vna nobiscum semper esse solet, ita sit & misericordia. Neque verò simpliciter misericordiā dixit, sed* MISERICORDIÆ VISCERA, NIMIRVM, VT NATVRALEM IMITEMVR PIETATEM ATQVE NECESSITVDINEM. *At nos secus factitamus, ac, si ad nos quis accesserit, obolum vnum flagitans, iniurij sumus, conuiciamur, aggressorem vocamus. Non horrescis, ô bone, non rubore perfunderis ob panis frustum, aggressionis verbum vsurpare? Quod si ille vrgens, aggressionē facit, hac certè de causa misericordiā dignus est, vt qui sic fame prematur, vt talem coactus personā induerit, estque hoc crudelitatis nostræ crimē.*

Induite vos. Cur induendi verbo est vsus? *Ostendit,* inquit hîc S. Chrys. FACILITATEM VIRTVTIS; *vt & eam perpetuò habeant, & vt tanquam maximo vtantur ornamento.* Quid hîc illi, qui misericordiā non se vestiunt, vt pauperibus opem ferant, sed pauperes spoliare loculis suis studeant?

Super omnia autem hæc, charitatem habete quod est vinculum perfectionis.

SVper omnia autem hæc Charitatem habete. Præ- 1238.
stat aliis virtutibus Charitas, vt sit velut illarū forma. *Inducit,* inquit hîc S. Th. *ad principales virtutes perficientes alias. Et principalior est charitas inter virtutes, sapientia verò inter dona.* CHARITAS QVIDEM INFORMAT OMNES VIRTVTES: *sapientia verò dirigit. Primò igitur inducit ad primum.*

Quod

Quod est vinculum perfectionis. Peritè Sanctus Chrysostomus hîc: *Non est autem, quod vult dicere: Illa nihil prosunt, dissoluuntur enim illa omnia, nisi fiant cum charitate. Ipsa, omnia illa constringit. Quodcunque bonum dixeris, si ea absit, nihil est; sed diffluit. Et quomodo in naui, etiamsi magna sint instrumenta, & non sint, quæ eam succingant, tabulata, nihil prodest: & in domo, si non sint contignationes: & in corpore, etiamsi magna sint ossa, non sint autem ligamenta, nihil iuuat. Cuiusmodicunque enim quispiam bona habeat opera, & rectè facta; euanescunt omnia, nisi sit charitas. Non dixit autem,* FASTIGIVM; *sed (quod est maius)* VINCVLVM: *hoc enim est magis necessarium, quàm illud: nam fastigium quidem est intensio perfectionis; Vinculum autem est complexus, & comprehensio eorum, quæ perfectionem efficiunt tanquam radix.*

Cur perfectionis vinculum dicatur charitas, sic explicat Sanctus Gregorius lib. 28. Moral. cap. 9. *Perfectionis* VINCVLVM *charitas dicitur; quia omne bonum, quod agitur, nimirum per illam, ne pereat, ligatur: à tentatore namque citiùs quodlibet opus euellitur, si solutum à vinculo charitatis inuenitur. Si autem mens, Dei ac proximi dilectione constringitur, cùm tentationum motus qualibet ei iniusta suggesserint, obicem se illis ipsa dilectio opponit.*

Et grati estote.

1239. E*T grati estote.* Post cæteras virtutes gratitudinem posuit tanquam illarum custodem, ac veluti signaculum. Hinc illud Sancti Chrysostomi hom. 26. in Matthæum: *Optima quippe beneficiorum custos est ipsa* MEMORIA BENEFICIORVM, *& perpetua gratiarum confessio.* Murus gratitudo est, qui Dei beneficia munit.

Verbum Christi habitet in vobis abundanter.

V*Erbum Christi habitet in vobis.* Non satis est, vt breue hospitium in nobis habeat; diù immò, & semper debet habitare. *Verbum Christi* inquit hîc Caietanus, *quod est Euangelium,* NON HOSPITETVR; sed HABITET IN VOBIS, *non qualitercunque, sed abundanter.*

Mulieres, subditæ estote viris.

EX Græco sic aliqui vertetunt. *Vxores subditæ estote propriis viris.* Subiicit Estius: *Nec temerè, propriis, additum est, sicut & ad Ephesios: Per hoc enim auocare voluit mulierum cogitationem à viris alienis.*

Viri, diligite vxores vestras.

1240. DIlectionem viris erga mulieres indicturus Apostolus, præmisit mulierum subiectionem; ægrè enim diligi mulieres possunt, si imperare viris, & velut præesse voluerint, non subiici. Addit Estius. VIRIS DILECTIONEM *præcipit erga vxores, vt nouerint ita præesse, easque regere, non imperiosè sed cum dulcedine charitatis, quà temperetur, ac leuius illis reddatur onus potestatis virilis.*

Patres nolite ad indignationem prouocare filios vestros, vt non pusillo animo fiant.

FAcilè enim retinetur, quod in imbecilliori ætate imprimitur; sicque angustum animum afferunt filij, si à pueritia durius, & seruorum more tractentur, vt nihil magni ab illis speretur; id quod disertè prosequitur Sanctus Thomas hîc, dum infit: *Vt non pusillo animo fiant, idest, vt non pusillanimes fiant. Huius ratio est, quia homines retinent impressionem,* QVAM A PVERITIA HABVERVNT. *Naturale autem est, quod, qui in seruitute nutriuntur, semper sint pusillanimes. Vnde ratio est cuiusdam, quare filij Israel non statim in terram promissionis sunt producti: quia fuerant nutriti in seruitute, & non habuissent audaciam contra inimicos pugnandi*; scilicet altè animis insidet id, quod primò adpressum illis: adeò verum ab iis non magna expectanda, qui seruilem mentem circumtulere.

Patres, nolite ad indignationem prouocare filios 1241.
vestros. ne, dum nimis premuntur, grauius Deum offendant, & impij fiant in patres. Pulchrè ad hæc verba Sanctus Ambrosius: MODESTOS PRÆCIPIT PATRES DEBERE ESSE FILIIS, *ne, coarctati ab eis, delinquant in illos, & Deum offendant, quod nolunt; Ira enim inconsiderata res est in tantum, vt aliquando nec sibi parcat, qui irascitur. Debent enim recordari patres, quia fuerunt & ipsi filij: considerare autem filij, quia futuri sint patres; vt æquè librato consilio vtriusque, & filij subiecti sint, & patres modesti.*

Scientes, quòd à Domino accipietis retributionem hæreditatis.

FElix bonorum seruorum seruitus, qui licet exiguam à Dominis mercedem accipiant, à Christo tamen accepturi sunt filiorum hæreditatem. Sed cur qui hominibus benè seruiunt, tam magnam, eximiámque mercedem a Domino accipient? Quia Christus IMPENSAM SIBI SERVITVTEM putat, quæ hominibus impenditur.

Domino Christo seruite.

SYriacè; *nam Domino Christo seruitis*; scilicet qui hominibus benè seruit, Domino seruit; *Omne enim bonum opus*, verba sunt Estij ad hæc verba, OBSEQVIVM EST, ET SERVITVS DEI; vt meritò dixerit superiùs Paulus, *scientes quod à Domino accipietis retributionem hæreditatis.*

Qui enim iniuriam facit, recipiet id, quod iniquè gessit.

LIcèt hæc verba aptent aliqui seruis qui 1242.
iniuriâ Dominos suos afficiunt, sunt tamen qui referant in eos; vt iniuriis afficiuntur à dominis; sæpè quippe solet accidere, vt iniuriis onerentur serui; scitè Estius ex mente Sancti Thomæ, & Caietani: *Sensus est: Non solùm bonæ seruitutis mercedem a Domino recipietis:*

cipietis: verùm etiam ILLATÆ VOBIS INIVRIÆ AB INIVSTIS OOMINIS, *haud manebunt inultæ. Quicunque enim iniuriâ quemcunque affecerit, quantumuis magnus, & potens ille sit, referet id quod iniustè egit, idest pœnam recipiet iniustitiæ suæ debitam.*

Hic iure aliquis quærat cur hoc loco diutiùs immoretur Apostolus in seruis instituendis, quod fecit & ad Ephesios scribens. *Ea ratio videtur esse*, inquit productus Auctor, *ne nomen Domini, & doctrina blasphemetur, scilicet per seruorum proteruiam, & inobedientiam. Erant enim qui malè intelligentes libertatem, quam Christus attulit Mundo, dicerent neminem Christianum cuiquam mortalium seruire debere. Quæ hæresis iam ante apud Iudæos orta fuerat; quibusdam eorum dicentibus se esse populum Dei, & proinde à tributo, & seruitute liberum esse. Igitur aduersùs huiusmodi prauam opinionem, quâ Christi nomen non parum infamabatur, seruos Christianos diligenter instruit Apostolus.* Denique multus in seruis instituendis Paulus est, vt hinc Superiores discant, quàm minimè suo muneri seruiant seruorum institutionem dum negligunt.

CAPVT VI.

EPISTOLÆ AD Colossenses expenditur & illustratur.

Orantes simul & pro nobis, vt Deus aperiat nobis ostium sermonis ad loquendum mysterium Christi.

PRoh! quantùm fidelium orationibus fidebat Apostolus, eorum namque preces postulat, vt ostium sibi sermonis aperiretur. Sanct. Ambrosius in psal. 50. ad verba producta spectans ait: *Illius autem aperit labia Dominus, qui accipit verbum in apertione oris sui. Vnde* APOSTOLVS PETIT SE ADIVVARI ORATIONIBVS PLEBIS, *vt aperiatur sibi ostium verbi ad loquendum mysterium Christi.* 124:

Orantes simul & pro nobis. Scitè hîc Sanctus Chrysostomus. *Vide humilitatem: post illos seipsum ponit.* Veræ celsitudinis nota, humilitas est. *Vt Deus aperiat nobis ostium sermonis.* Non petit ab aduersis eximi, à vinculis liberari. Summa libertas Dei seruo pro Christo vinciri. Præclarè idem Sanctus Auctor: *Vt Deus aperiat nobis ostium sermonis ad loquendum mysterium Christi. Aditum, inquit, & loquendi libertatem. Papè tantus athleta non dixit*, VT LIBERET *à vinculis: sed, cum esset in vinculis, alios rogabat, & propter rem magnam* ROGABAT; *nempè, vt acciperet loquendi libertatem.*

In carcere erat Paulus cum hanc scriberet 1244
Epistolam, vt probabilior opinio fert, & colligitur ex sequentibus verbis: *Propter quod etiam vinctus sum*: vbi Estius; *Constat ex hoc loco Epistolam hanc è carcere scriptam esse*; cur igitur non optat potiùs vt carceris illi ostium aperiatur, quàm sermonis? Hæc vera Doctoris nota, VT PLVRIS ALIORVM SPIRITVALEM SALVTEM FACIAT, QVAM COMMOOVM, QVOD AO PROPRIVM CORPVS SPECTAT; ostium sermonis aperiri sibi cupit, vt omnibus prodesset, non verò carceris, sui corporis curâ neglectâ; corpus carcere claudi potuit, non potuit tamen eius in fideles omnes dilectio.

Propter quod etiam vinctus sum.

PRopter quod etiam vinctus sum; Ac si diceret, Vinctus sum, vt vincula mea vim addant verbis meis, & liberior meus sermo excurrat, quo minus ego à vinculis liber; *Vincula illum*, ait Sanctus Chrysostom. ILLVSTREM *reddunt, non obscurum*; Diceres vinculorum pondus, pondus verbis adiicere.

Sermo vester semper in gratia sit sale conditus.

MOnet hîc Apostolus, vt sermo quem cum proximis haberent Colossenses, semper sapientiæ sale adspergeretur, idque cum gratia idest grata iucunditate, vt audientes afficiat, & ædificet. Sal optimum ciborum condimentum est, si moderatè adhibeatur, si nimis, cibos perdit; idem in sermone fiat, adspergatur sermo sapientiâ, non obruatur.

Salutat

Salutat vos Lucas, Medicus charißimus.

145. C*Hariſſimus* Lucam determinat, non Medicum, in hunc ſenſum: Lucas Medicus, idemque nobis chariſſimus. De Luca Euangeliſta loqui Apoſtolum bonorum Auctorum cenſio eſt. Sed cur Medici titulo illum inſignit? *Ob eam forte cauſam*, ait Eſtius, QVOD ARTE SVA MEDICA *inſignem operam fidelibus praſtaret*, abſque vlla lucri ſpe, mercediſque cupiditate.

Salutate Fratres qui ſunt Laodiceæ.

ET cur Laodicenſes à Coloſſenſibus iubet ſalutari? Hoc facit Chriſtianæ amicitiæ gratia, concordiæque fouendæ inter fideles vrbium vicinarum. Vnde ab Apoſtolica abeunt mente, quin & à Chriſtiana pietate, qui inter finitimas vrbes contentiones fouent; partes, ac diſſidia faciunt ſi minimè ſint; nutriunt ſi ſint.

Et Nympham, & quæ in domo eius eſt Eccleſiam.

NYmpham viri nomen eſſe meliores Interpretes opinantur, & pronomen maſculinum *αὐτοῦ* id euincit. De hoc Græca ſcholia ſic habent: Magni nominis hic vir fuit, qui domum ſuam fecerit Eccleſiam. Quâ ratione domum ſuam in Eccleſiam potuit vertere? Nunquid Epiſcopi quodammodo munus exercet paterfamilias docendo, hortando, corripiendo? Nolo hîc deſiderari Eſtij verba ad verba producta, ſic enim ille ſcribit: *Porrò familia Chriſtiana vocatur ab Apoſtolo Eccleſia, propterea quòd ſit fidelium multitudo, non qualiſcumque, ſed ſic ordinata, vt in ea alius præſit, alij ſubiecti ſint, idque etiam aliquo modo in his quæ ad religionem, & ſalutem animarum ſpectant. Nam in vnaquaque domo is qui præeſt ſiue paterfamilias, ſiue dominus, ſiue alia ratione præfectus, curam gerere debet ſalutis æternæ ſuorum ſubditorum, atque eos admonendo, docendo, hortando, corripiendo*, ECCLESIASTICORVM, ET QVODAMMODO EPISCOPALE IMPLERE OFFICIVM, *vt loquitur Auguſtinus tract. 51. in Ioannem. Similis locus Rom. 16. verſ. 4. & Primæ ad Corinth. 16. verſ. 19. & ad Philemonem.* Vides vt Epiſcopale exercere quadam ratione munus poſſit etiam qui Epiſcopus non eſt? Felices familiæ quæ Eccleſiam referunt! Beatæ domus quæ in Eccleſiam videntur conuerſæ; & qui familiæ præeſt in cunctis virtutibus familiam ducit.

Memores eſtote vinculorum meorum.

M*Emores eſtote vinculorum meorum.* Cur non potiùs, magne, magnorum operum à te editorum memores tui ſint? vincula obiicit, non magna facinora, quia ita, & humilitati aptius litabat, & aliorum vtilitati magis conſulebat. Vinculorum meminit, qui non ſuam gloriam quærebat, ſed ſuorum profectum; hic autem facilius à vinculis oritur, quam à magnorum operum, miraculorumque recenſione. 1246.

Quod vinculorum ſuorum memores rogat vt ſint, non ſui causâ facit, quaſi ſubſidium tacitè poſtulans, ſed vt confirmentur in fide, pro qua viderent ipſum tanta pati; ANIMVM ADDIT SOLA POENARVM MEMORIA, QVIBVS IVSTI AFFICIVNTVR. Alius quæſiuiſſet à vinculis liberari. Non eſt Pauli, nec ſupparis notæ cruciatus fugere, & à tribulationibus eximi, ſed in iis ita ſiſtere, vt ad paria prouocent alios, aliis ſuæ patientiæ exemplo quandam fortitudinem inhalent Scilicet.

TVNC BONI MAXIMÈ BONI FIVNT CVM MAXIMA A MALIS MALA PATIVNTVR.

Finis Epiſtolæ ad Coloſſenſes expenſæ, & illuſtratæ.

CAPVT

CAPVT PRIMVM EPISTOLÆ PRIMÆ *AD* THESSALONICENSES EXPENDITVR ET ILLVSTRATVR.

Paulus & Siluanus & Timotheus, Ecclesiæ Thessalonicensium.

1247. PAulus & Siluanus. Hîc *Apostoli* titulum omisit. *Ideo*, inquit Cathatinus, *non se vocauit Apostolum, sed quasi vnum ex illis parem; vt intelligant Præpositi, dari nonnunquam tempus & locum non* OSTENTANDI AVTORITATEM. Sanctus Thomas hic id factum ait ob Thessalonicensium probitatem: *Notandum est*, inquit, *quòd quia vobiscum omnes pares sumus, ideo quia istis bonis scribit, non facit mentionem de officio suo, sed solum de nomine humilitatis, quod est Paulus.* Sed si vera hæc ratio, dignitatis titulum maximè supprimere debuisset cum ad Timotheum scripsit, quod tamen ille non fecit, sed Apostolum se statim dixit, Estius ex Caietano ait; *Paulum in his duabus Epistolis nudum absque epitheto nomen suum posuisse propter* REVERENTIAM SILVANI, *ne supra eum se extollere videretur, si peculiarem præ illo titulum vsurparet.* Denique *Apostoli* hîc titulum omittit, quod non semel fecit, vt hinc disceremus, rem id exegisse, quum posuit. Quæ res illos arguit, qui putant se desinere esse, quod sunt, si non dignitatum suarum titulos vsque ad nauseam iactent.

Siluanus & Timotheus. Mirum, quod Timo- 1248.
theo Siluanum non postposuerit. An id ex eius mente fecit, vtque illius humilitati satisfaceret? *Cur autem*, inquit hîc Sanctus Chrysostomus, *præponit Siluanum, etiamsi suo testimonio innumerabilia ipsi bona tribuat, & omnibus eum præponat? Fortè quidem, quod ipse* OB MAGNAM HVMILITATEM HOC VELLET ET ROGARET: *nam, cum videret magistrum adeo se humiliter gerere, vt secum coniungeret discipulum, multo magis hoc ipse quæsierit & contenderit.* Nimirum facile in humilitate aliis virtutibus imitatores discipulos magister habebit, si præstet ipse quod docet, & vim verbis suis suo exemplo exhibeat.

Memoriam vestram facientes in orationibus nostris sine intermißione.

IN superarum diuitiarum acquisitione sistendum nunquam est, dum hîc sumus, oratione semper aliqua petenda, quæ acquisitis adiiciantur; significauit istud Paulus dum orationem gratiarum actioni copulauit. Scitè Estius hîc. *Memoriam vestri facientes in orationibus nostris Id est, quoties oramus, etiam pro vobis orantes. Non enim*

enim à gratiarum actione ſeparanda eſt oratio, CVM IN HAC VITA SEMPER RESTET ADHVC QVOD PETATVR, *vt firmitas & augmentum fidei, cæterarúmque virtutum, atque in iis perſeuerantia.*

Memores operis fidei veſtræ.

1149. VT homo ex anima & corpore coaleſcit, nec anima ſine corpore ſufficit, aut membra ſine anima; ſic nec fides ſola fidelem conſtituit, nec opera ſine fide, & illa & iſta neceſſaria ſunt; Petite Sanctus Ioannes Damaſcenus orat. inedita in laudem Sancti Ioannis Chryſoſtomi; *Quis fidei perinde ac animæ ipſa opera veluti corporis membra ritè appoſitéque compoſuit, & indidit;* AC OPERA FIDE ANIMAVIT, *& viuificauit, quorum alterum ſine altero nullius eſt emolumenti, & vtilitatis; quamuis non abs re fides poſſet quiſpiam primas dare.*

Et laboris, & charitatis.

GRæcè ſine coniunctione intermedia legitur, *Et laboris charitatis*, ſicut ſuperius dixerat *opus fidei*. Per laborem autem charitatis intelligit laborem ex charitate ſuſceptum; ſed mirum quod charitati laborem aptauerit, fidei verò opus; non caſu id factum, ſed myſterio: quia ſcilicet, vt bonus ille Auctor habet. *Fides ex operibus oſtenditur*, CHARITAS LABOREM REDDIT LEVEM AC FACILEM, *ſpes patientiam gignit*, ideo fidei opus aſſignauit, charitati laborem, & ſpei ſuſtinentiam, ac patientiam.

Et ſuſtinentiæ ſpei.

1250. REctus nexus *ſuſtinentiæ*, ac *ſpei*, nam facilè aduerſa ſuſtinet qui æternæ beatitudinis ſpe fulcitur. Dicat ſibi quilibet illud S. Auguſt. APPENDO QVOD PATIOR CONTRA ID QVOD SPERO; ſic enim leuis omnis aduerſitas fiet, dulcis omnis amarities.

Quia Euangelium noſtrum non fuit ad vos in ſermone tantùm, ſed & in virtute.

NAm ſermo prædicantis ſignis, & miraculis confirmabatur, imo & prædicatoris ipſius proba vita, ſanctiſque moribus; ſcilicet in virtute eſt ſermo dicentis, ſi opere, & conuerſatione demonſtret, ac rata faciat ea, quæ verbo docet.

Sicut ſcitis, quales fuerimus in vobis propter vos.

1251. AC ſi diceret, ipſi mihi teſtes eſtis, quomodò fuerimus inter vos conuerſati, *propter vos*, ideſt veſtræ ſalutis causâ, non mei commodi, meæ gloriæ; vera Euangelici Doctoris nota OMNIA AD EORVM VTILITATEM DIRIGERE, inter quos conuerſatur.

Et vos imitatores noſtri facti eſtis, & Domini, excipientes verbum in tribulatione multa cum gaudio Spiritus Sancti.

LAudat Theſſalonicenſes, vt laudati laudabiliores eſſe ſtuderent; Facti, inquit eſtis imitatores mei, & quod plus eſt etiam Chriſti; *hoc addit*, inquit Eſtius, *ne arrogantius dixiſſe videretur, noſtri*, Sequitur Paulus, *excipientes verbum in tribulatione multa*; Licèt multa paſſi ESTIS A VESTRIS CIVIBVS, EVANGELIVM TAMEN SVSCEPISTIS, QVOD RARVM, ET SINGVLARE. Ferè enim tribulatio ſi magna, homines ita occupat, vt diuinis rebus audiendis vacare vix illis integrum ſit, quia, vt ita loquar, integri illi non ſunt, in varia diducti, in varia ſparſi.

Cum gaudio Spiritus Sancti. Vides tribulationibus gaudium non perire, ſed potius iis foueri. Obſidebantur tribulationibus, quæ gaudium adeo non infecerunt, vt maius facerent. Veri Dei cultores gaudium illud, illam lætitiam quærunt, quæ à rebus inconſtantibus non dependeat, atque adeo licèt extra afflictiones eos ambiant, mentis tamen arcem nihil poteſt inuadere, neque gaudium turbare, quo ſunt pleni. S. Thom. hîc: CVM GAVDIO, inquit, S. *Spiritus Sancti, non alio quocunque; qui eſt amor Dei, qui facit gaudium patientibus propter Chriſtum, quia amant eum.* Amor autem ita amaritudines omnes condit, vt melleas reddat.

Ita vt facti ſitis forma omnibus credentibus in Macedonia & in Achaia.

VT ſit ſenſus: Adeo vt fueritis exemplo omnibus qui per Macedoniam, & Achaiam in 1252.
Chriſtum crediderunt. Quod ſi quis obiiciat, & non aliqui eorum ante crediderant, vt Theſſalonicenſium exemplo non indigerent? Reſpondet Eſtius: *Quamuis quidã illorum ante eos credidiſſent, vt Philippenſes, poterant tamen omnes ab iis accipere exempla conſtantis & alacris fidei, promptique animi ad pericula pro fide ſubeunda.* Tantum illorum exemplum poteſt, qui inter tribulationes A VIRTVTIS NON ABEVNT SEMITA, & inter aduerſa proſperè per probitatis incedunt viam. Superiùs Romanorum fidem Paulus extulerat, quod in vniuerſo mundo annuntiaretur, non tamen dixit, quod forma credentibus eſſent facti. Theſſalonicenſes hanc laudem merebantur, quod inter afflictiones adeo ſanctitate ſplenderent.

Qui eripuit nos ab ira ventura.

QVi eripuit nos ab ira ventura. Quomodo eripuit? Dum à peccatis nos liberauit, quæ nos Diuinæ iræ faciunt obnoxios. *Eripuit nos*, inquit Beat. Dionyſius, *ab ira, ideſt à pœna æterna, ſeu damnationis ſententia, quæ in die iudicij contra impios proferetur: nunc enim eripit nos, quantum in ipſo eſt*, A PECCATIS *propter quæ ira illa infligitur.*

Qui eripuit nos. Græcè, *Qui eripit nos; vt intelligamus* (inquit Catharinus) *effectum Crucis ad redemptionem* NOSTRAM ESSE ASSIDVVM, *& ſemper fuiſſe ab initio mundi, & ad finem vſque futurum.* Eſtius ſic explicat hanc lectionem: *Eripuit nos, ideſt electos ſuos Chriſtus ab æterna damnatione etiam nunc in præſenti, quatenus eos per beneficium redemptionis ſuæ durante hoc ſæculo eripit è poteſtate Diaboli.*

Ab ira ventura. Hoc aliqui referunt ad tempus, quo Chriſtus tanquam ſupremus iudex in extremo Iudicij die malos perdet. Sed cur venturæ iræ meminit & nõ præſentis? An quia præsẽs ita miſericordiæ immixta eſt, vt irã referre non videatur

viderur? Sola pœna æternæ damnationis pœnæ nomẽ iustè sustinet; alia vix hoc nomẽ meretur.

CAPVT II.

EPISTOLÆ PRIMÆ ad Thessalonicenses expenditur & illustratur.

Ipsi scitis, fratres, introitum nostrum ad vos, quia non inanis fuit: sed ante passi & contumeliis affecti.

1253. NOn fuit inanis introitus, quia contumeliis affectus. Bonus introitus, quum malis afficitur, qui intrat; tanti est, illatas contumelias ferre. Rem grauiter vrget in eos, qui pati nequeunt se peti contumeliis, Sanctus Gregorius lib. 6. epist. 27. *Doctor Gentium quid aliud discipulis dicat, audiamus. Ipsi scitis introitum nostrum ad vos, quia non inanis fuit; sed ante passi & contumeliis affecti. Ecce, dulcissime fili Prædicator Sanctus ingressum suum vacuum fuisse perhibuit,* SI CONTVMELIAS NON PERTVLISSET: *& tua charitas dici bona vult, sed mala perpeti recusat. Vnde necesse est, vt inter aduersa se strictius accingat, vt desiderium ad amorem Dei, atque studium bonæ operationis ipsa plus aduersitas augeat. Sic semina messium gelu cooperta fertilius germinant. Sic ignis flatu premitur, vt crescat.*

Fiduciam habuimus in Deo nostro, loqui ad vos Euangelium Dei in multa solicitudine.

FIduciam habuimus, Græcè est ἐπαῤῥησιασάμεθα, quod verbum significat audacter, & intrepidè aliquid agere. Arias Montanus vertit: *Libertate vsi fuimus*; nimirum cum contumeliis affectus fuisset Philippis, adeo ea res Apostoli animum non deiecit, vt magis crexerit, ac firmauerit. Hæc veri Doctoris consignatio ipsis difficultatibus, quæ ipsi offeruntur magis animari; *Ea res*, inquit Estius, *animum & fiduciam nobis adauxit, quod sciremus ita Deo visum esse, vt Euangelium eius absque* PRÆVIIS HVIVSMODI PERICVLIS, ET PERSECVTIONIBVS *non fructificet.*

Neque in occasione auaritiæ, Deus testis est.

OCcasionem auaritiæ vocat, vt alij notarunt, occasionem ad auaritiam explendam, siue ad ea consequenda, circa quæ versatur auaritia; ac si diceret, sub occasione Euangelij, ac titulo Christi non quæsiui lucrum meum priuatum; & huiusce rei testem Deum inuocat; & cur non dixit hîc quoque, vt in superiori parte; *sicut scitis*? quod hæc res sit intentionis animi, nec nota hominibus esse poterat; quòd scilicet priuata commoda non spectasset; Cum plerunque etiam ij, QVI APVD HOMINES SPECTARE SVA COMMODA NON VIDENTVR, CORAM DEO, qui cor videt, verè spectent. 1254.

Nec quærentes ab hominibus gloriam, neque à vobis, neque ab aliis.

PLerique non capiuntur auaritiâ, sed humanæ gloriæ cupiditate ligari se sinunt, ab vtroque vitio liberum se fuisse asserit Apostolus; & verò quia ab hominibus gloriam non quæsiuit: & ab hominibus, & à Deo gloriam adeptus, VT VBIQVE PAVLI NOMIN CVM PAVLI GLORIA INSONET; inglorius futurus si hominum gloriam Christi oblitus, quæsiuisset. Pseudoapostoli qui sua commoda quæsierunt, litarunt suæ gloriæ, aut non nominantur, aut cum contemptu nominantur. Iure hîc illi perstringátur, qui celebrari nomen suum ab hominibus quærunt. Audiendus hîc S. Chrysost. hom. 5. in Genesim: *Quid*, inquit, *miserius nobis qui Spirituales videri volumus, si similes illis fuerimus,* CELEBRARI AB HOMINIBVS *cupientes, & si non suffecerit nobis laus à Domino? Sicut & Paulus dicit: Cuius gloria nõ ex hominibus, sed ex Deo. Non vides dilecte, in equorum ludis, quomodo hi qui equos agitant non aduertunt plausum & fauorem populi assidentis & acclamantis, neque ex eo plausu voluptatem capiunt: sed ad vnum solum spectant, Regem in medio sedentẽ, & ad nutum illius attendentes, totam multitudinem despiciunt,*

despiciunt, & tunc solum animo extolluatur, cum ille eos coronaueris? hos igitur & tu imitaberis, non magni momenti facito hominum famam, neque propter eam exerceas virtutem: sed a iusto iudice sententiam expecta & ad illius nutum intentus esto.

Cum possemus vobis oneri esse, vt Christi Apostoli.

1255. QVid ais Paule, non fuisses oneri iis, qui te sustentassent fuisses honori; non grauas dum sustentaris, sed euehis; de se Paulus loquitur, vt solent homines alij de te loqui. Ambrosianus codex habet; *cum possemus apud vos* IN HONORE ESSE, tanquam ii in idem recideret, aliquos apud aliquos esse in honore, & oneri illis esse.

Facti sumus paruuli in medio vestrûm, tanquam si nutrix foueat filios suos.

FIlios suos. Suos dixit, non, alienos, quod pleræque nutrices faciunt, quia scilicet multæ matres esse volunt, dedignantur esse nutrices. Sanctus Augustinus in psal. 49. ita scribit. *Mater vobis fui, quomodo dicitur alio loco, factus sum paruulus in medio vestrûm, tanquam nutrix fouens filios suos, non nutrix nutriens filios alienos, sed nutrix fouens filios suos.* SVNT ENIM MATRES QVÆ CVM PEPERERINT, DANT NVTRICIBVS, *illa quæ pepererunt, non fouent filios suos, quia nutriendos dederunt: Illa autem quæ fouent, non suos fouent, sed alienos. Iste verò ipse pepererat, ipse fouebat, nulli nutrici quem pepererat, committebat, dixerat enim. quos iterum parturio, donec Christus formetur in vobis, fouebat ergo & lactabat.* Paulo aliter hunc locum versat idem Sanct. Pater tract. 9. in epist. 1. B. Ioannis: *Sæpè videmus vbera vaccarum etiam a grandiusculis vitulis capite percuti, & propè ipso impetu leuari matrum corpora, nec eos tamen calce repelli: sed, & si desit filius qui sugat, mugitu prouocari ad vbera. ergo est in nobis illa Charitas spiritualis, de qua Apostolus dicit, factus sum paruulus in medio vestrum, tanquam nutrix fouens filios suos: tunc vos diligimus quando exigitis, pigros non amamus:* QVIA LANGVENTIBVS FORMIDAMVS.

Memores enim estis, fratres, laboris nostri & fatigationis.

1256. ET *fatigationis.* Cur istud adiecit? ne quis crederet eum laborasse, vt se exerceret, ac recrearet. Sanctus Thomas hîc: *Aliqui laborant quidem sed ex solatio, sed nos non; ideo dicit* LABORIS NOSTRI NON PROPTER EXERCITATIONEM CORPORIS, *sed cum fatigatione, vnde dicit, & fatigationis.*

Laboris nostri. Sæpè laborum suorum Paulus meminit; scilicet qui ad labores alios inhortabatur, non debebat ipse ab illis se subducere; torporis, otiique omnem notam abradere à se debet, qui aliis præest; ægrè laborem aliis persuadeat, QVI LABORIS NON EST AMANS. Qui tot Ecclesiarum habebat curam, tot hostes sustinebat, tot conficiebat itinera, adhuc ab otij suspicione se purgat; & se à notâ immunes putabunt qui vix aliquid efficiunt, quo probent se laborare?

Nocte, & die operantes ne quem vestrûm grauaremus.

VNius Pauli labor, & opus multorum segnitiem, otiúmque arguit. Rem ita vrgebat S. Chrysostomus serm. 17. de diuersis noui Testamenti locis: *Quam ob causam & Paulus operabatur perpetuò, non interdiu tantum, sed etiam ipsâ nocte: quod & ipse clamans testatur: Nocte enim & die operantes ne quem vestrûm grauaremus. Neque verò temerè delectationis, aut recreandi animi causa opus tractabat, sicut multi fratres, sed tanto se labore exercebat, vt & cæteris subsidio esse posset. Ad ea enim quæ mihi opus erant, & iis qui mecum sunt, ministrauerunt manus istæ. Homo qui Dæmonibus imperabat; qui Doctor erat orbis terrarum; cui omnium qui terram incolunt fuerat cura commissa, qui cunctas sub Sole positas Ecclesias, & populos, & nationes, & vrbes summâ solicitudine curabat, nocte & die operabatur, ac ne tantillum quidem ab illis laboribus respirabat. Nos verò quibus ne millesima quidem illius curarum pars incumbit, vel potius qui ne mente eas capere possumus,* IN OTIO PERPETVO VITAM DVCIMVS. 1257.

Sicut pater filios suos.

PRiùs se matri, ac nutrici comparauit filios suos fouenti; nutrientique, nunc comparat se patri, filios suos instituenti, ac informanti. Prius in Doctore matris, nutricisque blanditiæ commendantur, postea PATRIS ALIQVA SEVERITAS, & institutio à blanditiis alienior, vt à mollibus ad duriora paulatim eatur.

Ideo & nos gratias agimus Deo sine intermissione &c.

GRatias pro illorum profectu agit, tanquam suorum bonum suum esset; GRATIAS DEBET AGERE PRÆDICATOR, inquit hic Sanctus Thomas *quando verbum eius in auditoribus proficit*, tanquam in Doctorem resiliat, quod ab auditoribus fit. 1258.

Qui operatur in vobis, qui credidistis.

QVi *operatur in vobis.* Cur, *In vobis*, dixerit; non, *Vobiscum*, sic explicat Primasius hîc: *Aduerte, quia, In vobis, dixit; & non, Vobiscum; vt Deo semper gloria detur, cuius est omne, quod possumus; & qui in nobis operatur, vt operemur, sicut dicit in Cantico Esaiæ: Domine Deus noster, pacem dabis & omnia opera nostra operatus es nobis.*

Quia eadem passi estis & vos à contribulibus vestris, sicut & ipsi à Iudæis, qui & Dominum occiderunt Iesum, & Prophetas, &c.

AC si diceret; quid mirum si vos persequuti sunt Iudæi, quando & Christum Dominum occiderunt, nec propriis suis Prophetis pepercerunt? Christû autem occiderunt, sua voluntate, & impulsu suo licèt manibus alienis; occiderunt præterea hi, de quibus loquitur Paulus quia à 1259.

suis occisum approbarunt; Scitè Estius; *Non quidem verisimile est Iudæos quos Paulus infestos sibi & Ecclesiæ sentiebat, fuisse ex iis ipsis qui Christum postulauerant ad necem, fluxerant enim iam à morte Christi septemdecim anni plus minus, sed erant eiusdem Gentis, & in facinus illorum hi* EXPRESSE CONSENTIEBANT, DICENTES BENE ET IVSTE FACTVM ESSE.

Et Prophetas. Sed quì isti prophetas suos occiderunt, qui iam ab illorum maioribus occisi fuerant? An quia consenserunt occisis? Idem Estius ita rem explicat: *Prophetas autem occidisse dicuntur, quia patres ac maiores eorum, à quorum moribus & ingenio non recedebant, illos occiderant; ipsi quoque patrum suorum socij in sanguine Prophetarum futuri, si in diebus eorum fuissent.* Tanti nimirum est, malis consentire, quæ patrata à malis.

Sed impediuit nos Satanas.

1260. ET quì impediuit? Quia mali homines instigante Satana Euangelij progressum impediebant, vel insidias Apostolo struentes in viâ, vel alia obstacula obiicientes; vt videas malos homines qui à bono bonos auertunt, DIABOLI INSTRVMENTA esse, vt Diabolo tribuatur quod per ipsos fit.

Impedire Satanas potuerit Apostoli iter, non potuit impedire prædicationis eius fructum, qui vberior fiebat in illis apud quos diutius morabatur; scilicet vel nolens Satanas fidelium profectui deseruit. Peritè S. Greg. *Volui venire ad vos ego quidem Paulus, & semel & iterum, sed impediuit me Satanas, neque enim per semetipsum Satan præpedire Apostoli vias potuit, sed occulta dispensationis vsibus dum aduersatur, nesciens deseruiuit, vt nimirum Paulus dum ad alios vellet accedere, nec valeret, eis à quibus recedere non poterat,* APTIVS PRODESSET. sic ille lib. 27. Moral. c. 19.

126 1. Sed cur permisit Deus vt Satanas impedimentum obijceret ne Apostolus eò iret, quò cupiebat, multorū profectui cōsulturus? An vt magis Dei virtus hinc appareret, & Paulus probatiorem se Deo redderet, ac probaret? *Sæpius voluimus venire ad vos, sed impediuit nos Satanas: & Deus permisit*, inquit S. Chrysost. EX SVPERABVNDANTI SVAM DEMONSTRANS VIRTVTEM: *& ostendens quòd infinita faciente Diabolo, & prohibente, nihil ex hoc prædicatio minuebatur, aut interrumpebatur; idcirco in omnibus Paulus Deo gratias agebat, sciens quod probatiorem per hæc se Deo reddebat: & promptitudinis suæ vehementiam in omnibus exhibebat, impedimento nullo interruptus.* Hactenus ille homil. 1. ad Populum.

Quæ est enim nostra spes, aut gaudium, aut corona gloriæ? Nonne vos ante Dominum nostrum Iesum Christum estis in aduentu eius?

MIrum quòd spem suam Thessalonicenses Paulus vocat & gaudium; sensus est; vos estis spes nostra, idest spei nostræ materia, *quia pro fructu* (docti Interpretis verba ad hæc verba sunt) *quem ad vos feci, præmium à Domino accepturum me spero.* Tanti est alienæ saluti consulere, aliósque ad Christum verbō vocare, prouocare exemplo.

Vos enim estis gloria nostra & gaudium.

CVr Thessalonicenses gloriam suam vocat Apostolus, qui alibi gloriabatur se in Cruce tantum gloriari? *Respondemus*, inquit Estius, *hanc ipsam Apostoli gloriationem quam ex Thessalonicensibus sibi promittit, non in alia re fundari quam in Cruce Domini*, QVÆ EST FONS OMNIS GRATIÆ ET GLORIÆ. Præsertim quòd in eo Apostolus Thessalonicenses gloriam, & gaudium suum vocat, in quo Crucis virtute crucifixi Christi mores imitari conabantur, & vitâ eum referre, qui pro illis mortem in Cruce tulit. 1262

CAPVT III.

EPISTOLÆ PRIMÆ ad Thessalonicenses expenditur & illustratur.

1263 *In magna multitudine vt quis solus sit.*
1263 *Tentandi studium in Dæmone.*
1163 *Fortiorum afflictionibus Diabolus imbecilliores impugnat*
1264 *Euangelicus Doctor suorum damna sua putat detrimenta.*
1264 *Stabilitas & perseuerantia in bono commendata.*
1264 *Doctorum memoria in discipulis vigeat.*
1265 *Apostolica mentis est ab aliorum profectu consolationem in aduersis accipere.*
1265 *Quanti suorum profectum Præsules debeant facere.*
1266 *Qui in se stat, iacet, non stat.*
1266 *Vbi maius periculum, ibi quid omnibus præstandum.*

Propter quod non sustinentes ampliùs, placuit nobis remanere Athenis soli.

EX Græco aliqui vertunt: *Idcirco iam non ampliùs tolerantes, primùm duximus, vt Athenis soli relinqueremur.* Vt sit sensus: cum vestri desiderium non ferrem diutius, nec tamen aditus ad vos daretur, visum fuit aduentum, & præsentiam meam per alium mihi coniunctissimum suppleri, adeo vt ego solus Athenis relinquerer. Desolationem suam, vocat Timothei præsentiâ destitui, tanto illum affectu prosequebatur. Solum se Paulus vocat in populatissimâ vrbe positus, quia nullum alium Euangelij operarium habebat, nullum Euangelici laboris socium. Vt noueris etiam in numerosa multitudine quempiam solum esse posse, si non habeat qui secum Dei opus promoueat. 1263

Ne

Ne fortè tentauerit vos, qui tentat.

I*S qui tentat.* Ac ſi aliud Dæmon non ageret quam homines tentare, hoc loquendi modo voluit Apoſtolus ſignificare PERPETVAM VOLVNTATEM AC STVDIVM TENTANDI, & ad malum homines ſolicitandi, in qua ſe ſtudioſiſſimè ſe Dæmon exercet.

Sed cur à Diaboli tentationibus timuit Theſſalonicenſibus Apoſtolus? quia occaſione afflictionum, tribulationúmque quibus ſe affectum dixerat, timere poterat in illos Dæmonem ſæuiturum, adeo vt in fidei aliquem defectum impelleret; huc enim ſpectat Diabolus, vt FORTIORVM AFFLICTIONIBVS IMBECILLIORES A BONO AMOVEANTVR.

Et inanis fiat labor noſter.

1264. NOn erit inanis, magne, ſalua manēt tibi tua præmia, quid ergo de tuo labore ſolicitus erat? erit non ex parte ſui; ſed illorum, quibus prædicauerat; ſic enim reſpectu auditorum futurus erat irritus prædicantis labor, ſi nullum apud illos ſtabilem fructum feciſſet; tanto affectu in ſuos ferri Euangelicus Doctor debet, VT SVORVM DAMNA, SVA PVTET DETRIMENTA.

Et inanis fiat; Non dixit inanem fuiſſe, quia fuerat cum fructu, timet ne labor prius fructuoſus infructuoſus redderetur, ſi nimirum in bono non eſſent ſtabiles, qui Pauli labore profecerant, nec enim ſatis ſemel bonum inchoaſſe, NISI ET IN BONO IAM INCHOATO QVIS PERSEVERET.

Et quia memoriam noſtri habetis bonam ſemper.

1265. DOctorum memoriā habere diſcipulos par eſt; adeo vt in iſtis non moriantur, quod ab illis acceperint. *Audite hîc diſcipuli*, inquit hoc loco Theophylactus, *& diſcite* PRÆCEPTORVM VESTRORVM MENTIONEM SEMPER FACERE CVM LAVDE, *vobis ipſis namque proderit, non illis.*

Ideo conſolati ſumus, fratres in vobis in omni neceſſitate, & tribulatione noſtra per fidem veſtram.

AC ſi diceret: Per ea, quæ à Timotheo nunciata ſunt, conſolationem accepi in vobis, ſiue per vos, id eſt per fidem veſtram, ſuper omni afflictione, qua obſideor, & in omnibus periculis, in quibus verſor, adeo vt poſt acceptum de fide veſtra nuntium nihil graue ducam, nec illud quod graue ſolet æſtimari. Nimirum Apoſtolicæ mentis eſt, ob aliorum profectum ita reſici, ac recreari, vt hoc maximum ſit maximarum afflictionum ſolamen, audire ſcilicet rectè in Dei obſequio alios incedere; nam illæ quas mundi homines aduerſitatum conſolationes cenſent, Dei cultoribus deſolationes ſunt.

Nunc viuimus, ſi vos ſtatis in Domino.

N*Vnc viuimus, ſi vos ſtatis in Domino.* ac ſi non eſſet victuros, ſi longè à Domino iacerent. tanti ſuorum profectum ac ſalutem veri Præſules faciūt. Sanctus Auguſtinus hac mente correptus, hæc verba emittebat ſerm. 37. ex 40. nuper editis: *Et ſi dicimus quod dicendum eſt; & ſi prædicamus, quod prædicandum eſt, & ſoluimus nos apud Dominum in conſpectu Domini, quia non tacuimus quod timeamus; non tacuimus, quod amemus, vt ſuper quem venerit gladius vindicta Dominica, quid ſpeculatori imputet, non inueniat:* TAMEN NOLVMVS MERCEDEM NOSTRAM SECVRAM ESSE, VOBIS PERDITIS; *ſed vobis inuentis. Nam & Apoſtolus Paulus ſecurus erat de mercede ſua, & tamen quid ait populo? Nunc viuimus ſi vos ſtatis in Domino.* 1266.

Si vos ſtatis in Domino. Qui in ſe ſtat, non ſtat; ſed iacet: nec in aliis hominibus ſtare debemus. *Nunc autem viuimus, ſi vos, fratres, ſtatis in Domino.* NOLO IN NOBIS, inquit S. Auguſt. ſerm. 28. de Verb. Dom. SED IN DOMINO; *quia neque qui plantat eſt aliquid, neque qui rigat, ſed qui dat incrementum, Deus.*

Ad confirmanda corda veſtra ſine querela in ſanctitate.

A*D confirmanda corda veſtra.* Nimirum ibi potior cuſtodia adhibita, vbi maius timendum periculum eſt. *Non dixit*, inquit hic Sanctus Chryſoſtomus, *Ad vos confirmandos, ſed*, CORDA VESTRA: *ex corde enim exeunt mala cogitationes, fieri enim poteſt, vt, qui nihil agit ſit malus, vt ſi habeat inuidiam, incredulitatem, dolum, lætetur malis, non ſit propenſus ad amandum, dogmata habeat peruerſa; hæc omnia ſunt cordis. Hoc verò eſt ſanctitas, ab his eſſe puros.* Potius ergo confirmandum eſt quod potius eſt. & præcipuè cuſtodiendum quod eſt præcipuum.

CAPVT IV.

EPISTOLÆ PRIMÆ ad Theſſalonicenſes expenditur & illuſtratur.

1267 *Vas ſuum poſsidere quid apud Apoſtolum ſignificet.*
1267 *Sanctificationis & honoris nexus.*
1268 *Aliena negotia vt tractanda*
1268 *Qui aliena curioſè inueſtigat, ſua negligit.*
1269 *Otium quot malorum cauſa.*
1269 *Qui otio torpet, alienis inhiat.*
1270 *Dormient morientes, qui, dum viuerent, vigilârant.*
1270 *Dormire cur dicantur, qui moriuntur.*
1271 *Triſtitia de charorum morte quanam permiſſa.*
1271 *Commemoratio peccati in aliena morte fieri debet.*
1272 *Reſurrectionis futuræ ſpes triſtitiam lenire debet, quâ in ſuorum morte quis afficitur.*
1273 *Quanam ſuperſtites in ſuorum abitione* *conſolari*

consolari possint.

1274 *Fideles, cur dormientes, vocati in morte; Christus verò, mortuus.*

1274 *Corporis reformatio quàm gloriosa futura.*

1275 *Resurrectionis natura ob salutem hominum nisi aliter eorum vitio fiat.*

1275 *Iudicis faciem iusti non formidabunt.*

1275 *Rapi obuiàm Christo cur electi dicantur.*

1276 *Nubes à reproborum oculis electos vt sit subductura.*

1276 *A terrenis mentem auocet, qui in nubibus se Christo occurrere sperat.*

1276 *Dei præsentia omnium bonorum præcipuum.*

1276 *Veram consolationem mundana non offerunt.*

Vt sciat vnusquisque vestrum vas suum possidere in sanctificatione, & honore.

1267. NOtant Græci Apostolum dicere, *vt sciat*, ad insinuãdum quod castitas, & continentia opus habeant exercitio, & disciplina. Per *vas* proprium cuiusque corpus intelligit; quod vere quis possidet, si in castitate sciat conseruare; alioquin non verè possidet, sed illius mancipium est, si sinat in illicitas quasque voluptates sine fræno ire. *Vas suum possidere.* Possidet corpus qui mundum, & ab impuritatibus immune illud seruat. Ab eius videtur possessione excidere, qui libidinibus obnoxium illud facit, ac impuritati mancipat. Non desunt, qui per vas vxorem intelligant.

In honore. Rectus nexus sanctificationis, & honoris; quia, vt opprobrium fornicationem sequitur, sic honor castimoniam. Lyranus hîc: *In sanctificatione, & honore; corpus enim* IN FORNICATIONE DEDITVM DEHONORATVR; *quia bestiale efficitur.*

Rogamus autem vos, fratres, vt abundetis magis, & operam detis, vt quieti sitis, & vt vestrum negotium agatis.

1268. VT *vestrum negotium agatis.* Sed nunquid alienum à charitate est alienum agere negotium, non est; si fiat ordinatè, sicque alienum negotium nostrum fit, cum proximi res tractator; *Omnia possunt inordinatè fieri*, inquit hîc S. Thomas, *si fiant præter ordinem; & ordinatè, scilicet quando seruatur* ORDO RATIONIS, ET IN NECESSITATE, *& hoc est commendabile*; Quando igitur necessitas instat, proximi negotia tractare possumus, ac debemus, & tunc alienum negotium fit quodammodo nostrum.

Et operemini manibus vestris, sicut præcepimus vobis.

HOc exhibuit monitum Apostolus, quia aliqui per alienas domos inquieti discurrebant, & in res alienas maximè curiosi, alienis sese negotiis miscentes; addit statim; *& vt vestrum negotium agatis*; ita enim ferè accidit, VT QVI ALIENA CVRIOSE INVESTIGAT, SVA NEGLIGAT.

Et operemini manibus vestris. Nam alioquin, 1269.
qui otio torpet, nec quietus ipse est, nec alios sinit; nec suis vacat negotiis, vt supra monuerat. Pulchrè de hoc verborum nexu Ioannes Cassianus lib. 10. de Spir. acediæ: *Vt illa fierent, quæ monuerat superiùs, ne agerent; idest, ne inquieti essent, & aliena curarent negotia; vel inhoneste ambularent ad eos, qui foris sunt; vel alterius aliquid desiderarent, nunc intulit dicens: Et operemini manibus vestris, sicut præcepimus vobis. Vt enim illa fierent, quæ superiùs reprehendit,* OTIVM CAVSAM ESSE EVIDENTER EXPRESSIT: *nullus enim potest vel inquietus esse; vel aliena curare negotia, nisi qui operi manuum suarum non acquiescit insistere.*

Et nullius aliquid desideretis.

ET *nullius aliquid desideretis.* Ac si consequens esset, vt, qui otio torpet nec laborat, aliena desideret. Subinnouit illud, vt ab isto suos amoueret; quod tetigit etiam Ioannes Cassianus lib. 10. de Spiritu aced. cap. 7. *Et nullius aliquid desideretis.* NEMO POTEST NON ALIENIS, DONIS ET MVNERIBVS INHIARE, *qui non delectatur pio quietoque labore operis sui, quotidiani victus parare substantiam.*

Nolumus autem vos ignorare, fratres, de dormientibus, vt non contristemini, sicut & cæteri, qui spem non habent.

DE *dormientibus.* Peritè ille de dormientibus 1270.
sentiebat, qui dixit: *Scito illos solùm dormire, quum moriuntur,* QVI, CVM VIVERENT, VIGILARVNT. alioquin, qui viuentes dormiunt, vix dici possunt dormire, quum moriuntur.

De dormientibus. Dormientes eos vocat, qui mortui sunt. Sed cur hoc verbo mortem significauit? *Quare* DORMIENTES *vocantur?* inquit Sanctus Augustinus serm. 23. de Verb. Dom, *nisi quia suo die resuscitantur?* & B. Dionysius Carthusianus, *Per comparationem*, inquit, *ad Diuinam virtutem* DORMIRE CENSENTVR; *& facilius à Domino suscitabuntur, quàm dormiens ab homine excitetur.* Mors est quidam somnus, vt somnus est quidam mors. Luculentius rem versat Sanctus Chrysostomus: *De dormientibus autem nolo vos ignorare fratres, vt non contristemini sicut & cæteri, qui spem non habent. Non dixit de morientibus,* SED DE DORMIENTIBVS, *somnum esse mortem ostendens. Vt igitur cum dormire quendam videmus, non turbamur, neque mœrore afficimur, illum planè resurrecturum sperantes: ita cum mortem obiisse quendam videmus, nihil perturbemur, neque animo concidamus: si quidem hoc quoque somnus est, prolixior quidem, sed tamen somnus. Itaque dormitionis nomine lugentes consolatus est, accusationem autem infidelium refutauit.* Sic ille, serm. 62. de diuersis noui Testamenti locis.

Non prohibet omnem tristitiam in morte 1271.
charorum, sed eam quæ similis esset tristitiæ infidelium; nam & Paulus ipse tristitiam super tristitiam habiturum se fuisse in morte Epaphroditi

phroditi testatus est ad Philippenses 2. *Permittentur itaque*, ait Beatus Beda ex Beato Augustino, *pia corda de charorum suorum mortibus contristari*, DOLORE SANABILI, *& consolabiles lacrymas fundant, conditione mortali; quas citò reprimat fides gaudium, quâ creduntur fideles quando moriuntur, paululum a nobis abire, & ad meliora transire.*

Non est malum tristitiâ corripi pro mortuis, hócque Apostolus admittit, dum benè id fiat; vnde dicit; *sicut, & cæteri, qui spem non habent*, vt innuat se illam tristitiam admittere, quæ resurrectionis spem non euertit; *Quod enim*, inquit S. Thom. hîc, *quòd aliquis tristetur scilicet de mortuis, habet pietatem, quia per mortem* FIT COMMEMORATIO PECCATI, *ac mortis nostræ.*

1272. Nimiam in charorum abitione tristitiam auertere resurrectionis futuræ spes debet. Pulchrè rem versat Tertullianus lib. de Patient. c.9. *Ne illa quidem impatientiæ species excusatur in amissione nostrorum, vbi aliqua doloris patrocinatur assersio; præponendus est enim respectus denuntiationis Apostoli, qui ait: Ne contristemini dormitione cuiusquam, sicut nationes, quæ spe carent. Et meritò: credentes enim resurrectionē Christi, in nostram quoque credimus, propter quos ille, & obiit, & resurrexit.* ERGO, CVM CONSTET DE RESVRRECTIONE MORTVORVM, VACAT DOLOR MORTIS, VACAT ET IMPATIENTIA DOLORIS. *Cur enim doleas, si periisse non credis? Cur impatienter feras subductum interim, quem credis reuersurum? Profectio est, quam putas mortem. Nōn est lugendus, qui antecedit, sed planè desiderandus. Id quoque desiderium patientiâ temperandum. Cur enim immoderatè feras abesse, quem mox subsequeris? Cæterùm impatientia in huiusmodi, & spei nostræ malè ominatur, & fidem præuaricatur; & Christum lædimus, quum euocatos quosque ab illo, quasi miserandos, non æquanimiter accipimus.*

1273. *Sicut & cæteri.* S. Augustinus legit, *Quemadmodum gentes.* Itaque non tristitiam omnem aufert, sed eam, quæ spe vidua est. *Non tantum ais*, inquit productus S. Doctor ser. 33. de verb. Apost. *Vt non contristemini; sed, vt non sic contristemini; quemadmodum gentes, quæ spem non habent, necesse est enim vt contristemini. Sed vbi contristaris? vbi corpus, quod viuit, ex anima fit exanime discedente anima? Qui ambulabat iacet, qui loquebatur iacet, clausi oculi lucem non capiunt, aures nullâ voce patescunt, omnia membrorum officia conquieuerunt: non est, qui moueat gressus ad ambulandum, manus ad operandum, sensus ad percipiendum. Nonne ista est domus quam nescio quis inuisibilis habitator ornabat? Discessit, qui non videtur: remansit, quod cum dolore videatur. Ista est causa tristitiæ. Si hæc est causa tristitiæ, sit huius tristitiæ consolatio.* QVÆ CONSOLATIO? *quia ipse Dominus in iussu, & in voce Archangeli; & in nouissima tuba descendet de Cœlo, & mortui in Christo rapientur in aera; & ita semper cum Domino erimus.* PEREAT CONTRISTATIO, VBI TANTA EST CONSOLATIO. *Detergatur luctus ex animo, fides expellat dolorem.*

Si enim credimus, quòd Iesus mortuus est, & resurrexit; ita & Deus eos, qui dormierunt per Iesum, adducet cum eo.

1274. MIrum! seruos dormientes vocat, Dominum verò *mortuum*; sed cur hoc sermonis? An quia morte sua fecit vt nostra somnus esse videtetur? An vt fortius nos in resurrectionis spem erigeret? Rem ita deducit S. Greg. lib. 12. Moral. cap. 5. *Si enim credimus quòd Iesus mortuus est, & resurrexit, ita & Deus eos qui dormierunt per Iesum adducet cū eo; quid est quod Prædicator egregius mortem Domini mortem vocat: mortem seruorum Domini, non mortem, sed somnum nominat, nisi quia infirma corda audientium respiciens, medicamentum prædicationis suæ mira arte componit: & illum quem iam resurrexisse nouerant, eius mortem insinuare nō dubitat; eos vero qui necdum resurrexerant, vt spem resurrectionis insinuet,* NON MORTVOS SED DORMIENTES VOCAT? *non enim verebatur dicere mortuum, quem auditores iam resurrexisse cognouerant, & verebatur dicere mortuos, quos resurgere vix credebant.*

Quoniam ipse Dominus in iussu, & in voce Archangeli, & in tuba Dei descendet de Cœlo; & mortui, qui in Christo sunt, resurgent primi.

PApè, pro glorificanda carne ipse Dominus gloriæ descendit! Tanti scilicet corpus fiet ab eo qui illud fecit; quis non libens carnem spiritui subdat, vt hoc consequatur? Egregiè S. Bernardus; *Mira enim dicturus sum: sed tamen vera, & omnino indubitata fidelibus. Ipse Dominus Sabaoth, Dominus virtutum, & Rex gloriæ, ipse descendet ad reformanda corpora nostra, & configuranda corpori claritatis suæ.* QVANTA ERIT ILLA GLORIA QVAM INEFFABILIS EXVLTATIO, *quando Creator vniuersitatis, qui pro animabus iustificandis humilis ante venerat, & occultus, pro te glorificanda, ô misera caro, sublimis veniet, & manifestus! non iam in infirmitate, sed in gloria, & Maiestate sua? Quis cogitabit diem aduentus illius, quando descendet cum plenitudine luminis, præcurrentibus Angelis, & tuba concentu excitantibus de puluere corpus inops, & rapientibus illud obuiàm Christo in aera?* Sic ille serm. 6. de Aduentu Domini.

Mortui qui in Christo sunt. Et non resurgent etiam qui extra Christum sunt, vixerunt contra Christum? resurgent, sed cur illorum non meminit? *Non meminit*, inquit Isidorus Clarius, *damnandorum cum ad fideles sermo habeatur, idque consolandi gratiâ, quod* IPSA RESVRRECTIONIS NATVRA EST OB SALVTEM HOMINVM, *quâ si qui priuantur, id eorum sit vitio.* 1275.

Deinde nos, qui viuimus, qui relinquimur, simul rapiemur cum illis in nubibus obuiàm Christo in aera.

CVr tam rapidè ad venientem Iudicem ferentur iusti? An id in illis operatura est Christi gratia, quâ iusti animati adeo Iudicem non fugient, vt celeri in illum volatu confugiant? tantùm bona conscientia in bonis potest: *Existimo*, inquit S. Ephrē de secundo aduētu, *quòd in hora illa contremiscet omnis spiritus; sed* GRATIA *Dei Saluatoris corroborabit, & lætificabit corda iustorum*, RAPIENTVRQVE *in nubibus obuiam ei.*

Rapiemur. Et quomodo rapientur illi, quorum corporibus virtus inerit agilitatis, quâ se poterunt ad nutum animæ in quamcunque partem mouere, cum raptus violentiam quandā significet? *Respondeo*, inquit Estius, *motum quo Sancti ferentur in sublime obuiā Christo, raptum vocari, non ob violentiam, quæ ibi nulla futura est sed vel propter celeritatem;*

leritatem, vel quia motus ille licèt contra naturam non sit futurus, erit tamen supra naturam. Vel denique RAPTVS IUCIRCO VOCATVR, *quia non ita fiet ab internâ virtute, quin etiam magnum momentum afferat externum illud obiectum, quodammodo trahens, ac rapiens ad se beatos, ipse nimirum Christus, ad quem in sublimi conspicuum atque gloriosum, tanquam ad caput suum omnia membra velut ab ipso attracta se se quam celerrimè mouebunt.* Amanti nimirum Chtistum omnis velocitas ratda videtur, qua ferarur ad Christum.

1276. *In nubibus.* Hæ nubes quoddam dubitationis nubilum efficiunt. Quomodo enim in nubibus obuiam ituri Christo sumus, cum post sui innouationem nullas mundus habiturus nubes sit? Plerique putant nullum incommodum esse, si dicantur veræ nubes ad momentum illic adfuturæ in electorum mioisterium, scilicet vt eos statim suscipiant, & vt ille air, ABSCONDANT *à conspectu reproborum.* Dici etiam potest, pet *nubes* hîc intelligi constitutionem quandam aëris densam, & splendidam, quæ Sanctos Christo occurrentes subuehat, atque ab impiorum oculis subducat, tanquam indignis, qui pulchra beatorum corpora spectent.

Obuiam Christo in aera. Præire nobis ipsis quodammodo possumus, & facere quod sumus facturi; nunc quoque nos sinamus à terrenis rapi, à rerum terrenarum cogitatione affectúque eleuari, vt cum Domino simus. Huc vocari possunt, quæ habet in hanc tem Anastasius in Catena Græca Luc. cap. 2. *Qui in perturbationibus secularibus conuersatus est, & nunquam Diuinis verbis obediens extitit, quomodo dicet illud? Viderunt oculi mei salutare tuum, semper oculis ipsius sensibilibus atque intellectualibus in phantasijs mundanis ac concupiscentiis impudicus occupatis? Non sic, inquam, non sic celebrandum festum Domino; nec cum talibus operibus audiendum, aut* SPERANDVM IPSI OCCVRRERE *iuxta illud: Rapiemur in nubibus obuiam Christo in aera.*

Et sic semper cum Domino erimus.

QVid amplius quæratur, quàm Dei præsentia æternùm frui, esséque cum Domino quamdiu Dominus ipse erit. Non explicat quot simus bona consequuturi à Domini consortio, ac præsentia, cùm hoc sit præcipuum cum Deo esse, Deum videre, vt nihil aliud habeamus, satis est, si hæreamus illi qui omnia est. Suis satis Deus dat cum dat se. *Et sic semper cum Domino erimus.* Non hinc sequitur sanctorum animas ante Iudicij diem Dei faciem non visuras; loquitur enim Apostolus de hominibus, qui corpus post resurrectionem assumpserint.

Itaque consolamini inuicem in verbis istis.

AC si diceret: sermonibus de Christi aduentu, iustorum resurrectione, ac perpetuâ cum Christo societate dolorem omnem, omnem tristitiam lenite. Mutua harum rerum commemoratio fidei, & spei excitandæ seruiet. Non ad mundi spectacula, non ad res ludicras, non ad læta camporum, non ad inanium rerum narrationem caprandæ consolationis causâ fideles Paulus adlegat. Nam

INFICERE MVNDANA OMNIA CONSOLATIONEM OMNEM POSSVNT, NON VERA ALIQVEM CONSOLATIONE AFFICERE.

CAPVT V.

EPISTOLÆ PRIMÆ ad Thessalonicenses expenditur & illustratur.

1277 *Curiositas vt compescenda.*
1277 *Iudicij dies semper nobis esse debet in expectatione.*
1277 *Malos imparatos Iudicij dies reperiet, non bonos.*
1278 *Inquietos corripi, quàm sit bonum.*
1278 *Bonum pro malis reddere, vera Christianorum vltio, & vindicta.*
1279 *Etiam inter aduersa vt vero gaudio perfundi possimus.*
1280 *Aduersitas gaudium non inficit, quod est in Deo.*
1280 *Sine intermissione orare solus perfectus vir vt possit.*
1281 *Qui semper benè agit, semper benè orat.*
1282 *Deus cur semper præsens in memoria habendus*
1282 *Orationis assiduæ vtilitates.*
1283 *Tam in aduersis quàm in prosperis Deo gratiæ agendæ.*
1283 *Deus omnis boni auctor.*
1283 *Gratiarum actio vt pretiosum quoddam depositum in anima custodiendum.*
1284 *Rerum terrenarum cura spiritum vt extinguat.*
1284 *Exhortationis spiritus inutilibus quæstionibus non extinguendus.*
1285 *Priuatæ reuelationes non omninò spernendæ.*
1286 *Spiritus gratia integra vt in nobis custodienda.*
1286 *Animæ puritas præcipuè quærenda.*

De temporibus autem, & momentis, fratres, non indigetis, vt scribamus vobis.

CVM didicissent, in fine sæculi Christum, mortuósque omnes resurrecturos, poterant quærere, quando hæc essent futura? Inordinatam hanc, inutilémque sciendi cupiditatem coërcet Apostolus, indicátque curiosa non esse quærenda, non inutilia, & superuacanea. Hoc plerique laborant vitio, vt necessariis, vtilibus neglectis noxiâ curiositate in ea quæ minimè necessaria sunt ferantur, & nihil afferunt vtilitatis cum sciuntur. 1277.

Ipsi enim diligenter scitis, quia dies Domini, sicut fur in nocte, ita veniet. Cum enim dixerint: Pax & securitas, tunc repentinus eis superueniet interitus.

VEniet. Græcè est, ἔρχεται. *Venit, Aduentat.* Quia nimirum ita venturus ille dies prædicitur, VT SEMPER NOBIS ESSE DEBEAT IN EXPECTATIONE; vicinum esse cogitemus, vt à culpis, quantum fieri potest, longè abeamus. *Cum enim dixerint pax, & securitas, tunc repentinus eis superueniet interitus.*

Cur cum de extremo Iudicij die loquatur, solos malos alloquitur? An, quia bonorum est ad eum se bonis operibus parare? Soli mali imparati opprimentur. *Omnibus quidem*, inquit hic Estius, *dies ille veniet vt fur nocturnus; quia ab omnibus ignorabitur:* SED SOLOS MALOS OPPRIMET IMPARATOS; *vnde & iis solis interitum adferet; nam, boni quamuis diem aduentus Domini ignorent, ad eum tamen semper parati sunt & præmuniti. Hic autem Apostolus de malis loquitur, præsertim infidelibus, & piorum persequutoribus; qui quum sibi videbuntur altâ pace frui, & putabunt omnia esse tuta (id enim Græca vox significat ἀσφάλεια, quam noster Interpres, securitatem, Ambrosianus, firmitatem reddit) tunc repentinus interitus eis imminebit.*

Videte, ne quis malum pro malo alicui reddat.

1278. INquietos corripiendos vix dixerat, quum addidit, malum pro malo alicui minimè reddendum; vt innueret, quum corripiuntur inquieti, non malum pro malo reddi, sed potiùs bonum. Quod tetigit etiam S. Augustinus lib. de Grat. & libero arbitr. cap. 17. *Cum dixisses*, inquit: *Corripite inquietos, consolamini pusillanimes, suscipite infirmos, patientes estote ad omnes, mox subiunxit: Videte ne quis malum pro malo alicui reddat. Ergo, &* QVANDO CORRIPIVNTVR INQVIETI, *non malum pro malo, sed potius bonum redditur.*

Multò minus malum pro bono reddendum est. *Si malum*, inquit hic S. Chrysost. *pro malo non est reddendum, multò magis malum pro bono: multò magis, si nullum priùs fueris malum, non est malum reddendum. Iste, inquit, est improbus, & me multis afficit molestiis. Ne ei par pari referas. Sine, abeat impunè. Satisne est hucusque? nequaquam, sed semper quod bonum est, sectamini inuicem, & in omnes. Hæc maior est Philosophia: non solùm mala malis non rependere, sed bonis:* HÆC ENIM REVERA EST VLTIO, ET ILLI DAMNVM AFFERENS, ET TIBI VTILITATEM; *immo illi quoque magnam si velit vtilitatem.*

Semper gaudete.

1279. SEmper gaudete. An superâ beatitate fruentes homines alloquitur, vt semper gaudere eos velit, tanquam hîc non diues tristitiæ, & luctus materia sit? Aptè compositum animum exhibe, & inter pericula, inter iacturas, inter aduersa, inter iniurias, denique inter tristia, à tristitia omni immunem illum cense, & vero gaudio innatantem. Intus gaudium latet, aduersa omnia extra sunt. Totum istû locû elegantissimè versat, & expendit Ioannes Eusebius, cuius hic ipsissima verba sisto. *Anne, inquit, mendacium, aut quid impossibile monebat Diuus Paulus, cum ciues Thessalonica hortabatur semper gaudere? Nesciebatne alloqui homines, an Deos? si homines, mortalesne, an immortales? Mortales planè nouerat, in quos gladius, furor, inuidia, insidia, iniuriæ, curæ, morbi, & omnis denique miseria sæuit, & suarum virium facit non modo experimentum, sed ostentationem. Anne Epicureos aliquos, qui omnibus indulgentiis voluptatis resisterent tot copiis tristitiæ? Non: nisi Christi Discipulos, in quos super omnia humani generis pericula adiectum est maius aliud, ipsum genus: in quos insurgebant parentes, Mundus, Infernus; qui nec sui securi sunt; quibus omni voluptati vltimum vale, & æternum dicere opus erat; omnibus, quæ possidebant, nuntium mittere maximè pro disciplina illa veteri, & nouitio feruore. Ad hæc scribat, non quosuis, sed Thessalonicenses viros, tunc temporis bonorum suorum direptione, malorum inuidiâ, insidiisque non concussos, sed oppressos, nec tutos morte interminante superstitibus, de sublatis. Inter has machinas miseriæ, inter tot organa mœroris, inter tot tormenta fortunæ, quid suasibile putauit, sine interpellatione gaudere.* OPVS IS IVGO INDEFESSI GAVDII, SOLIVS ANIMI EST. *Quomodo hunc interdicere valebit fortuna, quem cadere non valet, nec casura videt? Nihil enim animo est illi. Inter mortalitatis iniurias ius quoddam immortalis tranquillitatis retinere potest, Deo immortali simul homo moriturus.*

Semper gaudete; adeo vt nulla aduersitas gau- 1280.
dium inficiat, nulla tribulatio lætitiam impediat; *semper gaudete, scilicet de Deo*, inquit S. Thomas hîc, *quia quicquid malum proueniat est incomparabile bono*, QVOD EST DEVS, *& ideo nullum malum illud interrumpat.*

Sine intermissione orate.

SIne intermissione orate. Hoc perfectorum esse (cum imperfecti nec orent quidem, quando videntur orare) vt notabat S. Greg. lib. 1. exposit. in 1. Reg. c. 2. *Ad electorum*, inquit, *perfectionem nos Doctor egregius hortatur dicens: sine intermissione orate;* SINE INTERMISSIONE NAMQVE ORARE NISI PERFECTVS VIR NON POTEST. *Orare enim sine intermissione est per affectũ supplicationis Conditori semper assistere: qui autẽ imperfectionis adhuc infirmitate deprimitur, eò sine intermissione Dominum non obsecrat, quo in ipso etiam orationis tempore à conspectu eius mentis elabitur vagatione.*

Sine intermissione orate. Et non etiam dormiendum, & alia præstanda, quæ cum oratione vix cohærent? *Per orationem* (inquit hîc Victorinus quæst. 15.) *intelligitur sanctum desiderium, & pius affectus: & sic iustus nunquam desinit orare, nisi desinat iustus esse.* QVI ENIM SEMPER BENE AGIT, SEMPER BENE ORAT.

Licèt assiduè orare iubeamur, statas tamen 1281.
orandi horas habere necessarium est. Audiendus hîc S. Hieronymus, qui epist. 22. ad Eustochium ait: *Quanquam Apostolus orare nos semper iubeat, & sanctis etiam ipse sit somnus oratio, tamen diuisas orandi horas debemus habere, vt, si fortè aliquo fuerimus opere detenti, ipsum nos ad officium tempus admoneat. Horam tertiam, sextam, nonam, diluculum quoque, & vesperam nemo est qui nesciat. Nec cibi sumantur, nisi oratione præmissâ, nec recedatur à mensa, nisi referantur Creatori gratiæ. Noctibus bis, térque surgendum: reuoluenda, quæ de scripturis memoriter retinemus. Egredientes de hospitio armet oratio: regredientibus*

gredientibus de platea oratio occurrat antequam sessio : nec prius corpusculum requiescat, quam anima pascatur.

1282. *Sine intermissione orate.* Sanctus Bernardus ad hunc locum spectans tract. de Interiori domo cap. 48. *Sine intermissione*, inquit, *orare debemus: nam, sicut nullum est momentum, quo homo non fruatur aut vtatur Dei pietate, & misericordia, sic nullum debet esse momentum*, QVO EVM PRÆSENTEM NON HABEAT IN MEMORIA.

Sine intermissione orate. Quanti referat assiduè orationem sternere, explicat in hunc modum, hæc Sancti Pauli verba producens, Sanctus Ephræmus Syrus de Orando Deum: *Bonum fuerit semper orare, & nunquam deficere, quemadmodum ait Dominus, & rursus Apostolus; sine intermissione orate hoc est, noctu, & diu, & quacunque hora; neque solùm postquā Ecclesias es ingressus, aliis autem horis absque cura sis: verum, siue opereris, siue dormias, siue iter facias, siue comedas, siue bibas, siue decumbas*, CAVE ORATIONEM TVAM INTERMISERIS; *nescis enim, quando veniet, qui animam tuam est repetiturus. Ne expectes diem Dominicam, aut festum, locive differentiam: sed vbique, inquit Propheta David. in omni loco dominationis. Siue igitur in Ecclesia fueris, siue domi tua, siue in agro, & si oues pascas. & si ædificia construas, & si in symposio verseris, ab oratione caue desistas. Et quandocumque poteris, genua flecte: quando non potueris, mente Deum inuoca, & vesperè, & manè, & meridie. Quòd si orationem operi præmiseris, & surgens è lecto primorum motuum tuorum initia ab oratione duxeris, aditus peccato in animam non patebit. Oratio temperantiæ est custodia, iracundiæ frænum, animi elati repressio, & ad modestiam reuocatio: odij ob acceptas iniurias medicina, inuidiæ destructio, impietatis correctio, corporum robur, rei familiaris administratio, recta iuris legúmque constitutio, Regni potentia, trophæum atque vexillum belli, tutela pacis. Oratio virginitatis sigillum est, fides nuptiarum, viatorum præsidium, dormientium custos, euigilantium confidentia, agricolarum fertilitas, nauigantium salus. Oratio reorum patrona, vinctorum relaxatio, mœrentium consolatio, lætantium iucunditas, lugentium solamen, celebritas festi natality, coniugum corona, morientium sepultura.*

In omnibus gratias agite.

1283. IN *omnibus gratias agite.* Itane in omnibus? Etiam in aduersis. Aduersa, secunda esse incipiunt, si cum gratiarum actione excipiantur. Salmeron ad hæc verba disp. 5. *In omnibus gratias agite, id est, tam in aduersis, quàm in prosperis: tam in penuria, quàm in abundantia: ægri iuxta atque sani: iniuriâ perinde affecti atque honore.* Aduersa quippe quatenus nobis salutaria ingentis beneficij loco habenda sunt. Ex his colligitur Deum in nobis omnis boni auctorem esse; nam gratias agere Deo pro nobis, quæ te non putes ab eo accepisse, non esset Deo gratias agere, vt inquit Beatus Augostinus, *sed Deum irridere.*

In omnibus gratias agite. Cùm omnia singularia Dei beneficia sint etiam ea, quæ esse non videntur. Gratiarum porrò actionem, tanquam nobile quoddam depositum, custodiendam monebat Sanctus Basilius hom. in Diuit. & auar. vbi ait: VT PRETIOSVM QVODDAM DEPOSITVM, GRATIARVM ACTIONEM IN ANIMA TVA CVSTODIAS, *& recipies tu quoque duplicem illius iucunditatem. Reminiscere Apostolici dicti: In omnibus gratias agite.* Cætera custodiet gratiarum actio, si probè in mente custodiatur.

Spiritum nolite extinguere.

ET quænam sunt, quæ spiritum extinguunt? 1284.
Inter alia maximè rerum terrenarum curæ. Præclarè B. Thomas à Villanoua conc. 3. in Dom. 17. post Pentecost. *Valde*, inquit, *delicatus est spiritus veritatis, & qui ad leuem offensam statim abit: sollicitè ergo custodiendus est, postquam conceditur: ne videlicet, velut scintilla parua*, SVPER INIECTIS TEMPORALIBVS CVRIS, VELVTI HVMECTANTIBVS LIGNIS, EXTINGVATVR. *Sicut scriptum est. Spiritum nolite extinguere: quia sicut nihil eo pretiosius, ita nihil delicatius, nihil tenerius inuenitur.*

Spiritum nolite extinguere; quod inutilibus, & è contentionis sinu naris quæstionibus fit; *Spiritum* EXHORTATIONIS, inquit hîc S. Hieronym. QVÆSTIONIBVS *nolite extinguere.*

Prophetias nolite spernere.

AD priuatas reuelationes hæc aliqui porri- 1285.
gunt; Vnde Estius hic. *Aduersus hoc præceptum peccant & illi, qui* REVELATIONES PRIVATAS, *quibuscumque hominibus factæ legantur, toto genere spernunt, atque reiiciunt. Etenim hæc omnia prudenter examinanda sunt, vt sciatur quid tenendum, quid reiiciendum.*

Omnia autem probate.

DE iis hoc dicit, quæ noua proferebantur à fratribus, & nondum probata erant, nam quæ tanquam certa stabilita sunt, nullius sunt examini, iudicióque subiicienda; probanda autem sunt non ab omnibus, sed à præfectis ad quos id officij spectabat, alioquin omnia officia confunderentur.

Vt integer spiritus vester, & anima, & corpus sine querela in aduentu Domini nostri Iesu Christi seruetur.

ET non semper integer spiritus est. S. Hiero- 1286.
nymus hoc illustrat commentario locum istum; *Gratia spiritus quamuis in se* SEMPER INTEGRA SIT, *non tamen in nobis integra, nisi ab integris habeatur.*

Vt integer spiritus, & anima, & corpus. Ab omni parte sanctos nos Deo sisti vult Apostolos, ne de nuda corporis munditia sibi quis blandiatur; *Idcirco autem Apostolus*, inquit hîc Estius, *ita studiosè partes hominis recenset, ne quis existimaret satis esse*, SI CORPORIS MVNDITIES CONSERVETVR, *cum imprimis necessarium sit tam superiorem animæ partem, quam inferiorem, id est, mentem, voluntatem, sensus ipsos internos, atque externos ab omni sorde peccati puros custodiri.* Frustra igitur sunt, qui de sola corporis munditie sibi blandiuntur, animámque immunditiarum omnium sterquilinium faciunt. Claudo, & obsigno.

CADAVEROSA, ET IMPVRA CORPORIS EST PVRITAS QVAM ANIMÆ PVRITAS NON ANIMAT.

Finis Epistolæ Primæ ad Thessalonicenses expensa, & illustrata.

CAPVT PRIMVM EPISTOLÆ SECVNDÆ AD THESSALONICENSES EXPENDITVR ET ILLVSTRATVR.

Gratias agere debemus semper Deo pro vobis, fratres, ita vt dignum est; quoniam supercrescit fides vestra, & abundat charitas vniuscuiusque vestrûm in inuicem.

1287. GRATIAS *agere debemus semper Deo.* Thessalonicensium fidem, charitatem, patientiámque in tribulationibus commendaturus, tumoris amuletum præmisit, gratiarum scilicet actionem, ne suis viribus huiusmodi bonum tribuerent, sed Deo. Rem opportunè versat S. Augustinus lib. de Grat. & libero arbitr. cap. 18. *Ad Thessalonicenses, quia sine dubio in quibusdam eorum iam erat, quod eis vt esset optauerat, Gratias, inquit, agere debemus Deo semper pro vobis, fratres, sicut dignum est; quoniam supercrescit fides vestra, & abundat charitas vniuscuiusque vestrum in inuicem.* HOC DIXIT, NE FORTE DE TANTO BONO, QVOD EX DEO HABEBANT, TANQVAM EX SEIPSIS ID HABENTES EXTOLLERENTVR. *Quod ergo supercrescit fides vestra, inquit, & abundat charitas vniuscuiusque vestrum in inuicem, gratias agere debemus Deo pro vobis; non ita vos laudare, tanquam hoc habeatis ex vobis.*

Pro vobis. Scilicet propter beneficia Diuinitus Thessalonicensibus præstita. Addit Beatus Dionysius Carthusianus: *Ad hoc enim tenemur tanquam pastores vestri.* Quorum est, suorum commodum, suum putare; &, quod aliis collatum est, existimare sibi esse exhibitum, Subdit: *Charitas quoque, qua de vestra salute gaudemus, & Dei honorem concupimus, ad hanc nos gratiarum actionem constringit.*

Supercrescit fides vestra. Supercrescere Thes- 1288.
salonicensium fidem, charitatem abundare hîc dicit Apostolus. Nimirum, qui in prima Epistola fidem, & charitatem eorum nudè extulerat, nunc effert vtriusquè incrementa; vt hinc discamus, bonorum notam hanc esse: non tantum virtutes habere, SED IN VIRTVTIBVS PROFICERE.

Et vnde augmentum fidei colligebatur: Quia *per bona opera* (inquit B. Dionysius) VIVACIOR *fiebat:* quæ torpere solet, si in bono quis torpeat. Estius hîc: *Augmentum seu profectum intelligit secundum intensionem, ac feruorem, cuius indicium erat, quod* PERSEQVVTIONIBVS *fidei causâ commotis non cederent.* adeò vt persequutiones non solùm fidem non euertant, sed animent.

Ita vt & nos ipsi in vobis gloriemur in Ecclesiis Dei pro patientia vestra, & fide, & in omnibus persequutionibus vestris, & tribulationibus, quas sustinetis.

CVr patientiam, & fidem nectit? PATIEN- 1289.
TIÆ (inquit Estius) FIDEM *adiungit, eò quòd fide Christi, ac spe futurorum bonorum ad ferendas persequutiones animati fuerant Thessalonicenses.*

Et

Et fide in omnibus persequutionibus vestris, & tribulationibus. Hæc gloriationis materia Paulo fuit; non quòd magni, non quòd diuites, aut alio humano titulo insignes essent Thessalonicenses; sed quòd forti animo, & fide firmâ aduersa sustinerent. Verùm quid fides ad persequutiones, ad tribulationes? Quia fide verâ & viuâ, quælibet dura quælibet sustinet, quælibet aduersa fert.

Quas sustinetis in exemplum iusti iudicij Dei, vt digni habeamini in Regno Dei pro quo & patimini.

1290. SEd quì tribulationum tolerantia, exemplum & ostensio Diuini iudicij est? Nodum ita soluit B. Dionysius Carthusianus hîc: *Tribulationes, quas sustinetis, testantur & manifestant, quòd Deus post hanc vitam iudicat patientes & inferentes, reddens singulis, quod merentur: videlicet patientibus gloriam; qui enim humiliatus fuerit, erit in gloria. Cùm namque cernamus in hac vita impios prosperari, & iustos opprimere, iustos autem aduersitatibus fatigari & opprimi etiam vsque ad mortem,* OPORTET CONCEDERE, QVOD IVSTVS ET SAPIENS DEVS POST HANC VITAM OMNIA RECTE DISPONAT, IVDICET, *& optimè ordinet; quod non fit nisi per iustam damnationem malorum, & beatificationem iustorum.* Sanctus Gregorius lib. 5. moral. cap 9. ita rem versat: *Paulus cum multa in Thessalonicensium laudem dixisset, protinus adiunxit: ita vt nos ipsi in vobis gloriemur in Ecclesiis Dei: pro patientia vestra & fide, in omnibus persequutionibus vestris, & tribulationibus, quas sustinetis, in exemplum iusti iudicij Dei. Ac si diceret: Dum tot dura toleratis, qui tam recta agitis:* QVID ALIVD QVAM IVSTI DEI IVDICII EXEMPLA DATIS? Igitur hoc clamant iusti, dum hîc dura sustinent, quàm seuerus in impios Deus futurus sit: *nam*, verba sunt Estij ad hæc verba, *qui bonis non parcit in hoc sæculo, cogitandum vtique relinquit, quâ seueritate malos plectet in futuro iudicio.* Vtiquè non parcetur impiis, cum piis non parcatur, si vel aliquid leue commiserint. Et nonnullis interiectis addit: *Admonentur iusti in afflictione positi, ne putent se immeritò pati: sed humiliter & veraciter agnoscant in eo, quod iniustè ab hominibus patiuntur, se iustè pro peccatis suis à Deo castigari.*

Qui pœnas dabunt in interitu æternas à facie Domini, & à gloria virtutis eius.

1291. ALiqui legunt ex Græco: *Qui pœnam luent, interitum æternum.* Alij: *qui pœnas soluent in interitu æterno.* Quæri potest: si interitus, quomodo æternus erit; cum id, quod interit, adeo æternum non sit, vt non sit? *Respondeo* (inquit Estius) *sic* INTERITVM DICI ÆTERNVM, *sicut mortem æternam: non quâ illi, quibus accidit, esse desinant; sed quâ semper & in æternum sint miseri.*

A facie Domini. Vt sola Christi præsentia atque conspectus sufficiat ad perdendos impios, ad torquendos improbos; malorum pœnas commemorare voluit Apostolus ad bonorum consolationem, *ad quam* (inquit bonus ille Auctor) *non solum pertinebat, vt scirent, quibus ipsi præmiis essent afficiendi; verumetiam quanta suos* ADVERSARIOS VLTIO ESSET CONSEQVVTVRA. Boni non solum præmij consideratione fiunt meliores; sed etiam pœnarum, quibus afficiendi illi, à quibus, malis afficiuntur.

Cùm venerit glorificari in sanctis suis, & admirabilis fieri in omnibus, qui crediderunt.

DIxisset: *Cùm venerit glorificare Sanctos suos.* 1292.
In Sanctis suis Deum glorificandum dixit, tanquam Sanctorum gloria, gloria esset Christi; & in Christum resiliret, quod Christus in seruos suos facit. Pulchrè Estius ad hæc verba: *Ea quæ dixi, inquit, tunc futura sunt, cum venerit Dominus, vt glorificetur, id est,* GLORIOSVS APPAREAT IN SANCTIS *suis: quod nimirum fiet, dum eos ad gloriæ suæ similitudinem euehet, & membra capiti, hoc est, sibiipsi reddet conformia; nam gloria capitis est sanitas & pulchritudo totius corporis, præsertim si fuerit à capite deriuata.*

In omnibus qui crediderunt. Græcè *in omnibus credentibus*, id est, iis, qui nunc credunt. Intelliguntur autem credentes cum affectu, & operatione, nam NON PLENE IIS SE CHRISTVS CREDIT QVI CREDVNT TANTVM, nec fidem bonis operibus vestiunt, aliis virtutibus ornant, ac etiam animant.

CAPVT II.

EPISTOLÆ SECVNDÆ ad Thessalonicenses expenditur & illustratur.

- 1293 *Admonitio vt laudi admiscenda.*
- 1293 *Per mendacium nec bona procuranda.*
- 1294 *Instantis diei Domini opinionem cur auertere, studuerit Apostolus.*
- 1295 *Peccatum, perditionis causa.*
- 1295 *Superbi temeritas vt se super Deum ipsum efferat.*
- 1296 *Antichristi mysterium peragi vt dicatur ante eius aduentum.*
- 1296 *Variis modis Mundum decipere studebit Antichristus.*
- 1297 *Reprobi cur pereuntes dicti.*
- 1297 *Euangelicus Doctor Christi gloriam quærat, non suam.*
- 1297 *Æterna consolatio quænam dicatur.*
- 1297 *Sermo quid significet in sacris litteris.*
- 1297 *In sermonum censu vix referenda ea colloquia, quæ terram tantùm sapiunt, nec ad salutem promouent.*

Rogamus

Rogamus autem vos, fratres, per aduentum Domini nostri Iesu Christi, & nostræ congregationis in idipsum, vt non citò moueamini à vestro sensu, neque terreamini, &c.

1293. VT *non citò moueamini.* Priùs eos extulerat; nunc admonitionis ferrum admouet. *Prius in iis,* inquit S. Gregorius 3. part. Pastor. admonit. 9. *quæ fortia prespicit, laudat; & eam è monendo postmodum, quæ infirma sunt, recorat, ait enim: Gratias agere debemus Deo semper pro vobis fratres, ita, vt dignum est, quoniam supercrescit fides vestra, & abundat charitas viniuscuiusque vestrûm in inuicem, ita vt & nos ipsi in vobis gloriemur in Ecclesiis Dei pro patientia vestra, & fide. Et cum blanda hac vita eorum præconia præmisisset, paulo post subdidit dicens: Rogamus autem vos, fratres, per Aduentum Domini nostri Iesu Christi, & nostræ congregationis in idipsum, vt non citò moueamini à vestro sensu, neque terreamini, neque per spiritum, neque per sermonem, neque per Epistolam tanquam per nos missam, quasi instet dies Domini. Agit enim verus doctor,* VT PRIVS AVDIRENT LAVDATI, QVOD RECOGNOSCERENT; ET POSTMODVM, QVOD EXHORTATI SEQVERENTVR; *quatenus eorum mentem, ne commotio subiuncta concuteret, laus præmissa solidaret.*

Ex eo quòd in prima Epistola dixerit instare diem Domini, vicinum esse Domini aduentum, aliqui colligebant; vnde hîc monet ne aliquis sinat se decipi: *Ratio autem,* inquit hîc S. Thomas, *quia hæc remouet Apostolus, scilicet de aduentu Domini est, quia Prælatus nullo modo debet velle, quod per* MENDACIVM ALIQVA BONA PROCVRENTVR.

Quasi instet dies Domini.

1294. ET quid mali fidelibus inserebatur instantis diei Domini opinione, vt eam auertere tam sollicitè Apostolus studeat? *Non sine causa* (inquit Estius hîc) *Apostolus tam sollicitè studet opinionem instantis diei Domini à fidelium mentibus eximere; ne videlicet hac opinione delusi putarent vanam & fabulosam esse promissionem Aduentus Dominici, & suæ glorificationis; & per hoc à fide Christiana recederent, quemadmodum August. docet epist. 8. ad Hesychium.*

Quoniam, nisi venerit discessio primùm, & reuelatus fuerit homo peccati, filius perditionis, qui aduersatur, & extollitur supra omne, quod dicitur Deus, &c.

PRo *discessione.* Græcè est ἀποστασία, quæ vox defectionem significat, vt, quum quis deficit, ac recedit ab eo, cui obedientiam debebat subiectionémque. Intelligitur autem de ea, quæ ab Ecclesia Catholica fiet, & erit vniuersalis.

1295. Antichristi periphrasis, vt *homo peccati* dicatur; vel quia insigniter malus est futurus; aut quia in eo tanta erit superbia, quæ omnis peccati est mater, vt extollat se supra omne, quod dicitur Deus. *Filius perditionis,* id est, perditione dignissimus. Verborum ordinem nota: priùs *homo peccati* dicitur, deinde *filius perditionis*; *quia* PECCATVM (inquit hîc Estius) PERDITIONIS EST CAVSA.

Super omne quod dicitur Deus. Eò temeritatis superbum quemlibet euadere, vt se super Deum ipsum efferat, explicat & probat S. Bernardus serm. 4. in vigilia Natiuit. Domini: *Ille primus superbus qui secundum Scripturam Rex est super omnes filios superbiæ, dixisse non legitur, Altior ero. sed, Ero, inquit, similis Altissimo. Attamen non mentitur Apostolus, quoniam ille extollitur supra omne quod creditur, aut quod colitur Deus. Horret humanus auditus verbum, sed vtinam horreat similiter animus cogitatum malignum pariter & affectum.* DICO ENIM VOBIS QVOD NON TANTVM, SED ET OMNIS SVPERBVS EXTOLLITVR SVPRA DEVM. *Vult enim Deus fieri voluntatem suam, & superbus vult fieri suam. Iam videtur æqualitas: sed attende malè congruam proportionem. Deus quidem in his tantùm quæ ratio approbat, suam vult fieri voluntatem, superbus verò & cum ratione, & contra rationem.*

Nam mysterium iam operatur iniquitatis.

ET qui *homo iniquitatis*, scilicet Antichristus operari dicitur mysterium iniquitatis, cum nondum aduenerit, sed suo sit tantum tempore reuelandus? Notandum Græcè esse ἐνεργεῖται. *Operatur,* passiuè esse exponendum: vnde aliqui vertunt, *Peragitur.* Mysterium igitur iniquitatis iam tunc agebatur non ab Antichristo, sed ab Antichristi præcursoribus; adeo vt, licèt non adesset Antichristus in persona, adesset in suis (vt ita loquar) anteambulonibus. 1296.

Et in omni seductione iniquitatis iis, qui pereunt.

VT sit sensus: Non solùm per signa mendacia homines decipere studebit Antichristus, sed donis, promissis, blanditiis, aliisque fraudibus, & præcipuè sanctitatis simulatione. VARIIS AVTEM MODIS ANTICHRISTVS DECIPIET MVNDVM, VIDELICET SIMVLATIONE SANCTITATIS, *Scripturarum allegationibus, sapientiâ, & ornatu sermonis, eminentiâ miraculorum, promissione diuitiarum, terrore minarum, potestate, prosperitate, ac multitudine ministrorum suorum.* ita B. Dionysius Carthusianus hîc.

Iis, qui pereunt. Græcè *Iis pereuntibus.* Reprobos autem pereuntes vocat, id est, destinatos ad perditionem etiam in hac vita inchoandam. Sed cur hos expressit? An vt electos solaretur? *Adiecit autem,* inquit Estius, *hanc particulam, Iis qui pereunt, pro consolatione piorum; vt scirent, Antichristi potentiam & fraudes nihil valituras aduersùs electos, quorum numero per bonam fiduciam adiungere se debeant.* 1297.

In acquisitionem gloriæ Domini nostri Iesu Christi.

CVm dixisset *per Euangelium nostrum*; ne sibi laudis aliquid videretur vendicare, totum suum in Christi gloriam flectit. Christi inquam, non sui. Euangelicus præco nisi CHRISTI GLORIAM NVDE QVÆRAT, titulum non plenè sustinet, quo insignitur, nec muneri respondet suo.

Et dedit consolationem æternam.

ET quænam est æterna consolatio, cum hæc non nisi post hanc vitam bonis detur? An *Æternam dixit, id est, Magnam: An Æternam, id est,* (inquit Estius) ÆTERNIS BONIS INNIXAM, *quam nimirum paris in nobis spes futurorum, & Æternorum bonorum, quæ nobis promisit.*

Et confirmet in omni opere, & sermone bono.

GRæcè est: *In omni sermone, & opere bono.* Notant plerique *sermonem* pro doctrina positum. Vt sit sensus: Et stabiliat vos, ac perseuerare faciat in omni bona doctrina atque in omni bonorum operum genere. Sic etiam sequenti capite ait: *Vt sermo Dei currat*, id est, Euangelica doctrina, per nostram prædicationem feliciter propagetur. Iure *sermonis* nomine doctrina intelligitur, quæ salutaria monita continet, vt vel sic innuatur, in sermonum censu vix referenda ea colloquia, quæ de terrenis dumtaxat rebus sunt, nec aliquid afferunt vtilitatis ad salutem, nec loquentes, nec auditores promouent.

CAPVT III.

EPISTOLÆ SECVNDÆ ad Thessalonicenses expenditur & illustratur.

1298 *Alienis orationibus se commendare quàm sit commendabile.*

1298 *Dei sermo magnificari & clarificari cur dicatur.*

1298 *Ab importunis hominibus liberari cur petierit Paulus.*

1299 *Vbi mollia non prosunt, duriora adhibenda in aliorum correctione.*

1300 *Lethale otij contagium.*

1300 *In labore & fatigatione cur operatum se dixerit Paulus.*

1301 *Insignis Pauli humilitas etiam post raptum in cælum.*

1301 *Aliorum forma futurus, præstare debet, quod docet.*

1302 *Curiosè vt agant, qui otiosi.*

1302 *Otium omnium malorum radix.*

1303 *Silentij & quietis nexus.*

1303 *Pax ad vitam æternam dux.*

1304 *Inquietudinis & otiositatis malum quam graue; quam magnum quietis bonum.*

1305 *Correctio cum dilectione.*

1305 *Correctionem sæpe contentio sequitur.*

De cætero, fratres, orate pro nobis, vt sermo Dei currat & clarificetur.

ORATE *pro nobis.* Cur se alio- 1298.
rum orationibus commendat Apostolus? Et in signum humilitatis, & vt occasionem daret exercendæ charitatis. *Dat*, inquit hic Primasius, *humilitatis exemplum, & occasionem charitatis, vt pro alterutro oremus.*

Et clarificetur; sermonem clarificari cupiebat, non ipse, *vt ei currat affluentia*, inquit S. Hieronymus, MAGNIFICETVR AVDITORVM PROFECTV; non auditorum plausu, laudibúsque; ab Apostolica mente hoc alienum, alienum à vera charitatis sensu.

Et vt liberemur ab importunis & malis hominibus.

PRo voce *Importunis*, Græcè est ἀτόπων, quæ de improbis, absurdis & insolentibus dicitur. Sed cur à talibus cupit Paulus liberari, quæ ad sublimiorem gloriam efferunt, si forti animo ferantur? An id non sui causâ facit, sed Euangelij? *Hoc dicit Apostolus*, (inquit B. Dionysius) NON QVASI PERSEQVVTIONES PATI ABHORRENS; *sed ne prædicatio sua impediretur, & aliorum conuersio. Possumus etiam idem rogare ad hunc sensum: ne per impatientiam superemur, quemadmodum orat Diuinus Psaltes: Redime me à calumniis hominum, vt custodiam mandata tua.*

Denuntiamus autem vobis, fratres in nomine Domini nostri Iesu Christi, vt subtrahatis vos ab omni fratre ambulante inordinatè, & non secundum traditionem, &c.

D*Enuntiamus autem vobis.* Rogandi verbo 1299.
non vtitur, sed fortius quàm prius fecerat corripiens, *denuntiandi*; nimirum cum mollia, & blanda non prosunt, duriora adhibenda sunt; Peritè Ioannes Cassianus lib. 10. de spiritu acediæ, cap. 7. *Hos ipsos quos in Epistola prima molli fouerat palpatione verborum, qualiter in secunda, velut qui non profecissent ad molliora remedia, austerioribus quibusdam, & causticis medicamentis sanare aggreditur, nulláque iam mitium verborum fomenta permittit, non vllam teneram vocem ac blandam, vt ibi: rogamus autem vos fratres, sed: Denuntiamus vobis fratres in nomine Domini nostri Iesu Christi, vt subtrahatis vos ab omni fratre ambulante inordinatè, ibi rogat, hic denuntiat; in illa blandientis affectus, in hac obtestantis seueritas & minantis. Denuntiamus vobis fratres,* QVIA PRIVS ROGANTES CONTEMPSISTIS AVDIRE, SALTEM NVNC DENVNTIATIONIBVS OBEDITE, *ipsámque denuntiationem non nudo verbo, sed cum obtestatione nominis Domini nostri Iesu Christi terribilem infert, ne fortè simplicem velut humana voce prolatam rursum contemnerent, nec magnopere ducerent obseruandam.* Hactenus ille.

Vt subtrahatis vos. Vt ostenderet nimirum 1300.
lethale esse otij contagium. Idem Ioannes Cassianus

ſianus lib. 10. de ſpirito aced. cap. 7. *Vt peritiſſimus Medicus putribus membris, quibus leui medicamento remedium ferre non potuit, mederi ſpiritalis ferri inciſione pertentat. Vt ſubtrahatis vos, inquiens, ab omni fratre ambulante inordinatè, & non ſecundum traditionem, quam acceperunt à nobis. Itaque ab his, qui vacare operi nolunt iubet ſubtrahi; &, velut* MEMBRA OTII CORRVPTA PVTREDINE, *reſecari, ne inertiæ morbus, velut lethale contagium, etiam ſanas membrorum partes tabe ſerpente corrumpat.*

Neque gratis panem manducauimus ab aliquo, ſed in labore & in fatigatione, &c.

PErpensè adiecit, *ſed in labore, & fatigatione,* ne quis crederet ex reconditâ pecuniâ, aut aliorum beneficentia indigentiæ ſuæ Apoſtolum ſubueniſſe; & labori fatigationem adiecit, quia plerique laborant, vt recreent ſe, quod Paulus non fecit. Opportunè Ioannes Caſſianus lib. 10. cap. 8. *Non ſimpliciter dixit: non comedimus panem gratis ab aliquo veſtrum, & ſtetit, poterat enim videri proprio otio, ſuoque ſumptu ac recondita pecuniâ, vel aliorum, licet non iſtorum collatione ſeu muneribus ſuſtentatus fuiſſet; ſed in labore, inquit, & fatigatione, nocte ac die operantes, id eſt, noſtro opere ſpecialiter ſuſtentati. Et hoc, inquit, non pro noſtra voluntate perpetrabamus,* NEC PRO OELECTATIONE, VT REQVIES ET EXERCITIVM CORPORIS INVITABAT, *ſed vt neceſſitas, & inopia victus non ſine ingenti fatigatione corporis facere compellebat, non ſolum namque per totum diei ſpatium, ſed etiam noctis tempore, quod quieti corporis videtur inductum, hoc opus manuum, pro eſca ſollicitudini indeſinenter vrgebam.*

Ne quem veſtrûm grauaremus.

SEnſus eſt, ne cui veſtrûm eſſemus oneri, à vobis accipiendo vitæ neceſſaria. Et cur oneri eſſe poterat tenuis Pauli victus, qui tot labores pro omnibus ſubibat? *Loquitur ad hunc modum* (verba ſunt Eſtij ad hæc verba) *quia carnales homines id onus reputant, ſi quid dandum ſit Eccleſiæ miniſtris:* cum alioquin non putent onus magnas expenſas facere in iis, quæ ad mundi pompas, carniſque delicias ſpectant.

1301. *Ne quem veſtrûm grauaremus*; Quàm humiliter de ſe Paulus ſentiebat, etiam poſtquam raptus in cœlum fuerat? *Pauli Apoſtoli documenta ſectentur*, inquit Sanctus Cyprianus epiſt. 6. *qui poſt carcerem ſæpe repetitum, poſt flagella, poſt beſtias, circa omnia mitis & humilis perſeuerauit,* NEC POST TERTIVM COELVM ET PARAOISVM QVIOQVAM SIBI INSOLENTER ASSVMPSIT, *dicens: Neque gratis panem manducauimus ab aliquo, ſed in labore & fatigatione, nocte & die operantes, ne quem veſtrum grauaremus.*

Non quaſi non habuerimus poteſtatem, ſed, vt noſmetipſos formam daremus vobis ad imitandum nos.

NImirum qui formam ſe aliis exhibet, opere præſtare debet, qood docet, id quod ex his verbis Apoſtoli colligebat Ioannes Caſſianus. *Non quaſi non habuerimus poteſtatem,* SED VT NOSMETIPSOS FORMAM DAREMVS VOBIS AO IMITANDVM NOS; *pandit cauſam cur tantùm ſibi laboris indixerit: vt formam, inquit, daremus vobis, ad imitandum nos: vt ſi forsè doctrinam verborum auribus veſtris frequenter ingeſtam obliuioni traderetis, ſaltem conuerſationis exempla ſub oculorum fide vobis tradita memoriter retineretis.* Sic ille lib. 10. cap. 10.

Audiuimus enim inter vos quoſdam ambulare inquietè, nihil operantes, ſed curioſè agentes.

Q*Voſdam ambulare inquietè.* Nimirum, non vni morbo ſubiacet, qui otio torpet: ſubiacet variis. Quod expendens Ioannes Caſſianus lib. 10. de Acedia, cap. 13. ait: *Audiuimus enim quoſdam inter vos ambulare inquietè, nihil operantes, ſed curioſè agentes. Nuſquam eos, qui dediti eſſe operi nolunt, vno tantum morbo correptos pronunciare contentus eſt. In priori namque Epiſtola inordinatos eos appellat, nec ſecundùm traditionem ambulare, quam acceperant ab eo. Inquietos etiam eſſe definiuit, & gratis panem manducare. Rurſum hic. Audiuimus, inquit quoſdam inter vos ambulare inquietè; & ſubiungit ſtatim ſecundùm languorem, qui inquietudinis huius eſt radix: Nihil, inquit operantes. Tertium quoque morbum; qui ex iſto velut quidam ramuſculus oritur:* SEO CVRIOSE AGENTES. 1302.

Iis autem, qui eiuſmodi ſunt, denuntiamus & obſecramus in Domino Ieſu Chriſto, vt cum ſilentio operantes ſuum panem manducent.

V*T cum ſilentio operantes.* Ad opus eos vocat, vt à tot malis, quæ præmiſerat, auocaret, tanquam omnium radix otium eſſet. *Salubri conſilio*, inquit Ioannes Caſſianus lib. 10. de Aced. cap. 14. *infert remedia ſanitatis dicens: His autem, qui eiuſmodi ſunt denuntiamus, vel obſecramus in Domino Ieſu, vt, cum ſilentio operantes, panem ſuum manducent. Cauſas tantorum vlcerum,* QVÆ DE RADICE OTIOSITATIS EMERGVNT, *vno operationis ſalutari præcepto curauit vt peritiſſimus Medicorum; cæteras quoque valetudines malas eodem ceſpite pullulantes, ſciens protinus extinguendas, origine morbi principalis exempta.*

Ex Græco hæc verba ita vertas; *Vt cum quiete operantes ſuum ipſorum panem edant.* Etiam Ambroſius pro *Cum ſilentio*, legit *Cum quiete*; vt hinc colligas ſilentium cum quiete magnam habere cognationem. Porrò operatur cum ſilentio & quiete, qui, rerum terrenarum incurioſus, ſuo operi incumbit. *Suum panem* dixit, non alienum: is autem maximè cuiuſque proprius eſt panis, quem quiſque ſuo labore quæſiuit. B. Dionyſius, *ſuum panem*, inquit, id eſt, *neceſſarium, non voluptuoſum cibum.* 1303.

Dominus pacis det vobis pacem. Omnia in vno bono bona concluſit. Pacem illis optauit, quos cupiebat bonis omnibus ditari. Pacem, *ad vitam æternam, ducem* vocauit Sanctus Ambroſius hic, dum ait: *Semper (quod ſuum eſt) bono voto illos proſequitur quaſi chariſſimos filios, optans ſemper*

cum illis pacem monere, QVÆ EST DVX AD VITAM ÆTERNAM.

Quod si quis non obedit verbo nostro per Epistolam, hunc notate, & ne commisceamini cum illo, vt confundatur.

1304. ET *ne commisceamini cum illo.* Vt vel hinc quàm pestilens, & noxium inquietudinis, & otiositatis malum sit, non malè colligatur; collegit Guarricus Abbas, qui serm. 3. in Assumptione Beatæ Mariæ ita scribit: *Opus est onus quo veluti pondus nauibus*, ITA QVIES ET GRAVITAS INQVIETIS ADDITVR CORDIBVS: *sed exterioris hominis fundatur atque componitur status, magnorum initium malorum est, sicut legistis, mulier vaga; quietis impatiens, nec valens consistere in domo pedibus suis: nunc foris, nunc in plateis, nunc iuxta angulos insidians; nec sine causa est quod Magister Gentium, hoc inquietudinis malum sic habet suspectum: vt non solum correctione, sed etiam separatione censeat illud persequendum. Rogamus, inquit, vos fratres, corripite inquietos, & item in 2. ad eosdem Thessalonicenses, inter alia quæ super inquietos velut è cælis tonabat: audiuimus, inquit, inter vos quosdam ambulantes inquietè, nihil operantes, sed curiosè agentes, his qui eiusmodi sunt denunciamus, vt cum silentio operantes, suum panem manducent; quod si quis non obedit verbo nostro per Epistolam hunc notate: & ne commisceamini cum illo, vt confundatur.*

Nolite quasi inimicum existimate, sed corripite vt fratrem.

COrripite vt fratrem. Quem separandum indixerat, amari volebat. *Videte*, inquit Sanctus Augustinus in Psal. 54. *quid dicat Apostolus: Si quis autem non obaudit verbo nostro per Epistolam, hunc notate, & nolite commisceri cum eo. Sed, ne subrepat tibi ex hoc iracundia, & turbet oculum tuum, Non, inquit, vt inimicum existimetis; sed corripite vt fratrem, vt erubescat. A quo indixit separationem,* NON PRÆCIDIT DILECTIONEM. 1305.

Dominus pacis det vobis pacem sempiternam in omni loco.

OBsignaturus Epistolam, pacem illis à Domino precatur: & opportunè hoc fecit statim, ac de fratribus corripiendis egerat; quia frequenter pax & concordia scindi solet, quum quis corripitur. Peritè hîc Estius: *Ne quod interdum fit*, CORRECTIONEM CONTENTIO SEQVATVR *siue ex imprudentia corripientis, siue ex obstinatione eius, qui corripitur; ideo, priusquam finem imponat Epistolæ, pacem & animorum concordiam a Domino Deo, pacis auctore, eis precatur.* Addit Apostolus. *In omni loco.* Græcè, *in omni modo*, Syriacè, *in omni re*; vt plena ex omni parte sit pax, omnisque contentionis occasio præcidatur. Alioquin

VIA OMNIS AD COELVM SINE PACE DEVIA EST.

Finis Epistolæ secundæ ad Thessalonicenses expensæ, & illustratæ.

CAPVT

CAPVT PRIMVM EPISTOLÆ PRIMÆ AD TIMOTHEVM EXPENDITVR ET ILLVSTRATVR.

SECTIO I.

Paulus Apostolus Iesu Christi secundùm imperium Dei.

1306. SECVNDVM *Imperium Dei.* Cur istud Paulus adiecit? *Ne,* inquit Hesselius, *ex dignitate Apostolica videatur efferri: quasi diceret. Non ego mihi dignitatem arripui, vnde præceptum Dei contemnere non audeo.*

Timotheo dilecto filio in fide, gratia, misericordia, & pax, &c.

QVum ad alios scribit, non meminit in salutatione Apostolus *misericordiæ:* meminit, quum scribit ad Episcopos, *quod* MISERICORDIA (inquit Salmeron in Epist. ad Rom. disp. 9.) EPISCOPIS SIT MAXIME NECESSARIA, *ob multa pericula, quæ illis imminent; & propter plurima in quibus saltem ob omissionem delinquunt.*

Gratia, misericordia. Gratiam, & pacem nudè alibi imprecabatur, nunc misericordiam adiicit ad Episcopum scribens, *vel singulari erga discipulum amore impulsus,* inquit Espencæus, *vel quia Prælati, quique alios instruunt, vt pluribus indigent, ita in alios clementiores sint oportet.*

Sicut rogaui te, vt remaneres Ephesi, cùm irem in Macedoniam.

ELucet hîc Pauli modestia, qui cum præcipere tanquam pater filio, ac doctor discipulo posset, rogare & obsecrare maluit: in quo illorum morem damnat, qui statim ad imperia currunt, & præceptis eò subditos trahunt, quò lenius ac fructuosius possent blandâ exhortatione eos allicere.

Vt denuntiares quibusdam, ne aliter docerent.

CVm ad Episcopum scribat, statim de doctri- 1307.
næ integritate seruandâ cum eo agit; quia hæc prima ac præcipua Episcopi cura esse debet. Peritè B. Dionysius: *Quia inter cætera Episcopi officium est, falsam doctrinam extirpare, seu falsis doctoribus obuiare; ideo primò de hoc tractat Apostolus.*

Vt denuntiares quibusdam. Cur eorum nomen non expressit? *ne sic obiurgati,* inquit Espencæus, *pervicaciores fierent.*

Finis autem præcepti est charitas de corde puro, & conscientia bona, & fide non ficta.

FInis præcepti cur charitas dicatur, scitè explicat B. Laurentius Iustinianus de charit. cap. 1. vbi totum hunc locum exponens ait; *Sic charitatem definit Apostolus. Charitas est finis præcepti de corde puro, & conscientia bona, & fide non ficta.* ET SVMITVR FINIS PRO CONSVMMATIONE, *quia charitas est consummatio siue perfectio omnis præcepti. Dicitur etiam de corde puro, id est, de intellectu puro, quia quantò quis magis intelligit, magis diligit, nisi alioqui puram habet conscientiam, securè speras. De fide non fictâ, id est, non simulatâ, nec fragili, sed inter aduersa forti.* Sanctus

Augustinus in Psalm. 31. Quo sensu finis præcepti charitas dicatur exponit in hunc modum: *finis precepti est, dixit, quid est finis precepti?* QVO PERFICIVNTVR PRÆCEPTA, *non quo consumantur, aliter enim dicimus, finitus est cibus: aliter dicimus, finita est tunica que texebatur, finitur cibus vt non sit: finitur tunica vt perfecta sit, & hic finis dicitur & ibi. Non ergo hic finem precepti dixit, quo quasi pereant precepta: sed quo perficiantur & consummentur, non consumantur; finis ergo propter tria illa: finis, inquit, precepti est charitas, de corde puro, & conscientia bona, & fide non ficta.*

1308. *Charitas de corde puro & conscientia bona.* Alioquin, vt inane charitatis simulachrum sit, nihil præterea est. *Plerumque*, inquit S. Augustinus serm. 14. ex 40. nouissimè editis, *videntur se diligere etiam homines participes male conscientie: qui simul latrocinia faciunt, qui simul maleficia, qui simul histriones amant, qui simul aurigis & venatoribus clamant, plerumque diligunt se; sed non est in eis charitas de corde puro, & conscientia bonâ, & fide non fictâ.*

Lex iusto non est posita; sed iniustis, & non subditis, impiis, & peccatoribus, sceleratis, & contaminatis.

ET non etiam iustus seruare legem debet, vt iustus sit? Debet. Cur igitur legem illi ooo esse positam dicitur? Lex iusto non est posita, id est, imposita tanquam onus, quod eum premat metu ac terrore supplicij. Amore, qui est iustus, ducitur, vt legem seruet; non pœnæ timore.

Lex iusto non est posita. Quia nimirum ad legis obseruationem facilius accurrit, nec in legis obseruatione onus sentire videtur. Rem sic expendit S. Thomas hîc: *Quod imponitur alicui, imponitur sicut onus. Lex iustis* NON IMPONITVR SICVT ONVS; *quia habitus eorum interior inclinat eos ad hoc, ad quod lex: & ideo non est onus eis.* Huc faciunt etiam, quæ habet S. Bernardus epist. 11. *Vnde aptè non dicitur: Iusti non habent legem, aut iusti sunt sine lege, sed iustis non est lex posita, hoc est, non tanquam* INVITIS *imposita, sed voluntariis eò liberaliter data, quò suauiter inspirata.*

1309. Lex cur iusto non sit posita, sic exponit Sanctus Epiphanius tom. 2. lib. 2. hæresi 66. n. 73. *Cùm lex iusto posita non sit, num sceleratus atque exlex dicendus est? Minimè verè; sed, quoniam iustus, que lege prascripta sunt, facere anteuertit, aduersùs hunc non est constituta lex, qui legem obseruauit; sed aduersùs eos decernitur, qui sceleris aliquid commiserint, ad eos iudicandos, qui contra legem peccauerint.*

Iusto non est posita lex; quia legis præcepta implet potiùs volontatis promptitudine, quàm legis vi. *Iusto dicitur*, inquit Sanctus Leo Epist. decret. 90. *Lex non est posita: quia normam praeceptionis implet* IVDICIO VOLVNTATIS; *cum verus recti amor in semetipso habeat, & Apostolicas auctoritates, & Canonicas sanctiones.*

Iusto cur non posita lex, qui iustus non esset, nisi legem exactè seruaret? *Lex* (inquit Sanctus Ambrosius lib. 3. Offic. cap. 5.) *non iusto; quia iustus legem habet mentis sua, & aquitatis ac iustitia sua normam: ideóque* NON TERRORE POENÆ REVOCATVR *a culpâ, sed honestatis regulâ.*

Quia me fidelem existimauit ponens in ministerio, &c.

DEi factus est minister in aliorum salutem, 1310.
qui antea erat persequutor, tantùm Dei patientia potuit, ac Dei misericordia. Id quod expendens Sanctus Chrysostomus in Psalm. 110. *Paulum*, inquit, *illum Orbis terra praeconem cito, qui in tertium cælum raptus est, qui in Paradisum fuit sublatus, qui fuit reuerendorum Sacramentorum particeps, vas electionis, Christi pronubus, qui ostendit Angelicam vita institutionem, qui virtutis studium adeò prosequutus est. Si enim noluisset esse lenis, & patiens, eúmque sustinere, sed quando peccabat, blasphemabat, & persequebatur, protinus in eum instam tulisset sententiam, iam olim praripuisset eum pœnitentia. quocirca ipse quoque cùm hac sciret dicebat: Gratiam habeo Christo qui me confortauit, quod me fidelem existimauit, ponens in ministerio, qui priùs eram blasphemus, & persecutor, & contumeliosus: sed misericordiam consecutus sum, vt in me primò ostenderet omnem patientiam, ad informationem eorum, qui credituri sunt illi in vitam aeternam.*

Qui priùs blasphemus fui, & persequutor, & contumeliosus.

ET *persequutor.* Efferri meretur, qui se tan- 1311.
tùm deiicit. *Intuere*, inquit hîc Sanctus Chrysostomus, *diligentius quanto se deiiciat studio,* QVAM NON SIT AMATOR SVI, *quàm non se palpet, atque humilem possideat mentem. Non sufficiebat se appellasse blasphemum,* NISI ETIAM PERSEQVVTORIS SIBI CRIMEN INIVNGERET; *rursúmque idipsum persequutionis augeret malum. Non enim, inquit, satis erat mihi seipsum ladere, neque blasphemare suffecerat; verumetiam piè viuere volentes persequebar.*

Superabundauit autem gratia Domini nostri cum fide, & dilectione.

CVr fidei dilectionem iungit? Quia fides sine dilectione ad salutem non sufficit. Dilectione animanda est fides, fidei copulanda dilectio est.

Fidelis sermo, & omni acceptione dignus.

FIdelis sermo. Sanctus Augustinus legit: *Humanus sermo.* serm. 8. de verb. Apost. hæc habet ad hæc verba: *Humanus sermo, & omni acceptione dignus. Quare humanus, & non Diuinus? Proculdubio nisi iste humanus sermo etiam Diuinus esset, dignus omni acceptione non esset. Sed sic est sermo iste humanus & Diuinus, quomodo est ipse Christus, & homo, & Deus. Si ergo rectè intelligimus sermonem istum non solùm humanum esse, verumetiam Diuinum, quare Apostolus humanum maluit dicere, quàm Diuinum: proculdubio enim, qui non mentiretur, si diceret Diuinum, non sine causa maluit dicere humanum. Hoc ergo elegit, per quod Christus in Mundum venit: venit enim, per quod homo erat; nam, per quod Deus erat, semper hic erat.*

Sectio II.

1312 *Præsentissima præteritorum peccatorum memoria quàm vtilis.*

1313 *Peccata minimè obliuioni tradenda Pauli exemplo.*

1313 *Cur se peccatorum primum vocauerit Paulus.*

1313 *Propria potiùs peccata ponderanda quàm aliena.*

1314 *Peccatorum memoria quàm vtilis.*

1314 *Salus Christi gratiæ tribuenda.*

1314 *Christus se demisit, vt Diuinæ gratiæ amplitudinem ostenderet.*

1314 *In Christianis finis potius quæritur quàm exordium.*

1315 *Suo exemplo peccatorum conuersionem vt quæsierit Paulus.*

1315 *Pœnitentia virtus elucet in Pauli lapsu, & Petri.*

1315 *Superiores quàm solicitè suorum profectum quærere debeant.*

1316 *Episcopalis muneris, & militiæ nexus.*

1316 *Conscientiæ mordentis vtilitas.*

1316 *Notati qui doceri nolunt, aut non nisi sublimia volunt audire.*

1317 *A Satana discendum etiam, quod ille non docet.*

1317 *Pœnæ, quas Deus infert, magistri loco sunt.*

1317 *Excommunicationis pœnam infligens, peccatoris emendationem spectet.*

Quorum primus ego sum.

1313. Q*Vorum primus ego sum.* Dixisset, *Fui*, quasi adhuc talis esset, qualis erat. Humilitas huc eum duxerat; *atque propter sensum* (inquit bonus ille Auctor) *&* MEMORIAM PECCATI SVI PRÆSENTISSIMAM *verbo præsentis temporis pro verbo præteriti vsus est; sum, pro Fui: sic enim peccata sua præterita assiduè, continenter, & semper recordabatur; mentéque iugiter versabat, atque detestabatur, & execrabatur.* Huc spectat & illud Sancti Chrysostomi, qui serm. 10. de diuersis noui Testamenti locis, ait: *Námque eos, qui ad summum virtutis gradum peruenerunt, sentire de se mediocriter decet, neque rectè satis admodum confidere, sed trepidare ac tremere, præteritorum memores peccatorum, exemplo videlicet Pauli Apostoli, qui spectatâ iam diu virtute, tótque abundans meritis, de se tamen ipse sic loquitur, Quoniam Christus venit in hunc mundum ad saluandum peccatores, quorum primus ego sum. Non, Fui, sed sum, dixit, eorum quæ fecisset, atque admisisset,* PRÆSENTEM SEMPER SE HABERE MEMORIAM SIGNIFICANS. Et serm. 58. Idem Sanctus Pater idem vrgebat in hunc modum: *Quorum primus ego sum. Non dixit, eram, sed, sum. Facta erat remissio peccatorum apud Deum,* ET APVD PAVLVM PECCATORVM MEMORIA NON DELEBATVR. *Quæ Dominus deleuerat, hæc ipse diuulgabat. Audistis enim Prophetam dicentem: Et non recordabor: At tu recordare. Deus vas electionis ipsum vocat, & iste se peccatorum primum vocat. Quod si peccatorum non* OBLIVISCEBATVR, COGITA QVO PACTO DEI BENEFICIORVM RECORDARETVR.

Quorum primus ego sum. Se nimirum inter insigniores peccatores Paulus numerabat quantum scilicet ad suum iudicium; quia de se certus, non de aliis. *In quantum* (sic eum loquentem facit B. Dionysius) *peccata mea certius scio, &* GRAVIVS PONDERO QVAM ALIORVM; contra ac plerique soleant facere, qui se negligunt, & sua non considerant, toti in alienarum culparum consideratione sunt; & suas leues putant aut nullas, aliorum graues, & grauiter puniendas.

Quorum primus ego sum. Pauli exemplo pecca- 1314.
torum memoria in nobis non debet obliterari, licet speremus obliterata ipsa peccata esse: cogitatio ista & humilitati custodiendæ seruiet, & ad gratiarum actionem nos excitabit. Benè hîc Estius: *Iam ad humilitatem Apostoli etiam hoc videtur referendum, quod non dicit, quorum primus ego fui; sed, sum, tanquam adhuc talis esset.* DEBET ENIM VNVSQVISQVE SEMPER ANTE OCVLOS HABERE STATVM PECCATI, EX QVO PER DEI GRATIAM EREPTVS EST; *& in quo adhuc hæreret, si sibi relictus esset: idque tum ob custodiam humilitatis, tum vt Diuini beneficij magnitudo nunquam ei effluat è memoriâ, sed in continuâ gratiarum actione persistens dona potiora mereatur.*

Quorum primus ego sum. Saluti suæ peccata sua substrauit, ne quis alij quam Christo, & Christi gratiæ salutem suam adscriberet. Benè Sanctus Gaudentius: *Fidelis sermo & omni acceptione dignus, quod Christus Iesus venit in hunc mundum, peccatores saluos facere quorum ego sum primus.* NEC SIBI ALIQVIS DE SALVTE PROPRIA SINE DEI CHRISTI MVNERE BLANDIATVR, *quando vas electionis priorem se fatetur esse omnium peccatorum.* Sic ille ad neophytos serm. 19.

Se Paulus demittit, Diuinam vt gratiam plus efferret. Sanctus Basilius homil. de Pœnit. *Paulus ex persequutore Prædicator est factus: sed hic est quæstio. Quid verò ipse dicit? Iesus Christus venit in Mundum peccatores saluos facere, quorum primus ego sum.* PROPRIVM DEFECTVM PATEFACIT, VT GRATIÆ AMPLITVDINEM OSTENDAT.

Malè Paulus cœpit, sed benè finiuit, vt in Christianis noueris plus finem, quàm initia commendari. Opportunè S. Hieron. NON QVÆRVNTVR IN CHRISTIANIS INITIA, SED FINIS. *Paulus malè cœpit, sed benè finiuit: Iudæ laudantur exordia, sed finis proditione damnatur.* Hactenus iste Doctor epist. 10. quæ est ad Furiam.

Vt in me primò ostenderet Christus Iesus omnem patientiam ad informationem eorum, qui credituri sunt illi in vitam æternam.

V*T in me primò ostenderet Christus Iesus omnem* 1315.
patientiam. Et Pauli exemplo cæteri conuerterentur. Non iactauit, se solum consequutum

esse misericordiam: amabat in alios fieri, quod in se factum. Sanctus Augustinus in Psal. 99. pro, *Patientiam*; habet *Longanimitatem*, aitque: *Audi, quomodo vos erigat. Vt in me, inquit, ostenderet Christus Iesus omnem longanimitatem ad informationem eorum, qui credituri sunt illi in vitam æternam. Quid est, vt in me ostenderet omnem longanimitatem?* VT VNVSQVISQVE PECCATOR, AVT SCELERATVS VIDERET, *quia Paulus accepit veniam, & non de se desperaret. Ecce ostendit se*, EREXIT ET ALIOS.

Ex Pauli lapsu post lapsum resipiscentis, pœnitentiæ vis, & virtus colligi potest. Collegit Petrus Blesensis, cuius hæc sunt verba epist. 88. *Si peccauit, & nos omnes peccauimus, & egemus gratiâ Dei; blasphemus fui, dicit Apostolus, sed misericordiam consecutus sum, vbi abundauit delictum, superabundauit & gratia; Quis in sæculo peccauit enormius Paulo? quis in religione grauius Petro?* ILLI TAMEN PER PŒNITENTIAM MERVERVNT ASSEQVI, *non solùm peccatorum veniam, non solùm* MINISTERIVM FIDEI, SED MAGISTERIVM SANCTITATIS. Tantum qui errantes sequutus est, sequatur & pœnitentes.

Hoc præceptum commendo tibi, fili Timothee, secundùm præcedentes in te prophetias: vt milites in illis bonam militiam.

VT sit sensus. Hoc præceptum tibi commendo, vel exequendum iuxta prophetias, quæ de te præcesserunt: idest secundùm reuelationes Diuinas de te factas, quibus nimirum significatum fuit, te futurum vtilem Ecclesiæ Dei Ministrum. Hoc explicatu donant hæc verba Interpretes meliores. Sed hîc aliquis reponat: Si de Timotheo iam prophetatum erat, qualis futurus esset Episcopus, quid opus erat, eum hortari, vt se talem exhiberet? An quia, quod Deus prædixerat, implendum erat per media ab ipso ordinata, inter quæ & bona voluntas Timothei erat, & Pauli studium ac solicitudo, qua fuerat excitandus, & extimulandus? Cum tam solicitus de Timotheo Apostolus fuerit, quem scribit probum aptúmque Ecclesiæ Ministrum futurum; quam iustius est, SVPERIORES DE ILLIS ESSE, DE QVIBVS NON CONSTAT, QVALES SINT FV-
1316. TVRI?

Vt milites in illis bonam militiam. Bonus nexus Episcopalis officij, & militiæ; vt nouerit, qui ad hanc est dignitatem euocatus, excutiendum illi otium, labores subeundos, expectanda pericula. Pulchrè rem versat hîc Estius: *Libenter Apostolus vtitur metaphorâ militiæ tanquam aptissimâ non solùm ad exprimendam vitam hominis Christiani, quem alibi vt militem Christi spiritualibus armis instruit, Ephes. 6. & 1. Thessalonic. 5. verumetiam ad commonstrandum, qualesit opus Episcopale. Nam, sicut in militia,* SIC ET IN EPISCOPATV PERPETVA EST ADVERSVS HOSTES PVGNA, *vigiliæ, labores, pericula. Hostes in hoc genere sunt Dæmones, hæretici, falsi fratres, hypocritæ, & quicunque doctrinis, aut exemplis malis gregem Dominicum, cui præpositus est Episcopus, quantùm in ipsis est, depopulantur ac perdunt. Porrò bonam militiam, vocat strenuam, fidelem, legitimam, talem denique, quæ bonum militem faciat.*

Habens fidem, & bonam conscientiam.

MVltum bonæ conscientiæ Apostolus tribuit, nec immeritò, nam vt ait hîc Sanctus Thomas, *de facili homo recedit ab eo, quod mordet, vnde remorsus conscientiæ est sicut quidam stimulus, qui habentem malam conscientiam pungit, & ideo* CITO A PECCATIS PER BONAM CONSCIENTIAM, ET RECTAM FIDEM RECEDIT; vt singulare beneficium homini contulerit, bona eum conscientiâ muniens, quæ & contra peccatum oblatraret, & peccantis mentem morderet; de quâ re fusius egimus in opusculo de occultis Dei beneficiis.

Habens fidem & bonam conscientiam. Salutaria quidem monita dat Apostolus Timotheo, sed talia quæ cuilibet fideli, nec ex primariis traderentur, *discant hoc loco* inquit Hesselius, *etiam magni viri libenter moneri de necessariis ad salutem. Timotheo enim longè impares sumus, ipse tamen & libens audiuit, & Paulus inculcandum putauit, vt fidem, & rectam conscientiam seruaret.* à qua re abeunt qui aut doceri nolunt, aut non nisi sublimia volunt audire.

Quos tradidi Satanæ, vt discant non blasphemare.

V*T discant non blasphemare.* Eorum erat disce- 1317.
re, licet non sit Satanæ mens docere. *Non ait*, inquit hîc Sanctus Chrysostomus, *Vt doceat illos non blasphemare; sed, vt discant non blasphemare.* NON ILLE HOC AGIT, *sed hic euentus accidit.* Nam qui blasphemiæ magister est, docere nescit non blasphemare.

Vt discant non blasphemare. Sed quo magistro? Pœnæ, quas Deus infert, magistri munus exercent; & plerumque plus erudiunt, & iis correptos informant magis, quàm ipsi viui magistri ac doctores. *Discant* inquit Beatus Dionysius, *per* EXPERIENTIAM POENARVM SVARVM NON BLASPHEMARE, *quemadmodum scriptum est: sola vexatio dabit intellectum.*

Vt discant non blasphemare. Cùm aliquis Satanæ per excommunicationem traderetur, hic fructus sperabatur, vt corrigeretur, & excommunicationis pœna, tanquam fructum eâ percussi emendationem produceret; nimirum.

HAC MENTE INFLIGI PECCANTIBVS POENÆ DEBENT, VT AD SANIOREM REDEANT MENTEM.

CAPVT II.

EPISTOLÆ PRIMÆ ad Timotheum expenditur & illustratur.

1318 *Gratiarum actio nouis beneficiis locum facit.*

Quàm

1318 *Quàm aliter oratio Deo sternatur, & ad homines habeatur.*

1318 *De nullius salute desperandum.*

1318 *Adulationis & assentationis suspicio amolienda est.*

1319 *Bellum pietati aduersatur.*

1319 *Pacis abusus improbandus.*

1320 *Perstricti, qui quiete à Deo concessa abutuntur, vt licentius, & securius peccent.*

1320 *Cùm de oratione Paulus ageret, cur virorum meminerit, non mulierum.*

1321 *In oratione mentis puritas quærenda potiùs quàm loci.*

1321 *Boni, loca non sacra, Templum quodammodo reddunt.*

1322 *In oratione puræ manus vt eleuandæ, & cur.*

1323 *Habitus ornatus, qui modestus.*

1323 *Perstrictæ mulieres, quæ curiosius se ornant pergentes ad Templa.*

1323 *Fucus, & adulterinus ornatus reiiciendus.*

1324 *Mulierum leuitas quæ se metallis onerant.*

1325 *Verus mulierum ornatus qualis.*

1325 *Christo ornari virgo debet.*

1325 *Quàm indecens, superfluum ornatum quærere viros, qui in mulieribus damnatur.*

1326 *Mulieri publicè docere cur inhibitum.*

1327 *Seducta cur mulier dicta, non vir.*

1327 *Mentis imbecillitas in fœmineo sexu.*

1328 *Procreare filios quid in diuinis litteris sit.*

1328 *Matres esse non videntur, quæ probè liberos non instituunt.*

1328 *Matrum cura vt virgines Deo pariant & conseruent.*

1328 *Sobrietatis & pudicitiæ nexus.*

Obsecro igitur primùm omnium fieri obsecrationes, orationes, postulationes, gratiarum actiones pro omnibus hominibus.

1318. CVr gratiarum actionem orationi iungit? *Quia* (inquit hîc Estius) *qui* NON AGIT GRATIAS *de beneficiis acceptis, eo ipso se præstat indignum, cui, quantumuis oranti, nouum beneficium adiiciatur.*

Orationes. Etiam Rhetores orationes formant, & recitant, sed aliò spectant, ac fideles qui Deo orationes fetnunt. Peritè Sanctus Thomas hîc: *Persuasiones Rhetorum dicuntur orationes, quia persuadent; sed aliter ibi, aliter in nostra ad Deum, quia non intendimus,* QVOD ANIMVM DEI FLECTAMVS; QVI SEMPER AD BONVM EST PARATVS, *sed vt nostrum cor sit in oratione ad Deum eleuatum.* Et ideo compositis potius moribus, quam compositis verbis gaudet Deus, cupitque huiusmodi in orantibus elucere.

Pro omnibus hominibus. Nullum excipit, nullum excludit, etiamsi hostes & persequutores sint. *Ostendit hic locus* (inquit Estius ad hunc locum) *nullum hominem, dum viuit, adeò perditum esse, vt* DE EIVS SALVTE NOBIS SIT DESPERANDVM; *nam oratio spei professio est,* & pro eo fundi orationem vix esset opus, qui spem omnem emendationis adimat.

Pro Regibus, & omnibus, qui in sublimitate sunt. Pro Regibus. Qui prius dixerat, *pro omnibus hominibus*, orandum, nunc Regum meminit. Sed cur non præposuit aliis, qui super alios sunt? *valde sapienter*, inquit Espencæus, *quod commune erat præposuit, nec pro iis statim orandum prædixit, ne illorum cuiquam adulari videretur; sed cum pro vniuersis præmisisset, tum demum & pro principibus adiecit., omni assentationis suspicione sublata.*

Vt quietam & tranquillam vitam agamus in omni pietate & castitate.

IN *omni pietate & castitate.* Cùm se orare dixisset, vt quieta & tranquilla vita ageretur, & à 1319.
belli tumultibus aliena, addit (quod cum re cohæret) *In omni pietate & castitate*; hæc enim ab illa facilè pullulant. Bellum verò cum his habet belli tempus: tunc enim maximè in pietatem castitatémque milites arietant. Pulchrè Estius: *Annotat Ambrosiaster, & res ipsa docet, pacem & tranquillitatem temporis valdè opportunam esse pietati, quâ Dei cultus debitus redditur, & honestati morũ, quæ potissimum in virtute temperantiæ consistit:* VIDEMVS ENIM TEMPORE BELLI PROFANARI ECCLESIAS, *Monasteria destrui, Sacramenta violari, hæreses, periuria, blasphemias, & alia id genus vitia grassari; denique castitatis, sobrietatis & honestatis vita nullam haberi rationem.*

In omni pietate & castitate. Consultò istud adiecit, nam mali olim pace ad impietatem, cultúmque Deorum abutebantur, & litabant maximè otio, & quod est consequens impudicitiæ, *Sancti*, inquit Sanctus Thomas hîc, *è conuerso* EA VTVNTVR IN CVLTV VERI DEI, *& in castitate, & ideo dicit in omni pietate, & castitate;* omni bello nocentior pax est, quæ bellum virtutibus infert, pacem cum vitiis habet.

In omni pietate & castitate: Acriter hunc lo- 1320.
cum versat Saluianus contra eos, qui pace à Deo data vtuntur contra Deum, & Dei beneficiis bellum Deo inferunt. Præstat hîc illius verba sistere. Sic ille scribit lib. 6. de Gubernat. Dei: *Cum omnem fructum datæ à Deo pacis in hoc consistere Apostolus dicat, vt quietam, & tranquillam vitam agamus in omni pietate, & castitate: ad hoc tantum datâ à Deo quiete vtimur, vt in ebrietate, vt in luxuria, vt in flagitiis, vt in rapinis, vt in omni scelere atque improbitate viuamus; quasi verò beneficium datæ pacis, vacatio sit probitatis: & ad hoc inducias tranquillitatis Deo donante capiamus,* VT LICENTIVS SECVRIVSQVE PECCEMVS. *Indigni itaque cœlestibus donis sumus qui beneficiis Dei non benè vtimur, & facimus rem bonorum operum,*

materiam

materiam tantùm esse vitiorum : quòd fit vt ipsa pax contra nos sit ; quia sic agitur à nobis, ne expediat rem accipere, quâ deteriores sumus.

Volo ergo viros orare in omni loco, leuantes puras manus sine ira & disceptatione.

CVr virorum meminit, mulieribus omissis? si verba, quæ paulo post subiicit, legamus, mulieres minimè omissas reperiemus; ait enim: *Similiter & mulieres*, scilicet *orare volo* (id quippe Græci Interpretes supplent) *in habitu ornato*, nempè modesto. *Sed de* VIRIS PRIVS LOQVITVR (ait Estius) *quia vitia, quæ exclusa vult ab oratione, magis secundum perfectionem suam in viros cadere solent, quam in mulieres.* Aliter respondet Sanctus Ambrosius lib. 6. de Sacram. c. 4. *Ideo*, inquit, *fortè Sanctus Apostolus viros dixit*, NE MVLIERES VSVRPARENT, *& malè intelligerent, in omni loco ; & inciperent vbique clamare, quas in Ecclesia sustinere non possumus.*

1321. *Volo ergo viros orare in omni loco.* Locus omnis fundendæ orationi aptus est ; atque adeò mentis puritas potiùs quærenda, quam loci. Rem egregiè versat B. Laurentius Iustinian. tract. 13. de Orat. cap. 6. *Vbi orandum sit, breuiter intimandum est, ac deinde quo tempore. Vbi enim orandum sit, insinuat Apostolus, quum dicit : Volo viros orare in omni loco, leuantes manus puras ad Deum.* NON ENIM TANTVM LOCVS QVÆRENDVS EST, QVANTVM SENSVS. *Hieremias orans confortatur in carcere : Daniel inter leones exultat : tres pueri in fornace exultantes, & Deum benedicentes, tripudiant : Iob nudus in sterquilinio triumphat : Paradisum de Cruce latro promeruit. Et quoniam non est locus, vbi non sit Deus, vbique effundenda est ad illum deprecatio : Vbi sunt pericula, illic petendum est suffragium : nec quærendus est locus, quum a Deo & ad Deum noster prouocatur affectus.*

In omni loco. Boni, loca non sacra Templum quodammodo reddunt ; mali Templum ipsum prophanant ; *Vis discere*, inquit Sanctus Chrysostomus, *quomodo tota terra* IN POSTERVM SIT TEMPLVM *effecta, & quomodo omnis locus orationi sit destinatus ? Audi iterum Beatum Paulum dicentem. In omni loco leuantes puras manus sine ira, & disceptatione. Vidisti quomodo terrarum Orbem expurgarit : Vidisti quomodo vbique puras manus leuare possimus ? Omnis enim terra de cætero sanctificata est, imo sanctior est illis Iudæorum sanctis. Quâ ratione ? Quia ibi quidem rationis expers, hic vero ratione prædita ouis oblata est. Quantò igitur præstantius id, quod rationem habet, eo, quod ratione caret, tantò amplior, & hic sanctificatio est.* Hactenus ille serm. 32. de diuersis noui Testamenti locis.

1322. *Leuantes puras manus.* Qui id fiat, aptè ostendit Aelredus serm. 5. in Isaiam, vbi ait : *Commendatur in manus eleuatione puritas orationis, sicut dicit Apostolus : in omni loco leuantes puras manus sine ira, & disceptatione. Ille puras manus leuat in oratione, cuius conscientia tempore orationis exultans,* BONORVM OPERVM RECORDATIONE *in quandam confidentiam se, e attollit, & Diuinis præsentat obtutibus : quæ quidem confidentia, & innocentia ex digna necesse est pœnitentia oriatur ; si videlicet aut non flenda commiserit, aut commissa dignè defleuerit.*

Leuantes puras manus. Et cum manibus etiam cor : alioquin parum referret, efferre manus, & mentem deiicere ; in cœlum manus euehere, & in terrena cor abdere. *Multum confert*, inquit hîc Dionysius Carthusianus, *corporalium* MANVVM ELEVATIO *ad superna pro interiori eleuatione prouocanda.* Dedecet in cœlum eleuari corporeas manus, quæ suo pondere in terram feruntur ; nec eleuari mentem, cuius est in sublimia euolare.

Leuantes puras manus. Manuum eleuatio, orantis est habitus. Nimirum, vt, qui fundit orationem, manus in bonis operibus proponat exercere. *Leuemus nos manus nostras*, inquit Sanctus Augustinus in psalm. 62. *ad Deum in prece, & non confundentur manus nostræ leuatæ ad Deum, si exerceantur in bonis operibus. Quid enim facit, qui leuat manus ? Vnde præceptum est, vt leuatis manibus oremus ad Deum ? Apostolus enim dicit : Leuantes puras manus sine ira, & disceptatione.* VT, QVVM LIVAS MANVS TVAS AD DEVM, VENIANT TIBI IN MENTEM OPERA TVA. *Quia enim manus istæ leuantur, vt impetres, quod vis ; ipsas manus cogitas in bonis operibus exercere, ne erubescant eleuari ad Deum.*

Similiter & mulieres in habitu ornato, cum verecundia, & sobrietate ornantes se ; & non in tortis crinibus aut auro, aut margaritis, vel veste pretiosa.

COnsulit vtrique sexui Apostolus, & vtrique apta adhibet remedia. *Habitum ornatum*, 1323.
idest modestum ac moderatum, mulieribus indicit, & qui mulieres deceat : nam, quod decet id demum ornat : quod dedecet, deturpat. Hinc illud, *In habitu ornato*, aliqui ex Græco vertunt, *In amictu honesto* ; alioquin nimirum in mulieribus ornatum non reprimeret, sed commendaret.

Quid necesse est ornatum mulieribus suadere, ad quem promptissimæ sunt ? Habitus ornatus, seu, vt Græcè habetur κόσμιως, modestum & moderatum habitum significat. Nimirum, habitus, qui gestantem deceat, is demum ad ornatum est : qui nimis cultus, & ornatus, incultus est, nec confert ornamentum. *Habitum ornatum intellige*, inquit Estius hîc, *modestum & moderatum, & qui deceat mulieres : nam, quod decet, id demum ornat : quod verò dedecet, deturpat.*

Non in tortis crinibus. Audis superfluum ornatum à fœminis amoueri sed cur hîc fuci nulla mentio fit ? An quia adulterinus ornatus damnari intelligebatur, cum simplicior nec adeò malus reiiciebatur.

In habitu ornato. idest moderato, vt Græca 1324.
vox κόσμιος fert, & mens Pauli exigit. Sed cur, cum de orationis fusu agatur, molliori sexui modestiam in habitu suadet : Quia hic sexus tunc maximè nimio corporis ornatui vacat, quum ad conuentus publicos orationis gratiâ eundum est, quum ad Templa pergendum, quo vitio nollem nostri æui mulieres laborare, adeò vt eadem admonitione non indigerent.

Mulieres orationem fusuras à superfluo ornatu liberas vult Apostolus, & à metallorum onere immunes. *Quis prudentium* (verba sunt Sancti Ambrosij ad verba producta) *iactanter*

ornatum mulierem non horreat? Quantò magis auctor Deus qui corpus, a ſe liberum factum, OBLIGATVM METALLIS VIDET? *Nam humilis habitus bonæ profeſſioni congruit, vt poſſit non aliud æſtimari, quam cernitur. Quæ autem in domo Dei cum pompa ſe mauult videri, non vtique propter Deum, ſed propter homines conſequitur, quod vult, vt glorioſa videatur, nihil conſequutura à Deo niſi maculam: quantò enim hominibus ſplendida videtur, tantò magis deſpicitur à Deo.* Scilicet hoc ipſo leuiores ſe produnt, quò ſe magis metallis onerant.

Aut auro, aut margaritis. Addit Primaſius: *Quæ terræ ſunt ornamenta, cuius homo eſt Deus.* Terræ ſe pariat, qui ea ambit ornamenta, quæ terræ conueniunt, à terra producta. Qui terræ dominatur, iis exornari non quærat, quibus ornatur vile hoc elementum.

1325. Ab ornatu auocat mulieres: hoc eſt, vt ſe ſuper ſexum ſuum efferant. Verus mulieris ornatus eſt pietas, eſt virtus. *Admodum pulchrè*, inquit Clemens Alexandrinus lib. 2. Pædag. c. 12. *dixit B. Paulus, Mulieres ſimiliter non implicaturis vel auro, vel margaritis, vel veſte ſumptuoſa ſed quæ decet mulieres, profitentes pietatem per bona opera ſeipſas ornantes.* EARVM ENIM ORNATVM IVRE ABESSE IVBET: *ſi ſunt enim pulchræ, ſufficit natura: non contendat ars contra naturam, hoc eſt fraus minimè litiget cum veritate. Sin autem ſunt naturà turpes; ex iis, quæ ſibi applicant, quod non habent, arguunt.*

Optimum capitis ornatum mulieribus oſtendebat Sanctus Ambroſius lib. 1. de Virgin. vbi Sanctam Agnetem efferens, ſpectanſque ad hunc S. Pauli locum, ait: *Non ſic ad thalamum nupta properaret, vt ad ſupplicij locum, læta ſucceſſu, gradu feſtina, virgo proceſſit: non intorto crine caput compta,* SED CHRISTO: *non floſculis redimita, ſed moribus.*

Mulieres hìc Apoſtolus à nimio veſtium ornatu auocat. Iuſtius id à viris exigatur. *Penſate*, inquit Sanctus Gregorius homil. 6. in Euangel. *quæ culpa ſit*, HOC ETIAM VIROS APPETERE, *à quo curauit Paſtor Eccleſiæ, & fœminas prohibere.*

Docere autem mulieri non permitto.

1326. IN publico docere mulieribus Paulus inhibet: ſed cur? *Quia* (inquit Beatus Dionyſius) *communiter* RATIO DEBILIS EST IN FOEMINIS, *ſuntque nimis loquaces, & ad vanitatem procliues; ſermo quoque earum luxuriam potiùs incitat ſæpè, quam deuotionem, iuxta illud: Colloquium mulieris quaſi ignis exardeſcit. Veruntamen mulieres in ſuis conuentibus, ſeu domibus docere poſſunt perſonas ſibi ſubiectas.*

Mulierem docere non permittit. Mulier prima, quæ primum virum docere præſumpſit, à veræ doctrinæ regulis eam auocant. *Benè per Paulum dicitur*, inquit Sanctus Petrus Damianus, ſerm. 4. *Docere autem mulierem non permitto, quia nimirum aliquando,* QVVM DOCVIT, A SAPIENTIÆ TRAMITE DEVIAVIT. déque rectitudinis ſolidæque ſapientiæ ſuggeſtu cecidit, quum velut è ſuggeſtu viro, quæ non debebat, Eua ſuggeſſit.

Et Adam non eſt ſeductus: mulier autem ſeducta in præuaricatione fuit.

NEc enim credidit vera eſſe ſerpentis verba. 1327.
Vnde Adam, inquit B. Dionyſius, *interrogatus à Deo non dixit:* MVLIER SEDVXIT ME. *Sed, dedit mihi, & comedi. Illa verò, Serpens, inquit, decepit me, & comedi. Adam enim multò ſapientior atque perfectior erat vxore: vnde nequaquam putauit verba Dei eſſe mendoſa.*

Quì ſeducta ſit mulier, non ſeductus vir, in hunc modum explicat Sanctus Auguſtinus de Ciuit. Dei lib. 14. cap. 11. *Sicut Aaron erranti populo ad idolum fabricandum non conſenſit inductus, ſed ceſsit obſtrictus: nec Salomonem credibile eſt, errore putaſſe idolis eſſe ſeruiendum, ſed blanditiis fœmineis ad illa ſacrilegia fuiſſe compulſum: ita credendum eſt, illum virum ſuæ fœminæ vni vnum, hominem homini, coniugem coniugi, ad Dei legem tranſgrediendam, non tanquam verum loquenti credidiſſe ſeductum, ſed ſociali neceſſitudine paruiſſe; non enim fruſtra dixit Apoſtolus:* ADAM NON EST SEDVCTVS: *mulier autem ſeducta eſt: niſi quia illa quòd ei ſerpens locutus eſt tanquam verum eſſet, accepit; ille autem vnico noluit conſortio dirimi, nec in communione peccati, nec ideo minùs reus, ſed ſciens prudenſque peccauit.*

Mulier autem ſeducta. Græcè, *Mulier autem decepta.* De prima muliere, id eſt de Eua loquitur: ſed quid hoc ad mulieres noſtri æui, aut ſuperioris? *Quod de prima muliere ſcriptum legitur* (inquit Eſtius hìc) ID IN VNIVERSO SEXV LOCVM HABET, *in quem leuitas &* IMBECILLITAS MENTIS *contagio quodam à prima parente peruaſit.*

Saluabitur autem per filiorum generationem, ſi permanſerit in fide, & dilectione, & ſanctificatione cum ſobrietate.

SAluabitur autem per filiorum generationem. 1328.
Itane ſola filiorum generatio ad mulierum ſalutem ſufficiens erit? An generationem hìc poſuit, pro educatione, ac inſtitutione? vt videatur non genuiſſe tanquam mater, quæ filios non inſtituit, non informat? Benè Eſtius: *Saluabitur autem per filiorum generationem. Quamuis, inquit, mulieri non ſit permiſſum, vt in Eccleſia doceat, non tamen ei deeſt, quod agat, & per quod ſalua fiat; ſaluabitur enim per filiorum generationem, id eſt* LIBERORVM EX SE GENITORVM EDVCATIONEM. *Sic enim inferius exponit, de vidua eligenda loquens cap. 5. ſi filios educauit. Nec ſecus interpretandum, quod ibidem iuniores viduas vult filios procreare. Hæc enim dicuntur eo ſchemate ſermonis, quo ex priore poſterius intelligitur.* Hinc mater eſſe non videtur, quæ probè liberos non informat, inque Dei lege quos huic luci dedit, non erudit.

Cum ſobrietate. Legunt aliqui, *Cum omni caſtitate.* ac ſi tota ſpes matrum in eo ſita ſit, quòd virgines Deo pariant. Rem benè vrget Sanctus Anſelmus: *Vbi ergo nuptiæ videbantur prædicari ad conferendam ſalutem, ibi prædicatur virginitas; nam, ſi ſaluatur mulier in filiorum generatione, & liberorum numerus ſalus matrum eſt, cur additum eſt; ſi permanſerint filij in fide, & dilectione, & ſanctificatione cũ omni caſtitate? Tunc ergo ſaluabitur mulier, ſi illos genuerit filios* QVI VIRGINES PERMANEANT: *ſi, quod ipſa perdidit, adquirat in liberis; atque dam-*

num-

num & cariem radicis, flore compenset, & pomis: si filios religione nutriat, & instruat, vt teneat fidem, vt non deserat charitatem; vt sanctificationem, quam in Baptismo perceperunt, seruent cum omni castitate mentis & corporis.

Cum sobrietate. Sanctus Hieronymus, *Cum pudicitia*, legit. Tantus sobrietatis, & pudicitiæ nexus est, vt vna alterius loco substituatur. Vix pudicus esse potest, qui sobrius non est.

CAPVT III.

EPISTOLÆ PRIMÆ ad Timotheum expenditur & illustratur.

Fidelis sermo: Si quis Episcopatum desiderat, bonum opus desiderat, &c.

NOn præcipit vt desideremus, sed sciens mortales honorum auiditate corripi, multosque futuros, qui illorum desiderio tenerentur, dignitatum labores, ac noctes recenset, vt vel sic absterreantur. Id quod expendens Sanctus Isidorus Pelusiota lib. 3. epistol. 216. ait: *Si quis Episcopatum desiderat. Non dixit, vnusquisque Episcopatum desideret. Non præcepit: non imperauit, non lege sanxit.* VERVM QVONIAM MVLTOS ESSE NORAT, QVI DOMINANDI CVPIDITATE, VELVT EBRIETATE QVADAM CORREPTI TENERENTVR, *ac virtutem quidem minime expeterent, imperium autem affectarent, atque Episcopatus labores & sudores ac pericula, curásque & vigilias minimè perspicerent.* 1329.

Frustra est, qui in Episcopatu honorem potiùs spectat, quàm opus, quàm laborem. *Exponere voluit*, inquit Sanctus Augustinus lib. 19. de Ciuit. Dei cap. 19. *quid sit Episcopatus*; QVIA NOMEN EST OPERIS, NON HONORIS. Subdit significare super intendentem: *Ergo, ἐπισκοπεῖν, si velimus Latinè, superintendere possemus dicere; vt intelligat non se esse Episcopum, qui præesse dilexerit, non prodesse.*

Bonum opus dixit, non eximiam dignitatem: nam illud potiùs in ista spectandum, quàm ista. 1330. *Videte*, inquit Sanctus Hieronymus in cap. 3. Sophon. *quid dixerit: Bonum* OPVS *desiderat, non* DIGNITATEM. *Si autem, despecto opere, solam aspexerit dignitatem, citò corruit.* Non culmen, sed labor firmitatem dat. Eodem spectabat idem Sanctus Pater Epist. 83. quæ est ad Oceanum, vbi ait. *Si quis Episcopatum desiderat, bonum* OPVS *desiderat, opus, non* DIGNITATEM: *laborem, non delicias: opus per quod humilitate decrescat, non intumescat fastigio.*

Bonum opus. Signatè *opus* dixit, non *opes*: indignus Episcopali honore est, qui illum sequitur, vt opes, diuitiasque consequatur, & pecuniæ desiderio in eum fertur, & diuitiarum potius lucra quærit, quàm animarum.

Bonum opus; Cur potiùs non dixit bonum *desiderium habet*? Sanctus Thomas hîc. *Non dicit bonum desiderium habet, sed bonum opus, scilicet vtilitatem plebis.* Addit statim: *sed nunquid licet ipsum desiderare. Augustinus dicit, quòd non*; LOCVS SVPERIOR *& si teneatur, & administretur* DECENTER, TAMEN INDECENTER APPETITVR; *cuius ratio est, quia nullus debet appetere aliquid supra vires suas non sibi proportionatum, aliàs*

esse

eſſet ſtultus ; ille ergo benè Epiſcopatum deſiderare poſſet, cuius facultas Epiſcopatui eſſet proportionata, ad hoc autem nullus eſt idoneus, quia Prælatus ſecundum gradum, & conuenientiam debet omnes excedere, ita vt reſpectu ſui alij ſint fax.

1331. *Bonum opus deſiderat.* Non dixit, *Bonum honorem*, aut *bonam dignitatem*; ſed, *Bonum opus*, vt boni operis ſit ſectator, qui ad Epiſcopatum aſcendit. Grauiter hunc locum vrget S. Petrus Dam. lib. 2. epiſt. 1. *Conſideremus, quid Prædicator egregius dicat. Qui Epiſcopatum, inquit, deſiderat, bonum opus deſiderat. Hîc euidenter oſtenditur, nihil aliud eſſe Pontificem,* QVAM BONI OPERIS SECTATOREM; *non enim dixit: Bonam dignitatem, vel bonum honorem deſiderat, ſed: Qui Epiſcopatum deſiderat, bonum opus deſiderat, ac ſi dicat: Qui ad Epiſcopatum anhelat poſſidendum ſine bono opere, inane vult nomen induere ſine rei ipſius veritate. Non ergo conſtat Epiſcopatus in turritis gebellinorum tranſmarinarumue ferarum pileis, non in flammantibus mareorum ſubmentalibus roſis, non in bractearum circunfluentiū phaleris, non denique in glomeratis conſtipantium militum cuneis, neque in frementibus equis; ſed in honeſtate morum, & ſanctarum exercitatione virtutum.*

Oportet ergo Epiſcopum irreprehenſibilem eſſe, vnius vxoris virum, ſobrium, prudentem, ornatum, pudicum, hoſpitalem, doctorem, &c.

EPiſcopi notas Apoſtolus enumerat, recenſet Præſulis characteres; ſed notandum inter illas nobilitatem non poſuiſſe, vt vel hinc colligamus ſanguinis nobilitatem parum prodeſſe, ſi virtutis nobilitas deſit. Satis erit nobilis ſi hiſce quos enumerat characteribus Epiſcopus nobilitetur. Idcirco cum tot Epiſcopi notas enumeret, nulla ab Apoſtolo mentio fit nobilitatis, quæ tanti ſolet fieri. *Apoſtolus*, inquit hîc Salmeron; *huius inter tot conditiones nunquam mentionem fecit; quia non eſt neceſſaria ad ſalutem, vt iſti* NOBILISTÆ *putant: alioquin nunquam Paulus, organum Spiritus Sancti, illam conditionem ſuppreſſiſſet.*

1332. Tantæ perfectionis vult Epiſcopum eſſe Apoſtolus, vt dignè ac iure reprehendi nequeat. Acriter hæc verba contorquet S. Petrus Dam. contra eos, qui reprehenſibiliter viuunt. Sic ille loquitur lib. 2. epiſt. 1. *Mox ſubiungit: Oportet Epiſcopū irreprehenſibilem eſſe,* HIC TANTÆ VVLT ESSE PERFECTIONIS EPISCOPVM; VT PENE EXTRA NATVRAM LOQVATVR APOSTOLVS. *Quis enim, in carne conſtitutus, eam cautè viuat, eam ſe ſolicitè vndique circumſpiciat, vt reprehendi aliquando nequeat? Væ illis, qui reprehenſibiliter viuunt, & locum irreprehenſibiliter viuendi adhuc reprehenſibilius concupiſcunt.*

Sobrium Non à vino tātùm ſobrius Epiſcopus eſſe debet, ſed & à vitiis; huc enim ſpectare Apoſtolum docuit S. Amb lib. de Dig. Sacerd. cap. 4. *Sequitur, & ait, ſobrium, hoc eſt non vino tantùm, ſed & vitiis parcum; vt nec vino amplius indulgeat, quam oporteat; & mente ſemper ſobrius inueniatur.*

1333. *Sobrium* Græcè eſt vox, νηφάλιον, quæ ſignificat, *ſobrium* & *vigilantem*. Cohærent hæ notiones; nam, qui ſobrius eſt, eſt etiam vigilans, *Hæc duo ſignificata*, inquit hîc Salmeron diſp. 11. *non multum inter ſe diſtant: nam ſobrius propriè is eſt, qui parcus eſt & temperatus in edendo & bibendo, & cui opponitur ebrietas: qui verò in cibo & potu temperantes exiſtunt, illi* ETIAM VIGILANTES ESSE SOLENT, *præſtant enim clariſſimâ mentis acie, & peruigiles ſunt pro grege ſuo tuendo iuxta illud: ſobrij eſtote & vigilate, quia aduerſarius veſter Diabolus tanquam Leo rugiens circuit quærens, quem deuoret.* Idem, ſed preſſius dixit Catharinus hîc. *Hæc affinia ſunt: ex ſobrietate enim & abſtinentia* ALITVR VIGILIA. Iſtud idem habet Eſtius hîc dum ait; *Sobrium græcè νηφάλιον, quæ vox etiam vigilantem ſignificat. Vtrumque ſignificatum quadrat. In primis enim Epiſcopo neceſſarium eſt vt cibi, potuſque* TEMPERANS SIT, *tum, quod inde conſequitur, vt* VIGILES HABEAT SENSVS, *atque in officium ſemper intentos*; adeo vt ægrè ſit quod dicitur, qui ita ſobrius eſt, vt vigil etiam non ſit, & dicatur.

Novarin. in Epiſt. Pauli.

Ornatum. Ne puta corporis ornatum hîc requirere Apoſtolum, & in Epiſcopo commendare: ornatus iſte inornatus eſt. Virtutum quærit ornamentum, non veſtium. *Denuò infert ornatum*, inquit S. Ambroſius lib. de Sacerd. dignit. c. 4. *Quod ſi iuxta ſenſum litteræ tantùm reſpiciamus, non aliud Sacerdotes, quàm amictum quærimus clariorem: verbi gratia. caſtorinas quærimus & ſericas veſtes, & ille ſe inter Epiſcopos credit eſſe altiorem,* QVI VESTEM INDVERIT CLARIOREM. *Sed Sanctus Apoſtolus taliter ſe intelligi non vult; quia non carne Epiſcopum, ſed mente docet eſſe ornatum; vt ille Sacerdos placeat Deo, qui animam habuerit compoſitam Deo.* Alioquin nihil prodeſt externus ornatus, ſi hoc interiori ſit deſtitutus.

Hoſpitalem. Non explicat in quoſnam hoſpitalis eſſe debeat, vt tacitè innueret nullum excludendum eſſe. Eſpenſæus? *Hoſpitalem*, inquit, *non in ciues modo & indigenas, ſic enim carnis affectu laborare videretur, ſed in exteros etiam, ac peregrinos, & aduenas quod maius erit charitatis indicium, liberalem, ac benignum.*

Doctorem. Græcè, διδακτικόν, quod aliqui vertunt *doctiuum*, alij, *aptum ad docendum*, & intelligitur de eo, qui non ſolùm poſſit docere, ſed etiam ad id promptus, ac paratus ſit. Hoc autem plus eſt: quàm doctum eſſe, ſunt enim plerique docti, quibus aut voluntas deeſt, aut facultas aliis doctrinam qua ſuot referri, communicandi, quique animi conceptiones verbis aptè nequeunt exprimere.

Non vinolentum, non percuſſorem.

NOn vinolentum; Alioquin ægrè vino dedi- 1334.
tos, deditus vino poterit redarguere; *Non vinolentum* inquit Sanctus Hieronymus, *Vt fiducialiter poſſit* CORRIPERE EBRIOSOS; nimirum alios reprehendendi vim ſibi aufert, qui in illa re ſe reprehenſibilem exhibet, ob quam alios corripit.

Non percuſſorem. De ea percuſſione hæc verba, aliqui accipiunt, quæ lingua fit, quæ ſæpè grauior, quam quæ fit manu; *Hîc non manuum*, inquit Iſidorus Clarius, *nam ſatis apertum eſt, id non dicere, ſed linguæ verbera intellige, ne lingua* FRATRVM CONSCIENTIAM VERBERET, *ſed diſponat ſermones ſuos in iudicio.* Subſignat huic ſenſui Cathar. *De linguaci*, inquit, *loquitur, qui lingua percutit: Quo ſenſu Flaccus: Metuentis patrua*

verbera linguæ. Et in diuinis litteris impiorum vox est : *Percutiamus eum lingua.* Ieremiæ 18. Quid quod illud in hac eadem Epistola cap. 6. *seniorem ne increpaueris*, ex Græco vertas, *ne plagas inferas.* Rem firmat, quod non adeo magnum in Episcopo sit, vt manibus tempetet, nec aliquem percutiat, ac verberet. Alij tamen *percussorem* propriè accipiunt, quod non est reiiciendum, tum quia nobiles hic explicatus auctores habet, Anselmum, Sanctum Thomam, Caietanum, tum quia fauet huic sensui Syrus interpres, qui vertit : *cuius manus non sit praeceps ad percutiendum*; & cum à vinolētia Episcopum auocauerit, non mirum si à violentia, & verberatione, quæ manibus fit, subduxerit, cum cognata hæc vitia sint, & vnũ ex alio prodeat, nascatur ab alio.

Non litigiosum, non cupidum, sed suæ domui benè præpositum.

1335. NOn litigiosum. Lites maximè Episcopũm dedecere, ad hæc verba sic explicabat Sanctus Ambrosius lib. de Dignitat. Sacerdot. cap. 4. *Addidit dicens, non litigiosum, idest. Non linguam ad conuicium relaxet Episcopus, ne per eandem linguam, per quam laudes refert Deo, & Diuina libat sacrificia,* LITIVM VENENA PROFERAT. *quia non decet de ore Episcopi benedictionem simul, & maledictionem egredi, ne per eandem linguam, per quam Deus laudatur, homo maledicatur; quia non potest de vno font. dulcem & amaram producere aquam.*

Non litigiosum, non cupidum; cohærent hæc duo, facile enim fit vt qui cupiditatis tenetur affectu in lites erumpat; LITES *autem*, inquit hîc Sanctus Hieronymus, & IVRGIA *maximè* EX CVPIDITATIBVS *oriuntur.* Has si tollas, caput facilè litigiis præcideris.

Suæ domui benè præpositum. Ad corporis subiectionem hæc verba Apostoli aptat S. Amb. lib. de Dignit. Sacerdot. c. 4. vbi ait : *Domui suæ benè præesse potest, qui corporis sui seruauerit castitatem. Domus inquit, hoc est, corpori suo imperioso iure dominetur, nec subdatur ipse corpori suo, & in desiderio luxuriæ deditus in præcipitium demergatur; sed potius filios suos, suæ castitatis exemplo ad pudicitiæ regulam doceat.*

Non neophytum, ne, in superbiam elatus, in iudicium incidat Diaboli.

1336. IN *iudicium incidat Diaboli.* Sanctus Hieronymus in cap. 3. Isaiæ ad hæc verba; *Iudicium autem Diaboli nullum est aliud,* NISI SVPERBIA EIVS, *propter quam de cœlestibus cecidit.* Et idem Sanctus Doctor in capit. 1. Ecclesiast. hunc locum ita edisserit : *Diabolus per bonorum abundantiam concidit, vnde & in Apostolo scriptum est : ne in superbiam elatus in Iudicium incidat Diaboli : id est,* IN TALE IVDICIVM, IN QVOD ETIAM DIABOLVS INCIDIT.

Non neophytum. Verba ista ad eos, qui in religiosam familiam dedere nomen, ita aptat Petrus Blesensis epist. 13. *Non neophytum, inquit, ne fortè, subitò elatus in superbiam, incidat in tentationem Diaboli. Periculosum est neophytis, & nondum in sancta religione firmatis exire in publicum, & vsurpare officia perfectorum : nam filius Sunamiditis, quoniam adhuc tener & puerulus egressus est ad messores, reuertens ad matrem, clamans. Caput meum doleo, extinctus est.*

Oportet autem illum & testimonium habere bonum ab iis qui foris sunt.

AC si patum sit Episcopum benè audire apud fideles, vt debeat etiam propitiam habere famam apud infideles; nam per eos *qui foris sunt*, intelliguntur (quod notabat etiam Estius) *qui extra Ecclesiam sunt*, & in ea nunquam fuerunt; non verò qui per excommunicationem ab Ecclesiâ sunt separati, aut sponte eam deseruerunt, vt sũt hæretici, atque schismatici, remanent enim sub Ecclesiæ potestate vel inuiti. Non igitur ab his oportet Episcopum habere bonum testimonium, *vt qui contra Catholicos Episcopos studiosè soleant* CRIMINA CONFINGERE : sed ab infidelibus nunquam fidem Christi professis, qui quamuis dogma Christianum, quatenus adhuc infideles sunt vituperent; quod tamen ad mores spectat, & externam vitæ conuersationem, non malè loquentur de eo, quem nouerint inter ipsos innocenter, & honestè vixisse. Non enim odio, inuidiâ, aut malitiâ excæcati sunt, sicut illi Ecclesiæ desertores, Ecclesiæ hostes, ac virorũ Ecclesiasticorum. Scilicet ab iis verum testimonium haud expectes, quos excæcauit liuor, odium corripuit.

Diaconos similiter pudicos, &c.

DIaconos similiter pudicos. Quales eligendi Diaconi sint, docet Apostolus, vt ex iis, quæ in minoribus requirit, quisque coniiciat, quæ in superioribus exigantur. *Qui tanta curâ*, inquit hîc S. Amb. *Diaconos eligendos præcipit, quos constat ministros esse Sacerdotum;* QVALES VVLT ESSE EPISCOPOS, *nisi sicut ipse ait, irreprehensibiles, negotia publica, turpia, vilia lucra non habentes? scis enim ideo negotiari, vt capiant lucra; nec aliud profitentur quam gerunt.* 1337.

Diaconos similiter. Mirum, quod prætereat Sacerdotes! An id fecit, quia Episcopis suppares? quodque Episcopis dictum, dictum volebat & presbyteris? *Postquam*, inquit hîc Sanctus Chrysostomus, *de Episcopis dixit, eósque formauit; quidnam illos habere conueniat, a quo item abstinere necesse sit, dictans: omisso Presbyterorum ordine, ad Diaconos transiit. Cur id quæso? Quia* SCILICET INTER EPISCOPVM ATQVE PRESBYTERVM INTEREST FERME NIHIL : *quipppe & Presbyteris Ecclesiæ cura permissa est, &, quæ de Episcopis dixit, ea etiam Presbyteris congruunt : solâ quippe ordinatione superiores illi sunt, atque hoc tantum plusquam Presbyteri habere videntur.* Huc spectat & S. Amb. ad hæc verba : *Post Episcopum Diaconi ordinationem subiicit. Quare? nisi quia Episcopi & Presbyteri vna ordinatio est? vterque enim Sacerdos est. Sed Episcopus primus est; vt omnis Episcopus Presbyter sit; non omnis Presbyter Episcopus.*

Qui enim benè ministrauerint, gradum bonum sibi acquirent.

DIaconos ad benè ministrandum excitat, spe scilicet altioris gradus ad quẽ scilicet gradũ sibi facere debent non per emendicata suffragia, sed commendabile ministeriũ. Monet Estius hîc : *Quâ in re accommodat se Apostolus humanis affectibus,*

affectibus, ne quis hinc consequens putet, quod liceat Episcopatum appetere. Addit: *sunt qui bonum gratium interpretentur de profectu, & accessione donorum salutarium.* Nec enim facilè reperias Apostolum spe rerum terrenarum aliquem ad opus aliquod vrsisse.

Cum multa de Episcopis scripserit Apostolus, multa de Diaconis, non hac duntaxat Epistola, sed etiam alibi, quæri iustè potest, cur nullibi mentionem fecerit administrationis Sacramentorum, nullam Altaris, & sacrificij, quod Episcopus offerre, cui Diaconus debet assistere, nullam denique cæremoniarum, quibus in Episcopi, Presbyteri & Diaconi ordinationibus vtendũ? Huic quæstioni ita satisfacit Estius hic: *Prompta respõsio est, Apostolum de his omnibus nihil præcipere: Primũ, quia faciliora sunt hæc, atque adeo minora, si vniuersum Episcopi, & Diaconi officium attendatur. Non enim vt vulgus hominum putat, in hoc præcipuè consistit Episcopalis, aut Pastoralis cura, vt sacri Ordines suis temporibus conferantur, Ecclesiæ consecrentur, baptizati confirmentur, vt cætera Sacramenta, quando, & quibus oportet, administrentur, ac sacrificium Missæ pro viuis & defunctis offeratur: sed præcipuum Episcopi, & cuiuslibet animarum Pastoris munus est, prædicatio verbi Dei, teste etiam Apostolo qui ait 1. Cor. 1. Non misit me Christus baptizare, sed euangelizare. Sub hoc autem euangelizandi officio comprehenduntur publicæ ac priuatæ exhortationes, admonitiones, correptiones, & ad Deum pro salute gregis commissi frequentes & feruentes orationes. Altera ratio est, quia ad prudentiam Apostolicam pertinebat cæremonias ac ritus Sacramentales, & ea maximè quæ in mysterio Missæ aguntur, diligẽter occultare, ne quoquomodo proferrẽtur in publicum, atque infidelibus proderentur. Quo consilio etiam Lucas act. 6. commemorans institutionem septem primorum Diaconorum, prorsus tacet de Altaris mysterio: tantùmque describit officij Diaconalis eam partem, quæ etiam spectantibus infidelibus exerceri poterat: quale est viduis ac cæteris indigentibus erogare necessaria. Non ergo debuit Apostolus ea quæ Episcopi & Diaconorum ordinatione & officio secretiora sunt, ac proinde solâ traditione, sine scripto discenda erant, litteris in charta exaratis, quæ ab vnoquoque legi possunt, & in manus infidelium facile venirent, vlla ratione committere.*

Sperans me ad te venire citò.

1338. CVr non absolutè promittit se iturum, sed sperare se dixit, tanquam dubius de euentu esset? Quia nesciebat an Spiritus Sanctus à quo profectiones eius dirigebantur, permissurus esset ipsum redire Ephesum, an aliud ab ipso voliturus. Nimirum qui diuinæ voluntati se commisit, non hæret suæ.

Quæ est Ecclesia Dei viui.

GRæcè pro *Viui* est *Viuentis*. Sed cur hic Dei *Viuentis* epithetum adiecit? An vt discriminaret statim à falsis numinibus? An, vt innueret Ecclesiæ vitam à Deo esse, quin & Deum esse? *Appositè*, inquit hic Estius, *Ecclesiam Dei viuentis nominat propter effectum, quòd in illam à Deo peculiariter ac propriè vita influat, Ea vita est Deum cognoscere & amare, quomodo cognoscendus & amandus est.*

Nouarin. in Epist. Pauli.

Columna & firmamentum veritatis.

SOlius Ecclesiæ Catholicæ titulus tam insignis. Hæreticorum conciliabula, columnæ & firmamentum sunt falsitatis: sed columnæ arundineæ facilè citóque casuræ. Quæret hic aliquis, cur veritatis firmamentum Dei Ecclesia sit, cum ipsa à veritate sustentetur. *Facilis est responsio*, inquit bonus ille Auctor: *nihil hic pugnare, sed alterum esse alterius causam: per hoc enim Ecclesia veritatem sustentat, aliisque indefectibiliter ministrat, quoniam ipsa iuxta promissiones sibi factas in veritate* FIRMATVR A DEO, *& per eandem veritatem conseruatur.*

Quod manifestatum est in carne, iustificatum est in spiritu.

SEd quâ ratione iustificari potuit, qui iustificatione nunquam indiguit, alios omnes iustos reddit? Probæ notæ Auctores hac expositione donant hunc locum: Vt Christum iustificatum in spiritu interpretentur, quia per Spiritum declaratus est intus, & verax in operibus, & doctrina, atque ab omnibus Iudæorum calumnis absolutus. *Nam in Scripturis*, ait Estius, *frequentissimum est iustificari pro eo quod est iustum declarari & in iudicio absolui. Ita Christus iustificatus est multipliciter, vt per testimonia diuinitus exhibita in eius natiuitate, baptismo, & alias, sed præcipuè per innumera miracula, quæ fecit virtute Spiritus Sancti. Hic modus iustificationis secundum scripturam Deo conuenit; vnde ei dicitur Psalmo quinquagesimo, vt iustificeris in sermonibus tuis. Quò pertinet & illud Psalmi decimi octaui. Iudicia Domini vera, iustificata in semetipsa. Sed potissimum huc facit, quod in Euangelio legimus, iustificatam esse sapientiam ab omnibus filiis suis, scilicet aduersus calumnias obtestantium. Matthæi 11. & Lucæ 7.* Tanti nimirum iustificatio à Deo fit, vt eo modo quo est capax eam sibi Deus ipse tribuat, & illa maximè glorietur; vt hinc appareat quanti fieri à nobis debeat, qui eâ ad salutem indigemus. Alioquin.

IVSTI, TITVLVM NON MERETVR QVI NON QVÆRIT IVSTIFICARI.

CAPVT V.

EPISTOLÆ PRIMÆ ad Timotheum expenditur & illustratur.

G 2 Exercere

Attendentes spiritibus erroris, & doctrinis Dæmoniorum.

1339. ET *doctrinis Dæmoniorum.* Et quænam Dæmoniorum doctrinæ sunt? Quando Dæmones docent? An doctrinæ, quas mali homines, & à fide alieni tradunt, Dæmoniorum sunt; quia illis tanquam organis quibusdam Dæmones vtuntur? Beatus Dionysius hic, *Et doctrinis Dæmoniorum,* QVAS DÆMONES *per se ingerunt cordibus peruersorum, vel per hæreticos proponunt eas simplicibus,* Sic etiam Estius. *Attendunt,* inquit, *homines spiritibus erroris, & doctrinis Dæmoniorum, dum aures præbent magistris ea docentibus* QVÆ DÆMONIBVS SVGGERENTIBVS DIDICERVNT. *Omnis enim hæretica doctrina ex Diabolo est, vt ait Chrysostomus.*

Prohibentium nubere; abstinere à cibis, quos Deus creauit ad percipiendum cum gratiarum actione.

ALiud est damnare nuptias, aliud perfectionis studio à nuptiis abstinere, illud damnabile, hoc commendabile. Ad primum, illud spectat quod habet S. August. tract. 9. in Ioannem. *Futuri erãt, de quibus dixit Apostolus, prohibentes nubere; & dicentes quòd malæ essent nuptiæ, & quod Diabolus eas fecisset.* Ipse errori nubit, qui nuptias tanquam malas prohibet.

Abstinere à cibis; tanquam per se malis; nam si ab aliquibus cibis statutis diebus abstinent fideles, id faciunt, non quia mali sint, sed quia iustis de causis vetiti. *Quos Deus creauit,* mali esse non possunt, quos omnis boni Auctor creauit. Addit: *Ad percipiendum.* Græcè, *ad sumptionẽ,* vt legitimum ciborum vsum demonstret, luxum, deliciasque excludat, nam vt ex Theophylacto notabat Estius, *sumptio mediocritatem habet, deliciæ verò, & luxus immoderationem.* Habenas qui luxui laxat, rationis malè vtitur habenis; vt non aberrauerit, qui post nimiam gulæ voluptatem solum remanere dixit, capitis grauedinem, indigestionem, INTER REGNVM MENTIS, *cuius interitu dominationis vsus cessat sæpè vis.* Addit: *nec hîc malum sistit: Deinde morbi, dolores, tandem immatura mors, de qua nescio plus vtra mereatur,* IVGVLA AN GVLA. Percipiendus ita cibus est, vt mentis vsum nunquam intercipiat.

Nihil reiiciendum, quod cum gratiarum actione percipitur.

NIhil reiici debet tanquam per se malum, tanquam immundum, nam alioquin ea quæ corporibus noxia, & insalubria sunt, tanquam nobis mala reiicimus, licèt simpliciter sint per se bona. *Cum gratiarum actione.* Quia, vt ait Estius, *quamuis* SVMENTIS INGRATITVDO *cibos non coinquinet, ipsa tamen sumptio per illam inficitur & immunda redditur; aut certè quia gratiarum actio protestatio quædam est, cibum, qui percipitur esse datum à Deo, ac proinde bonum, & non reiiciendum.* 1340.

Sanctificatur enim per verbum Dei & orationem.

ET cur sanctificari debet quod ex se nec malum est, nec immũdum. An quia ea maximè, quæ ad cibum, & ad potum spectant, post primam transgressionem quâ homo se Diabolo subiecit, etiam ea, quæ hominis sunt ita in potestatem Diaboli venerunt, vt per ea nocere homini quærat; aduersùs igitur hoc malum, hoc remedium Apostolus docet, vt per verbum Dei, & orationem, cibus & potus sanctificetur. *Meritò namque sanctificari censetur,* ait Estius, *quod potestati Diaboli subtrahitur, ne per illud aut corpori noceat, aut ad comessationes, & ebrietates incitet. Sic enim quodammodo* MVNDATVR, ET SANCTO FIDELIVM VSVI PARATVR, *vt benè Petrus Lombardus in Commentario explicat.* Sicque sanctior fieri, purior, & mundior debet, qui sanctificata fercula in ventrem traiicit.

Exerce autem te ipsum ad pietatem.

SVa inest *exercendi* verbo vis. Sanctus Thom. hic, *Et dicit, exerce, non fac, quia exercitium dicit* PROMPTITVDINEM, *& hoc ideo, quia exercitatus facit leuius, delectabilius, & stabilius.* Stabiles in bono nos vult esse Apostolus, dum in bono vult nos exerceri.

Nam corporalis exercitatio ad modicum vtilis est.

COrporalis & exterior exercitatio corpus refert: interior & spiritualis spiritum & animam. Hugo de S. Victore in Allegor. Tim. ad hæc verba: VISIBILIS ACTIO QVASI CORPVS EST: INTERIOR DEVOTIO QVASI SPIRITVS. *Actio per deuotionem viuit, sicut per animam corpus: deuotio autem actionem viuificat, sicut anima corpus; omnis enim actio, quæ sine deuotione est, mortua est. Visibilis igitur actio quasi viuit; & inuisibilis deuotio, ipsa est vita. Quod autem viuit, hoc moritur, quia actio transitoria sicut ex tempore initium habet, ita etiam finitur in tempore: pietatis autem voluptas, ex tempore inchoat, sed non finitur in tempore.*

Pietas

Pietas autem ad omnia vtilis est.

QVid est, *Ad omnia?* Etiam ad bona temporalia consequenda, boni Interpretes hæc verba porrexere. Licet enim primariò ob temporalia non sit Deo seruiendum, nec ad illa vt ad finem ordinanda pietas sit; sunt tamen illius fructus secondarius. Vel *ad omnia* vtilis dicitur, quæ scilicet nobis præcipuè quærenda, qualia non sunt temporalia bona.

Promissionem habens vitæ quæ nunc est & futuræ.

1341. VT sit sensus; pietati vitæ præsentis diuturnitatem promissam, & quod est magis, futuræ quæ nunquam habebit finem; sed aliquis hîc obiiciat, multos esse pietatis cultores, qui vitæ huius diuturnitate non gaudent; Sanctus Thomas; *Longitudo*, inquit, *vitæ est vnum de temporalibus, in tantum bonum*, IN QVANTVM COADIVVAT AD VIRTVTEM; *aliquando autem est occasio ad peccandum, & ideo Deus aliquando subtrahit eam homini, non quia deficiat a promissione, sed quia dat quod melius est.*

Nemo adolescentiam tuam contemnat; sed exemplum esto fidelium, in verbo, in conuersatione, in charitate, in fide, in castitate.

CVr hoc potius aliis non iniungit? Quia in Episcopi potestate est, ne iure ob ætatem non adeo maturam contemnatur: si nimirum morum maturitate, sanctitate vitæ, ætatem superet. Pulchre Beat. Dionysius: *Nemo adolescentiam tuam, idest te adolescentem, contemnat, paruipendendo verba tua ac iussa propter adolescentiam tuam, quasi inexpertus sis & imperfectus, &, vt hoc alij diligenter obseruent, oportet, vt vita &* MORIBVS ANNOS TVOS EXCEDAS, *habendo te maturè in omnibus*

1342. *Nemo adolescentiam tuam contemnat.* Quod fit, quando (vt loquitur S. Hieronymus in cap. 3. Isaiæ) *qui ætate iuuenis est, maturitate senex est*; & morum (vt ita loquar) senectute, annorum supplet acerbitatem.

Nemo adolescentiam tuam contemnat. Iustius seni dicatur, ita componendos illi mores, ne ab vllo eius senectus despiciatur. Sanctus Cyprianus epist. 65. *Si Paulus, ad Timotheum scribens, dixit: Iuuentutem tuam nemo despiciat, quantò magis tibi à Collegis tuis dicendum est?* SENECTVTEM TVAM *nemo despiciat.*

Dum venio, attende lectioni, exhortationi, & doctrinæ.

1343. SAcræ Scripturæ lectionem commendat Apostolus Timotheo vt inde disceret, quod alios doceret; mirum ei, qui ab infantiâ sacras litteras didicerat, qui tam multa ab Apostoli ore hauserat, adhuc lectio iniungitur, adhuc studium indicitur? quid præstandum illis qui nec illud præstiterunt, nec istud? Rem bene vrget Estius hîc. *Quod si Timotheo, qui ab infantia sacris litteris imbutus erat, & tam multa præsens, ab Apostoli ore hauserat, visa fuit hæc admonitio necessaria, quanto magis cæteris Episcopis & Pastoribus? quos omnes vtique Paulus in Timotheo instruit. Ex quo præterea patet fanaticorum quorundam insania,* QVI STVDIA DOCTRINÆ TANQVAM INVTILIA REIICIENTES, *tantum à Spiritu S. illuminationes quærunt.*

Lectio præmittitur exhortationi, vt vtilia dentur aliis monita diuinarum Scripturarum lectioni danda opera est: pulchre B. Dionysius. Carthusianus. *Hos actus successiuè faciendo, videlicet congruo loco, & tempore studendo*, POSTMODVM EXHORTANDO, *sine docendo.*

Attende lectioni; Vt scilicet & sapientia iam 1344.
adepta obliuione non pereat, & quæ nondum est acquisita, lectionis studio acquiratur: nullus tam sapiens est, qui lectione, ac studio memoriam excolere non debeat: Perpensè Sanctus Isidorus Pelusiota lib. 4. epist. 88. vbi hunc locum tangens hæc habet: *Ipse Paulus diuinus ille vir quantumuis spiritualibus donis ornatus esset,* LECTIONI TAMEN NON PARVAM DEDIT *operam. Quamobrem etiam conspicuo illi alumno suo scripsit: attende lectioni. Graue enim atque acerbum est ei qui diuinam sapientiam gustauit, hac priuari, memoria non solùm nulla noua accessione aucta, sed etiam ilia quæ fuit per obliuionem obliterata, pereunte; hæc enim facultas vel maxime præ cæteris, nisi in dies singulos excolatur, abire solet, ignauiæ & socordiæ atque cunctationis impatiens.*

Attende lectioni, exhortationi, & doctrinæ. Ad hæc verba hæc habet Catharinus: *Tria hæc se mutuò comitantur,* LECTIO, EXHORTATIO, DOCTRINA. *Ex lectione efficitur, vt valeamus exhortari & docere. Et hoc contra multos, qui, tentantes Deum, negligunt lectionem, putantes de improuiso Spiritum Sanctum iri succursum. Succurrit quidem Spiritus & valde, si nos tamen nostris partibus non defuerimus: non enim miraculo decet ea fieri, quæ in nostra sita sunt potestate. Quod verò legimus: Nolite cogitare, quomodo, aut quid loquamini, locum habet in summis viris, & extremis periculis, quum iam humana sapientia ac vires nihil iuuant.*

Attende lectioni, Et quis attendere non debeat, 1345.
cũ id Timotheo indicetur? *Tantus vir*, inquit hîc Isidorus Clarius, *qui tam ingentes iam in hac Philosophia progressus feceras, qui tantis Spiritus charismatibus ditatus fuerat, iubetur tamen, vt assiduè lectioni incumbat. Quid nobis est faciendum?*

Noli negligere gratiam, quæ est in te.

ET qui gratia, quam quis à Deo acceperit negligitur? *Negligit gratiam*, inquit hîc S. Hier, *qui* ACCEPTVM TALENTVM *non exercet.*

Hæc meditare, in his esto.

HÆc meditare. Addit Primasius; *Omnem* 1346.
enim profectum generat iugis meditatio. Sequitur Apostolus: *In his esto* & Primasius: *Non enim omnis, qui meditatur, in ipsis est, quæ meditatur.* Plerumque extra illa fertur, in quæ videbatur meditatione ferri.

Nimirum nuda lectio non sufficit nisi meditatione veluti animetur. *Apostolus*, ait Philipp. Abb. Bonæ spei, epist. 2. *cum Timotheum instrueret, Attende, inquit, lectioni: &, ne breuis legendi attentio sufficere putaretur, subiungit: In his meditare, in his esto. Si ergo Scripturas scire desideras, in his oportet*

tet te versari, in his ASSIDVITATE CONGRVA MEDITARI: *quia, quod fastidioso & negligenti occluditur, studioso & instantiùs pulsanti aperitur.*

Hæc meditare. Nec enim quælibet lectio sufficit, nisi assidua & attenta sit. Bene idem Philippus Abbas Bonæ spei, epist. 2. *Apud litteras sæculares dicit quidam, quod quis sapiens esse non poterit nisi multa legerit, ideo & Apostolus eum Timotheum instrueret, attende, inquit, lectioni; & ne breuis legendi attentio sufficere putaretur, subiungit, in his meditare, in his esto, si ergo scripturas scire desideras, in his oportet te versari, in his esse, in his assiduitate congrua meditari.*

Vt profectus tuus manifestus sit omnibus.

1347. ET non erat omnibus nota Timothei pietas, ac doctrina? *Nota quidem,* inquit hîc Estius, *erat fidelibus Timothei pietas, & doctrina: sed vult Apostolus etiam profectum eius apparere, quo magis* EXEMPLO SVO ALIOS ÆDIFICET. *Quod in Episcopo maximè est necessarium.*

Vt profectus tuus, scilicet *in sancta conuersatione,* vt loquitur B. Dionysius; *manifestus sit omnibus,* cui rei? ad *ædificationem eorum,* ait idem Auctor, *& gloriam Dei, non ad tuum* PRÆCONIVM.

Attende tibi & doctrinæ.

1348. A*Ttende tibi & doctrinæ.* Rectus ordo, & cuique seruandus. *Attende tibi primùm* (inquit B. Dionysius) VT VIVAS, SICVT DECET EPISCOPVM. *Et doctrinæ, idest, deinde attende instructioni gregis tui. Qui enim sibi ipsi nequam est, cui bonus est? Et quid proficit homini, si lucretur vniuersum Mundum, seipsum autem perdat? Hoc etiam in Actibus ait Apostolus: Attendite vobis, & vniuerso gregi, in quo posuit vos Spiritus Sanctus Episcopos.* Et Primasius hîc. *Primò tibi, deinde doctrinæ, vtrobique solicitus, vt* ET TE VITA SALVES, *& illos doctrinâ exemplo firmata.*

Hoc enim faciens & teipsum saluum facies, & eos, qui te audiunt.

1349. E*T eos qui te audiunt;* id est doctrinæ tuæ obedient, & acquiescent, nam alioquin nudus auditus ad salutem non sufficit. Dionysius Carthusianus, ait. *Qui te audiunt non solùm auribus corporis,* SED ETIAM CORDIS; vel dici potest; saluos eos facies, quantùm in te est, nam aliorum vitio dabitur si noluerint; ita tamen vt apud Deum nihil tibi decidat de mercede; eodémque præmio donaberis non secus ac si saluos auditores fecisses, quia per te non stetit, quin salutis dederis monita, & verbo & exemplo ad salutem alios prouocaueris.

Te ipsum saluum facies. Cur homini tribuit quod est proprium Dei? An vt intelligamus liberi arbitrij cooperationem ad salutem necessariam? saluum autem se quilibet facit, *non dando sibi vitam æternam,* quod notauit etiam Estius, *sed eam bonis operibus promerendo. Alios autem saluos facit exemplis, & doctrinis eos ad salutem adducendo.* Priùs vero suæ quisque saluti debet consulere quàm alienæ, vt non ab re prius dixerit: *Te ipsum saluum facies,* & deinde, *& eos qui te audiunt,* nam ALIENVM VALDE EST NEGLECTA PROPRIA SALVTE QVÆRERE ALIENAM.

CAPVT V.

EPISTOLÆ PRIMÆ ad Timotheum expenditur & illustratur.

SECTIO I.

1350 *Senes non durè increpandi.*
1350 *Plagas videntur inferre, qui durioribus vtuntur verbis dum alios corrigunt, & reprehendunt.*
1350 *Quàm cautè cum muliebri sexu agendum.*
1350 *Cauendum ne amor spiritualis in carnalem degeneret, nimiâ fœminarum familiaritate.*
1351 *Verè vidua quænam sit.*
1351 *Honor pro sustentatione cur accipiatur in diuinis litteris.*
1351 *Domibus, vrbibus, & regnis regendis pietas maximè necessaria.*
1351 *Orationi se totam dare cur vidua debeat.*
1352 *Quàm sint mortui, qui sæculo verbis, non factis renunciarunt.*
1352 *Deliciæ cur specialiter mulieribus vitandæ*
1352 *In mariti tumulo vt sepelire omnes voluptates mulier debeat.*
1353 *Vt sint mortui qui deliciis viuunt, maximè Ecclesiastici ministri.*
1354 *Vidua à deliciis diuitijsque vt aliena esse debeat.*
1355 *Adulterij mors.*
1355 *In deliciis viuere, apud Deum quædam mors est.*
1356 *Infideli cur dicatur deterior, qui suorum negligit curam.*
1357 *Proximi salutem negligere quanti piaculi res sit.*
1357 *Gentilibus vt sint deteriores qui proximum negligunt.*

Seniorem ne increpaueris.

SEniorem intelligit non gradu, sed ætate. Id autem præcipit; propter honorem senectutis, quæ venerationem ab omnibus suo veluti iure exigit. Quod Apostoli monitum tunc locum minimè habet quando seniorum culpa exemplo suo trahit ad interitum corda iuniorum; in hoc enim casu durâ increpatione senes feriendi sunt; quod fecit Daniel in senes, qui à sensu mente aberant, & omni se se honore malis moribus indignos reddiderant. 1350.

Ne

Ne increpaueris. Græcum verbum, quod hîc habetur, vt notatum ab aliis eſt, ſignificat *plagam inferre*, vt nouerit, qui acerbiùs aliquem reprehendit, & aſperioribus in eum vtitur verbis, ferire, & illi pariari, qui plagas infert, nam dura verba non ſemel grauiora plagis ipſis ſunt. Ferrum in corpus adigitur, aſperiora verba animum feriunt.

Iuuenculas vt ſorores in omni caſtitate.

IN *omni caſtitate.* Cur iſtod adiecit? Peritè hîc Theodoretus: *Quoniam enim neceſſe eſt eum cui ſunt crédita animæ, etiam* CVM IVVENIBVS MVLIERIBVS LOQVI, *neceſſariò adiecit illud: In omni caſtitate, vt cum corpore animam quoque habeat continentem, & nec per oculos, vel per aures vllum nocumentum ſuſcipiat.* Addit iſtud monitum Eſtius: *Quare ſi res poſtulat, vt cum eis loquendum ſit, vt breuiſſimè fieri debet, & cum ea animi, atque oculorum cuſtodia, vultus, ac ſermonis grauitate, loci ac temporis cautelâ, vt non ſolùm intus ſeruetur cordis munditia, verùm etiam exteriùs ab omni ſpecie mali caueatur*; & extra appareat quod intus latet.

In omni caſtitate. Iure iſtud addidit ad cautionem. *Quia amor*, inquit hîc Sanctus Thomas, SPIRITVALIS AD MVLIERIS, NISI CAVTIVS SIT, DEGENERAT IN CARNALEM: *ideo in his, quæ ad iuuenculas pertinent, adhibenda eſt caſtitas; & ideo Apoſtolus addit hoc. Vnde Papa ſcribens eis dicit: Dilectis in Chriſto, ſed viris ſimpliciter dicit: Dilectis filiis.*

Viduas honora, quæ verè viduæ ſunt.

1351. VIduas honora. Cur de viduis hîc meminit, non de virginibus? *Fortè* (inquit Athanaſius) *quia nondum erant ea in vrbe virgines, quæ fideles iam eſſent.* Inſtruit autem Apoſtolus Timotheum, quem delectum habere debeat in viduis honorandis, id eſt, alendis, & ſuſtentandis publico Eccleſiæ ſumptu. Sed cur ſuſtentatio *honoris*, ſeu *honorationis* nomine ſignificatur? *Quia*, inquit Eſtius, *fiebat cum teſtimonio virtutis earum, quæ ſic alebantur.*

Diſcat primùm domum ſuam regere.

GRæcè pro verbo *regere* eſt *εὐσεβεῖν*, quod aliqui vertunt, *piè tractare*, alij, *piè curare*, Nonnulli hanc partem ita reddiderunt: *Diſcat in primis erga propriam domum pietatem exercere.* Harum verſionum nexus docet, ad rectam domorum gubernationem maximè neceſſariam eſſe pietatem; nec rectè ſiue domum, ſiue vrbem, aut Regnum regi, niſi pietas vbique præoculis habeatur cæteriſque præferatur rebus, & omnia ex pietatis præſcripto agantur; in quo valde Satanici politici errant. Niſi ſimplicius dicamus, Apoſtolum hîc ad eam pietatem reſpicere, quæ in pia ſuorum cura ac ſuſtentatione eſt ſita.

Quæ autem verè vidua eſt, & deſolata, ſperet in Deum, & inſtet obſecrationibus, & orationibus nocte, ac die.

VErè vidua eſt, quæ deſolata; nec viro tantùm, ſed etiam opibus deſtituta. Sanctus Auguſtinus lib. Quæſt. in Deuteron. quæſt 43. HANC VERE VIDVAM *dixit, quæ non habet a quibus ſuſtentetur; quia non ſolùm viro, ſed etiam poſteris atque omni ope deſtituta eſt: diuitem quippe non diceret deſolatam.*

Et orationibus. Totam ſe vidua orationi debet dare; *quia impoſſibile eſt* (inquit Sanctus Thomas) *quòd animus non occupetur circa aliquam delectationem: & cum animus otioſi non occupetur vtilibus, oportet, quod occupetur carnalibus: & ideo dicit; quòd vidua, ſi deſolata*, VACET ORATIONI; *quia, ſi non habet hanc, dat ſe delitiis; & ſic mortua eſt morte peccati.*

Nam, quæ in delitiis eſt, viuens mortua eſt.

VIdua in delitiis viuens eſt mortua: qui 1352.
ergo viuent, qui totos ſe ſæculo mancipарunt, & ſolis verbis ſæculo renunciarunt, non factis? *Cum mortuam dicat*, inquit S. Auguſtinus, lib. 6. de Baptiſm. contra Donat. cap. 34. *viduam, quæ in delitiis viuit*; QVOMODO NON SVNT MORTVI, QVI SÆCVLO VERBIS, NON FACTIS RENVNTIARVNT?

Cur præcipuè à delitiis viduam auocat? Quia molliori ſexui molliora magis timenda. *Licet deliciæ*, inquit S. Thomas hîc, *ſint omnibus hominibus occaſio mortis*, SPECIALITER TAMEN MVLIERIBVS; *quia ex ſui natura habent animi mollitiem. Cum ergo deliciæ molliant animum, neceſſe eſt, quòd mulieres multo magis emolliantur.*

Non eſt viduæ, voluptatibus nubere ac delitiis, quas in mariti tumulo cum marito debet ſepelire, vt quod in Saluinæ laudem dixit Sanctus Hieronymus, ad omnes transferatur. Epiſtola 9. ad eandem hæc habet: *Tu verò, quæ in* TVMVLO MARITI SEPELISTI OMNES PARITER VOLVPTATES, *nihil habeas neceſſe eſt, niſi perſeuerare in ieiunio.* Sicque delitiarum loco habeat, contemnere delitias; & voluptatum, à voluptatibus abhorrere.

Vidua in delitiis eſt mortua: quantò magis 1353.
viri, quanto magis Eccleſiæ Præſules mortui erunt, ſi toti erunt in delitiis, cum de infirmiori ſexu id aſſerat Apoſtolus? Rem benè vrget S. Auguſtinus lib. 2. contra epiſt. Parmeniani cap. 10. *Si ſexui delicatiori, & infirmiori delicias non concedit Apoſtolus dicens: Vidua, quæ in deliciis agit, viuens mortua eſt: quærant, verum nulli apud ſe viri, & (quod amplius eſt)* PRÆPOSITI VEL MINISTRI VIVANT IN DELICIIS: *atque ſi ita audent, renuncient ſe non habere mortuos, & meliores eſſe, quàm illa Eccleſia, cuius Angelo in figura Præpoſitorum vel animarum dicitur, quod non viuat; ſed mortuus ſit; & tamen inter ſeptem Eccleſias numeratur, & ei non diuiſè à compage corporis Chriſti agenti, ſed in vnitate perſeueranti præcepta vitæ inſinuantur.* Eodem ſpectabat etiam S. Chryſoſtomus, cuius hæc ſunt verba conc. 3. de Lazaro: *Vt intelligat viuentes in deliciis, non fieri ſaluos, audi quid dicit Paulus, Quæ verò in deliciis viuit, viuens mortua eſt. Loquitur de viduâ muliere; quòd ſi de muliere hoc dictum eſt, multò magis* DE VIRO *dicendum, propterea non poſſe fieri vt homo, qui talem viuit vitam, adipiſcatur cœlos.*

Viduam, quæ in deliciis eſt, mortuam vocat Apoſtolus; atque, vt ſit viua, orationibus inſtare debere, & Deo diuinóque cultui vacare, *vt*

ostendet, inquit hîc Sanctus Ambrosius, *se idcirco nuptias secundas contempsisse, vt instaret disciplinæ Dominicæ.* Addit statim: *si enim sub nomine viduæ deliciis vacet, aut luxuriæ, viuens mortua habenda est; quia imposturæ genus est, aliud agere, & aliud profiteri, non obsequia, & deuotionem Dei, sed honorem viduæ volentes habere.*

1354. *Quæ in deliciis est viuens mortua est.* Ex his verbis colligit Saluianus viduam non solùm deliciis viduam esse debere, sed & diuitiis, lib. 2. ad Eccles. Cathol. ita philosophatur: *Videat qualem esse in Apostolo viduam Deus iubeat, dicens: Quæ verè vidua est, desolata, sperat in Domino, instat orationibus nocte ac die: nam, quæ in deliciis agit, viuens mortua est. Vno eodémque præcepto duas Apostolus formas viduitatis expressit: vnam vitæ, alteram mortis, quum in deliciis mortem posuit. Ergo absque dubio diuitem esse non vult, quam deliciosam esse non patitur; quia omnis fructus diuitiarum in vsu est positus deliciarum: aliòqui, remoto vsu deliciarum, causa opum non relinquuntur. Cùm itaque Apostolus in deliciis viduæ mortem esse memorauerit, promptum est, quòd ad vitæ æternæ fructum vult vniuersa distribui, qui non vult ad mortis vsum aliqua reseruari. Et ideo dicit: Quæ verè vidua est, desolata, sperat in Domino, docens scilicet, parum esse, si non sit vidua* DELICIOSA, NON DIVES, *nisi fuerit Deo adhærens, nisi orationi dedita, nisi à cunctis Mundi illecebris desolata, & per hæc omnia verè vidua.*

1355. In deliciis est mortua vidua: quid erit in libidinibus? *Veracissima*, inquit Sanctus Augustinus serm. 13. de Martyr. *Scriptura dixit: Mortua est vidua, quæ in deliciis viuit. Cum multùm intersit inter delicias, & adulterium, quomodo potest anima, quæ in deliciis mortua dicitur*, IN ADVLTERIO VIVERE?

Qui in deliciis viuit, viuere videtur, imo hoc solùm viuere sæculi homines vocant, sed apud Deum, qui occulta videt, non viuit; sed mortuus est. Sanctus Hieronymus epist. 10. quæ est ad Furiam ita scribit: *Vidua quæ in deliciis est (non est meum, sed Apostoli) viuens mortua est, quid sibi vult hoc, quod ait, Viuens mortua est? viuere quidem videtur ignorantibus, & non esse peccato mortua:* SED CHRISTO, *quem secreta non fallunt, mortua est.* Ex quo fit, vt plerique mortui sint, qui viuere creduntur, & apud Deum in mortuorum censu locatos, quos in viuentium numero viuentes etiam ipsi mortui ponunt.

Si quis autem suorum, & maximè domesticorum curam non habet, fidem negauit, & est infideli deterior.

1356. ET quinam infideli deterior, qui suorum curam negligit? rem ita explicat Beatus Thomas à Villanoua conc. in Domin. 2. Aduentus, vt religio fuerit omnia eius verba hîc non sistere: *Apostolum*, inquit, *audi. Qui suorum, & maximè domesticorum curam non habet, hic fidē negat, & est infideli deterior; numquid quia familiam negligo, Christianus non sum; aut hæresim profiteor? aut fidem nego? Vtique negas non dictis, sed factis sicut illi de quibus idem Apostolus ait. Fatentur se nosse Deum, factis autem negant, nam qui futuram bonorū. & malorum retributionem, id est gloriam, & Infernum diffitetur, quomodo Christianus est?* NVNQVID NON EST HIC HÆRETICVS, ET INFIDELI DETERIOR? *Et tu hæc agis, dum familiæ tuæ peccata negligis: quomodo enim gloriam, & Infernum credis, si pereuntibus filijs, & familiis tuis non subuenis? si in tanto discrimine constitutis cùm possis, non succurris? Vtique si crederes subuenires: peccant in oculis tuis, & taces; offendunt & rides; adulterantur, & pro nihilo ducis, quomodo igitur futuras pœnas de peccatis credis? certè si credis hoc, operibus non ostendis.* Rem deinde firmat, & illustrat, addit quippe statim. *Exemplo id notum fiet. Si domo tuâ corruente clamares quispiam, egredimini, quia labitur domus, & tu ad mensam sederes lætus, & quietus, neque surgeres, neque exires, dic mihi numquid notum non esset, atque perspicuum, quod clamanti non credis, qui exire negligis, & contemnis? nam si crederes, periculum vtique vitares. Sic in proposito mortem æternam operibus diffiteris, qui pereunti familiæ succurrere negligis, & in hoc infideli deterior in iudicio reputaberis. Quia non tam acriter punietur, qui futuram retributionem ignorauit, sicut qui contempsit.*

Est infideli deterior; Hunc locum intorquet Sanctus Chrysostomus in eos, qui proximi sui 1357.
salutem negligunt; sic ille scribit lib. 3. aduersùs vituperatores vitæ monasticæ: *Quocirca Gentilibus quoque ipsis deteriores esse ait*, QVI PROXIMORVM SALVTEM NEGLIGERENT, *sic dicens: Si quis autem suorum, & maximè domesticorum prouidentiam non gerit, fidem abdicauit, & est infideli deterior, quid enim hoc loco prouidentiæ nomine significari putas; an fortassis necessariorum largitionem? equidem reor ipsum hoc nomine curam animæ significare voluisse. Sin verò tu contentiosè sensum tuum afferre malueris, sic quoque sententia mea firmior ac validior manebit. Nam si de corpore hæc dixit, eúmque qui vilem hunc, & quotidianum cibum non præbet, tantis cruciatibus addixit, Gentilibúsque deteriorem esse ait; quonam tandem in loco statuemus eum, qui id quod longe maius, & dignius est, magísque necessarium contemnit?* Idem non minus grauiter premebat Sanctus Isidorus Pelusiota lib. 2. epist. 124. cuius verba libet hîc producere, & sunt ista: *Quandoquidem Paulus, vas inquam illud electionis, ille Christi sensuum promus, qui terram ac mare composuit, qui barbaros ad philosophicum vitæ genus amplectendum adduxit, Gentilibus deteriores eos esse pronunciauit*, QVI PROXIMOS NEGLIGVNT, *his verbis vtens, Si quis suorum, ac maximè domesticorum curam non habet, fidem negauit, & est infideli deterior: ob eam causam ipse quoque vt ad vos scriberem, adductus sum. Quid enim hoc loco per curæ vocabulum significari existimatis? an ciborum administrationem? Equidem enim ipse animæ curam intelligendam censeo, quod si refragemini, sic quoque id quod dixi magis confirmabitur; nam si de corpore res ita se habet, eúmque qui necessariam alimoniam proximo minimè porrigit, Gentilibus crudeliorem esse pronunciauit, qui quod maius ac magis necessarium est, animæ curam aspernatur, quo tandem loco ponetur?* Animam habere non meretur, qui animæ curam negligit.

Sectio II.

1358 *Bonis operibus, vt opus vidua habeat.*

1358 *Præcipuum fœminarum munus filios benè educare.*

1359 *Ætatem cur viduis præscripserit Paulus,*

lus, non virginibus, vt reciperentur.

1360 *Otioſitas non eſt diu ſola, ſed alia parit vitia*

1361 *Honor etiam pro ſuſtentatione ſolet accipi.*

1361 *Quàm magnus labor, alios docere.*

1362 *Prædicatoris, & laborantis nexus.*

1363 *Doctorem cur laborare in verbo ſit dictum, & non in verbis.*

1364 *Qui alios corripiunt, facilè accuſantur ab aliis, & in eorum odium incurrunt.*

1364 *Eccleſiaſticorum lapſus homines ſolent grauiter exaggerare.*

1365 *In iudiciis exercendis nullus relinquatur locus affectibus, nulla obrepat negligentia.*

1365 *Spiritualis aliorum profectus præcipuè quærendus.*

In operibus bonis teſtimonium habens: ſi filios educauit.

1358. IN *operibus bonis teſtimonium habens.* Opus bonis operibus habet vidua: fruſtra eſt, ſi de nuda ſibi viduali integritate blandiatur. *Non ſola caſtitas corporis*, inquit S. Ambroſius huc ſpectans lib. de Viduis, *viduæ fortitudo eſt; ſed magna, & vberrima diſciplina virtutis*, QVÆ IN OPERIBVS BONIS *teſtimonium habeat. ſi filios educauerit, ſi hoſpitio receperit, ſi ſanctorum pedes lauerit, ſi tribulationem patientibus ſubminiſtrauerit ſi poſtremò omne opus bonum fuerit ſubſequuta. Vides quàm multas virtutum comprehenderit diſciplinas: primò pietatis officium; ſecundo hoſpitalitatis ſtudium, & humilitatis obſequium; tertiò miſericordiæ miniſterium, libertatiſque ſubſidium; ad ſummam omnis exequutionem boni operis flagitauit.*

Si filios educauit; Hoc præcipuè fœminarum eſt, quæ domi ſe continent, cum viri ſæpè huc illuc ferantur, & per varia diſcurrant loca adeo vt à filiorum educatione, ac informatione diſtrahantur; id quod obſeruans Sanctus Chryſoſtomus ſerm. 1. de Anna aiebat: *Ne igitur alienum à ſe mulieres arbitrentur*, SI ET FORMINARVM ET MARIVM CVRAM GERANT. *Non enim hic ſexum diſtinxit Deus, ſed & illic ſimpliciter dixit, ſi filios educauit; & hic, ſi permanſeris in fide & dilectione, & ſanctificatione; itaque vtriuſque generis liberorum ſuſcipienda nobis eſt cura, tantòque magis mulieribus, quantò ſæpius domi reſident. Nam viros quidem peregrinationes, ac fori ſollicitudines, & negotia ciuitatis ſæpè diſtrahunt; mulier autem ab his curis immunitatem ſortita faciliùs poterit, cum tanto fruatur otio, liberorum curam gerere.*

Adoleſcentiores autem viduas deuita.

1359. CVr ætas viduis præſcribitur, non virginibus? iſtæ quippe admitti etiam in ætate viridi poterant ad profeſſionem, non viduæ. Diſcriminis huius non vna redditur ab auctoribus ratio. *Græci* (inquit Eſtius) *diſtinguunt quoad ætatem inter virgines, & viduas ad profeſſionem admittendas: quod virginibus continentiam profeſſuris ideo non præſcribatur ætas, ſicut viduis; quoniam virgines maiori deuotione, ac fidei feruore caſtitatem amplectebantur, vtpotè adhuc integræ, & à ſæculo non præuentæ. Deinde nec id faciebant neceſſitate, aut ſpe alimoniæ, ſicut viduæ. Poſtremò, quia viduæ quædam lapſæ erant, & fidem Deo datam fefellerant: quod de virginibus profeſſis nondum erat compertum.*

Cum enim luxuriatæ fuerint in Chriſto, nubere volunt.

N*Vbere volunt.* Cur potius dixit, *Nubere volunt*; quam, *Nubunt*? Nodum ita ſoluit S. Auguſtinus lib. de Sanct. virginit. cap. 34. *Non ait, Nubunt; ſed, Nubere volunt, multas enim earum reuocat à nubendo non amor præclari propoſiti, ſed aperti dedecoris timor, veniens & ipſe à ſuperbia, qua formidatur magis hominibus diſplicere, quam Deo. Hæ igitur, quæ nubere volunt, & ideo non nubunt, quia impunè non poſſunt (quæ melius nuberent, quàm vrerentur; id eſt, quam occultâ flamma concupiſcentiæ in ipſa concupiſcentia vaſtarentur) quas pœnitet profeſſionis, & piget confeſſionis; niſi correctum cor dirigant, & Dei timore rurſus libidinem vincant, in mortuis deputandæ ſunt.*

Habentes damnationem, quia primam fidem irritam fecerunt.

HVnc locum explicans Sanctus Auguſtinus in Pſalm. 75. in eos vtitur qui in ſacram 1360.
aliquam familiam nomen dedere; ait enim: *Habentes damnationem, quia primam fidem irritam fecerunt; quid eſt primam fidem irritam fecerunt? voucrunt, & non reddiderunt. Nemo ergo poſitus in Monaſterio frater, dicat: recedo de monaſterio: neque enim ſoli qui ſunt in Monaſterio, peruenturi ſunt ad Regnum Cælorum; & illi qui ibi non ſunt, ad Deum pertinent, reſpondetur ei: ſed illi non vouerunt, tu vouiſti, tu retro reſpexiſti.*

Non ſolum otioſæ.

OTioſitas, vt ita loquar, in malo non eſt otioſa, non eſt ſterilis, fœcunda vitiorum eſt; Scitè Beatus Dionyſius Carthuſianus hîc: *Non ſolùm otioſæ, quoniam otioſitas non eſt diu ſola,* SED PARIT ALIA VITIA.

Qui bene præſunt presbyteri, duplici honore digni habeantur, maximè qui laborant in verbo, & doctrina.

HOnor hîc, ſicut & alibi, pro ſuſtentatione 1361.
ſolet accipi; quia ſcilicet in virtutis indicium exhibetur. Pulchrè Eſtius: *Placet Chryſoſtomi, & aliorum commentariis, qui, duplicem honorem, interpretantur, benignam ac liberalem ſuſtentationem, rerúmque neceſſariarum ſubminiſtrationem. Nam honoris quidem nomine ſubſidium vitæ ſignificari, quatenus in teſtimonium virtutis, aut excellentiæ cuiuſdam præbetur, iam ex ſuperioribus, & aliunde patet: hinc ſtipendia Paſtoribus, Profeſſoribus, Præfectis debita, Latinis honoraria vocantur. Duplex autem, Hebræis dicitur, multum, & copioſum.*

Qui

Qui laborant in verbo. Et non leuis labor est alios docere, si id muneris fiat sicut decet? Aptè hìc idem Estius: *Dicit autem, qui laborant; quia doctrinam sacram tradere sicut oportet,* NON PARVI LABORIS EST; *vnde mox Paulus huiusmodi Doctorem comparat boni trituranti, & homini operario, id est, seruile opus exercenti.*

1362. *Qui laborant in verbo;* Poterat simplicius *Prædicatoris* nomine vti, sed maluit Doctorem ita circumscribere, quippè cuius magnus sit labor, vt statim discemus, eorum qui alios docturi sunt esse non delicias, non lucra quærere, sed laborare, ingentisque laboris rem esse in sincerà Dei doctrinâ prædicanda occupari; ab hac nota abeunt, qui vt labores defugiant, quos alij subeunt, Prædicatoris exercent munus.

Maximè qui laborant in verbo. Signatè, *Qui laborant*, dixit; non, *Qui habent*, duntaxat? Doctori non satis est habere verbum: laborare in verbo debet. *Non dixit*, inquit Primasius, *Qui habent verbum: sed, Qui laborant.* Qui labor in hoc situs est, vt maximo studio verbum prædicetur; & vt operibus præsteiur, quod aliis dicitur, præstandum indicitur aliis.

1363. *In verbo;* Obseruat S. Augustinus, non minus significatum quam si dixisset, *in verbis*, sic ille scribit serm. 11. de verbis Dumini: *Solet Scriptura etiam multa verba verbum appellare, neque enim vnum verbum locutus est, quicunque Propheta, & tamen sic legitur: verbum quod factum est ad illum vel ad illum Prophetam: & Apostolus, Presbyteri inquit, duplici honore honorentur, maximè qui laborant in verbo, & doctrina.* NON AIT, IN VERBIS, SED IN VERBO. *Et Sanctus Iacobus: Estote, inquit, factores verbi, & non auditores tantùm: non ait, & ipse verborum, sed verbi: quamuis tam multa verba de scripturis sanctis in Ecclesia celebriter, & solemniter legantur, dicantur, audiantur. Sicut ergo quantocumque tempore quisque nostrûm in prædicando Euangelio laborauerit, non verborum, sed verbi dicitur prædicator.*

Aduersus Presbyterum accusationem noli recipere, nisi sub duobus aut tribus testibus.

1364. QVum accusandos Presbyteros præuidet Paulus, cur munet eorum accusationem non esse recipiendam nisi sub duobus aut tribus testibus? An quia, qui alios corripiunt, facilè accusantur ab aliis, in illorúmque odium incurrunt? Benè B. Dionysius hìc: *Aduersus Presbyterum noli accusationem recipere, nisi sub duobus aut tribus testibus fide dignis.* PRESBYTERI ENIM, CVM HABEANT ALIOS CORRIPERE, FACILE ADVERSARIOS ACQVIRVNT; *veritas enim parit odium, & (vt Salomon profitetur) non amat pestilens eum, qui se corripit. Ideo non est accusatio contra Presbyterum admittenda, nisi sub duobus testibus vt minimmn, vel tribus; & etiam propter dignitatem sui gradus seu ordinis, cum sit Christi vicarius.*

Noli accusationem recipere. Quia nimirum in Presbyteris, totius Ecclesiæ existimatio quodammodo læditur: aut etiam quia subditi plerumque in superiores suos iniquiores sunt, & *lapsus eorum* (vt ille ait) *iusto grauius solent exaggerare;* & & faciles homines sunt, vt eos accusent, à quibus corripiuntur.

Testor coram Deo, & Christo Iesu, & electis Angelis, vt hæc custodias sine præiudicio, nihil faciens in alteram partem declinando.

QVò spectat hìc tam grauis obtestatio ista? *Declarat Apostolus*, inquit Estius, *se ea, quæ dixit de exercendo iudicio, præcipere Timotheo coram grauissimis testibus, ne fortè negligentius agat in re tanti momenti. Si enim Paulus de seipso timuit, ne, cum aliis prædicasset, reprobus efficeretur; potuit & de Timotheo vereri, ne quid peccaret in hoc genere; præsertim cum res sit difficillima,* TANTA ÆQVITATE IVDICIA EXERCERE, VT NVLLVS RELINQVATVR LOCVS AFFECTIBVS, AVT NVLLA ODREPAT NEGLIGENTIA, *quanquam non propter Timotheum solum, sed propter alios Episcopos in vno Timotheo instruendos adiicienda fuit hæc tam grauis, & terribilis obtestatio.* 1365

Noli adhuc aquam bibere.

N*Oli adhuc aquam bibere.* In huius potus ratione alienum profectum sitiebat Apostolus. Ab aquæ potu auocat Timotheum, non tam vt eius infirmitati consuleret, quam vt iret consultum illis, qui a Timothei prædicatione proficiebant. *Dat ei consilium*, inquit hic Primasius, *vt plus* ALIORVM PROFECTVM, *quam suam abstinentiam curet: poterat enim verbum impedire infirmitas.*

SECTIO III.

1366 *Temperantia vt Episcopos, & Presbyteros deceat.*

1366 *Quò maiora quis edit facinora, eò promptius litare abstinentiæ debet.*

1367 *A carnis firmitate ac vigore maximè timendum.*

1367 *Vini vsus propter infirmitatem potiùs quam propter voluptatem.*

1368 *Corporis imbecillitas impedire spiritualia obsequia non debet.*

1368 *Alas Zelus Dei, Dei amatoribus addit.*

1369 *Cur miraculo languentem Timotheum non sanauerit Paulus.*

1370 *Vel ipsa corporis cura, spiritualis vt fieri possit.*

1370 *Infirmitas non facit, vt à Domino quis negligatur.*

1371 *Obedientiæ exemplum in Timotheo.*

1371 *Cur non statim vini vsum suaserit Paulus Timotheo.*

1372 *Frequentes & assiduæ Timothei infirmitates fecere, vt modici vini vsum illi iniungeret Paulus.*

1373 *Temperantiæ necessitas: intemperantiæ damna pluuiæ exemplo explicata.*

1373 *Immodica vini potatio quàm noxia.*

Sed modico vino vtere propter stomachum tuum, & frequentes tuas infirmitates.

1366. CVR vini vsum indicens Timotheo, addidit, *Modico*; nec absolutè dixit. *Vtere vino*; neque enim periculum erat, Timotheum in vini vsu nimium esse. *Respondetur* (inquit hîc Estius) *vnam causam esse, vt Timotheo vsum vini persuaderet, ac si diceret: Abstinentiam tuam scio & laudo: sed istum rigorem propter infirmitatem corpusculi volo vt non nihil relaxes, indulgendo tibi post hac paululum vini. Aliam verò causam, eamque præcipuam, vt in Timotheo omnes* EPISCOPOS AC PRESBYTEROS TEMPERANTIAM DOCERET: *videbat enim Apostolus futurum, vt Presbyteri, duplici honore dignati, facilè ad intemperantiam, & luxum declinarent.*

Modico vino vtere. Quò maiora quis edit facinora, eò promptius litare abstinentiæ debet: à Paulo hoc didicerat Timotheus, vt optimè hîc cadant, quæ de hac re habet S. Chrysostomus hom. 1. ad Populum: *Cum instantia ieiunabat, neque illud passus est quod multi, qui decem tantùm vel viginti menses, ieiunio se tradentes, repentè omnia dissoluunt. Sed ille nihil tale passus est, neque tale quippiam intra seipsum dixit:* QVID MIHI DEINCEPS OPVS EST IEIVNIO? *victor euasi, cupiditates superaui, corpus meum mortificaui, Dæmones terrui, Diabolum depuli, mortuos resuscitaui, leprosos mundaui, contrariis potestatibus terribilis sum: quid ego amplius ieiunio indigeo, & vlteriori cautela? nihil tale dixit, aut cogitauit:* SED QVANTO MAGIS INNVMERIS AFFLVEBAT MERITIS, TANTO MAGIS TIMEBAT, ET TREMEBAT: *& hanc à præceptore disciplinam discebat: etenim ille in tertium raptus Cælum, & in Paradisum delatus, & auditis ineffabilibus verbis, & mysteriorum factus talium particeps, cum Orbem totum percurrisset tanquam alis quibusdam fultus, ad Corinthios scribens dicebat: vereor ne fortè cum aliis prædicauero, ipse reprobus efficiar.*

1367. *Modico vino vtere.* Cur non multo? Noluit illum nimis firmum: noluit ab infirmitate penitus eximere, ne caro sæuior insurgeret in spiritum. Saluianus lib. 1. de Gubernat. Dei: *Timotheum etiam ipse Paulus, licèt nimis iam infirmitatibus laborantem, non tamen nisi pauxillulum vini sumere ac delibare permisit: hoc est, ita eum voluit infirmitati suæ consulere,* QVOD NOLVIT TAMEN AD FORTITVDINEM PERVENIRE. *Et hoc cur ita? Cur? Absque dubio nisi quia (vt ipse dicit) caro concupiscit aduersùs spiritum, spiritus autem aduersùs carnem: hæc enim (inquit) inuicem sibi aduersantur, vt, non quæcunque vultis, illa faciatis. Non imprudenter quidam hoc loco dixit, quod, si repugnante corporis fortitudine, quæ optamus facere, non possumus, infirmandum nobis sit carne, vt optata faciamus, infirmitas enim carnis (inquit) vigorem mentis exacuit, vt, affectis artubus, vires corporum in virtutes transferantur animorum; non turpibus flammis medullæ æstuent, non malè sanam mentem latentia incentiua succendant, non vagi sensus per varia oblectamenta lasciuiant; sed sola exultet anima læta, corpore affecto, quasi aduersario subiugato.*

Et frequentes tuas infirmitates. Vtile est, quod hinc elicit S. Ambrosius lib. 10. epist. 82. *Non ergo propter* VOLVPTATEM *bibendum est, sed propter* INFIRMITATEM. *Pro remedio igitur parcius, pro deliciis redundantius.*

1368. Multis, variis, continuisque infirmitatibus corripiebatur Timotheus, nec tamen officio suo vlla in parte deerat, nec vllo pacto quæ sui erant muneris negligebat, quin corporis imbecillitas alas quodammodo eius animo addebat. Audiendus hic S. Chrysost. qui hom. 1. ad Populum Antiochenum vt rem obseruabat. *Ad hæc autem, & illud maximè quisque in ipso mirari posset, quod tantùm debilitatus, & tanta cum ægritudine luctans,* DEI NEGOTIA NON NEGLIGEBAT, *sed ampliùs quàm valentes, & corpore vigentes circumquaque volitabat, iam Ephesum, iam Corinthum, in omnique mari, in Macedonia sæpe, in Italia, vbique terrarum, cum præceptore apparens, omnibus in certaminibus, & continuis periculis cum ipso communicabat, nec animi sapientiam redarguit corporis imbecillitas: tantùm* VALET IN DEVM ZELVS, TAM LEVES EFFICIT ALAS.

1369. Qui mortuos oratione poterat suscitare, cur similiter & Timotheum infirmum non sanauit? Id non fecit, quia expedire non vidit. Vtilis hæc infirmitas erat Timotheo. Præterea vini vsu curari poterat: vnde non erat ad miracula currendum. S. Thomas hîc: *Notandum, quòd sanabat Paulus infirmos, & mortuos suscitabat, & tamen Timotheum curat consilio Medicinæ; per quod datur intelligi, quod non ad omnes* VTEBATVR MIRACVLIS, *sed quando expediebat propter fidem*; neque in miraculis suam gloriam quærebat Paulus, sed aliorum vtilitatem, ac profectum. S. Isidorus Hispalensis lib. 1. sent. cap. 24. aliam reddit rationem, cur vini vsum indixerit, nec ad miraculum Paulus cucurrerit: *Paulus inquit, pro non credentium infidelitate patrem Publij de infirmitate febrium virtutibus curat: infirmantem verò Timotheum fidelem, non oratione, sed medicinaliter temperat, vt noueris* MIRACVLA PRO INCREDVLIS, NON PRO FIDELIBVS FIERI.

1370. Vides vt Medicum agat Apostolus. Sed cur se adeò demittit; &, qui spiritualia tantùm cogitare deberet, etiam de corporis sanitate est sollicitus? Hic quoque Dei obsequium & cultus delitescit: nam corporis sanitatem, quam vini vsu comparare discipulo curabat, ad virtutem animi, Deique obsequium referebat; tanti refert, quò, quæ præcipiuntur, referantur. VEL IPSA CORPORIS CVRA FIT (vt ita loquar) SPIRITVALIS, si in ea spiritualis profectus spectetur.

Propter infirmitates, easque frequentes, vini vsum suadet discipulo. Paucos nunc reperire est, quibus ob infirmitates suadendus vini vsus sit: multos vero è conuerso quibus aquæ potus indicendus est morbis curandis, quos nimius luxus, & vini vsus immodicus inuexit.

Infirmus erat Timotheus, vt temperatus vini vsus illi esset præcipiendus: sed infirmitas nullum eius sanctitati præiudicium attulit. Præclarè Saluianus lib. de Gubern. Dei: *Legimus Timotheum Apostolum carne infirmissimum fuisse:* NVNQVID NEGLIGEBATVR A DOMINO, *aut ob infirmitatem Christo non placuit, qui ad hoc infirmus esse voluit, vt placeret?*

1371. *Modicò vino vtere.* Paulo in hoc etiam Timotheum

theum pauisse, nefas est ambigere, vinum bibit, non tantùm vt consuleret suæ infirmitati, sed præcipuè vt obedientiæ daret exemplum, vtque prædicationis munus posset exercere, & suum munus explere. S. Petrus Venerabilis lib. 2. epist. 7. ad hunc locum spectans, ait: *Post Christum summus Doctor Ecclesiæ, vt etiam corpori sobriè prouideret, discipulum admonebat, non interim violenter compellebat.* CVI ET ILLE OBEDIVIT, *& laboriosum prædicationis, & Ecclesiasticæ administrationis officium, non fugitando, nec reclamando, sed manendo, & persistendo expleuit.*

Vini vsum Timotheo suadet, non initio id fecit, sed postquam deiectas eius vires vidit, quod expendens S. Chrysostomus hom. 1. ad populum hæc habet: *Videtur autem quibusdam hæc admonitio, & consilium liberioris vini potiùs potestatem indulgere: sed non ita est: cæterùm si quis dictionem hanc diligenter exquirat, de* SOBRIETATE MAGIS EST ADMONITIO; *cogita enim quomodo non à principio, neque ab exordiis hoc consilium Paulus dederit, sed postquam vidit omnem virtutem deiectam, tunc consuluit, neque hoc simpliciter.*

1372. Timothei infirmitates, illæque frequentes fecere, vt monitum istud de vino bibendo magister discipulo daret. Audiendus idem S. Doctor, qui eodem loco hæc offert in hanc rem: *Vino modico vtere, etenim ipsum modicum propter infirmitatem permisit: quod nisi imbecillitas vexasset, neque modicum admittere discipulum coegisset, necessarium enim nobis traditos cibos, & potus, temporibus, & necessitatibus, semper metiri, & nullatenus necessitatem excedere, neque imprudenter temerè quid facere oportet.* Addit rem pressius exequens: *Non leuiter ægrotabat, sed continuè, sed alternis, & iugibus infirmitatibus, nec minimum quidem ipsum respirare indulgentibus, vnde hoc manifestum: ex ipsis Pauli verbis, non enim dixit, propter ægritudinem, sed propter multas ægritudines; neque simpliciter propter infirmitates:* SED IPSARVM CONTINVATIONEM SIGNIFICANS, *dicebat: frequentes tuas infirmitates, audiant qui modico traditi languori ægrè ferunt, & indignantur.*

1373. *Modico vino vtere.* Cur non absolutè dixit, vt vino vteretur, certum quippe erat, extra mediocritatis terminos sobrietatis cultorem non abiturum? An, id facit vt facilius persuaderet, quod ei suadebat. An id nostri potiùs causâ dixit quàm Timothei, vt scilicet temperantiæ exemplum in eo haberemus; Quàm sit vtile modico vino vti, & quam noxium nimio vini vsu ventrem onerare, terræ quæ imbre perpluitur, similitudine explicat S. Antiochus hom. 5. de ebrietate, cuius verba hic implantanda: *Sanè quam bonum sit nec improbandum propter infirmitatem corporis modico vti vino; vt enim terra moderato perfusa imbre, semen quod in viscera sua deiectum purum excepit, multo cum fœnore emicare cogit, & emergere; è diuerso,* SI IMMODICÆ PLVVIÆ MADESCAT ILLAPSV, ET INEBRIETVR, *spinas profert solùm, & tribulos: ita & terra cordis nostri, si quidem cum temperie vino vtemur; quæ suopte genio semina pura accepit, reddit multiplici cum accessione; si tota vini humore permaduerit, séque mero copiosiore perfuderit, iam velis, nolis, spinas, & aliud nihil exeret; nempe improbas cogitationes.* Et verò nostri præcipuè causâ modici vini vsum discipulo præscripsisse Paulum, notabat S. Chrysostomus eadem hom. 1. ad Populum, vbi ait: *Sed cum præfinitione quadam: non enim simpliciter dixit, vino vtere; sed vino modico: non quod hac admonitione & consilio Timotheus egeret, sed quod nos indigeamus, idcirco ad illum scribens, nobis bibendi vini mensuram, & terminos statuit; tantùm bibere iubens, quantùm valetudinem adiuuet, quantùm corpori sanitatem præbeat; & non alterum morbum: non pauciores enim, quam moderatus aquæ potus, sed multo plures, & difficiliores animi, & corporis morbos* IMMODICA VINI PARIT POTATIO, PASSIONVM BELLVM, ABSVRDARVM COGITATIONVM PROCELLAM MENTI INTRODVCENS, *& corporis vim molliorem, & solubiliorem efficiens.*

CAPVT VI.

EPISTOLÆ PRIMÆ ad Timotheum expenditur & illustratur.

SECTIO I.

Quicumque

Quicumque sunt sub iugo serui, dominos suos omni honore dignos arbitrantes.

1374. IN quonam situs honor est, quem dominis suis serui debent? Præcipuè in obedientia situs, vt promptè illis pareant, & dignos omni obsequio putent, & illorum res studiosè curent. Sed quid si mali, & impij domini sint, numquid honore sunt digni censendi? sunt. Benè Estius hîc: *Quomodo impios æstimabunt verè dignos honore? Respondeo,* inquit, *omnem eum, qui iure superior, ac dominus est, hoc ipsum à Deo accepisse,* ET IN EA RE VICES DEI AGERE; *atque hac ratione honorem ei deberi qualiscumque demum ille sit; tametsi cauendum est seruis ne quo facto, aut consensu impietatem dominorum suorum honorare videantur*; nimirum vt mali domini honorandi sint, oon sunt tamen in malo.

Nihil enim intulimus in hunc Mundum.

1374. N*Ihil enim intulimus in hunc Mundum.* Diuites à pauperibus non discriminat: omnes pariat. Præclarè hunc locum versat Sanctus Augustinus serm. 5. de Verb. Dom. cap. 7. *Ecce recole, diues, primordia tua: vide, vtrum huc aliquid attuleris, Iam venisti, & tanta inuenisti. Dic, rogo te, quid attulisti? Dic quid attuleris; aut, si dicere erubescis, Apostolum audi: Nihil intulimus in hunc Mundum. Nihil, inquit, intulimus in hunc Mundum. Sed fortè, quia nihil attulisti, & hic multa inuenisti; aliquid hinc tecum ablaturus es? Et hoc fortasse amore diuitiarum trepidas confiteri: audi & hoc (Apostolus dicat, qui te non palpat) Nihil intulimus in hunc Mundum, vtique quando nati sumus: sed nec auferre aliquid possumus vtique, quando de Mundo eximus. Nihil attulisti: nihil hinc auferes.* QVID TE INFLAS CONTRA PAVPEREM? *Quando nascuntur infantes, recedant de medio parentes, serui, clientes: recedant de medio turbæ obsequentes, & agnoscantur pueri diuites flentes. Pariant simul diues & pauper: pariant simul mulier diues, & mulier pauper; non attendant, quod pariunt: discedant paululum: redeant, & agnoscant. Ecce, diues nihil intulisti in hunc Mundum: sed nec auferre hinc aliquid potes. Quod dixi de natis, hoc dico de mortuis. Certè quando casu aliquo vetera sepulchra franguntur, ossa diuitis agnoscantur. Ergo, diues, audi Apostolum. Nihil intulimus in hunc mundum. Agnosco, verum est. Sed nec auferre aliquid possumus. Agnosce, & hoc verum est.*

Habentes autem alimenta, & quibus tegamur, his contenti sumus.

1375. H*Abentes autem alimenta.* A luxu nos auocat, & adiicit temperantiæ. *Quicquid epularum,* inquit Petrus Blesensis epist. 85. *sumitur præter* VSVM NECESSITATIS, *non est debitum naturæ, sed vitium voluptatis. Sumptuariis legibus se Paulus alligauerat, quum dicebat: Habentes alimenta, & quibus tegamur his contenti sumus.*

Habentes autem alimenta, & quibus tegamur. Sanctus Bernardus legit. *Habentes victum & vestitum.* Vestitûs hîc mentionem audis fieri, non ornatûs. Nudus mente est, qui in vestibus nudum spectat ornatum. Pulchrè idem Sanctus Auctor epist. 2. *Habentes, ait Apostolus, victum & vestitum; non victum &* ORNATVM. Eodem spectat & S. Petrus Damianus opusc. 29. cap. 1. *Quid est, quod Apostolus ait? Habentes alimenta, & quibus tegamur, his contenti simus. Cur enim, quum dicit, Habentes alimenta, non protinus addidit, Et vestes? sed tantummodò, quum præmittit. Habentes alimenta; præsto subiungit, & quibus tegamur. Cur hoc? nisi vt perspicuè doceat, nos debere tam* DESPICABILIBVS OPERIMENTIS INDVI, QVÆ DIGNA NON VESTIVM VOCABVLO NVNCVPARI? Vestimenti nomen consultò non adhibuit, vt superfluam in tegendo corpore curam vitaremus. *Vestis,* inquit Cassianus lib. 1. de Instit. monach. cap. 2. *seminaria vanitatis aut elationis non enutriat, ita Apostolo prædicante. Habentes autem alimenta & operimenta, his contenti simus.* OPERIMENTA, *inquiens*, NON VESTIMENTA *(vt in quibusdam Latinis exemplaribus non propriè continetur) id est,* QVÆ CORPVS OPERIANT TANTVM, NON QVÆ AMICTVS GLORIA BLANDIANTVR: *ita vilia, vt nullius coloris, vel habitus nouitate inter cæteros huius propositi viros habeantur insignia: ita studiis accurationibus aliena, vt nullis rursum sint affectatis per incuriam sordibus decolorata.*

Qui volunt diuites fieri, incidunt in tentationem, & in laqueum Diaboli, & desideria multa inutilia & nociua.

Q*Vi volunt diuites fieri.* Pulchrè S. Augustinus 1376.
hom. 13. ex 50. *Non dixit, qui diuites sunt; sed qui volunt diuites fieri.* CVPIDITATES ACCVSAVIT, NON FACVLTATES. *Qui volunt diuites fieri incidunt in tentationem, & desideria multa & noxia, quæ mergunt homines in interitum & perditionem. Pecunia delectat: ista non times? Bona res est pecunia: bona res est magna pecunia. Incidant homines in tentationes: non times? Desideria quò ducunt, time. Quid est, Quo ducunt? Quæ mergunt, inquit, homines in interitum & perditionem Et adhuc surdus es? Interitum & perditionem non times? sic Deus tonat, & stertis?*

Qui volunt diuites fieri. Signatè non dixit. *Qui diuites sunt*; vt diuitiarum potiùs cupiditatem damnatam scires, quàm possessionem; quod expendens S. Augustinus serm. 205. de temp. *Qui volunt*, inquit, *non qui sunt: nam, qui sunt, sint; dummodo sint in operibus bonis. Qui verò nondum sunt,* CAVEANT NE VELINT ESSE: *nam qui volunt diuites fieri incidunt in tentationem, & laqueum Diaboli.*

Qui volunt diuites fieri. Damnat non diuites, sed eos, qui volunt diuites fieri. Diuitiarum cupiditas noxia est: tolle cupiditatem, & vtiles incipiunt esse diuitiæ. Pulchrè ad hanc phrasim S. Augustinus serm. 5. de verb. Dom. *Qui volunt diuites fieri. Diues est, qui à diuitibus natus est. Non, quia voluit, diues est, sed quia multi hereditates dimiserunt. Video facultates, non interrogo voluptates. Hic cupiditas accusatur, non aurum, non argentum: non diuitiæ, sed cupiditas.*

Et in laqueum Diaboli, ac si Diaboli laqueus 1377.
diuitiæ essent. Scitè S. Bernardus serm. 3. in Psalm. *Qui habitat*, ita scribit, ita sentit ex S. Pauli mente: *Dic nobis inquam, Beate Paule, quis sit laqueus iste Diaboli, a quo se liberatam fidelis anima congratulatur. Qui volũt, inquit, diuites fieri in hoc sæculo,*

incidunt in tentationes, & in laqueum Diaboli. ERGONE LAQVEVS DIABOLI DIVITIÆ SVNT HVIVS SÆCVLI? *Heu quam paucos inuenimus, qui ab hoc laqueo liberati exultant, quam multos, qui dolent, quod parum sibi videntur irretiti, & adhuc (quantum possunt) ipsi se inuoluere & intricare laborant!*

Desideria multa inutilia. Cum multa sint, hominis diducunt mentem. *Dicit, Inutilia,* inquit Cathatinus: *quia, quod superfluum est inutile est. In Græcis tamen legitur, ἀνόητα, id est, irrationabilia: nam* RATIO REPVGNAT, VT EA, QVÆ SVB NOBIS SVNT, NOBIS IMPERENT.

Radix enim omnium malorum est cupiditas.

1378. QVi omnium malorum radix dicatur auaritia, exponit in hunc modum S. Leo serm. 9. de Passione Dom. *Videte, dilectissimi, & prudentes inspicite, quæ germina, & quales fructus de auaritia stirpe nascantur: quam meritò Apostolus* RADICEM OMNIVM MALORVM ESSE DEFINIVIT, *quia nullum peccatum sine cupiditate committitur; & omnis illicitus appetitus, istius auiditatis est morbus. Amori pecuniæ vilis est omnis affectio, & anima lucri cupida, etiam pro exiguo perire non metuit; nullúmque est in illo corde iustitiæ vestigium, in quo sibi auaritia fecit habitaculum.*

Radix auaritia est, nec permitti debet, vt in corde radicetur. Pulchrè S. Petrus Chrysologus serm. 162. *Auaritia, fratres (sicut dicit Apostolus) radix est omnium malorum, quæ,* CVM RADICARI COEPERIT IN CORDE, *sic morum dissipat ornamenta: sicut arbor noxia, feralibus radicibus nexa, soluit & dissipat monumenta maiorum.*

1379. Radicem etiam ab hac parte cupiditas refert, quòd latenter in mente nascatur, non secus ac radix, & peccatorum spinas emittat. Scitè S. Gregorius lib. 20. moral. cap. 12. *De auaritia per Paulum dicitur: Radix omnium malorum est cupiditas.* IPSA QVIPPE LATENTER ORITVR IN MENTE, *sed punctiones peccatorum omnium patenter producit in opere. Quas videlicet punctiones ab hac radice surgentes statim Prædicator egregius insinuat, quum subdit: Quam quidam appetentes errauerunt à fide, & inseruerunt se doloribus multis. Qui enim multos dolores dixit, quasi nascentes innotuit ex hac* RADICE PVNCTIONES.

1380. Mala radix cupiditas: optimam ostendo tibi, immo ostendit S. August. qui serm. 12. de verb. Dom. ad hæc Pauli verba spectans, ait: EXTIRPA CVPIDITATEM, PLANTA CHARITATEM. *Sicut enim radix est omnium malorum cupiditas, sic & radix omnium bonorum Charitas.*

Cupiditas diuitiarum, non diuitiæ, nō aurum, non argentum, malorum est radix; quod notabat Eusebius Gallicanus hom. 5. ad monachos. *Apostolus* NON DIXIT, AVRVM, VEL ARGENTVM, *radix est omnium malorum, sed magis, cupiditas diuitiarum: & non solùm diuites, sed &, qui volunt diuites fieri incidere in laqueum & tentationem; ergo Apostolus non solùm habentes, sed ipsam habendi persequitur voluntatem, ideóque nihil proficit homo relinquendo, quod extra se est, qui vitia intra se tenet.*

Quòd si cupiditas malorum est radix, euellenda hæc radix, vt facilè malorum rami exarescant; ita monebat S. Chrysost. *Cessante insania auaritia, maiori securitate illicita fœdaque cogitationes comprimerentur. Radix enim omnium malorum est auaritia; quod si radicem funditus extirpauerimus; faciliùs ramos licebit amputare. Arx enim malorum & colophon, vt ita dicam, peccatorum, est rabies illa colligendarum diuitiarum.* Sic ille hom. 20. in Genesim.

Omnium malorum radicem auaritiam vocat; qui istud cohæret cum illa sententia, qua initium omnis peccati superbia dicitur, atque adeo ipsa potius radix malorum omnium est? S. August. tract. 8. in epist. B. Ioannis, ita hæc duo loca in concordiam vocat: *Quærimus aliquando quomodo sibi concordent ista duæ sententiæ: radix omnium malorum auaritia? &, initium omnis peccati superbia, si initium omnis peccati superbia, radix omnium malorum superbia est. Certè si radix omnium malorum auaritia est, inuenimus & in superbia auaritiam esse: excessit enim modum homo, quia auarum esse: progredi vltra quam sufficit. Adam per superbiam cecidit: initium omnis peccati superbia, inquit. Nunquid auaritia?* QVID AVARIVS ILLO, CVI DEVS SVFFICERE NON POTVIT? 1381.

Radix enim omnium malorum est cupiditas. Qui omnium peccatorum radix & superbia & cupiditas sit, explicat in hunc modum S. Thom. hîc. *Dicitur cupiditas radix, &* SVPERBIA *initium: Eccli. 10. 15. Initium omnis peccati est superbia, quia superbia dicit corruptionem animi ad recedendum à Deo. Arbor autem à radice habet alimentum; & sic peccatum a cupiditate ex parte conuersionis ad bonum commutabile sumit nutrimentum.*

Radicem omnium malorum, cupiditatem cur vocat Apostolus, cùm potiùs superbia sit? 1382.
An hoc indicatur cupiditatem sine superbia non esse, nec superbiam sine cupiditate? Præclarè S. Prosper lib. 3. de Vita contemplat. cap. 4. *Si vtcumque iam patuit qualiter intelligatur, quod Scriptura dicit. Initium omnis peccati superbia, hoc etiam videamus, quod S. Apostolus dicit: Radix omnium malorum est cupiditas. Cum Spiritus Sanctus, qui loquutus est per Prophetam, per Apostolum quoque loquutus sit, nec tibi possit esse diuersus, sollicitè considerare debemus, quare ille initium peccati superbiam, hic radicem omnium malorum cupiditatem nominari voluerit. An fortè sermonem Propheticum Paulus Apostolus (vt solet) exposuit? quandoquidem siue initium omnis peccati, siue radicem omnium malorum dicas, vnum idemque significes. Porrò cupiditas atque superbia intantum est vnum malum, vt nec superbus sine cupiditate, nec sine superbia cupidus possit inueniri. Siquidem & Diabolus, in quo tenet superbia principatum, propriæ voluntatis ac perditionis humanæ cupidus fuit; & ipse homo per appetitum arboris interdictæ, ac Diuinæ similitudinis affectationem, morbosa affectum cupiditatis ostendit.*

Radix malorum omnium cupiditas est: è conuerso bonorum radix est Charitas. Pulchrè Aelredus cap. 16. in speculo Charit. *Hi sunt duo fontes, bonorum scilicet & malorum origines: quandoquidem radix omnium malorum est cupiditas,* ET RADIX OMNIVM BONORVM CHARITAS. 1383.

Salutis spes est, dum malorum radicem scimus: nam admouere remedia radici euertendæ possumus, & malis, quæ à radice pullulant, occurrere Peritè S. Valer. hom. 20. *Maxima spes est recuperandæ salutis, fontem nosse languoris. Radix omnium malorum est cupiditas. Et verè, dilectissimi,*

si

ſi reſpiciamus ad ſingula, quibus ab initio vitam ſuam habendi ſtudio conditio humana proſtituit; NIHIL EST MALORVM QVOD NON CVPIDITAS AVT CONCIPIAT, AVT PARTVRIAT, *aut paſcat, aut nutriat; ex hac enim fomite videmus pullulare odiorum cauſas, hinc euenire criminum pugnas, hinc fraternas acies inſtrui, hinc amicitiarum fœdera diſſipari.*

1384. Cur? *Radicem*, auaritiam vocat? & (quod grauius) omnium malorum. *Vt* RADIX (inquit S.Thomas) *toti trunco ſuccum vitámque largitur: ſic per diuitias homo acquirit facultatem perpetrandi quodcumque peccatum.*

Radix omnium malorum vt auaritia ſit, ipſius auri quod in terræ viſceribus inuenitur, ſimilitudine explicat S.Aſterius homil. aduerſ. Auarit. vbi ait: *Auaritia iuxta Apoſtolum idololatria eſt,* OMNIVM RADIX MALORVM, *innumera ex ſeſe vitia progignens. Sicut enim ij, qui aurum in ſinu viſceribúſque terræ ſcrutantur, auream glebam circa principem & proprium generationis locum cumulatim repoſitam inueniri narrant; & aliquas inde velut venas in longum hinc inde produci, ſicut arborum à ſtipite latè ſeſe explicant ac diffundunt radices: ad eundem modum, imagine non minùs impropriâ auri & auaritiæ, multa videre germina, multóſque ſurculos vna eadémque ſtirpe, auaritiæ coniunctos.*

Radix omnium malorum eſt cupiditas. Hæc & ſuperiora verba expendens Sanctus Cyprianus hæc habet tract. de orat. Dominica: *Docet non tantùm contemnendas, ſed & periculoſas eſſe diuitias,* ILLIC ESSE RADICEM MALORVM BLANDIENTIVM, *cæcitatem mentis humanæ occulta deceptione fallentium.*

Sectio II.

1385 *Magnus nexus diuitiarum & cupiditatis.*
1385 *Veræ diuitiæ, paupertas cupiditatum.*
1386 *Opes non voluptatum materia, ſed dolorum.*
1386 *Tranquillitatis & manſuetudinis cohærentia.*
1387 *Superiorum ſolicitudo quàm ingens eſſe debeat.*
1387 *Viuificare omnia cur dicatur Deus potiùs, quàm videre.*
1388 *Iudicij futuri cogitatio quàm vtilis.*
1388 *Solus habere immortalitatem cur Deus dicatur.*
1389 *Lucem inhabitare inacceſſibilem cur dictus ſit Deus, potiùs, quam eſſe lucem inacceſſibilem.*
1390 *Quàm abſurdum Eccleſiæ præſules erga inopes eſſe tenaces.*
1390 *Diuites futuri ſæculi quinam ſint.*
1391 *Diuitem ſuperbum non eſſe, difficile eſt*
1391 *Superbia diuitum morbus: vermis diuitiarum, ſuperbia.*
1392 *In incerto diuitiarum timere diues debet, non ſperare.*
Nouatin. in Epiſt. Pauli,
1392 *Diuitiarum incertitudo.*
1393 *Bonis operibus abundent diuites.*
1393 *Vt depoſitum cuſtodire ſacer tractator debeat.*
1394 *Subditos vt cuſtodire Superiores debeant.*
1394 *Non omnis nouitas damnanda in verbis.*

Quam quidam appetentes errauerunt in fide, & inſeruerunt ſe doloribus multis.

APPETVNTVR diuitiæ, non appe- 1385
titur diuitiarum cupiditas, cur igitur Apoſtolus ait, *quam quidam appetentes?* An quia magnus eſt nexus diuitiarum, & cupiditatis, quò enim plus creſcunt diuitiæ, plus cupiditas augetur; hinc S. Thomas hic: *Cum dicis, quam quidam, oſtendit idem per experientiam, & dicit appetentes,* QVIA QVANTO MAGIS HABENTVR DIVITIÆ, TANTO MAGIS DESIDERANTVR: ex quo fit, vt qui verè diues eſſe vult, appetere potius paupertatis cupiditatem debeat, quàm diuitias. Benè Clemens Alexandrinus lib. 2. pædag. cap. 3. *Nunc*, inquit, *arx vitij inuenta eſt pecuniæ cupiditas, quam Apoſtolus dicit eſſe radicem omnium malorum: quam quidam appetentes, à fide aberrârunt, & ſeipſos confixerunt multis doloribus.* VERÆ AVTEM DIVITIÆ SVNT, PAVPERTAS CVPIDITATVM: *& vera animi magnitudo eſt, non propter diuitias ſibi placere, & magnos ſpiritus ſumere, ſed eas deſpicere.*

Inſeruerunt ſe doloribus multis, & viciſſim multi 1386
dolores ſe illis inſeruerunt, qui auaritiæ ſe mancipia fecere. Pulchrè S. Proſper lib. 2. de vita contemplat. cap. 14. dolorum, non voluptatum materiam, cenſus eſſe hinc colligit, hæc eius verba: *Apoſtolus Chriſti militibus dicit: Radix omnium malorum eſt auaritia, quam quidam appetentes, errauerunt à fide, & inſeruerunt ſe doloribus multis, ac ſi cenſus iſte terrenus eſt, à quibus vitiosè diligitur, non eſt* VOLVPTATVM MATERIA; SED DOLORVM.

Sectare verò iuſtitiam, &c manſuetudinem.

MAnſuetudinem S. Ambroſius legit, *Tranquillitatem animi*. Rectus nexus: qui enim eſt manſuetus; animi quiete fruitur, à qua excidit, qui caret manſuetudine.

Præcipio tibi coram Deo, qui viuificat omnia, &c.

QVid ſi cum alio, quam cum Timotheo age- 1387
ret Apoſtolus? *Arguunt hæc*, inquit hîc Eſtius, INGENTEM PAVLI SOLLICITVDINEM PRO ECCLESIA, *qui putauerit tantis obteſtationibus agendum cum Timotheo, quem nouerat fideliſſimum Eccleſiæ miniſtrum, & omnium minimè ſua quærentem, vt ipſe de eo teſtatur Philip. 2. Præcipio tibi, inquit in conſpectu, & præſentia Dei, qui teſtis eſſe poterit, me hæc præcepiſſe; & vindex, ſi ea non ſerues. Quid præcipiat, poſtea ſubiungit, vbi dicit; Vt ſerues mandatum ſine macula.*

Cur *viuificandi* potius vsus est verbo, quam *videndi*? *Non dicit*; inquit hic idem Auctor, *qui videt omnia, sed qui viuificat*; QVIA PLVS EST VIVIFICARE QVAM VIDERE. *Viuificat autem omnia quæcumque viuunt, quia omnis vita à Deo est. Sic idem Apostolus Act. 17. dicit Deum dare omnibus vitam, & inspirationem, & omnia. Est autem hoc Dei epitheton præsenti loco valde congruens; quo Timotheum ad certamen, & pericula perferenda reddit alacriorem certâ spe resurrectionis, q.d. Ne metuas mortem: nam seruus es Dei qui potest etiam mortuos ad vitam reuocare.*

Vsque in aduentum Domini nostri Iesu Christi.

1388. ET non satis erat mortis potius terminum poscere quàm secundi aduentus Christi? non erat satis Paulo, nec sine causa id fecisse notauit bonus ille Auctor ex Theophylacto: *Non dicit, vt serues præceptum vsque ad mortem tuam, sicut cuidam dicitur in Apoc. 2. Esto fidelis vsque ad mortem; sed, vsque in aduentum Domini, scilicet vt eum magis excitet, inquit Theophylactus, mentione factâ illius gloriæ tremendæ. Nam frequens est Apostolus, imo tota Scriptura noui Testamenti in inculcando secundo Christi aduentu: tum quia ad gloriam quæ tunc reuelabitur, spectat ac protenditur omnis spes fidelium, quæ eos mirificè consolatur in omni tentatione, pressura & persecutione quam in hoc sæculo patiuntur; tum quia iudicij* ILLIVS FVTVRI COGITATIO SEGNIORIBVS TERROREM INGERIT, *simul & stimulos inijcit ad parandam viam iudici venturo.*

Qui solus habet immortalitatem, & lucem inhabitat inaccessibilem.

ET non etiam anima rationalis immortalis est, non sunt Angeli immortales? Est illa, sunt isti; sed quâ parte mutationi alicui obnoxia anima, obnoxij Angeli sunt, vera, plenâque immortalitate gaudere nequeunt, quia hæc soli Deo conuenit: Scitè Estius hîc: *Alias*, inquit, *subiicit diuinæ Maiestatis proprietates, ac primùm immortalitatem, quâ non solùm distinguitur à Regibus terrenis, qui mortales sunt, sed ab omni re creata.* NAM PERFECTA IMMORTALITAS EST OMNIMODA IMMVTABILITAS. *Omnis enim in deterius mutatio mors quædam est, & omne quod ita mutatur, quodammodo moritur, dum per mutationem desinit esse id boni quod erat.* Addi potest ea ratione qua solus Deus bonus dicitur, eadem & solum immortalem dici, quia à se habet id, quod est, alia per participationem.

1389. Cur dixit lucem inhabitare inaccessibilem, & non potiùs eum inaccessibilem esse? Sanctus Chrysostomus de incomprehensibili Dei natura hom. 3. *Lucem inaccessibilem habitat, atque attendas velim diligentiam Pauli, non enim dicit* QVI LVX INACCESSIBILIS EST: *sed qui lucem inaccessibilem habitat, scilicet vt intelligas, quam ipse habitans Deus inaccessibilis sit, quando domicilium quod inhabitat, inaccessibile est; non tamen ita hæc refert, vt Dei locum & domum suspiceris, sed quod latius quàm ipse Deus incomprehensibilis sit accipias, quapropter nec lucem incomprehensibilem habitat, dicit, sed inaccessibilem: quod longè plusquam incomprehensibile est: quod enim inquisitum inuestigatúmque comprehendi non potest, id esse incomprehensibile dicimus, quod autem ne inuestigandi quidem vllo pacto operam patitur, & ad quod nemo propiùs accedere potest, id inaccessibile est.*

Diuitibus huius sæculi præcipe non sublime sapere, neque sperare in incerto diuitiarum.

HÆc huius sæculi diuitibus præscribit: quid viris sæculo ipso maioribus, Deique obsequio mancipatis præstandum? Aptè rem vrget B. Laurentius Iustinianus tract. de compunct. Christianæ perfect. *Si diuitibus sæculi Paulus, Timotheo scribens, præcipit illos facilè tribuere, communicare, thesaurizaréque fundamentum bonum, vt vitam æternam apprehendant: quantò magis Apostolicis viris, qui amore Cælestis patriæ terrenarum omnium rerum debent habere contemptum?* 1390.

Huius sæculi. Quia nimirum alij diuites sunt extra hoc sæculum, qui, cùm pauperes hîc sint, in futuro futuri sunt diuites. Pulchrè S. Chrysost. hom. 2. ad Pop. *Qui dixit, Diuitibus huius sæculi,* DEMONSTRAVIT ET ALIOS FVTVRI SÆCVLI DIVITES ESSE; *qualis ille Lazarus erat, in præsenti quidem vita pauperrimus, in futura verò diues.*

Non sublime sapere. Desipit qui sublime sapit; 1391.
sed cur hoc diuiti tanquam præcipuum docet præcipiendum? *In primis*, inquit hic Sanctus Hieronymus, *principalem eorum tetigit morbum.* DIFFICILE DIVITEM INVENIES NON SVPERBVM, *qui pauperes, vel parentes agnoscat, & qui non grauiter ferat minimè sibi ab inferiori honorem deferri.*

Non sublime sapere. Cum diuitum morbus soleat esse superbia, *præcipe* (inquit Primasius) *non aduleris. Non sublime sapere. In primis* PRIMVM EORVM TERGIT MORBVM. *Difficillimè enim diuitem inuenies non superbum, qui pauperes, vel parentes agnoscat, & qui non grauiter ferat minimè sibi ab inferiore delatum honorem.*

Non sublime sapere. Diuites, sæpè superbia diuites, pauperes humilitate sunt. *Nihil est*, inquit S. August. serm. 5. de Verb. Dom. *quod sic generent diuitiæ, quomodo superbiam. Omne pomum, omne granum, omne frumentum, omne lignum habet vermem suum. Alius est vermis mali, alius pyri, alius fabæ, alius tritici:* VERMIS DIVITIARVM, SVPERBIA. *Ergo præcipe diuitibus huius mundi non superbè sapere. Exclusit vitium, docuit vsum.*

Non malæ diuitiæ sunt, si superbiam non foueant ac nutriant, quæ frequens illarum comes. *Nihil*, inquit idem S. Augustinus serm. 212. de Temp. *tam timendum est in diuitiis quam superbia, Apostolus Paulus hoc admonet Timotheum. Præcipe, inquit, diuitibus huius mundi, non superbè sapere. Non enim diuitias expauit, sed morbum diuitiarum.* MORBVS AVTEM DIVITIARVM EST SVPERBIA MAGNA. *Nam grandis animus est qui inter diuitias isto morbo non tentatur: maior animus diuitiis suis, qui eas vincit non concupiscendo, sed contemnendo. Magnus est ergo diues, qui non se ideo magnum putat: superbus & egenus est. In carne crepat, in corde mendicat: inflatus est, non plenus. Vtres autem duos si videas, vnum plenum, alterum inflatum, in vtroque eadem est magnitudo; sed non in vtroque eadem plenitudo. Si attendis, falleris: si appendis, inuenies. Qui plenus est difficilè mouetur, qui inflatus est, citò aufertur.*

Timere in incerto diuitiarum diues debet, 1392.
non in eo sperare. *Inde superbit diues*, inquit

S.Augu

S. Augustinus ad hunc Pauli locum spectans serm. 212. de Temp. cap. 5. *quia sperat in incerto divitiarum. Nam si incertum divitiarum prudenter attenderet*, NVNQVAM SVPERBIRET, SED SEMPER TIMERET, *quantò esset ditior, tantò fieret sollicitior; & secundum hanc vitam, non solùm secundùm illam. Multi enim in istis sæculi perturbationibus securiores pauperes fuerunt: multi autem propter suas divitias quæsiti & correpti sunt. Multi se habuisse planxerunt, quod semper habere minimè potuerunt.*

In incertu divitiarum; Cur incertum diuitiis affixit? S. Hieronymus hîc. *In incerto divitiarum de quibus incertum est, utrum illa tibi, an tu illis celeriùs* SVBTRAHARIS. Sola hæc incertitudo certa in diuitiis est, vt nihil certi coontineant.

In incerto divitiarum. Peritè post hæc S. Pauli verba, hæc verba subiicit S. Ambrosius serm. 39. *Vides ergo, ô dives*, QVIA SVNT TVÆ INCERTÆ DIVITIÆ, *quid ergo aurum congrègas, in quo nulla certa fiducia est? Auri tui avaritia cesset, & terra est: solidi tui cupiditas auferatur, & sordes sunt; aurum enim & argentum vilis est & abiecta materies. Ubi aurum increuit humana concupiscentiâ: tunc & his speciebus accreuerit ambitio. Aurum enim & argentum non pretiosum natura instituit, sed hominum voluntas effecit.*

Benè agere, divites fieri in bonis operibus, &c.

1393. AC si non satis sit diuites benè agere, nisi & in bonis operibos sint diuites, quorum abundantiâ iis periculis occurrant, quæ ipsis à terrenis diuitiis imminent. Præclarè rem vrget Estius. *Auget autem*, inquit, *Apostolus quod dixerat, benè agere; Neque enim divitibus sufficere debet quomodocumque bona operari, sed sicut abundant opibus*, ITA ABVNDARE DEBENT BONIS OPERIBVS, *& ex falsis divitiis veras opes, quæ in Christianis virtutibus consistunt sibi comparare. Quod potissimum fit dum erogantur divitiæ in proximorum necessitates.*

O Timothee, depositum custodi, devitans profanas vocum novitates.

O *Timothee, depositum custodi.* Hoc cuilibet tractatori, Doctorique aptat Vincentius Lirinensis. Religio sit hîc eius verba præterire. Commonit. 1. cap. 27. hæc habet: *Quid est depositum custodi?* CVSTODI, INQVIT, PROPTER FVRES, *propter inimicos; ne, dormientibus hominibus, superseminent zizania super illud tritici bonum semen, quod seminauerat Filius hominis in agro suo. Depositum, inquit, custodi. Quid est depositum? Id est, quod tibi creditum est, non quod à te inventum: quod accepisti, non quod excogitasti: rem non ingenij, sed doctrinæ: non usurpationis privatæ, sed publicæ traditionis: rem ad te perductam, non à te prolatam: in qua auctor non debes esse, sed custos: non institutor, sed sectator: non ducens, sed sequens. Depositum, inquit, custodi. Catholicæ fidei talentum inviolatum illibatúmque conserva. Quod tibi creditum est, hoc penes te maneat, hoc à te tradatur. Aurum accepisti, aurum redde. Nolo mihi pro aliis alia subiicias: nolo pro auro impudenter plumbum: nolo auri speciem, sed naturam planè. O Timothee, ô Sacerdos, ô tractator, ô doctor, si te divinum munus idoneum fecerit; ingenio, exercitatione, doctrinâ esto spiritalis tabernaculi Beseleel: pretiosas divini dogmatis gemmas exculpe, fideliter coapta, adorna sapienter: adiice splendorem, gratiam, venustatem.*

Depositum custodi. Hæc aptari superioribus possunt, quorum curæ commissi sobditi sunt. S. Oresiesis de Instit. monast. *Audiant*, inquit, *Apostolum scribentem ad Timotheum: O Timothee, depositum custodi, devitans profanas vocum novitates, & professionem falsi nominis scientiæ. Et nos habemus depositum à Deo traditum*, CONVERSATIONEM FRATRVM, *pro quibus & laboramus & expectamus futura præmia.* 1394.

Devitans prophanas vocum novitates; Non omnis nouitas vocum damnanda est, sed prophana, quâ prophanari recta fides possit: Audiendus hîc S. Augost. tract. 99. in Ioannem vbi ita rem explicat, & exemplis firmat: *Non ait verborum novitates, sed addidit prophanas: sunt enim & doctrinæ religionis* CONGRVENTES VERBORVM NOVITATES, SICVT *ipsum nomen Christianorum quando dici cœperit, scriptum est; in Antiochia enim primùm post Ascensionem Domini appellati sunt discipuli Christiani, sicut legitur in Actibus Apostolorum: & Xenodochia & Monasteria postea sunt appellata novis nominibus, res tamen ipsa & ante nomina sua erant, & religionis veritate firmantur, quâ etiam contra improbos defenduntur: adversùs quoque impietatem Arrianorum hæreticorum novum nomen Patres homousion condiderunt, sed non rem novam tali nomine signaverunt: hoc enim vocatur homousion, quod est: Ego & Pater unum sumus, unius videlicet eiusdem substantiæ, nam si omnis novitas prophana esset, nec à Domino diceretur: mandatum novum do vobis: nec Testamentum appellaretur novum, nec cantaretur in universa terra canticum novum.*

Vitetur igitur prophana vocum nouitas, vitæ nouitati semper studeamus.

PROBA NOVITAS QVA QVIS SEMPER INNOVATVR IN PROBITATE.

Finis Epistolæ primæ ad Timotheum expensæ, & illustratæ.

CAPVT PRIMVM EPISTOLÆ SECVNDÆ AD TIMOTHEVM EXPENDITVR ET ILLVSTRATVR.

1395 *Gratiarum actio beneficiorum magnes.*

1396 *Facilè quam maiores religionem habuere, sequuntur qui sequuntur.*

1396 *In bonis acceptis semper proficiendum.*

1397 *Ad Martyrium vt accenderit Paulus Timotheum.*

1397 *Ad virtutem maximè mouent, exempla domestica.*

1398 *Impij indigni, qui nominentur.*

1398 *Gratiam Dei, vt in se homo resuscitet.*

1398 *Dei gratia, vt data sit iis, qui nondum erant.*

1398 *Intuitu meritorum Christi gratia etiam antiquis data.*

1399 *Christi aduentus, illuminatio cur dictus.*

1399 *In omnes sua beneficia deriuare vt Deus studeat.*

1399 *Depositi nomine quid significetur.*

1399 *Res sacræ, ac spirituales contra ac temporales quò frequentius contrectantur eò pulchriores apparent.*

1399 *Deus propter vnum solet multis benefacere.*

1399 *Cur cum diligentia quæsitus Paulus qui in carcere erat.*

Gratias ago Deo, cui seruio à primogenitoribus meis.

1395. MIRVM qoàm multus, ac frequens Apostolus sit in gratiis Deo agendis, tanquam qui sciret gratiarum actionem esse acceptorum beneficiorum *custodem*, ac accipiendorum veluti MAGNETEM QVENDAM, vt ille ait. Custodit beneficia iam collata gratiarũ actio, & in accipientis sinũ alia trahit.

Cui seruio à primogenitoribus meis. Græcè est verbum λατρεύω, *quem colo*, cultu scilicet diuino; vt sit sensus totius loci, ex meliorum Auctorum mente. Quem à prima ætate vsque nunc colo, velut à maioribus acceptâ, & transfusâ religione, idque in conscientia purâ; quia quamuis aliquando persequutus sim Ecclesiam Dei, nunquam tamen aliud aut docui, aut feci, quàm conscientia mihi dictaret. Alij hunc locum restringunt ad tempus, quo Christianus effectus fuerat Apostolus, subque Christianæ religionis vexillo militabat; & licèt hoc quoque probabile sit, sensus tamen prior præferri solet, & luculenter eum firmat Estius adductis multis sacræ Scripturæ locis, quæ sensum illum, quem primo loco dedimus, probant.

A Primogenitoribus meis. Facilè qoam maiores 1396.
religionem habuere, qui sequuntur bibunt; vt singularis beneficij loco putandum sit, primogenitores habere, qui verâ veri Dei religione, veróque cultu insignes fuerint. AVIDE NIMIRVM LIBENTESQVE POSTERIORES EXCIPIVNT, QVOD EXCEPTVM A MAIORIBVS SVIS SCIVNT; & illa religio ad posteros facilè transit, quæ illos ligauit qui priùs fuere.

Quòd sine intermißione habeam tui memoriam in orationibus meis nocte ac die.

SOlet Paulus gratiarum actionem cum oratione coniungere; vt scilicet qui Dei beneficiis donati sunt, semper proficiant, ne grauiùs puniantur, si Diuinæ beneficentiæ non responderint; Præclarè hic Estius. *Solet*, inquit, *primùm gratias agere Deo de bonis in eos collatis ad quos scribit, deinde testificari quantùm adhuc sollicitus sit, & precibus apud Deum agat*, VT IN BONIS ACCEPTIS AMPLIVS PROFICIANT. Nemo enim contentus acceptis esse debet, tendendum ad vlteriora est, adspirandum ad meliora.

Habeam tui memoriam, in orationibus scilicet, 1397.
quas pro omnibus fundebat Apostolus. *Desiderans te videre.* Sed cui rei? *Vt te in bonis confirmem* (sic loquentem facit Apostolum B. Dionysius) & ASCENDAM AD MARTYRII PALMAM; adeò vt etiam Pauli verbis orationibúsque Ecclesia debeat, quod Martyrem S. Timotheum habeat.

Quæ

Quæ & habitauit primùm in auia tua Loide, & matre tua Eunice.

HAbitauit, hoc verbo stabilis inhæsio significatur, ac firma permansio. Timothei autem maiores laudat, *quod*, vt ait Estius, *non tam laudandi, quam exhortandi studio facit*; MOVENT ENIM VEHEMENTIVS AD VIRTVTEM EXEMPLA DOMESTICA, & maiori virtute ad virtutem prouocant cùm & frequentius videantur, & certiora sint, ac exploratiora.

1398. *Et matre tua Eunice.* Matris meminit, sed cur non & Patris? An quia in impietate viuens dignus non erat, qui hîc recenseretur? Hoc certè significauit Sanctus Chrysostomus, dum ait. *Laudans Timothei fidem Paulus, sic dicit: quæ habitauit in auia tua Loide, & matre tua Eunice, confido autem quòd & in te. Nusquam hîc patris nomen legitur, & quare? quia in impietate perseuerans*, NON ERAT DIGNVS QVI CVM FILIO NVMERARETVR. Sic ille homil. 6. de Anna. Eodem spectabat & B. Dionysius Carthusianus hîc: *Parentum fidem commemorat*, inquit, *vt fidem filij roboret.* TACET VERO DE PATRE TIMOTHEI, *quoniam gentilis erat, & infidelis, vt dicitur.* Nimirum qui mortuus Deo est, viuere in hominum memoria non meretur.

Propter quam causam admoneo te, vt resuscites gratiam Dei, quæ est in te per impositionem manuum mearum.

PRo *resuscitare* aliqui legunt, *recreare*; verbum Græcum *ἀναζωπυρεῖν* propriè significat ignẽ sopitum, ac torpentem flabello suscitare; quod aptè transfertur ad gratiæ resuscitationem; eam quippè homo in se resuscitat oratione, meditatione, lectione, ac studio rerum sacrarum, sancti propositi renouatione, & Sacramentorum vsu, similibúsque.

Et vocauit vocatione suâ sanctâ, non secundùm opera nostra, sed secundùm propositum suum, & gratiam, quæ data est nobis in Christo Iesu ante tempora sæcularia.

ET quì data est gratia antequam essent, qui eam reciperent? Sanctus Augustinus lib. 3. de doctrina Christiana hunc locúm ita explicat: *Non secundùm opera nostra, sed secundùm suum propositum, & gratiam quæ data est nobis in Christo Iesu ante sæcula æterna, manifestata autem nunc per aduentum Saluatoris nostri. Datam dixit gratiam*, QVANDO NEC ERANT ADHVC QVIBVS DARETVR: *quoniam in dispositione, ac prædestinatione Dei iam factum erat, quod suo tempore futurum erat, quo esse dicit manifestatam.* Estius sic explicat: *Quæ gratia, seu misericordia, quo ad effectus suos nobis per Christum data, idest intuitu meritorum Christi præparata est ab æterno.*

Manifestata est autem nunc per illuminationem Saluatoris nostri Iesu Christi.

1399. AC si diceret: Illa gratia, quæ nobis ab æterno erat præparata, hoc demum tempore manifesta facta est, per aduentum Christi Saluatoris nostri; nam pro *illuminatione*, Græcè est *ἐπιφανεία* idest *apparitio*, ex qua alibi Interpres *aduentum* reddidit. Cohærent hæ notiones, nam Christi aduentus ad omnium illuminationem fuit; venit enim vt tenebras eiiceret, lumen inueheret.

Sed hîc aliquis reponat; Cur nunc gratia ista dicitur manifestata, cùm etiam antiquis Patribus innotuerit? Estius ita respondet: *Agnita quidem fuit ea gratia à Patribus antiquis, qui per fidem Deo placuerunt, sed obscurius; neque tunc Mundo patefacta est, paucis sed duntaxat innotuit.* Tanto desiderio in omnes deriuare sua beneficia Deus studet, quæ in omnium profectum, & salutem sunt instituta, vt nihil illi fecisse videatur, nisi omnibus quantùm in illo est, exhibeat, quod ad omnes spectat.

Bonum depositum custodi.

DEpositi nomine, sicut & in priore Epistola intelligit Apostolus doctrinam successori creditam, & comendatam instar depositi, vt eam scilicet integrè custodiat, & ad alios pariter transmittat. Sed cum vndè in prima Epistola dixisset: *Depositum custodi*, nunc epitheton *bonum*, adiecit, Græcè *καλὸν*, *pulchrum*, *præclarum*. Nimirum res sacræ, ac spirituales quò magis contrectantur, eò pulchriores apparent, & venustiores; contra ac in corporalibus rebus accidat, quibus familiaritas multùm pulchritudinis, & decoris detrahit.

Det misericordiam Dominus Onesiphori domui.

MIsericordiam Onesiphori familiæ precatur Apostolus, non opes, non temporalem felicitatem. Sed cur vniuersæ familiæ Onesiphori misericordiam à Domino optat, cum ab vno Onesiphoro beneficium accepisset? An quia, vt ille ait, *soleat Deus propter vnum multis benefacere*? An quia tota familia particeps fuerit bonorum eius operum saltem eorum, quæ Ephesi exercebat? facilè enim à subditis fit, quod fieri à familiæ domino vident.

Cùm Romam venisset, sollicitè me quæsiuit, & inuenit.

QVæ diligentia, ac sollicitudo necessaria erat, vt inueniretur, qui carcere tenebatur? *Diligenter quæsitum se dicit*, ait Estius, *quamuis captiuum, quia non vnus erat carcer eorum, qui sistendi erant ad tribunal Cæsaris, sed complures.* Subdit Paulus: *Det illi Dominus inuenire misericordiam à Domino in die illa.* Ac si diceret: qui me tam sollicitè quæsiuit, & inuenit, vt misericordiam exhiberet, inueniat & ipse misericordiam à Domino.

CAPVT II.

EPISTOLÆ SECVNDÆ ad Timotheum expenditur & illustratur.

Et quæ audisti à me per multos testes, hæc commenda fidelibus hominibus, qui idonei erunt & alios docere.

1400. CVr coram multis testibus Timotheum instituit Apostolus, cùm solus solum posset informare? Vt statim ad multos doctrinæ fructus perueniret. Hoc Deum verè amantium est, VERBORVM SVORVM FRVCTVS IN PLVRES EXTENDERE, quum possunt. Sed non hæc sola causa fuit: alia, vt scilicet se Timotheus tueri posset, si doctrina, quam suadebat, calumniis peteretur: quòd scilicet eam à Paulo accepisset. Hoc plerique laborant morbo, vt facilè doctrinam, quam audiunt, carpant; cùm eam cordi insculpere deberent.

Nemo militans Deo, implicat se negotiis sæcularibus.

MVndi huius qui negotiis implicatur, quàm ægrè noxias animæ possit affectiones curare, explicat Sanctus Marcus Eremita de lege spirit. num. 108. in hunc modum. *Nemo (inquit Apostolus) militans Deo, huius vitæ negotiis implicatur: etenim, qui, hisce implicitus,* AFFECTIONES SVPERARE *voluerit, similis est ei, qui* PALEIS *conatur incendium restinguere.*

Nemo militans Deo implicat se negotiis sæcularibus. aliud est negotia temporalia exercere, aliud se illis implicare; Ab isto nos auocat Apostolus, non ab illo: quæ & suo exemplo tractari posse docuit. Peritè S. Thom. hîc. *Sed contra*, inquit, *Negotia sæcularia sunt temporalia: hoc autem Apostolus fecit, quando vixit de labore manuum suarum. Respondeo: Dicendum est, quod Apostolus dicit, Implicat; & non dicit,* EXERCET. *Ille autem eis* IMPLICATVR, *cuius cura, & solicitudo iungitur circa ipsa. Et tunc propriè ipsa hæc interdicuntur militibus Christi, in quibus ostenditur, non esse necesse implicari animum.* 1401.

Milites sumus, sub Christi vexillo Deo militamus, bellum contra Dei hostes gerimus; quæ tanquam spiritalibus militibus imitanda, quæ fugienda sint à petito, & milite, & duce habes. S. Chrysostomus conc. 1. de Lazaro ait: *Nullus militans implicatur temporariis negotiis:* MILES ES SPIRITALIS; *talis autem miles non dormit in lecto eburneo, sed humi; non oblinitur vnguentis, nam ista cura est meretriciis amoribus implicatorum ac perditorum, scenicorum, mentisque deploratæ hominum; te verò non oportet olere vnguentum, sed spirare virtutem; nihil immundius anima, quoties corpus talem habet fragrantiam.* 1402.

Implicat se. Plerumque etiam illi, qui Christo militant, negotiis sæcularibus implicantur: necessitate quadam, aut pietatis studio negotia temporalia tractant, sed non implicant se. Acutè S. Thom. hîc: *Non dicit simpliciter, Implicatur; sed dicit, Implicat se, quia quandoque sine pietate, & necessitate assumit negotia: sed, quando necessitas officij, pietatis, & auctoritatis* EXERCETVR, TVNC NON IMPLICAT SE; *sed implicatur huiusmodi necessitate. Rom. 16. 2. Assistatis ei in quocunque negotio vestri indiguerit.*

Implicat se negotiis sæcularibus. Sanctus Cyprianus epist. 66. totum hunc locum ita legit: *Nemo, militans Deo, obligat se molestiis sæcularibus.* Cohærent hæ lectiones: negotia quippe sæcularia meræ molestiæ sunt, molestiam ea tractantibus affricant. Licèt vniuersè id omnibus dicatur, quàm iustius id præcipuè dictum sibi putare debent, qui sui muneris, & officij lege rebus Diuinis sunt addicti, & Diuini cultus obsequiis mancipati. Præclarè rem vrget idem S. Pater loco producto, vbi ait: *Scriptum est: Nemo militans Deo obligat se molestiis sæcularibus, vt possit placere ei, cui se probauit. Quod cum de omnibus dictum sit,* QVANTO MAGIS MOLESTIIS, ET LAQVEIS *sæcularibus obligari non debent, qui Diuinis rebus, & spiritalibus occupati, ab Ecclesia recedere, & ad terrenos & sæculares actus vocari non possunt.*

Implicat se negotiis sæcularibus. An hoc Timotheo ipsi timet, ne se negotiis sæcularibus implicaret? Nobis hæc magis dicta, & scripta vult; nósque omnes monet, ne, negotiis, quæ

sæculum

sæculum sapiant, addicti, cœlestia negligamus.

Nam & qui certat in agone, non coronatur, nisi legitimè certauerit.

1403. LEgitimè ille certat, qui omnium passionum bella ita petagit, vt in omnibus sit victor; adeò vt legitimè non certet, qui exacto vno certamine sistit. Sanctus Zeno Episcopus Veronensis serm. in psalm. 127. illud voluit cum scripsit, hunc Pauli locum tangens: *Nouit beatus Apostolus Paulus hinc longi prælij coronam dicens: Nemo coronatur, nisi qui legitimè certauerit. Certamen tantum non sufficit ad coronam.* LEGITIME CERTANDVM EST, *id est omnia passionum bella peragenda sunt.* NON SVFFICIT SEMEL, NEQVE VNIVS CERTAMINIS BELLO MILITASSE. *Et audiamus hoc ipsum legitimum certamen, cum dicit de se: In laboribus copiosius, in plagis abundantius, in custodiis eminentius, in mortibus frequenter. A Iudæis quinquies quadraginta vna minus accepi. Ter virgis cæsus sum, semel lapidatus sum, ter naufragaui: noctem & diem in profundo maris feci.*

Intellige quæ dico; dabit enim tibi Dominus in omnibus intellectum.

1404. NE scilicet ab ingenij sui acumine expectaret, quod à Deo est. *Propter quod*, inquit Philippus Abb. Bonæ spei epist. 2. *Apostolus, cum dixisset Timotheo: intellige, quæ dico, statim subiunxit: Dabit enim tibi Dominus intellectum, satis liquido manifestans; quia* INTELLIGENDI MENSVRA *non est sita in hominis voluntate, sed* IN DOMINI GRATVITA LARGITATE.

Memor esto, Dominum Iesum Christum resurrexisse à mortuis.

REsurrectionis memoria valde vtilis est adeo, vt in virum alterum mutare hominem possit. Hinc illud Richardi Victorini: *Apostolus ait ad Timotheum: Memento Dominum Iesum resurrexisse a mortuis; sicut enim ex cupiditate quæ est radix omnium malorum oriuntur mala desideria, & nociua quæ mergunt hominem in perditionem, & in interitum; sic ex assidua resurrectionis memoria nascuntur sancta desideria, & affectiones piæ, mundi contemptus, amor æternorum,* ET MVTATVR HOMO IN VIRVM ALTERVM, ET SPIRITALIS EFFICITVR. Sic ille serm. in die Paschæ; quòd si tot bona quis non consequitur, est, quia seriò hanc resurrectionem non cogitat, sed extimè tantum, & aliud agens. Ad Episcopum scribebat Paulus, & tamen cum multa exhibere ei monita posset, in hoc vno alia clausit, vt scilicet Dominicæ Resurrectionis memor esset, vt hinc colligeremus quanti momenti hæc memoria sit.

Ideo omnia sustineo propter electos, vt & ipsi salutem consequantur.

1405. ET non certa electio Dei est? est; sed opportuna media non excludit. *Iam ex eo*, inquit Estius, *quod dicit, propter electos; discimus certam Dei electionem, quâ nos ad salutem infallibiliter elegit, adeo non excludere necessitatem bonorum operum; vt etiam ea statuat tanquam media quædam ad ipsam implendam à Deo ordinata; sicut eandem electionem implet per actiones, & passiones ministrorum suorum.*

Omnia se sustinere ait Paulus propter electos, vt & ipsi salutem consequantur; nunquid Apostolus salutis suæ immemor est, vt sui oblitus, pro aliorum salute se aduersa omnia sustinere affirmet? non est, nam qui animarum lucris studet, suam salutem quærit, magisque vt ita loquar, suam salutem stabilit: Denique signatè dixit, *& ipsi*, vt innueret, & suæ, & alienæ salutis causâ se omnia sustinuisse.

Si non credimus, ille fidelis permanet: negare seipsum non potest.

NOn esset, si negare se ipsum posset. Rectè 1406.
hunc locum exponebat Sanctus Ambrosius in psalm. 118. octon. 20. *Negare semetipsum non potest, non potest vtique, non per infirmitatem, sed per integritatem: non per impossibilitatem faciendi, sed per obseruantiam iudicandi.* QVID NON POTEST QVI OMNIA POTEST, NISI QVOD POSSE NOLIT? *non vult posse quod damnet, non vult posse aduersùs fidem, non vult posse aduersùs veritatem.*

Noli contendere verbis; ad nihil enim vtile est, nisi ad subuersionem audientium.

VTiliter hunc locum versat B. Laurentius Iustinianus de interiori conflictu cap. 2. Contentionis recensens damna, dum ait: *Difficile qui humilitate caret* CONTENTIONES *euitat, quæ iurgia seminant, audientiúmque conturbant animos. Fuge (inquit Apostolus Timotheo) contentiones. Ad nihil enim valent, nisi ad subuersionem audientium. Subuertunt quidem, dum plerumque à veritate faciunt dissentire. Ex ipsis namque hæreses, & opiniones exortæ sunt falsæ, cordis hoc suadente tumore. Qui verus est Christi discipulus tanquam humilitati oppositas disceptationes effugiet, non garrulè contendet verbis, non clamabit, non pertinaciter contradicet, magis alieno, quam suo iudicio credet, circuncidet os suum, ne cuiquam cadendi offendiculum ponat.*

In magna autem domo non solùm sunt vasa aurea, & argentea, sed & lignea, & fictilia.

IN Ecclesia diuersa hominum sunt genera, bo- 1407.
nos vasa aurea, & argentea significant, malos lignea, & fictilia vasa, instrumentáque alia quæ variis efformandis figuris seruiunt, non mutandæ materiæ; nec enim arte quod ligneum, aut fictile est, argenteum, aut aureum reddi potest; aliter in Ecclesia fit. Sanctus Chrysostomus conc. 3. de Lazaro, ita de hac re philosophatur. *Quemadmodum illis artis instrumenta sunt malleus, incus, forceps, sic & nobis artis instrumenta sunt, Apostolorum ac Prophetarum libri, omnisque Scriptura diuinitus inspirata, & vtilis: & quemadmodum illi per instrumenta quicquid faciendum susceperint perficiunt: ita sanè & nos per hos fabricamur animam nostram, deprauatámque corrigimus, & inueteratam renouamus, atque illi quidem hactenus modo præstant*

suam

suam artem vt formam addant rebus, neque enim possunt materiam vasorum transmutare, neque ex argento aurum reddere: sed harum rerum figuras, componunt dumtaxat, tu verò non ita, sed amplius quiddam potes, nam LIGNEVM VAS ACCEPTVM, POTERIS ALIQVANDO REDDERE AVREVM, *cui rei testis est Paulus, in hunc loquens modum: in magna autem domo non solùm sunt vasa aurea, & argentea, sed & lignea fictiliaque:*

Seruum autem Domini non oportet litigare, sed mansuetum esse ad omnes; docibilem, patientem.

1408. ITa ne ad omnes? quid si aliquis durè sit increpandus, seuerè arguendus, quod Episcopi officium est; *Quod ait ad omnes*, inquit hîc Estius, *intellige quantum ad animi præparationem attinet.* NAM ETSI. MANSVETVDO SEMPER ANIMO RETINENDA EST, NON SEMPER TAMEN, ET VBIQVE DECLARANDA, *sed tempore, & loco opportunis. Est enim cum Episcopus arguere quosdam debet cum imperio, & durè increpare. Tit. 1. & 2. idque exemplo Christi, ac Prophetarum, & Apostolorum eius, qui in homines criminosos, & hypocritas, interdum acerbissimis sermonibus inuecti leguntur.*

Docibilem. Græcè, διδακτικὸν idest idoneum, ac promptum ad docendum: superius 1. Tim. 3. eandem vocem Interpres vertit, *Doctorem*, vnde male passiuè aliqui hanc vocem accipiunt; quanquam vt ait Sanctus Cyprianus epistol. quæ est ad Pompeianum huc spectans; *Oportet Episcopum non tantùm* DOCERE, *sed &* DISCERE, *quia & ille melius docet, qui quotidie crescit, & proficit*, DISCENDO MELIORA. Benè ille discit, qui benè docet.

Patientem. Græca vox, quæ hic habetur, ἀνεξίκακος significat propriè tolerantem malorum, quod ad res, & ad personas referatur, ferè enim accidit vt qui docendo suo munere fungi vult, statim multos sibi hostes acquirat, & veritatem nudè efferens plures offendat.

CAPVT III.

EPISTOLÆ SECVNDÆ ad Timotheum expenditur & illustratur.

SECTIO I.

1409 *Amor sui quàm noxius.*
1409 *Extra se abit, qui se nimium amat.*
1410 *Deum, qui non amat, amando se, in se non remanet.*
1410 *Aduersùs homines arrogans blasphemus in Deum fit.*
1411 *Ingratitudinis vitium quàm graue.*
1411 *Incontinentia, & Intemperantia grauitas.*
1412 *Vera pietas quærenda, non eius species.*
1413 *Peccatis oneratus facilè ad alia mouetur.*
1414 *Qui veritati resistunt, resistunt Deo.*

In nouissimis diebus instabunt tempora periculosa: erunt homines seipsos amantes, cupidi, elati, superbi, blasphemi.

INstabunt tempora periculosa. Sed vnde erunt? Quod erit malorum caput, & origo? Subdit: *Erunt homines seipsos amantes.* Nocentior omni odio hic amor est. 1409.
Audite Apostolum, ait Saoctus Augustinus serm. 29. ex. 40. nuper editis. *In nouissimis, inquit, temporibus instabunt tempora periculosa. Quæ sunt tempora periculosa? Erunt homines seipsos amantes.* HOC EST CAPVT MALI. Cæterorum malorum fons & origo est amor sui; vnde non mirum si hoc vitium ante alia Paulus collocauerit, quia ab hoc cætera vt à sua origine prodeunt.

Erunt homines seipsos amantes. Odio dignus iste amor est, & omni odio nocentior. Addit statim, *Cupidi.* Nimirum, qui noxio in se fertur amore, statim extra se abit, alia cupit. Perdit se, dum perditè incipit amare, quæ extra se. Hunc verborum nexum expendit Sanctus Augustinus serm. 47. de diuers. vbi pro *Cupidi*, habet, *Amatores pecuniæ.* Sic autem scribit Sanctus Doctor: *Nunquid, qui amat se, fidit in se? Incipit enim, deserto Deo, amare se; & ad ea diligenda,* QVÆ SVNT EXTRA SE, PELLITVR A SE *vsque adeò, vt, cum dixisset idem Apostolus: Erunt homines seipsos amantes, continuò subiiceret, Amatores pecuniæ. Iam vides quia foris es. Amare te cœpisti? Sta in te, si potes. Quid is foras? Nunquid, pecunia diues, factus es amator pecuniæ? Cœpisti diligere, quod extra te: perdidisti te. Quùm ergo pergit amor hominis etiam à se ipso ad ea, quæ foris sunt, incipit cum vanis euanescere, & vires suas quodammodo prodigus erogare.*

Amant se, qui amare eum debebant, qui illos 1410.
fecit; incipit Deo placere, qui displicet sibi, placeat qui te fecit, non quod tu ipse fecisti; a probo calamo optimum monitum accipe; sic habet S. August. *Opera tua si non fuerint laus Dei, incipis teipsum amare: & pertinebis ad illos, de quibus dicit Apostolus: erunt enim homines seipsos amantes, displice tibi, placeat tibi qui te fecit: quia in eo tibi displicet quod in te ipse fecisti. Opus ergo tuum sit laus Dei.* Sic ille in psalm. 44.

Erunt homines seipsos amantes, cupidi. Seu, vt legit Sanctus Augustinus, *Amatores pecuniæ.* Vides, vt statim exeant extra se, qui amare se dicebantur. Erunt amantes seipsos, erunt amatores pecuniæ; statim enim à se abit, qui se, Deo neglecto, amat. *Quisquis, dimisso Deo, amauerit se*, inquit S. August. serm. 29. ex 40. nuper editis, DEVMQVE DIMISERIT, AMANDO SE, NON REMANET NEC IN SE, SED EXIT ET A SE. *Videte, audite Apostolum huic sensui testimonium perhibentem: erunt, inquit, homines seipsos amantes,*

amantes, amatores pecuniæ. Vbi es, qui te amabas? Nempe foris es. Rogo te: pecunia nunquid tu es? Nempè, qui, neglecto Deo, amasti te, amando pecuniam deseruisti & te. Priùs deseruisti, postea perdidisti; fecit enim amor pecuniæ, vt perderes te.

Blasphemi. Post superbiam meminit blasphemiæ: *plerumque* enim (vt ille ait) *vsu venire solet, vt qui aduersus homines arrogans, & superbus est, procedente malitiâ* BLASPHEMVS FIAT, *& vsque ad Deum iniuriâ pertingat.*

Ingrati, scelesti, sine affectione, sine pace, criminatores, incontinentes.

1411. INgrati. Mirum, cur inter grauia crimina, quæ periculosa reddunt tempora, ingratitudinem numerat Apostolus; ne nos scilicet inter leuia numeraremus. *Vel hinc coniicere licet*, inquit Estius, QVAM GRAVE SIT VITIVM INGRATITVDO; *quòd eam Paulus annumeret iis peccatis, quæ reddunt tempora periculosa.*

Criminatores, incontinentes. Ex eo quòd incontinentiam, & intemperantiam inter grauia numerat crimina, mali huius grauitatem possumus colligere. Collegit Sanctus Basilius in regulis fusius disputatis interrog. 16. vbi ait: *Quàm verè* METVENDA INTEMPERANTIA SIT, *etiam Apostolus docet, qui inter ea, quæ illorum propria sunt, qui desciscunt à Deo, illam enumeret. In nouissimis enim, inquit, diebus, instabunt tempora periculosa; erunt enim homines seipsos amantes. Et pluribus enumeratis vitiorum generibus, postremo adiunxit: Criminatores, incontinentes: Atque Esau etiam vitio (quasi maximum malorum omnium) data incontinentia est, qui vno ferculo primogenita sua vēdidisset. Incontinentia etiam illa fuit, propter quam à Dei præceptis homo primùm discessit. Contra verò Sancti viri omnes, quotquot vnquam fuere, continentiæ laude sunt commendati. Ad hæc omnis Sanctorum ac Beatorum vita, ipsiúsque adeò Domini nostri Iesu Christi, quamdiu ille cum corpore apud nos fuit, exemplum, ad hanc vtiliter nos adhortatur.*

Habentes speciem quidem pietatis, virtutem autem eius abnegantes.

1412. HAbentes speciem quidem pietatis. Informis hæc pietatis forma est, si virtus desit. Sanctus Augustinus ser. 11. de Verb. cap. 19. ait. *Dicit Apostolus: Habentes* FORMAM *pietatis, virtutem autem eius abnegantes. Potest enim esse visibilis* FORMA *palmitis etiam præter vitam: sed inuisibilis vita radicis haberi non potest nisi in vite. Proinde corporalia sacramenta, quæ portant, & celebrant etiam segregati ab vnitate corporis Christi, formam possunt exhibere pietatis: virtus verò pietatis inuisibilis, & spiritualis ita in eis non potest esse, quemadmodum sensus non sequitur hominis membrum, quando amputatur à corpore.*

Habentes speciem quidem pietatis. Hæc Pauli verba humiliter ad se flectebat, & ad suos Guarricus Abbas Igniacensis ser. 4. in Epiph. Dom. dum ait: *Habentes speciem pietatis, virtutem autem eius abnegantes. Quid enim ita* SPECIEM PIETATIS HABET, *sicut hæc, quam prætendimus, humilitas tonsuræ, & habitus, parsimonia cibi, & potus, labor ferè continuus, & ordinatissimus per omnia viuendi modus. Cæterùm de virtute ipsa pietatis, quam hæc species exterior promittit, quam propè nihil in me mihique similibus valeat inueniri, pudor mihi esset confiteri, si non omnibus essemus manifesti. Quæ est enim virtus pietatis, nisi charitas non ficta, humilitas vera, patientia longanimis, obedientia non segnis? In his virtutibus, earumque similibus quantum nobis liceat gloriari, vestro, fratres, relinquimus iudicio, de me si quidem ingenuè confiteor, quia nomina quidem earum scio, saporem adhuc ignoro. Meritò itaque pudorem mihi pariter, & timorem incutit habitus, quem gero religionis, cui ferè nullum suffragatur testimonium virtutis.*

Et hos deuita.

HOs deuita. Peritè ad hæc verba S. Chrysostomus: *Si ergo in nouissimis temporibus homines huiusmodi futuri sunt, quomodo ait, Et hos deuita? Intelligi profectò datur, & tunc huiusmodi fuisse quosdam; etsi non tam multos, fuisse tamen. Sed verius fortasse dicimus, per illum admoneri omnes, vt hos deuitent.* 1413.

Ex his enim sunt, qui penetrant domos, & captiuas ducunt mulierculas.

NOtatur eorum impudentia, qui callidè se se insinuant, & ingerunt in aliorum familias; sed cuius rei causâ: non vt vtilitatem aliquam iis afferrent, sed vt ait Estius, *ventris causâ.* Addit Apostolus, *& captiuas ducunt mulierculas.* Vbi idem auctor. *Qua quidem in re serpentis antiqui sunt imitatores; qui tentationis initium fecit è muliere; nec tamen, dicit mulieres; sed diminutiuè, mulierculas: vt de iis se loqui significet, quæ in genere mulierum leuiores sunt, & inconstantiores.*

Oneratas peccatis. Qui onus graue gestat, difficilè aliò trahitur; hìc contra fit, facilè abducuntur mulieres peccatis oneratæ; ad nouum peccatum leui brachio ducitur, qui priùs alicui se crimini subiecit, & alicuius culpæ onus fert. S. Chrysostomus hic hom. 7. ad illud, *oneratas peccatis*, ait: *Vides vnde quoque illæ* FACILES AD FALLENDVM SINT, *à peccatis, ex eo scilicet quòd nihil boni sint consciæ.*

Quemadmodum autem Ioannès, & Mambre restiterunt Moysi, ita & hi resistunt veritati.

NOn caret mysterio, quòd dixerat eos potiùs veritati resistere, quàm hominibus eam prædicantibus. *Non dicit*, inquit Estius, *resistunt nobis; quamuis dixisset, restiterunt Moysi, sed resistunt veritati. Scilicet Euangelicæ; quia resistentia eorum & pugna, non tam est contra homines veritatem prædicantes,* QVAM CONTRA VERITATEM IPSAM, QVAM II PRÆDICANT: ET PROINDE CONTRA DEVM; *quo reuelante & iubente prædicatur. Vnde & Moyses populo murmuranti dicebat: Non contra nos est murmur vestrum, sed contra Dominum.* 1414.

Qualia mihi facta sunt Antiochiæ, Iconiæ, & Lystris.

CVr tres tantùm vrbes recenset, in quibus fit passus Apostolus, cùm alias plures vrbes; alia plura loca tormentorum perpessione nobilitauerit?

tauerit? *Per has tres vrbes* (inquit Beatus Dionysius Carthusianus) *alia loca, in quibus persequutionem pertulis, intelliguntur.* Satis Apostoli instituto fuit has recensuisse. Vel istud fecit; quia hæ ciuitates maximè notæ Timotheo erant, & notiora eidem; quæ ibidem passus Paulus erat: erat quippe Timotheus ex Lystris oriundus, vrbe reliquis duabus vicina.

SECTIO II.

1415 *Persecutiones sanctitati nil officiunt, sed eam augent.*
1415 *Pietatis cultores, vt semper persecutionem patiantur.*
1416 *Vt homines in homines non sæuiant, sæuiunt passiones, & vitia.*
1416 *Piorum occultæ persecutiones.*
1417 *Aliorum persecutiones nostras charitas facit.*
1417 *Bonæ voluntatis propositum, vt Dæmoni displiceat.*
1418 *Dei gratia grauia quæque reddit leuia.*
1419 *Nulli persecutio deest.*
1419 *Multæ iustorum persecutiones.*
1420 *Cum vitiis semper pugnandum.*
1421 *Diabolus semper nos oppugnat.*
1422 *Studium sacrarum literarum in Ecclesiasticis viris commendatum.*
1423 *Qui aliis præest, in omnibus se probet Dei hominem esse.*

Et omnes, qui piè volunt viuere in Christo Iesu, persequutionem patientur.

1415. FAcilius aduersa fert, si pares quis alios habeat in eo quod patitur, *Supra,* inquit Sanctus Thomas, *proposuit Timotheo in exemplum persequutiones quas ipse passus fuerat; & ne videatur ipse solus per huiusmodi persequutiones transisse, ostendit eas esse communes Sanctis.* Et nonnullis interiectis addit; *hoc maximè verum in primitiua Ecclesia, quando Christus vndique impugnabatur à Iudæis, & Gentibus.*

Ex his colligas persequutiones adeo non officere sanctitati, vt eam feruent, & augeant; certè cum primo Christianæ fidei æuo maximè sæuiret persequutio in fideles, maximè fidelium elucebat pietas, ac sanctitas. Nimirum qui inter persequutiones à pietate abit, verus non erat cultor pietatis.

Sed quod hîc habet Apostolus, porrigere ad omnes possumus, & ad omnia sæcula. Pietatis cultores semper sustinent persequutiones, & vt aliæ desint, hæc est maxima, malorum malis moribus, malis exemplis intimè cruciari. Aduocanda huc sunt, quæ sublimiter vt solet de hac re habet Sanctus Augustinus lib. 18. de Ciuit. Dei cap. 51. *Quicunque volunt in Christo piè viuere persecutionem patientur, nullis putandum est deesse posse temporibus: quia & cum ab eis qui foris sunt, non sæuientibus videtur esse tranquillitas, & re vera est, plurimùmque consolationis affert, maximè infirmis: non tamen desunt, imò multi sunt intus,* QVI CORDA PIE VIVENTIVM SVIS PERDITIS MORIBVS CRVCIANT: *quoniam per eos blasphematur Christianum, & Catholicum nomen, quod quantò charius est eis, qui volunt piè viuere in Christo, tantò magis dolent, quòd per malos intus positos fit, vt minus quam piorum mentes desiderant, diligatur.*

Omnes patiuntur persequutiones; & demus in pios non sæuire homines malos, sæuiunt passiones, persequuntur eos vitia, vt desinant esse quod sunt, si aditum his persequutoribus præbeant. Benè S. Ambrosius in psal. 118. oct. 20. 1416.
Omnes qui volunt piè viuere in Christo Iesu persecutiones patientur. Omnes dixit, nullum excepit, quis enim exceptus potest esse, cum ipse Dominus persecutionum tentamenta tolerauerit? PERSEQVITVR AVARITIA, PERSEQVITVR AMBITIO, *persequitur luxuria, persequitur superbia, persequitur fornicatio.*

Omnes pietatis cultores persequutiones patientur, vt ab hac parte probetur, verū verè fiat, quod esse dicuntur: itane omnes qui piè volunt viuere persecutionē patiuntur? & non multos videmus a malis se eximere, & pietati litare? Et vero licèt manifestæ persecutioni non subiaceant, subiacent occultæ. Estius hîc de hac re ita disserit: *An ergo qui persequutionem nō patitur, tranquillam, & placidam agit vitam, vel solitarius, vel cum paucis, aliis iisque bonis, non piè viuit in Christo? Respondeo, duplicem esse persecutionem: aliam manifestam, aliam occultam. Manifesta persecutio non ad omnes pertinet, qui piè viuunt, sed ad paucos cæterorum comparatione.* OCCVLTA PERSECVTIO PIIS OMNIBVS EST COMMVNIS, *non solùm propter occultam pugnam carnis aduersùs spiritum, & perpetuam omnium piorum colluctationem aduersùs spiritualia nequitiæ; verùm etiam propter societatem hominum malorum, inter quos quisque iustus cogitur, non sine dolore, & molestia, conuersari, quantumuis ab iis abstrahere se conetur.*

Si vera nos charitas corripiat, aliorum perse- 1417.
quutiones nostræ fient, aliorum infirmitates in nos sæuient, vt semper habituti persequutores simus dum proximus noster patitur. Audiendus hîc Sanctus Augustinus qui in psal. 54. ita scribit: *Non desunt persecutiones, quia verum est illud: omnes qui volunt piè viuere in Christo persecutionem patientur; non pateris persecutionem, non vis piè viuere in Christo. Vis probare verum esse quod dictum est, incipe piè viuere in Christo; vt pertineat ad viscera tua, quod ait Apostolus; Quis infirmatur, & ego non infirmor? Quis scandalizatur, & ego non vror? Aliorum infirmitates, aliorum scandala, persecutiones illi fuerunt.*

Qui piè volunt viuere. Nimirum bonæ voluntatis propositum maximè petit; præcipuéque infestat ille, qui noster præcipuus est hostis. Sanctus Leo serm. 19. de Passione Dom. ad hæc Pauli verba ait: *Etsi pietas bonorum cupiat malos corrigi, conuersionémque multorum per gratiam Dei miserentis obtineat: malignorum tamen spirituum aduersùs Sanctos insidiæ nō quiescūt, & siue occulto dolo, siue aperto prælio* IN OMNIBVS FIDELIBVS PRO-

POSITVM BONÆ VOLVNTATIS INFESTANT. *Inimicum autem iſtis eſt omne, quod rectum; omne, quod caſtum eſt.*

1418. *Omnes, qui piè volunt viuere in Chriſte Ieſu, perſequutionem patientur.* Opponat hîc aliquis, quî hæc Apoſtoli verba cum Chriſti verbis cohæreant, quibus dixit, eius onus leue, & iugum ſuaue. Vtrumque verum. Quæ extimè grauia videntur, leuia ſiunt, ſi ſpiritus Dei adſit, Dei gratia non deſit, & ſpectentur præmia, quibus afficientur, qui dura æquo animo ferunt. Præſtat hîc audire S Aug. qui ſerm. 9. de Verb. Dom. ait: *Cùm Apoſtolus dicat: Omnes, qui volunt in Chriſto piè viuere, perſequutionem patientur: ait ergo aliquis: Quomodo iugum lene, & ſarcina leuis: quandoquidem illud iugum, & ſarcinam ferre nihil eſt aliud, quam piè viuere in Chriſto. Et quomodo dicitur? Venite ad me omnes, qui laboratis, & onerati eſtis, & ego reficiam vos, ac non potiùs dicitur: Venite, qui vacatis, vt laboretis, nam & vacantes inuenit, quos conduxit in vineam, vt ferrent æſtum diei. Et ſub illo iugo leni, & ſarcina leui audiamus Apoſtolum dicere: In omnibus commendantes noſmetipſos tanquam Dei miniſtros in multa patientia, in tribulationibus in neceſſitatibus, in anguſtiis, in plagis, &c. Et alio loco in eadem Epiſtola: A Iudæis quinquies quadragenas, vna minus, accepi: ter virgis cæſus ſum, ſemel lapidatus ſum, ter naufragium feci, nocte & die in profundo maris fui; & cætera pericula, quæ numerari quidem poſſunt, ſed tolerari niſi Spiritu Sancto iuuante nõ poſſunt. Omnia ergo illa, quæ commemorauit aſpera & grauia, frequentiùs & abundantiùs ſuſtinebat;* SED PROFECTO ADERAT EI SPIRITVS SANCTVS, *qui in exterioris hominis corruptione interiorem renouaret de die in diem; &, guſtatâ requie ſpiritali in affluentiâ deliciarum Dei, in ſpe beatitudinis futuræ, omnia præſentia deliniret aſpera, & omnia grauia releuaret. Ecce quàm ſuaue iugum Chriſti portabat, & quàm leuem ſarcinam, vt omnia illa, quæ ſuperiùs enumerata, dura, & immania omnis auditor horreſcit, leuem tribulationem diceret; intuens interioribus & fidelibus oculis, quanto pretio temporalium emenda ſit futura vita, non pati æternos labores impiorum, ſed ſine vlla ſolicitudine perfrui æterna felicitate iuſtorum.*

1419. Bonis non deeſt perſequutio, ne coronarum deſit occaſio. Perſequutionem inferunt mali, Dæmonum malitia excitati, qui maximè ſæuit in Sanctos. Sanctus Leo ſer. 19. de Paſſ. Dom. hæc habet ad verba producta: *Apoſtolus dicit: Omnes, qui piè volunt viuere in Chriſto Ieſu, perſequutionem patiuntur. Quâ ſententiâ nimis tepidus, & ſegnis oſtenditur,* QVI NVLLA PERSEQVVTIONE PVLSATVR: *pacem enim cum hoc Mundo niſi amatores Mundi habere non poſſunt, & nulla vnquam iniquitatis cum æquitate communio; nulla mendacio cum veritate concordia, nullus eſt tenebris cum luce conſenſus.*

Perſequutienem. Sanctus Ambroſins videtur legiſſe, *perſequutiones*, niſi dicamus, vnam continuitate quadam eſſe, plures ob multitudinem hoſtium. Productus Doctor in pſalm. 118. octon. 11. ita ſcribit: *Sciebat quòd omnes qui volunt piè viuere in Chriſto Ieſu perſecutiones patiuntur; mauult ergo perſecutiones pati, vt piè viuere in Chriſto poſſit,* ET BENE NON VNAM PERSECVTIONEM, SED MVLTAS PERSECVTIONES DIXIT, *nec expreſſit vocabula perſequentium; quia multi perſecutores, non ſolùm quos videmus, ſed etiam quos non videmus, perſequuntur nequitia ſpiritales; perſequitur hæreticus, Iudæus, Gentilis. Omnes ergo ſub perſecutoribus qui volunt piè viuere: quia vbi multi perſecutores, nullum à perſecutionibus vacat tempus piè viuere geſtienti.*

Vt deſit externus perſequutor, timendus internus eſt. Paſſiones & vitia actiùs, quàm tyrannus aliquis in nos ſæuiunt. Religio ſit hîc deſiderari verba Sancti Leonis ſerm. in Natiuit. ſept. frat. Machab. Sic ille ſcribit: *Apoſtolus dicit. Quicunque in Chriſto piè volunt viuere, perſequutionem patientur propter iuſtitiam. Qui ergo putas quieuiſſe perſequutionem, & nullum tibi cum hoſtibus eſſe conflictum; intimum cordis tui ſcrutare ſecretum, & omnes receſſus animæ tuæ diligens explorator ingredere, & vide ſi nulla te impugnat aduerſitas, ſi nullus tyrannus vult in mentis tuæ arce dominari.* NOLI CVM AVARITIA PACEM FIRMARE, *& iniquorum quæſtuum incrementa contemne. Superbiæ concordiam nega; & magis time in gloriam ſuſcipi quàm in humilitate calcari. Diſſociare ab ira, nec dolorem inflammet inuidia, cupido vindictæ. Renuncia voluptati, auertere ab immunditia, repelle luxuriam, fuge iniquitatem, omitte falſitatem: & cùm videris te multiplicem habere pugnam, tu quoque imitator martyrum, numeroſam quære victoriam.* 1420.

Patiuntur perſequutiones, qui volunt piè viuere; tanquam ſi pietatis merces perſequutio eſſet. *Quouſque durat,* inquit S. Bern. epiſt. 51. *illa ſententia? Omnes qui piè volunt viuere in Chriſto, perſequutionem patiuntur. Quouſque relinquitur virga peccatorum ſuper ſortem iuſtorum? Quis det, vt ſtare incipiant iuſti in magna conſtantia aduerſus eos qui ſe anguſtiauerunt? Quis iam ferat tantam inter cœlum terrámque diſcordiam, vt exultantibus Angelis ſuper emendatione malorum, filij Adam fremant & tabeſcant? quaſi non ſit paſſus Ieſus pacificans in ſanguine ſuo, quæ in terra ſunt, & quæ in cœlo, aut in ipſo Deus non fuerit tandudum reconcilians ſibi.*

Denique nunquam deeſt perſequutio piis, quia ſemper adeſt Diabolus, qui tanquam ſæuiſſimus hoſtis eos perſequitur, adeo vt quò magis homines pij ſunt, eò ſæuius in eos Satanicus hoſtis debacchetur. S. Chryſoſt. conc. 3. de Lazaro: *Paulus dicit. Omnes qui volunt piè viuere in Chriſto Ieſu, perſequutionem patientur,* ET SI HOMO NON PERSEQVATVR; DIABOLVS TAMEN OPPVGNAT, *vnde multa nobis opus eſt philoſophiâ, multa fortitudine; vt in precibus vigilemus, nec vnquam dormitemus, ne res alienas concupiſcamus; vt quæ adſunt, in egenos diſtribuamus, vt omnibus deliciis valedicamus ac nuncium remittamus, tum iis quæ ſunt in veſtibus, tum iis quæ ſunt in menſa, vt auaritiam fugiamus, vt ebrietatem.* 1421.

Et quia ab infantia ſacras literas noſti, quæ tè poſſunt inſtruere ad ſalutem; &c.

NE ſcilicet putaret ſibi ſufficere, quæ didicerat, tacitè eum ad ſacrarum Scripturarum ſtudium inhortatur: non enim dicit: *Quæ te ſatis inſtruxerunt ad ſalutem.* ſed, *Quæ te poſſunt inſtruere.* videlicet amplius quàm ſis; vt innuat viris Eccleſiaſticis, præſertim Epiſcopis quantumcuſque doctis, ſemper aliquid deeſſe, quod diſcant; atque adeo ſemper opus eſſe ſtudio ſacrarum Literarum. 1422.

Ad ſalutem. Hoc adiiciens oſtendit, quod

spectare sacratum Literarum studium debeat: vt scilicet ad salutem dirigatur, non curiositati nudæ seruiat, aut ambitioni. Lectionis & studij scopus, studentis & legentis salus præcipuè sit. Abit qui aliò spectat.

Vt perfectus sit homo Dei.

1423. PEr hominem Dei aliqui intelligunt illum, qui totum quicquid est, se ipsum Deo exhibet; sed illi cohærentius qui censent hominem Dei ab Apostolo vocari *eum*, vt notat etiam Estius, *qui Dei nomine, & in his, quæ Dei sunt, populo præest, maximè si mores & actiones officio respondeant. Eiusmodi sunt in primis Episcopi, quos hic instruit Apostolus, deinde omnes animarum curatores.* Nimirum qui aliis præest, talem se debet exhibere, VT IN OMNIBVS SE PROBET DEI HOMINEM ESSE, Deum ab omni parte, vt ita loquar, spiret, Deum vitâ motibusque referat.

CAPVT IV.

EPISTOLÆ SECVNDÆ ad Timotheum expenditur & illustratur.

SECTIO I.

1424 *Acidiâ correptis omnia videntur importuna.*
1424 *Præsul varias formas induere, vt debeat.*
1425 *Correctioni, opprobria & contumeliæ non facilè admiscendæ.*
1425 *Etiam importunè cur verbum Dei prædicandum.*
1426 *Iis se superior aptet, quibus præest.*
1427 *Varij habitus induendi à Superiore.*
1427 *Nimia seueritas correctionis fructum non impediat.*
1428 *Sana doctrinæ contemptus, quàm noxius.*
1428 *Opus Euangelistæ benè viuere, & benè docere.*
1428 *Nihil in Dei ministris vacuum.*

Prædica verbum, insta opportunè, importunè, argue, obsecra, increpa in omni patientia.

1424. *IMportunè.* Itanè etiam importunè? Si pigros & acidia correptos respicias, importunum semper videtur, quod alioquin maximè opportunum est. Pulchrè Beat. Dionysius hic: *Insta, prædicationis officio: opportunè, quantum ad auditores beneuolos: importunè,* QVANTVM AD ACEDIOSOS, *qui stimulatione & impulsione indigent, quibus molestum est verbum Dei audire; vnde & eis importunus videris: sed vere opportunè, discreteque agis.*

Argue, obsecra, increpa. Varias nimirum induere formas Præsul debet, & diuersa medicamina exhibere pro morborum diuersitate; huc spectabat B. Laur. Iustinian. c. 14. de regimin. Prælatorum, *Argue, obsecra, increpa, opportunè, importunè, inquit Apostolus. Hinc clarè colligitur, quod non vno, eodemque medicamento animarum sunt medendi languores, sed iuxta singulorum qualitates sunt impertienda remedia. Neque debet semper qui præsidet, humilitate, nec in omnibus vti authoritate,* SED ALTERNATIM NVNC VNAM, NVNC EXHIBEAT ALIAM, *prout cuique expedire censuerit. Sanè cum mitibus & simplicibus se Pastor humiliter gerat, quamdiu in propria simplicitate perseuerant. At verò si suadente Diabolo, aut subuertente malitiâ, ab innata bonitatis itinere declinare inchoauerint, tunc & ipse qui regit, disciplinæ rigorem assumat, & regiminis grauitate seruatâ, errantes ad cursum reuocare studeat.*

Obsecra, increpa. Obsecrationis meminit Apostolus, & increpationis, non opprobrij, vt istius obliuiscatur, qui alios corrigit. *Cum Apostolus,* inquit S. Basilius in psal. 14. *in suis ad Timotheum institutionibus permiserit redargutionem, obsecrationem simul, & increpationem; nusquam tamen assumit* OPPROBRIVM, *quod fraternæ correctioni aduersetur.* Non igitur correctioni contumeliæ facilè admiscendæ. 1425.

Importunè. Opportuna sæpè importunitas fit: malis semper importunum videtur, dum auocantur à malo. *Non ergo cessandum,* inquit Sanctus Hieronymus in cap. 2. Ezechielis, *licèt mali sint quibus loquimur: quia, secundum Apostolum,* OPPORTVNE, IMPORTVNE VERBVM DEI PRÆDICEMVS; *quia potest fieri, vt & durus corrigatur ad mollitiem; &, qui obediens est, mutata voluntate, non audiat.* Importunitas omnis desinit esse quod dicitur, si per eam malus desinat esse quod est, bonus non incipiat esse, quod non est.

Argue, obsecra, increpa. Plus à Tito exigebat, 1426.
ad eum enim scribens cap. 1. 13. ait: *Increpa illos durè.* & ibi c. 2. 15. *Argue cum omni imperio.* Cum pares in dignitate instruat, cur non paribus etiam vtitur verbis? Prudentia hic Pauli elucet, qui se iis aptat, ad quos scribit. *Erat Apostolus,* inquit Salmeron ad verba producta disp. 5. *medicus amborum, idest Timothei & Titi. Titus nimiæ erat patientiæ: ideo dubitat Paulus, ne ob suam mansuetudinem non increparet delinquentes. Contra vero, Timotheum nouerat acrioris animi esse, quare rogat eum, ne vltrà modum increpans in desperationem pusillanimes adducat. Erat mansuetioris spiritus Titus, feruentioris Timotheus: ideo illum per æmulationis studium inflammat; hunc per lenitatem patientiæ temperat.* vt non pares sint suo muneri qui pares in omnes sunt, nec ad suorum exigentiam varias formas induunt.

Nulla hic verberationis mentio fit, quod expendens Ioannes Climacus, gradu 8. ait; *Si festucam alterius sanare vis, aut velle te potiùs arbitraris; caue, ne pro scalpro, trabe hanc deradas, aut potius denses & retundas. Trabs est aspera compellatio, & indecentes gestus: scalpellum vero benigna institutio, & lenta lenisque reprehensio seu obiurgatio. Argue, inquit, increpa, obsecra:* SED NE VERBERA.

VERBERA. *Quod ſi tamen id res exigat; & rarò fiat, & non per teipſum.*

1417. *Argue, obſecra, increpa.* Varij habitus induendi, varia exercenda munera, vt aliorum ſaluti conſulatur? increpandi ſunt, qui tantùm increpant, aſperiores enim reddunt auditores ipſi nimis aſperi. Præclarè S. Chryſoſtomus ſerm. 58. de diuerſis noui Teſtamenti locis: *Hic optimus,* inquit, *eſt medicinæ modus, vt non modò ſecentur vlcera, verum etiam obligentur: hæc præclara doctrinæ lex eſt, vt non modò reprehendantur diſcipuli, verum etiam cohortationibus & conſolationibus adiuuentur. Ita quoque Paulus fieri iuſſit. Argue, increpa, exhortare. Quod ſi ſemper exhortetur quiſpiam, negligentiores reddit auditores: ſi tantùm increpet, aſperiores efficit. Cùm enim aſſiduarum onus reprehenſionum ferre non poſſint, confeſtim abſcedunt.* QVOCIRCA VARIVS QVIDAM ADHIBENDVS EST DOCENDI MODVS.

In omni patientia. Ne nimia ſeueritas increpationis impediat fructum. Totum hunc locum rectè explicat & expendit S. Proſper lib. 2. de vita contemplat. cap. 5. *Apoſtolus Timotheo præcipit dicens: Argue, obſecra, increpa in omni patientia & doctrina, quaſi diceret: Argue coæquales, obſecra ſeniores, increpa iuniores. Sed propterea addidit, In omni patientia & doctrina.* QVIA LENITER CASTIGATVS, *exhibet reuerentiam caſtiganti: aſperitate autem nimia increpationis offenſus, nec increpationem recipit, nec ſalutem.* Aſperitas, & ſcabrities in nummo vt probetur, improbanda in homine eſt, qui homines regit.

Erit enim tempus, quùm ſanam doctrinam non ſuſtinebunt, ſed ad ſua deſideria coacervabunt ſibi magiſtros prurientes auribus.

1418. COacervabunt ſibi magiſtros; ſcilicet à ſanæ doctrinæ neglectu, itur ad inſanos doctores; vbi quis veris renuit informari, impietati ſuæ litans; impios doctores conſulit. Præſtat hîc ſiſtere quæ habet Sanctus Hilarius lib. 10. de Trinit. *Apoſtolus ad Timotheum ſcribens ait: Erit tempus cum ſanam doctrinam non ſuſtinebunt, ſed ad ſua deſideria coacervabunt ſibi magiſtros prurientes auribus. Et a veritate quidem auditum auertent, ad fabulas autem conuertentur.* VBI ENIM PER IMPIETATIS STVDIVM EXTRA SANÆ DOCTRINÆ PATIENTIAM ERVNT, TVNC HIS QVÆ DESIDERANT COACERVABVNT MAGISTROS, APTA SCILICET CVPIDITATIBVS SVIS DOCTRINARVM INSTITVTA CVMVLANTES, *neque doceri ſe deſiderantes, ſed doctores ad id quod deſiderant congregantes: vt cumulus ipſe conquiſitorum & coacervatorum magiſtrorum, æſtuantium deſideriorum ſatisfaciat doctrinis.*

Opus fac Euangeliſtæ.

OPus fac Euangeliſtæ. Euangeliſtæ opus facit, qui teſte Anſelmo Euangelici prædicatoris exercet munus, addit: *Opus Euangeliſtæ* EST BENE VIVERE, AC BENE DOCERE, *moribus & verbis ſubditos inſtruere.* excidit à veri Prædicatoris ſuggeſtu, ſi nudis verbis doceat, nec doctrinam exemplis animet ac informet.

Miniſterium tuum imple.

MIniſterium tuum imple. Cur implendi vtitur verbo? An vt innueret nihil in eo eſſe debere, à bonis operibus vacuum? Peritè Anſelmus: *Miniſterium tuum idem officij tui imple, vt non ſit in aliquo* VACVVM A BONA ACTIONE SVA, *ſed quidquid in eo debes agere, plenariè perficias.* Vacuum iſtud vt omnes vitare debeant, debent illi præcipuè, qui in Chriſtiana Republica præcipui ſunt.

SECTIO II.

Ego enim iam delibor & tempus reſolutionis meæ inſtat.

EGo enim iam delibor. Ex Græco verti poteſt; *ego enim iam immolor*, quo pacto legit etiam Sanctus Auguſtinus, & verbum σπένδομαι propriè immolationem ſignificat, quæ fit in fœderibus ſanciendis. 1429.
Senſus, ait Eſtius, *tanquam victima Chriſto deſtinata per hos carceres, & grauiſſimos quos patior aduerſariorum impetus, immolari incipio.* Addit ſtatim: *Paſſionem ſuam immolationem vocat, quia actus ille martyrij, quo quis vſque ad mortem* CERTAT PRO VERITATE, GRATISSIMVM EST DEO SACRIFICIVM SPIRITVALE, *idémque magnam habens conuenientiam cum ſacrificio corporali.* Subire itaque incruentum hoc martyrium ſtudeat, cui non licet cruentum ſubire.

Ego enim iam delibor. Pulchrè expendebat hæc verba S. Marcus eremita de Pœnitentia, dum ſcribit: *Ait Paulus: Ego enim iam delibor, & tempus reſolutionis meæ inſtat. Vides illum non dixiſſe Requieſco: ſed, iã delibor; his verbis ac rebus oſtendens*

omnibus, pœnitentia terminum vsque ad resolutionem & mortem deberi Cælesti Regi Christo.

1430. *Iam delibor.* Potest & alius ex his verbis sensus elici, eò sapidior, vt ita loquar, quò lateotior, vt scilicet ad antiquum ritum in stadio decurrentium respiciat Apostolus, quo qui in cursu cæteris præibat, atque primus metam attingebat, mox sublatus in curru ad Templum Iouis Olympij ducebatur, ante cuius ædes vino libabat, vt Pausanias narrat; *& aras quidem,* inquit, *oleagina fronde velant, vino in libando vtuntur.* Respexit huc & Seneca moriturus, qui resectis venis vbi stagnum aquæ introiit, respergens proximos seruorum, *libare se dixit Ioui liberatori.* Potuit itaque Paulus ad hunc morem respicere, quod aliis quoque video placuisse; & ipsa Apostoli verba quæ statim subiicit, nos huc vocant, & vrgent: *Bonum,* inquit, *certamen certaui, cursum consummaui.* Nolo hîc docti auctoris commentarium desiderari huic sensui subscribentis: Noster Antonius Caracciolus, doctrina & pietate orbi notus, in suis sacris decuriis, quæ nondum lucem viderunt, n. 30. cum dixisset: *Hoc loco vtitur metaphora ab iis qui in stadio decurrebant;* addit multorum auctorum productis testimoniis, in more libationem fuisse apud antiquos, & ad Paulum rediens tandem claudit: *Hæc ego è priscis Gentilium ritibus librisque huc congessi, quoniam ad Apostoli dilucidanda verba mirificè conferunt: is etenim hæc omnia breuissimè complexus est, de suo proximo obitu martyrioque, hoc est glorioso certaminis fine lætabundus. Ego, inquit, iam delibor, vel, vt clarius Oecumenius interpretatur:* EGO IAM OFFERO MEIPSVM LIBAMEN CHRISTO. *Græcè est σπένδομαι. Quod malim hoc loco actiuâ & mediâ significatione accipere, nempè vt dicat Paulus: Ego meipsum immolo: meum sanguinem summo Deo, Christoque liberatori delibo. Neque verò infrequens est verbum σπένδομαι actiuè accipi, vt pluribus docent Græca Lexica, vtque Oecumenius nuper citatus profectò accipit. Pergit Apostolus: & tempus resolutionis meæ instat, gloriosæ scilicet illius reuersionis (vt Tertullianus legit) in cælestem Patriam: ad quam, vbi sanguinem fudero atque Deo libauero, indicibili exultabundus gloriâ assumar. Subdit mox, tantæ lætitiæ præmium se decertando viriliter promeruisse. Bonum certamen certaui. Græcè καλὸν. Præclarum, eximium, præstantissimum; vtpote Deo, Angelis, hominibus spectantibus. Et pro coronâ non corruptibili decertaui: non pro vili oleâ, sed pro æterna vitæ corona decucurri. Fidem seruaui. Perstat in metaphora; quod, antequam stadium ingrederer, pollicitus sum sanctè seruaui: me scilicet absque fraude & fallaciis certaturum. Alioquin non coronabatur (vt idem alibi docet) nisi qui legitimè & cum fide decertâsset. Quid Christiani in ipso Baptismi limine, hoc est cælestis stadij carceribus polliceantur, nemo est, qui nesciat. Huc itaque spectauit Apostolus, cum hæc dixit. Concludit tandem, quod reliquum est: repositam sibi coronam iustitiæ a Domino iusto iudice, & rectissimo agonotheta reddendam.*

Bonum certamen certaui, cursum consummaui, fidem seruaui, &c.

1431. BOnum certamen certauit, quia & bonarum rerum causâ illud subiit, & perfectè, ac legitimè illud expleuit. Festiuè de hoc spiritali agone, ac certamine Tertullianus c. 3. ad martyr. BONVM AGONEM *subituri estis, in quo Agonothetes Deus viuus est: Xystarches Spiritus Sanctus, corona æternitatis, brauium Angelicæ substantiæ politia in cælis, gloria in sæcula sæculorum. Itaque Epistates vester Christus Iesus, qui vos spiritu vnxit, & ad hoc scamma produxit, voluit vos ante diem agonis ad duriorem tractationem à liberiore conditione seponere, vt vires corroborarentur in vobis.*

Bonum certamen certaui. Ad iustorum ergo honorem gloriámque, iustorum certamina sunt, ac labores; Pulchrè B. Thomas à Villanoua tract. de Domini aduentu; *Gloriatur Paulus dicens: Bonum certamen certaui: cursum consummaui: fidem seruaui: de reliquo reposita est mihi corona iustitiæ, quam reddet mihi iustus iudex. Fuissent fateor sicut Angeli Dei, beati sine labore: sed non modica est hæc Sanctorum prærogatiua, non leuis honor, quòd gloriam quam habent, non purè gratis, sed sibi eam meritis, & laboribus, sanguine, & morte, acquisierunt. Vnde neque ad tantum gloriæ fastigium, sola innocentiæ puritate peruenturos fuisse existimandum est. O magna Dei charitas, ingens diuinæ prouidentiæ consilium erga electos suos! Sic nos redemit, sic nos reformauit sanguine suo, vt nullũ afferret nobis detrimentum, sed maximum, & ingentissimum meritorum, honoris, & gloriæ cumulum ipsa redemptio. Labores, fatigationes, tentationes, dolores, tormenta, mortem, facilè subito suo aduentu auferre poterat, non abstulit, sed reliquit:* VT HÆC IPSA NOBIS POENARVM EXERCITIA, FIERENT MERITORVM INSTRVMENTA, ET ARMA VIRTVTVM. Vt non mirum si omnia ista GLORIÆ QVODDAM SEMEN sint à quodam dicta.

Cursum consummaui. Dei serui non satis est in Dei obsequium ambulare, etiam currunt, charitatis stimulis acti: *Dicitur* CVRSVS PROFECTVS SANCTORVM, inquit Sanctus Thomas hîc, *quia cum festinatione currunt, vt meliorantes consummentur agitati stimulis charitatis.* 1432.

Cursum consummaui. Quid ais Paule, nondum cursum tuum consummasti, crudelior tibi hostis vincendus est, periculosius certamen obeundum; Neronis nondum gladius caput tuum abscidit; dicit se cursum consummasse, *non re plena,* inquit Hugo Victorinus quæst. 9. *sed spe certâ, qui enim fecit eum victorem in certamine, iam certum, & securum* PER REVELATIONEM *eum reddiderat de consummatione;* adeo vt cursum illi consummasse videretur, quem nondum plenè absoluerat spe rem ipsam præcurrente.

Reposita est mihi corona iustitiæ, quam reddet mihi Dominus in illa die iustus iudex.

MVltorum annorum labor fuit: corona vno die exhibetur. Nimirum, paulatim pœna subitur: integra, nec per partes diuisa merces datur. In illa die reddetur corona, nec per partes dabitur. Pulchrè S. Bernardus ser. de Fallac. præsent. vitæ: *Reposita est mihi corona iustitiæ (ait Apostolus) quam reddet mihi non in illis, sed in illum diem iustus iudex. Melior est enim dies vna in atriis illis super millia.* GVTTATIM POENA BIBITVR, *liquando sumitur, per minutias transit: nam in remuneratione torrens est voluptatis, & fluminis impetus: torrens inundans lætitiæ, flumen gloriæ, & flumen pacis. Flumen planè est, sed quod affluat, non quod fluat vel effluat. Flumen vocatur;*

vocatur ; non quod tranſeat , vel pertranſeat , ſed quòd abundet.

1433. Conſultò dictum , *Reddet* ; & non *Dabit*. &, *Iuſtus* iudex, non , *Pius* , expendit Richardus Victorinus lib. 2. de Contemplat. cap. 24. vbi ait: *De reliquo , inquit Apoſtolus , repoſita eſt mihi corona iuſtitiæ , quam reddet mihi Dominus in illa die iuſtus iudex. Reddet, ait; non, Dabit. & , Iuſtus iudex, non, Pius. Sed , vt fieret poſtmodum tanti premij iuſtus debitor , ſponte prius factus eſt talis meriti gratuitus largitor.*

In illa die. Vt extra ſtati temporis limites coronam quærat, qui illam cupit ante exactum perfecti certaminis tempus. Benè S. Ambroſius: *Paulus dicit in illa die coronam ſibi eſſe reddendam, tu hic tibi vt reddatur inſiſtis ? imple ergo certaminis tui tempus.* Sic ille in pſal. 36.

Non ſolùm autem mihi ; ſed & iis , qui diligunt aduentum eius.

ITane gloriæ corona illis omnibus reponitur, qui iudicis aduentum diligunt ? Quid ſi legitimè non certauerint , nec bonorum operum fructus produxerint ? Iudicis aduentum non diligit , qui bonum non dilexerit, bene non fuerit operatus. Opportunè Sanctus Gregorius : *Non ſolùm autem mihi ſed & his qui diligunt aduentum eius.* NEMO ENIM ADVENTVM IVDICIS DILIGIT NISI QVI SE HABERE CAVSAM IN IVDICIO BONAM NOVIT. Sic ille hom. 22. in Ezechielem ; Qui igitur iudicis aduentum diligit , & iudicem ipſum diliget , & ea quæ iudex ipſe amat , amare cenſendus eſt.

Penulam , quam reliqui Troade apud Carpum, veniens affer tecum, & libros, &c.

1434. PRobæ notæ Interpretes per penulam volumen intelligunt; ita Sanctus Hieronymus, aliiqoe ; nam Græcè eſt φελόνη, & φιλλυς librum, ſeu corticem arboris ſignificat, ex quo olim volumina fiebant; qui ſenſus ex eo quod ſtatim ſequitor confirmatur; ait quippè; *& libros , maximè autem membranas,* vt hæc pars ſit exegetica ſuperioris; vtile eſt quod hinc colligit Eſtius, dum inſit. *Quantùm exiſtimare debeant omnes Epiſcopi, & Paſtores, ſibi neceſſariam eſſe lectionem,* ET STVDIVM SCRIPTVRÆ SACRÆ QVANTVMCVNQVE ETIAM PROFECERINT ; *quoniam Paulus ab ipſo Domino myſteria religionis edoctus, & tot annis Apoſtolatu functus , adhuc libros deſiderat , quos legat.* A quâ mente illi abeunt , qui libros ſacros faſtidiunt, & ab illorum lectione ſe ſubducunt.

Penulam. Pallij quoddam genus eſſe plerique cenſent, *quod quærebat* , inquit Eſpencæus , *ne ab aliis capere, vel exigere, & ſic alicui moleſtus eſſe, cogeretur : vbique enim magno id ſtudio curauit , & prouidit , ne aliis indigeret , neu alicui oneri eſſet.* Et nonnullis interiectis exclamat : *O ſupellectilem Apoſtolicam ? Penulam non purpuream , & libellos non caballos , aut tot mulos , & membranas, non culinas , & aliarum rerum , quas referre non libet , impedimenta.*

Et libros. Dixerat tempus reſolutionis ſuæ inſtate : cur igitur libros deferri abiturus iubet? Reſpondet Hugo Carenſis hîc : *Vt eſſent ei ſolatio in tribulatione , & aliis daret exemplum ſtudendi. Et eſt argumentum pro ſtudio : aut enim volebat ſtudere* , NON OBSTANTE MORTE IMMINENTE ; *vel aliis ſtudium commendare.*

Alexander ærarius multa mala mihi oſtendit.

M*ibi oſtendit.* Oſtendere ſacræ Scripturæ 1435.
phraſi, eſt facere, inferre ; niſi quod hîc hoc loquendi modo ſignificatur , mala iuſtis oſtendi potius , quàm inferantur ; nec enim læduntur malis illatis , ſed proficiunt ; adeo vt perficiantur illis , non illis afficiantur. Pulchrè ille huc ſpectans.

Oſtenditque malum, non fecit, nam neque iuſtus
Læditur OSTENSO , *ni velit ille, malo.*

Vt in iuſti poteſtate ſit ab iniuſtis offendi, vel ſecus.

Quem & tu deuita ; valde enim reſtitit verbis noſtris.

SEd cur hunc Alexandrum vitandum Timotheo Paulus præcipit ? ſubdit: *Valde enim reſtitit verbis noſtris* Dixiſſet : Quia maximè in me ſæuit, meque modis omnibus, quibus poteſt, inſequitur. Abſtinuit ab his verbis Apoſtolus , ne videretur illata mala ægrè ſuſtinere, & vindictã cogitare. SVARVM INIVRIARVM OBLITVS, de verbis Dei eſt ſolicitus. vitandum monet potiùs, quia verbis eius reſiſteret, quàm quod inferret illi mala, per quæ fiebat melior, & in perfectiorem formam (vt ita loquar) cudebatur.

MALA INCIPIVNT ESSE BONA SI PER ILLA HOMO MELIOR FIAT.

Finis Epiſtolæ ſecundæ ad Timotheum expenſæ, & illuſtratæ.

CAPVT PRIMVM EPISTOLÆ AD TITVM EXPENDITVR ET ILLVSTRATVR.

1436 *Quisnam verè Dei seruus dicatur.*
1436 *Eò quisque est liberior quò strictiori seruitutis vinculo cum Deo ligatur.*
1436 *Carnis omnem affectum exuat qui se Dei seruum cogitat.*
1437 *Gratia, & pacis cohærentia.*
1437 *Perfectorum vt sit gratiam, non gratias quærere.*
1437 *Semper aliquid restat corrigendum, dum hic sumus.*
1437 *Præsul plusquam homo videtur esse subditis comparatus.*
1438 *Inuidia peccatum paruulorum.*
1438 *Iræ incentiuum vt sit vinum.*
1438 *Hospitalitas præcipua Episcopi virtus.*
1438 *Consuetudine bonorum Episcopus delectetur, non malorum, nec assentatorum.*
1439 *Veritas attendenda potiùs, quàm ille à quo dicitur.*
1439 *Etiam ex Gentilium quisquiliis vtile aliquid colligi potest.*
1439 *Bestia potiùs quàm homo dici meretur, qui ad nocendum promptus est.*
1439 *Proba ex prophanis colligenda, non in illis omnia probanda.*
1440 *Quod est vitiosum in malis ad viuum est resecandum.*
1440 *Mansuetudo vt seueritati iungenda.*
1440 *Vt omnia munda mundis sint.*
1441 *Factis, multi Christum negant.*
1441 *Multi Christiani, Christi hostes sunt.*
1441 *Deum negant, qui tam impiè viuunt, ac si Deus non esset.*

Paulus seruus Dei, Apostolus autem Iesu Christi, secundùm fidem electorum Dei.

PAulus seruus Dei. Seruus Dei, qui omnium est Dominus vt quis dicatur, in omnibus Deo seruiat, nec vllo vnquam tempore ab eius seruitute subducatur, in omni 1436
actionom genere seruum se Dei ostendat, quicquid agit, & loquitur, suam seruitutem probent. Huc faciunt quæ habet Sanctus Hilarius in psalm. 118. ad illud: *Seruus tuus sum ego*, ait enim: *Proprium hoc Prophetæ, vt se seruum Dei profiteatur in omni vita genere famulatu conditionis suæ fungens, siue ambulans, siue resistens, siue vigilans, siue dormiens; in cibo etiam atque ieiuniis Deo aut esuriat, aut satur sit, & in nullo tempore à seruitutis suæ officio absistat, hic libere dicit.* SERVVS TVVS SVM EGO; *at verò qui stupris dormit, latrociniis vigilat, quæstibus peregrinatur, luxui requiescit, si dicat seruus tuus sum, profitetur quidem quod est, sed quod non est agit.*

Seruus Dei. Eò ipso quilibet est magis liber, quò strictiori seruitutis vinculo Deo ligatur. Quod de Virginibus Tertullianus dixit lib. de Veland. Virg. cap. 3. *Tanto magis* LIBERÆ, *quanto Christi solius* ANCILLÆ, hoc de quolibet Dei seruo possumus asserere. Verè liber est Dei seruus, quia nimirum se à miserâ sui seruitute subducit; nam vt ille ait: *Liber est qui seruitutem effugit sui*; nam plenè noo est suus, qui seruit sibi.

Seruus Dei. Seruum qui se Dei cogitat, eorum obliuiscatur quæ sanguinem sapiunt. Fræmit Abraham, qui in Dei obsequio ita se Domini seruum exhibuit, vt oblitus fuerit se patrem, vt iure in illius laudem, commendationemque S. Zeno inclamaret. *O qui* SERVVM DOMINI *ita se esse meminerit, vt* PATREM *se esse nesciret*. Alioquin non plenè serui Dei expleffet officium, si patris affectum non exuisset, ægrè Deo obsequitur, qui obsequi sanguini volt.

Secundùm fidem electorum Dei. Et non etiam fides in non electis esse potest? Potest; sed signatè *electorum meminit*, vt notabat Estius, *non*

quòd

quòd ij ſoli credant in Chriſtum, ſed qui ſalus ad quam dirigitur fides annunciata, totumque munus Apoſtolicum, ſolis ex Dei voluntate contingis electis.

Tito dilecto filio ſecundùm communem fidem gratia, & pax à Deo Patre, &c.

1437. GRatia & pax; cohærent hæc duo inter ſe, prima principium veterum donorum eſt, ſecunda finis; *Hæc ſæpè coniungit*, inquit hîc S. Thomas, *quia omnium ſpiritualium donorum* PRINCIPIVM EST GRATIA; *& pax finis.*

Gratia & pax; cur non addidit, *multiplicetur*? an quia hoc, aut ſimile ſubintelligebatur? An vt indicet perfectorum eſſe *gratiam* inuenire non *gratias*? Sanctus Hieronymus lib. 1. in epiſt. ad Titum cap. 1. ita de hac re philoſophatur: *Non abſque ſcrupulo tranſeundum eſt, quod quibuſdam Apoſtolus imprecatus eſt, vt eis gratia, & pax multiplicaretur: nunc vero ad Titum pax & gratia, ſine multiplicatione ſint poſita: Noe vir Iuſtus, & naufrago orbe ſolus ſeruatus, non dicitur* PLVRES GRATIAS, *ſed vnam gratiam inueniſſe in conſpectu Dei; & Moyſes ad Dominum, ſi inueni inquit, gratiam apud te, & ſicubi alibi in perſona ſanctorum gratia poſita eſt, quære & inuenies*, NON EOS INVENISSE GRATIAS SED GRATIAM. *Mercator ille de Euangelio, qui plures habuit margaritas, ad extremum vnam pretioſam reperit, quam de multis margaritis ſolam emit; perfectorum quippe eſt vnam margaritam, & vnum theſaurum omnibus margaritis, & totius ſubſtantiæ ſuæ emere commercio. Incipientium vero & adhuc in itinere poſitorum, nedum vnam & ſolam, ſed plures habere margaritas.*

Vt ea, quæ deſunt, corrigas.

1438. IDeſt quæ ſuperſunt corrigenda corrigas; ſed cur non ipſe Paulus opus ſuum perfecit? cur alij tradit corrigendum? *Primum reſpondeo*, inquit Eſtius hîc, *nullam Eccleſiam ita conſtitui poſſe.* QVIN SEMPER ALIQVID RESTET CORRIGENDVM. *Deinde, ſicut ait Hieronymus, Apoſtolicæ dignitatis erat, Eccleſiarum iacere fundamenta: moxque ſubſtitutis idoneis, qui ſuperædificarent, ad alias orbis partes Euangelio Chriſti imbuendas, properare. Sic 1. Cor. 3. Secundùm gratiam Dei, inquit, quæ data eſt mihi, vt ſapiens architectus fundamentum poſui: alius autem ſuperædificat. Vbi gratiam intelligit Apoſtolici muneris.* Nulla tam benè conſtituta congregatio eſt, in qua non ſit aliquid, aut aliquid continuè ſuccreſcat quod corrigatur; & maximè indiget corrigi, qui putat in hominum mortalium ſodalitio nihil eſſe, quod indigeat correctione.

Si quis ſine crimine eſt.

SI *quis ſine crimine eſt.* Vt videatur Præſul qui homines eſt recturus extra humanæ imbecillitatis vires conſtitui; & pluſquam homo eſſe, ſi ſubditis conferatur. Sanctus Hieronym. epiſt. 83. quæ eſt ad Oceanum ita ſcribit: *Si quis eſt ſine crimine, omnes virtutes in vno ſermone comprehendit, & penè rem contra naturam exigit. Si enim omne peccatum, etiam in otioſo verbo reprehenſione dignum eſt: quis eſt ille qui abſque peccato, id eſt ſine reprehenſione, verſetur in hoc mundo? Sed futurus Paſtor Eccleſiæ, talis eligitur,* AD CVIVS COMPARATIONEM RECTE GREX CÆTERI NOMINENTVR; vt ita ſuper alios ſit, vt extra alios, aliorumque conditionem conſtitutus eſſe videatur.

Non ſuperbum, non iracundum, non vinolentum.

NOn *ſuperbum.* Mirum, quod ab inuidia, Eccleſiæ non auocat Præſulem. S. Thomas hîc: *Inuidia non habet locum in Prælatis*, QVOD EST PECCATVM PARVVLORVM. *Iob. 5. 2. Paruulum occidit inuidia. Prælatus autem eſt in ſummo.* Igitur in infimis ſe indicat iacere, qui inuidia corripitur, licèt alioquin in crimine non ſit.

Non vinolentum. Cum dixiſſet, *Iracundum*, ſtatim ſubdidit, *Non vinolentum*, QVIA IRÆ INCENTIVVM EST VINVM (inquit S. Thom. hîc) *& ſequelam iræ, quod eſt percuſſio: ideo dicit, Non percuſſorem.* Vinum igitur ita vino madidi mentem ferit, & percutit, vt ad alios feriendos, percutiendóſque extimulet.

Sed hoſpitalem, benignum.

SEd *hoſpitalem, benignum.* Poſt recenſita vitia, a quibus Epiſcopus debet abeſſe, virtutes, quibus ornandus eſt adiicit, nec enim virtutes indipiſci quis poteſt, niſi vitia vitauerit. Hoſpitalitatem tanquam præcipuam Epiſcopi virtutem primo loco poſuit, ægrè alias habiturus ſi hac caruerit, nam peregrinos qui benignè non excipit, & ſe plenè ſuo credit muneri reſpondere, à veritate peregrinatur.

Benignum. Græce, φιλάγαθον, *amatorem bonorum*, ſcilicet hominum, *vt intelligat Epiſcopus*, inquit Eſtius, *non hoc à ſe exigi, vt malis, & improbis hominibus, aut* ASSENTATORIBVS *menſam habeat expoſitam, ſed vt conſuetudine bonorum delectetur, eoſque menſæ ſuæ adhibeat.* Alioquin bonus audire vix poteſt, qui malos audit, adulatores excipit, & adulationis hoſtes pro hoſtibus habet.

Dixit quidam ex illis proprius ipſorum propheta.

PRobat hoc teſtimonium tanquam verum, licet aliunde improbandus, qui illud protulit. Nimirum, quid dicatur, potius attendendum eſt, quàm quis dicat. Præclarè S. Auguſt. lib. 2. contra litter. Petiliani cap. 30. *Cum Apoſtolus Paulus quoddam teſtimonium verum eſſe dixerit Cretenſis cuiuſdam prophetæ, qui inter Prophetas Dei non computabatur; ait enim: Dixit quidam ex ipſis proprius eorum propheta: Cretenſes ſemper mendaces, malæ beſtiæ, ventres pigri, teſtimonium hoc verum eſt. Si ergo Apoſtolus neſcio cuius alienigenæ teſtimonio, quia verum comperit, etiam ipſe atteſtatus eſt: cur nos ſi apud quemlibet inuenerimus, quod Chriſti eſt, & verum eſt;* ETIAMSI ILLE, APVD QVEM INVENITVR, PERVERSVS ET FALLAX EST; *non diſcernimus vitium, quod homo habet; & veritatem, quam non ſuam, ſed Dei habet?* 1439.

Proprius ipſorum propheta. Etiam ex Gentilium quiſquiliis colligi vtile aliquid poteſt, quo auditores, lectoreſque ædificentur, quod Paulus exemplo ſuo docuit, & notabat Clemens Alexandrinus lib. 1. Stromatum ad hunc locum ſpectans: *Epimenidem Cretenſem, Græcum Prophe-*

tam nouit Paulus, cuius etiam meminit in epistola ad Titum sic dicens: Dixit quidam ex ipsis proprius Propheta, Cretenses semper mendaces, malæ bestiæ, ventres pigri. Et testimonium hoc verum est. Vides quomodo etiam in Græcorum Prophetis dat aliquid veritati. Nec erubescit, & AD ÆDIFICATIONEM, ET AD ALIQVORVM CONVERSIONEM OBSERVANS, VTI GRÆCIS POEMATIBVS?

Cretenses semper mendaces, malæ bestiæ, ventres pigri.

ADeo mendaces fuere Cretenses, vt locum prouerbio dederint, scilicet, *Cum Cretensibus cretizandum esse*, quo significabant aduersus mendaces vtendum mendacio esse. Cur *malæ bestiæ* dicuntur? An quia in alios facilè sæuirent, & ad nocendum essent maximè prompti? Vix hominis meretur nomen qui in homines sæuit. *Malæ bestiæ vocantur*, inquit Estius, *quòd essent ad nocendum prompti, more bestiarum earum, quæ ictu, morsúque venenum relinquunt.*

Testimonium hoc verum est.

AC si diceret; Non omnia illius Poëtæ dicta probo, non omnia vera sunt, multos errores suis obtrusit, aliqua vera dixit, hoc testimonium, quo suos Insulares, mendacij, maleficentiæ, gulæque insimulat adeo est verum, vt oraculum possit videri, quod experientia & fama publica Paulus didicerat. Qua in re nec maledicus, nec contumeliosus censeri debet, cum id apud omnes constaret, *& gentis vlcera*, vt ille ait, *commemorat* MEDICO, *quem eis reliquerat, videlicet Tito*, vt sciret qui agere cum illis posset. Indicat etiam nullius desperandam esse salutem, & diuinæ gratiæ virtute posse sanari etiam ea, quæ incurabilia videbantur.

Quam ob causam increpa illos durè.

1440. EX Græco aliqui vertunt: *Redargue illos seuerius*. Sanctus Hieronymus legit, *acriter*. Duri nimirum, & in malo obstinati, durè increpandi sunt, lenior increpatio parum vtilis est, quò est asperior, eò salubrior est. Aduerbium ἀποτόμως, quo hîc vtitur Apostolus, à Medicis, aut chirurgis sumptum est, qui carnem émortuam, aut putrescentem ad viuum resecant, ne malum sanam corripiat, ac viuam. Mali igitur ita castigandi, vt *quod vitiosum in illis, ad viuum*, vt ille ait, RESECETVR. Alioquin sæuit in eos, qui eis parcit, & hostis incipit esse, qui nimis est blandus, vt vulnus palpet, non vrat, aut secet, cum res id exigit.

Increpa illos durè. Et qui præcipit Cretenses durè asperéque corrigendos, cùm ad Timotheum scribens, velit Dei seruum mansuetum ad omnes esse. Nodum ita soluit Estius. *Respondeo*, inquit, *debere quidem Episcopum esse mansuetum ad omnes*, QVOAD ANIMI PRÆPARATIONEM, *non semper tamen vtendum mansuetudine, sed interdum seueritate*; Si nimirum id eorum durities exigat, qui corripiendi sunt.

Omnia munda mundis.

PErstringit eos, qui Iudaico sensu ducti multarum rerum vsum esúmque tanquam immundarum vitabant, ac si sua naturâ tales essent, vt immundum redderent hominem, iis vtentem, tangentem eas. Ait igitur, omnia mundis munda esse, sicque Dei creaturis nihil esse immundum, sed omnia munda mundis, id est, iis benè, & sanctè vtentibus; nam licet in lege veteri multa tanquam immunda prohiberentur, id erat significatione potius, quam natura Quod aliquorum ciborum abstinentiam statis diebus, temporibúsque Ecclesia suis iniungit, id non Iudaizantium, aut hæreticorum errore facit, sed vt Deo pro suis peccatis satisfaciant, carnis lasciuiam doment, mentem in Deum erigant.

Omnia munda mundis. Ab hominibus ad Deum transfert S. Augustinus hæc verba lib. 6. contra Faustum: *Cum ergo, Apostolus dicat, Omnia munda mundis, vtique hominibus, qui possunt in deterius voluntatis peruersitate mutari: quantò* MAGIS OMNIA MVNDA SVNT DEO, *qui semper incommutabilis, & incontaminabilis permanet?*

Omnia munda mundis. Nisi sui natura immunda sint, vt esset adulterium, inquit S. Thomas hîc. Tertullianus lib. de Corona milit. cap. 9. ait: *Omnia munda mundis: ita & immunda omnia immundis, nihil autem immundius idolis.*

Confitentur se nosse Deum: factis autem negant.

FActis autem negant. Atque adeò, qui fidelis prima facie videtur, si rem rectè pendas, nudum hoc nomen habet, nihil præterea est. *An non vbique*, inquit Simeon iunior orat. 28. ad hæc Pauli verba, CHRISTI NOMEN PERSONAT? *in vrbibus, in vicis, in cœnobiis, in montibus? Quære, si placet, & scrutare diligenter, an seruent mandata eius; & vix inuenies vnum e millibus.* 1441.

Quinam sint, qui Deum negant factis, licèt verbis confiteantur, docet S. Isidorus Pelusiota lib. 2. epist. 64. *Qui se Deum nosse confitentur, factis autem negant, ij demum sunt, qui ob dogmatum quidem pulchritudinem gloriantur: verum, quia fidei minimè consentaneam vitam exhibent*, DEVM, QVANTVM IN IPSIS SITVM EST, DEDECORE ATQVE IGNOMINIA AFFICIVNT. *Dum enim & Diuina iussa aspernantur, & alios adducunt, vt eum blasphemis verbis lacessant, quem etiam benedicere non cuiuslibet est, verum hominum summa virtute preditorum, hinc scilicet spurios sese atque adulterinos esse conuincunt.*

Factis autem negant. Sicque fit, vt multi extimè Christiani dicantur, qui vere Christi hostes, Dei non cultores, sed negatores sunt. Audiendus hîc S. Cyrillus Alexandrinus, lib. 6. in Ioannem, c. 4. *Quocirca, inquit, in nobis id locum habere videtur, quod scribit Paulus ad Titum: Confitentur, inquit, se nosse Deum, factis autem negant. Confitemur siquidem ore & exteriore cultu atque habitu nos Christum nosse, eius nomen sumus in Baptismo professi & præclara ipsius denominatione insigniti*, APPELLAMVR CHRISTIANI, *factis autem Christum negamus, quoniam quæ vetuit committimus: & quæ præcepit, omnino negligimus.*

Factis

Factis autem negant. Plerique licet linguâ non dicant, non eſſe Deum; dicunt tamen operibus, *quia* (inquit Beatus Dionyſius Carthuſianus hîc) TAM IMPIE VIVVNT, AC SI DEVS NON ESSET. Quod nollem in pleroſque iaci poſſe, qui Chriſtianitatis gaudent titulo; ſed moribus ſe Chriſtianos non exhibent. Huc ſpectant & Sancti Leonis Papæ verba ſerm. 6. in Epiphania, vbi ita loquitur: *Cor hominum de operum oſtenditur qualitate, & formas mentium ſpecies detegit actionum. Nam ſunt quidam, ſicut ait Apoſtolus, qui Deum profitentur ſe ſcire, factis autem negant;* VERE ENIM REATVS NEGATIONIS INCVRRITVR, *quando bonum quod in ſono vocis auditur,* IN CONSCIENTIA NON HABETVR. Nimirum, PLERIQVE APVD DEVM DEI SVNT NEGATORES, QVI APVD HOMINES DEI CVLTORES ESSE VIDENTVR.

CAPVT II.

EPISTOLÆ AD Titum expenditur & illuſtratur.

Senes, vt ſobrij ſint, pudici, prudentes, ſani in fide, in dilectione, in patientia.

1442. MIRVM cur ad pudicitiam ſenes ſint vocandi. *Si ſenectus*, inquit Sanctus Thomas hîc, *ad hoc diſponit, quare hoc monet? Reſpondeo: Aliquando contingit ex magna peruerſitate, quòd ſenex reducitur ad puerilia peccata.* Addit: *Quando non habet ſpirituales delectationes, quærit corporales. Secunda ratio eſt, quia iuuenis quandoque refrænatur* PER PVDOREM: *ſenes autem ſecundum Philoſophum ſunt* INVERECVNDI; atque adeò liberiores ad pœnitenda currunt.

Anus ſimiliter in habitu ſancto.

GRæcè eſt, κατάστημα. Quod non ad nudum corporis veſtitum refertur; ſed ad omnem corporis habitum, qui cultu, ſermone, ſilentio, grauitate, inceſſu exprimi poteſt.

Non multo vino ſeruientes.

COnſultò ab Apoſtolo dictum, *Seruientes*: nam dominari vinum incipit, ſi capitis arcem occupet; vt vino ſeruiat, qui in bibendo temperantiam non ſeruat. Pulchrè S. Hieronymus in hanc Epiſt. *Signanter expreſſit, Non vino multo ſeruientes*: SERVITVS ENIM QVÆDAM EST, *& extrema conditio, vino ſenſus hominis occupari; & non ſuum eſſe, ſed vini.* Miſera ſeruitus, quæ hominem homini auferre videtur, dum cogit vino obtemperare.

Vt prudentiam doceant adoleſcentulas.

VVlt Apoſtolus anus eſſe honeſtatis magi- 1443.
ſtras, & adoleſcentiores ab illis informari. Sed cur hoc non iubet immediatè fieri ab Epiſcopo? *Vitandi ſcandali cauſa*, inquit Eſtius. Satis eſt, ſi id pro concione in conuentu publico præſtet; *nec decere*, ait idem Auctor, SI EPISCOPVS ADEAT ADOLESCENTVLAS, *vel eas ad ſe vocet; eò quod talia facilè gignant ſuſpicionem.*

Vt viros ſuos ament, filios ſuos diligant.

DIlectionem in viros, nuptis ſuadendam docet, qui alibi timorem indicebat; nam Epheſiorum 5. 33. *vnuſquiſque vxorem ſuam ſicut ſe ipſum diligat, vxor autem timeat virum ſuum.* Et verò Apoſtolus Apoſtolo non eſt contrarius: *Nulla hîc*, inquit Eſtius, *præceptorum eſt contrarietas; quin potius ex vtriuſque loci quaſi diuerſo præcepto, colligendum relinquit,* ITA MVLIEREM DEBERE VIRVM SVVM AMARE, VT ETIAM TIMEAT; ITA TIMERE, VT AMET. *Ex his enim duobus affectibus commixtis reſultat reuerentia, quam viris ſuis debent vxores.*

Filios ſuos diligant: Ita-ne matribus ſuadendus 1444.
amor in filios, in quos plerumque ſolent propenſiores eſſe, quàm debeant? Cur iubeantur matres filios diligere, quæ in filiorum amore nimiæ ſunt? An de ordinato amore Apoſtolus loquitur, cum inordinatus, qui ſalutem filiorum non ſpectat, non amor, ſed odium potius ſit. *Quod autem*, inquit hîc Eſtius, *vult eas doceri, vt filios ſuos ament, cum id matribus ſit maximè naturale: ſic intelligendum,* VT FILIOS AMENT AMORE ORDINATO, ET CHRISTIANO: *quo piam educationis eorum curam gerant. Nam ſtultè, & indulgenter amare, odiſſe eſt.*

Domus

Domus curam habentes, benignas.

IN Græco pro *domus curam habentes*, est vna tantum vox composita, οἰκουρὲς, quasi dicas, *domus custodes*, sic enim aliqui vertere; quia nimirum, vt ille ait, *mulieris est, assiduè domi esse*, vt à suo munere abeat mulier si huc illucque extra domum excurrat; ægrè castimoniæ est domicilium muliet, quæ domus custos non est.

Benignas, Græcè ἀγαθὰς, *bonas*, aliqui sic nectunt; præcipe vt sint bonæ custodes domus; alij seorsim legunt, *benignas*, vt scilicet sint erga domesticos placidæ ac mites, nec obstrepentes maritis, sed mores eorum, ac vitia tolerantes, alioquin domus custodes dici non poterunt, si ista benignitate domesticorum pacem, concordiámque non foueint; domos potius euertunt, quàm custodiant, quæ à domibus nimia duritie concordiam excludunt.

Seruos Dominis suis subditos esse, in omnibus placentes, non contradicentes, non fraudantes.

NOn *fraudantes.* Seruis hoc erat indicendum, qui addicti huic vitio sunt; vtile est, quod habet Sanctus Hieronymus ad hæc verba: *Post contradictionem*, ET ALIVD SERVORVM VITIVM *doctrina Christi corrigat ne fures sint; fur autem non solùm in maioribus, sed etiam in minoribus iudicatur, non enim id quod furto ablatum est, sed mens furantis attenditur.*

Sobriè, & iustè, & piè viuamus in hoc sæculo; expectantes beatam spem, & aduentum gloriæ magni Dei, & Saluatoris nostri Iesu Christi.

1445. IVre vitæ pietas sanctitásque spei præmittitur; quasi non sanctè viuat, qui huic spei non innititur; nec spe viua verè pascatur, qui piè iustéque non viuit. Sanctus Hieronymus, *Qui piè*, inquit, *in hoc sæculo viuit, iustè beatam spem, Christique aduentum expectat: sicut enim impietas, magni Dei reformidat aduentum; ita secura de opere suo & fide, illum pietas præstolatur.*

Sobriè, & iustè, & piè viuamus. Verè non viuit, qui vitam in hunc modum non ordinat. Pulchrè ad hæc verba Sanctus Bernardus serm. 2. de Resurrect. Dom. *Apostolus ait: Sobriè, & iustè, & piè viuamus, hæc enim tria sunt conuersationi nostra maximè necessaria; quoniam primum debemus* NOBIS, *secundum* PROXIMO, *tertium* DEO.

Qui dedit semetipsum pro nobis.

PArum illi fuit, quod sua dedit, dedit se. Hæc portò verba omnium, sed præcipuè Præsulum mentibus debent insidere, ne parcant sibi cùm de ouibus illorum curæ commissis agitur. Opportunè Sanctus Chrysostomus: *Si Christus seipsum pro nobis dedit, quâ essemus nos excusatione, & venia digni, tanti custodiam populi creditam habentes, & non eligentes omnia, &* FACERE & PATI *pro creditorum nobis securitate?* Sic ille hom. 3. ad Populum, qui quod dicebat aliis priùs sibi indixerat, & te ipsa præstiterat, quæ præstanda aliis suadebat.

Et argue cum omni imperio.

QVi Timotheum superius monuit, vt *cum omni patientia* argueret Epist. 2. cap. 4. hic iubet, vt arguat Titus eum imperio. Ratio diuersitatis est (vt ait Sanctus Gregorius) quia Titum Apostolus viderat mansuetioris esse spiritus, Timotheum feruentioris. Aut etiam quia Titi subditi duriores erant, atque adeò durius increpandi: vnde & supra de Cretensibus dixit: *Increpa illos durè.* Sancti autem Gregorij verba sunt ista lib. 1. hom. 11. *Argue cum omni imperio: Timotheum exhortatur dicens: argue, obsecra, increpa cum omni patientia, & doctrina; quid est quod vni imperium, & alij patientiam præcipit, nisi quod vnum* LENIORIS *alterum vero* FERVENTIORIS *spiritus esse conspexit? Leni per authoritatem imperij iniungenda erat seueritas verbi; is autem qui per spiritum feruebat, per patientiam temperandus fuerat: ne si plus iusto inferuesceret, non ad salutem vulnerata reduceret, sed sana vulneraret.* Vt hinc correctionem debere esse secundùm exigentiam illius qui corrigitur, aut admonetur intelligas. 1446.

Nemo te contemnat.

NEmo te contemnat. Nunquid in nobis situm est, ne nos aliquis contemnat, cum id pro suo libito agere quilibet in quemlibet possit? quid est igitur, *nemo te contemnat. Talem te exhibe*, inquit Sanctus Hieronymus hic, NE CONTEMNI POSSIS, *vita enim authoritatem tribuit verbo*; in nobis non est vt non contemnamur, sed ne contemnamur iure. 1447.

Nemo te contemnat: Et quid officit bonis si contemnantur à malis, non potiùs id virtutis materia fit? An id cauere Præsul debet non sui tantùm causà, sed & doctrinæ? *Ferè enim auditores illius contemnunt doctrinam*, CVIVS CONTEMPTIBILEM VIDENT VITAM; vnde doctrinæ ex magna parte fructus perit, ob perditos docentis mores.

CAPVT III.

EPISTOLÆ AD Titum expenditur & illustratur.

Christi

Admone illos Principibus, & Poteſtatibus ſubditos eſſe; dicto obedire, ad omne opus bonum paratos eſſe.

1448. IVRE hoc quoque monitum adiecit, ne Chriſtiana religio malè audiret, ſi Principibus, ac Magiſtratibus minimè obaudiret. *Dicto obedire*, Græcè vno verbo πειθαρχεῖν, id eſt, *obedire Principibus*, vt idem videatur magis inculcare, oſtendens hoc ipſo rem magni eſſe momenti. *Ad omne opus bonum paratos eſſe.* Plerique cenſent hæc ſuperioribus eſſe aptanda, eſſeque dictorum quandam explicationem. Ac ſi diceret: quod præcipio obediendum eſſe Principibus, ac Magiſtratibus, id eatenus intelligi volo, dum bona ac iuſta ſunt quæ imperant.

Principibus, & Poteſtatibus ſubditos eſſe. Parendum viris Principibus eſt, nec malos à bonis diſcriminas, nam obediendum omnibus etiam malis, ſi tamen contra Deum aliquid non præcipiant. Nimirum ſubdi malis adeo bonum eſt, vt illorum malitia augendæ ſubditorum bonitati ſeruiat, ſi per ipſos, qui ſubiiciuntur non ſteterit.

Omnem oſtendentes manſuetudinem ad omnes homines.

ITa manſuetudo in omnes exercenda, vt tamen ſeueritas cum opus eſt exerceatur, peccantibus enim conniuere, omni ſeueritate ſeuerius eſt: *Omnem*, inquit hîc Eſtius, *erga omnes* MANSVETVDINEM *oſtendit ſiue exhibet, non qui nullum peccatum punit; ſed qui ſeruatis circumſtantiis loci, temporis, perſonarum, ab huius virtutis officio nulla parte deficit.*

Eramus enim aliquando & nos inſipientes, &c.

1449. MIrum quòd manifeſtiora crimina non recenſuerit; rem ſic expendebat idem Eſtius hoc loco: *Non nominat autem*, inquit, *crimina manifeſta, velut adulteria, ſacrilegia, furta, rapinas, homicidia, à quibus multi ſola naturâ, vel lege edocti, ſeſe abſtinent, plures metu pœnarum, aut honoris cupiditate manum cohibent. Vnde de quibuſdam ait Dominus, quod omnia faciunt, vt videantur ab hominibus. Matth. 23. At neque idololatriam nominat, peccatum Gentilibus commune, quoniam hoc ad Paulum & Iudæos non attinebat: Sed ea recenſet quæ vt plurimum latere ſolent in animo, quæ in iis etiam qui cultum vnius Dei profitentur, & vitam forinſecus honeſtam degunt, inueniri poſſunt; cuiuſmodi ſunt errores, illicita deſideria, malitia, inuidia, odium.*

Seruientes deſideriis, & voluptatibus variis; in malitia, & inuidia agentes.

SEruientes: Id eſt, ſeruorum more; & cupiditates, carnaleſque voluptates præcipuè ſignificat, quæ homines tanquam quædam mancipia tenent, & ſuo imperio, aut vt rectiùs loquar, tyrannide regunt. Addit: *In malitia, & inuidia agentes.* Ad vitia ſpiritualia tranſit, ad quæ carnalia illa, & craſſiora homines ducunt. Per *malitiam* intelligit malignitatem, qua quia malum alteri vult ſub quadam vindictæ ſpecie, ſicque aptè cum inuidia iungitur; alioquin etiam inuidia ſub malitia eſt, vt eſt generale vitium, & omnia ſub ſe comprehendit.

Cùm autem benignitas, & humanitas apparuit Saluatoris noſtri Dei.

BEnignitas apparuit. Quid ais, Paule? Et nunquid non antea hominibus Dei benignitas 1450.
apparuerat? Et non ab illo tot illis dona exhibita illius benignitatem prædicabant? Chriſti in carne aduentus tantæ benignitatis eſt argumentum, vt tunc præcipuè benignitas Dei videatur apparuiſſe, ac ſi ante ſola Maieſtas apparuiſſet. Pulchrè Sanctus Bernardus ſerm. 1. in Natal. Dom. *Quid ait Apoſtolus? Apparuit, inquit; benignitas & humanitas Saluatoris noſtri Dei. Apparuerat ante potentia in rerum creatione: apparebat ſapientia in earum gubernatione: ſed* BENIGNITAS MISERICORDIÆ NVNC MAXIME APPARVIT IN HVMANITATE. *Innotuerat Iudæis* POTESTAS *in ſignis atque portentis: vnde & in lege ſæpius inuenies: Ego Dominus, Ego Deus. Philoſophis quoque abundantibus in ſenſu ſuo, Maieſtas innotuit, quoniam, iuxta Apoſtoli verba, quod notum eſt Dei, manifeſtum eſt in illis. Veruntamen & Iudæi poteſtate ipſa premebantur, & Philoſophi ſcrutatores Maieſtatis opprimebantur à gloria. Poteſtas ſubiectionem, Maieſtas admirationem, neutra imitationem. Appareat, Domine, bonitas, cui poſſit homo (qui ad imaginem tuam creatus eſt) conformari: nam Maieſtatem, poteſtatem, ſapientiam nec imitari poſſumus, nec expedit æmulari.*

Et humanitas. Græcè, φιλανθρωπία. *Amor hominum.* In diuinis Litteris φιλανθρωπίαν habemus: non habemus φιλαγγελίαν, nec Deum φιλάγγελον, vt vel hinc Dei in hominem ſingularis amor colligatur. Pulchrè Philippus Solitar. Dioptræ cap. 5. *Audio planè Scripturam ſemper Deum prædicantem vt hominum, animarum, pauperum amantem. Nunquam audiui ab aliquo φιλάγγελον, Amantem Angelorum nominari, tametſi Angelus eſt ſubſtantia nobilis, & creaturarum excellentiſſima, Deitati familiaris, & cognata, & mente duntaxat percipitur.*

Saluasi

Saluos nos fecit per lauacrum regenerationis, & renouationis Spiritus Sancti.

1451. CVt *Regenerationis* lauacrum dixit potius, quàm *Emundationis, purificationisque*? Maius illis verbis pondus inest, quàm istis. Pulchrè Sanctus Chrysostomus homil. ad Baptiz. *Ob quam causam non, Lauacrum remissionis peccatorum, dicitur, nec Lauacrum purificationis; sed, Lauacrum regenerationis? Quia non nobis simpliciter peccata concedit, nec simpliciter nos purificat malis actibus implicatos;* SED TANQVAM DENVO GENERATOS EFFICIT; *nam denuò nos condit & confitit, non de terra componens iterum; sed alio nos elemento, id est, per aquarum naturam progenerat.*

Hæreticum hominem post vnam, & secundam correctionem deuita.

ADmonendus, & corripiendus hæreticus homo est, vt hac viâ tentetur, si reuocari ad rectam, & sanam mentem possit, nisi resipiscat, vitandus est; hoc Apostolus Tito indicit, non propter ipsius periculum, sed propter aliorum exemplum, & quia post vnam, aut alteram correptionem, prodita satis remanebat hæretici perfidia, ac peruicacia, vt frustra cum eo verbis ageretur.

Cum misero ad te Artemam, aut Tychicum, festina ad me venire Nicopolim.

AD se Titum Paulus vocat, non sui causâ, sed in aliorum vtilitatem, vt scilicet eius operâ vteretur Euangelio aliis in locis promouendo. Sed, Pauli prudentiam vide. Non priùs vult ad se venire Titum, quàm in eius locum Artemam, aut Tychicum submiserit, ne Cretenses Episcopali curâ destituerentur. *Ex quibus, & illud patet,* ait hic Estius, *non sic ad residentiam in propriis Ecclesiis Episcopos teneri, vt non interdum publici boni causâ possint ad tempus abesse, modo ne desint interim qui gregibus eorum* PRÆSENTES INVIGILENT. Alioquin suo muneri deest qui à suis sine causa abest, nullúmque in suum locum substituit. Igitur ADESSE SVIS CVRET, CVI CONTIGIT PRÆESSE.

Finis Epistolæ ad Titum expensæ, & illustratæ.

CAPVT

CAPVT VNICVM EPISTOLÆ AD PHILEMONEM EXPENDITVR ET ILLVSTRATVR.

Paulus vinctus Christi Iesu.

1452. PAVLVS *vinctus.* Paulus nomen suum etiam huic Epistolæ præfigit, quod in more habuit, vt videre in superioribus est; sed illud obseruatu dignum, quod nullibi *Saulum* se dicat, nullibi *Sauli* nomen sonet, cur ita? An quia hoc nomen cum vitâ veteri iam deposuerat? An vt etiam ab hoc capite ea detestaretur, quæ sub illo nomine in Christum & eius Ecclesiam commiserat? Huc spectat quod habet Seaynus cap.7. Præfat. in Epistolas Pauli. *Illud*, inquit, *est certum, nusquam in Epistolis Apostoli nostri,* NOMEN SAVLI REPERIRI, *quod semper reticuit, eo fortè consilio, vt hinc patefaceret,* QVAM GRAVI ANIMO FERRET EAM INIVRIAM, *quam* CHRISTO INTVLERAT, *eius Ecclesiæ persecutor existens.*

Nouarin. in Epist. Pauli.

Paulus vinctus Christi Iesu. Cur vinculorum suorum statim meminit? An vt aptius pro Onesimo Philemonem flecteret? *Statim initio,* inquit Estius hîc, *vincula sua prætendit, vt misericordiam commoueat pro Onesimo supplicaturus. Ac si tacitè diceret. Per hæc vincula, quæ pro Christo patior te obsecro.* Vt videant, qui alicui aliquem commendant, inque illius gratiam reuocare student, quanto id affectu, ac curâ præstandum illis sit, ne ieiunè, ac extima quadam verborum vmbra id faciant.

Paulus vinctus Christi Iesu. Vincula obiicit, vt Philemonis affectum liget, & cum Onesimo nectat. Pauli autem catenam ita efferebat Sanctus Chrysostomus homil. 8. in Epist. ad Ephes. *Si quis mihi daret totum cælum, aut illam catenam:* EGO ILLAM PRÆFERREM. *Si quis me apud superos collocaret cum Angelis, aut cum Paulo vincto: ego eligerem carcerem & vincula: Si quis me faceret vnum ex Potestatibus, quæ sunt circa cælos, aut circa thronos, aut talem vinctum: potiùs optarem talis esse vinctus. Nihil est illa catenâ beatius.*

Vinctum se vocat, non nudè, sed addidit *Christi Iesu*; additio ista omnem ignominiam vinculis adimit. Ad gloriam est pro Christo vinciri; nam vt ait Sanctus Ambrosius in Psalm.47. *Christus quos alligat, liberat: & quos adstringit, absoluit. Denique qui seruus vocatus à Domino est, libertus est Domini: & qui liber vocatus, seruus Christi est, ideóque in suis vinculis Paulus gloriatur, dicens: Paulus vinctus Iesu.* QVOD SVB ALIIS CONTVMELIA EST, SVB CHRISTO GLORIA EST.

Paulus vinctus. Pondus & dignitatem dedit 1453.

Epistolæ, dum vinctum se dicit: nam pro Christo vinciri summæ gloriæ tribuendum est. Sistenda hîc sunt, quæ ad hæc verba habet S. Ambrosius. *Vt* DIGNITATEM EPISTOLÆ *à se missa faceret, ab iniuria sua cœpit. Sicut enim peccati causa vinciri, opprobrium est: ita è contra pro Christo custodiæ* VINCVLA SVSTINERE, MAXIMA GLORIA, *eo enim tempore, quo hanc Epistolam misit, in custodia erat.*

Paulus vinctus. Sæpè vinculorum passionúmque suarum meminit Apostolus, sæpè illis, sæpè istis exercuit eum Deus, quem semel tantum in cœlum euectum fuisse legimus. Quod expendebat Christus ipse: nam virginem Theresiam alloquens, vt illa fatetur, hæc ad illam habuit. *Putas, filia, meritum situm in deliciarum gustu & fruitione esse? situm in opere, in tribulationum perpessione est, & in amore. Non audiuisti Paulum pluries cœlestibus voluptatibus, deliciisque refectum,* SED SEMEL TANTVM, LICET PLVRIES SIT PASSVS. *Et meam vitam cogita, passionibus assiduis plenam, &* DVNTAXAT IN MONTE THABOR VOLVPTATEM MEAM GVSTVMQVE MEVM AVDIVISTI. Hæc Christus ad suam sponsam; quæ dicta sibi quilibet vtiliter putare potest, & iustè debet. Falluntur qui dum hîc sunt, extendi latius volunt deliciarum terminos, ac durationem, quam tribulationum.

Pauli vincula mulierum monilibus sic pariabat & præferebat S. Chrysostomus hom. 10. in Epist. ad Coloss. *Quæcumque mulieres aurea induistis monilia, Pauli desiderate vincula. Non sic circa collum fulget collare, vt in eius anima fulgebat ornamentum aureorum vinculorum. Si quispiam illa desiderat, hæc odio habeat. Quid enim est commune ignauiæ & socordiæ cum magni & excelsi animi virtute? corporis ornamento cum philosophia? Illa vincula reuerentur Angeli: hæc vero etiam ludificantur. Illa vincula solent à terra ad cælum tollere: hæc vincula à cælo deducunt ad terram. Reuera enim hæc sunt vincula, non illa. Hæc cum corpore animam quoque opprimunt: illa cum corpore ornant etiam animum.*

Catenam, qua Pauli manus obstrictæ fuere, sic efferebat S. Chrysostumus hom. 8. in epist. ad Ephes. *Admiraris Paulum, quando eius manum tetigit vipera, & nihil ei fecit. Ne mireris:* REVERITA ENIM FVIT CATENAM: *etiam totum mare eam venerebatur; tunc enim erat vinctus. Si quis mihi dederit nunc, vt suscitem mortuos, non hoc elegerim, sed catenam.*

Desunt catenæ, quibus vinciaris? Falleris, non desunt. Facilè deprehendes, si quæras, & sinas te vinciri. Præstat hic sistere, quæ habet S. Chrysost. hom. 8. in epist. ad Ephes. *Non licet nunc vinciri catenis.* SED ALIA EST CATENA, SI VELIMVS. *Quænam autem hæc est? Manus continere: ad auaritiam & plura habendi cupiditatem non esse paratos. Hac catenâ nos ipsos vinciamus. Pro ferro sit nobis timor Dei.*

Et Timotheus frater.

1454. CVr Timotheum quoque sibi adiungit? An vt facilius Philemonem flecteret? *vt duorum intercessio plus*, vt ille ait, *valeret.* Addunt aliqui id factum, quia fors per Timotheum Onesimus fugitiuus ad Paulum adductus fuerat. Quid ni fratrem eum vocet, qui aliorum saluti ad mentem Pauli cooperabatur?

Et Appiæ sorori charissimæ.

HAnc Appiam Philemonis vxorem fuisse, bonorum auctorum sententia est. *Alioquin*, inquit Estius, *non eam Apostolus anteponeret Archippo.* Et iure eam recenset, cum Pauli petitioni fauere plurimum posset; apta quippè vxor vt mariti animum flectat, & ex iræ etiam iustæ suggestu summa dexteritate demittat.

Et Archippo commilitoni nostro.

MIlitiæ nomen maximè cum Ecclesiasticis cohæret ministeriis. Eruditè Estius, vt solet; *Cur Ecclesiasticum ministerium metaphoritè militia vocetur, & ministri commilitones, ea ratio est, quia in castris Ecclesiæ more militum excubias agunt, & pro ea defendenda, & propaganda assiduè ex officio laborant.*

Gaudium enim magnum habui, & consolationem in charitate tua.

GAudium enim magnum habui, quia scilicet in Philemone videret, quod gaudij materia esset; nam *bonum discipuli* (inquit hîc Lyranus) *redundat in* BONVM MAGISTRI.

Paulus senex, nunc autem & vinctus Iesu Christi.

VT Paulus senex; Dicturus se esse in vincu- 1455.
lis non erubuit se vocare senem; vincula & passiones, senectutis gloria sunt. Sanctus Ambrosius in Psalm. 36. ita hunc locum expendebat. *Cum sis talis, vt Paulus senex, nunc autem & vinctus Christi Iesu: obsecro te pro meo filio, quem genui in vinculis Onesimo, volens itaque illi plurimum deferre seniori Paulo eum non iuueni comparauit,* AT IBI SE SENEM ESSE GLORIATVS, VBI IAM IN VINCVLIS TENEBATVR. *Et vide te distamiam. Adolescens significatus est in alterius passione, senex in sua: ibi vt adolescens, quia Iudæorum vestimenta seruabat, hic senex vbi sui corporis exuuias exuebat.*

Vinctus Iesu Christi: Cadunt hic optimè quæ habet S. Chrysostomus hom. 16. ad Popul. *Paulus in vinculis & carceribus: ego vero in ebrietate, & lauta mensa? & quam assequar veniam?*

Vincti pro Christo, quanti sit, egregiè explicat S. Chrysostomus hom. 8. epist. ad Ephes. dum ait: *Cum sim Paulus senex, nunc autem vinctus in Christo. Nihil est enim æquè præclarum,* ATQVE VINCVLA PROPTER CHRISTVM, *atque catenæ sanctis illis manibus imposita. Vinctum esse propter Christum, est præclarius, quam esse Apostolum, quam esse Doctorem, quam esse Euangelistam. Si quis amat Christum, nouit, quod dicitur.*

Obsecro te pro meo filio, quem genui in vinculis Onesimo.

QVem genui in vinculis. Cur vinculorum hîc 1456.
mentio facta? An, ne aliquis crederet, vincula spiritalem filiorum generationem impedire? *Quem genui in vinculis. Neque enim,*

inquit

inquit Theodoretus hîc, *vincula prohibuerunt ortum ſpiritualem.*

Qui tibi aliquando inutilis fuit, nunc autem & mihi, & tibi vtilis.

INutilis fuit. Vide vt eius culpam extenuet: *Leniter*, inquit hic S.Thomas, *de culpa huius loquitur, dicens, inutilis, id eſt, nocinus in ſubtrahendo res tuas.* Quæ te docet illorum offenſam minuendam, quantùm in nobis eſt, quos in aliorum gratiam cupimus reſtituere.

Qui tibi aliquando inutilis fuit. Fuerit ſeruus Oneſimus, nihil refert, vera libertas eſt Deo ſeruire, vera nobilitas, Chriſti adiici obſequiis; S. Chryſoſtomus ſerm.6. in Terræmotum, huc ſpectans, ait. VIS OSTENDAM LIBERTATEM EX SERVITVTE? *famulus fuit quidam Oneſimus, deſpectus, fugitiuus; hic fugit & ad Paulum abiit, baptiſmum obtinuit, peccata eluit, ad pedes eius remanſit, ſcribit ad Dominum eius Paulus: Oneſimum qui tibi aliquando inutilis fuit, nunc autem & mihi, & tibi vtilis, illum vt mea viſcera ſuſcipe, quid enim accidit? quem genui in vinculis meis; vidiſti nobilitatem, vidiſti mores qui pariunt libertatem: Seruus enim & liber nomina ſunt ſimpliciter.*

Tu autem illum, vt mea viſcera ſuſcipe.

1457. T*V autem illum, vt mea viſcera, ſuſcipe.* Quam pathetice loquitur Apoſtolus, & quid Oneſimus egerat, vt *viſcera ſua* illum vocare potuerit? *Hoc ideo*, inquit Sanctus Thomas hæc verba interpretans, *quia* VIDI EVM EMENDATVM, *cuius ſignum eſt quia enim remiſi tibi.* Tanti fieri à nobis debent, qui præteritam vitam eiurantes, nouam ineunt.

Ego te fruar in Domino.

VIdetur frui Domino, qui homine in Domino fruitur; & idcirco hanc formulam Paulus adiecit. Sanctus Auguſtinus lib.1. de doctrina Chriſtiana, cap.33. hanc phraſim expendens ait: *Cum homine* IN DEO FRVERIS, *Deo potiùs quàm homine frueris. Illo enim frueris quo efficieris beatus, & ad eum te perueniſſe lætaberis, in quo ſpem ponis vt venias. Inde ad Philemonem Paulus. Ita frater, inquit, ego te fruar in Domino. Quod ſi non addidiſſet in Domino, & te fruar tantum dixiſſet, in eo conſtituiſſet ſpem beatitudinis ſuæ, quanquam etiam viciniſſimè dicitur frui, cum delectatione vti.* Alij ſic exponunt: Ita mihi contingat te frui, id eſt, ex tua præſentia, tuóque colloquio, ac præclaris operibus capere voluptatem. Alij ex Græci verbi vi talem eliciunt ſenſum. Hunc fructum ex te conſequar, ac ſi diceret: ſine vt hoc abs te beneficium impetrem, Oneſimi ſcilicet reconciliationem.

In Domino. Cur iſtud adiecit? *Quia fructus*, inquit Eſtius, *& delectatio vndecunque recepta, vana eſt, niſi in Deum referatur*, & in Deum ferat. Vt omnis mundana delectatio inanis omnino ſit, cum adeo ad Deum non ferat, vt à Deo maximè auocet.

Sciens quoniam & ſuper id, quod dico, facies.

TAntùm ſibi de Philemone promittebat, vt plus ab eo eſſet conſequuturus, quàm ab eo quæreret. Sed cur ab hoc capite illum commendauit? Vt ad meliora prouocaret. *Hac blanda commendatione* (inquit B. Dionyſius hîc) *qua tamen veritati innititur*, PROVOCAT EVM AD MELIORA: *fit enim frequenter, vt qui vidit bene ſentiri de ſe, meliorem ſe præbeat*: Et reſpondere opinioni de ſe conceptæ ſumma cura ſtudeat, ſingulari ſtudio curet. 1458.

Simul autem & para mihi hoſpitium.

NOn quòd magno apparatu excipi vellet, vt qui in iis, quæ corpus tangebant penè ſui obliuiſcebatur: hoc adiecit, vt Philemon, audiens Apoſtolum breui venturum, promptius perficeret perfectiúſque ea, quæ illi Paulus iniunxerat; offenſionémque eius & reprehenſionem caueret.

Para mihi hoſpitium. Si parandum Paulo ex Pauli monitu, cur non potius Chriſto Chriſti iuſſu, cordis parare hoſpitium debet Chriſtum in Euchariſtica menſâ excepturus? Sed cur de hoſpitij apparatu adeo ſollicitus Apoſtolus eſt? An non tam parari ſibi quærit, quàm verbo, quod erat prædicaturus? ſed cur eligit potius huic rei Philemonis domum, quàm alterius? An quia hæc aptior, & à ſpectaculorum locis remota? huc ſpectauit S.Anſelmus dum ait: *Quia in celebri erat vrbis loco, ad quem facilè conueniretur: Deinde quia ab omni* IMPORTVNITATE VACVA ERAT, AC AMPLA, *quæ plurimos caperet audientium*, NEC PROXIMA SPECTACVLORVM LOCIS, *nec turpi vicinia deteſtabilis. Poſtremò quia in plano potius erat ſita, quam in Cœnaculo.* Quæ res monet, omnes eſſe difficultates amoliendas, tollenda obſtacula omnia, vt facilis ad Dei verbum excipiendum aditus pateat, ne hominum torpor à tam ſalubri auditione auocetur; & omnia auferenda, quæ ſermonis fructum impedire poſſunt, & inficere.

Finis Epiſtolæ ad Philemonem expenſæ, & illuſtratæ.

CAPVT PRIMVM EPISTOLÆ AD HEBRÆOS EXPENDITVR ET ILLVSTRATVR.

Sectio I.

1459 *Iudæi vt postremò conuertendi.*

1459 *Nomen suum, cur Paulus suppresserit, nec se Apostolum dixerit in Epistola ad Hebræos.*

1459 *Quæ ad alios pertinent, cautè tractanda.*

1460 *Omnia munera non facilè in vnum conferant Superiores.*

1460 *Paulatim à minimis ad magna eundum in virtutum profectu.*

1460 *Variis, vt se Deus accommodet in superiorum exemplum.*

1461 *Aliorum instituta, & viuendi regulam non facilè aliquis damnet.*

1461 *In omnibus audire Deum vt debeamus.*

1462 *A correctione amouendæ, quæ exacerbare auditorem possunt.*

1462 *Plura Deus exhibet, quàm dicat.*

1462 *Quàm plenius in Filio Pater sit nobis loquutus, ac loquutus in Prophetis fuerit.*

1463 *Christi reuerentia excitanda.*

1464 *Tempus sine bonis operibus non sinatur abire.*

1459. OMNIVM postrema Epistola ad Hebræos est, quia & ipsi Hebræi omnium postremi, ita Catharinus in Epist. ad Rom. *Quemadmodum hæc ad Romanos propter dignitatem omnibus præfertur; ita illa, quæ ad Hebræos, propter indignitatem, vltimum sibi locum vendicat: quoniam interim spreti sunt Iudæi atque neglecti, donec Gentium intret plenitudo;* NAM TVM DEMVM ET IPSI REVERTENTVR, *& veritatem agnoscent. Inde iure à septem Ecclesiis significatur Gentium plenitudo, quæ Spiritum sanctum primò debuit accipere, & exinde saluum fieri Israelem, qui Spiritus hoc septenario numero propter illius septem distincta dona significatur.*

Aliquis hîc quærat cur nomen suum huic Epistolæ Paulus non affixerit, nec Apostolum se vocauerit. An ne Iudæos offenderet? An quia Apostolus in hac Epistola Christum vocat? Claudius Altisiodorensis Episcopus in Epist. ad Galatas ita censuit, dum scripsit: *Et in Epistola ad Hebræos propterea Paulum solita consuetudine nec nomen suum,* NEC APOSTOLI VOCABVLVM *præposuisse, quia de Christo erat dicturus: Habentes ergo Principem Sacerdotum, & Apostolum confessionis nostræ Iesum; nec fuisse congruum, vt vbi Christus Apostolus dicendus erat, ibi etiam Paulus Apostolus poneretur.*

Denique non desunt idcirco qui dicant Apostolum in hac Epistola nec nomen suum posuisse, nec titulum dignitatis, quia ad Hebræos scribebat, & non ad Gentes, & horum Apostolum se constitutum nouerat, non illorum. Ribera hîc ita rem explicat ex mente Theodoreti: *Paulus erat Gentium Apostolus. Ea de causa cum scriberet ad eos, qui crediderunt ex Gentibus, appellationem adiecit, & Apostolicam dignitatem addidit, vt Doctor & Magister scribens ad discipulos. Ad Hebræos autem scribens* QVORVM NON ERAT SIBI CVRA CREDITA, *meritò nudam dignitate doctrinam eis tradidit. Aliorum enim Apostolorum curationi suberant;* Vt hac modestia & cautione indicet, quam cautè in alienam messem falx mittenda sit, cum iusta aliqua de causa est mittenda.

Multifariàm, multísque modis olim Deus loquens Patribus in Prophetis.

MVltifariàm. Græcè, πολυμερῶς, *multipartitè,* 1460.
nec enim omnia, nec eadem omnibus Prophetis reuelata sunt, sed quasi partibus mysteriorum distributis alia aliis inspirata. Nimirum non dat vni omnia sua dona Deus, pluribus dat, in plures suas diuitias spargit vt loca, sæcula, personarum genera aliquo nobilitentur dono, quo vnumquodque alterum alteri præferatur. Quâ re illi superiores arguuntur qui cum cæterorum inuidia fere OMNIA MVNERA IN VNVM CONFERVNT, quæ possent pluribus distribuere, & vnum donis onerant, vacuos relinquentes reliquos.

Multísque modis olim Deus loquens Patribus. Visiones multas, multas reuelationes, loquutionésque præmisit Deus, antequam humana carne vestitum

vestitum Filium suum mitteret, & illius præsentiâ mundum beatet, vt nimirum paulatim homines tanto mysterio excipiendo apti redderentur. Id quod tetigit Lyranus hîc dum ait: *Olim Deus loquens Patribus. Id est, ab antiquo, & ex multo tempore paulatim assuefiendo, vt crescerent homines in cognitione mysteriorum Incarnationis, & veritatis.* Ne subito Christi aduentu nimis terrerentur. Quo docemur in magnarum quoque virtutum acquisitione paulatim procedendum esse, & à minimis ad summa eundum.

Multisque modis, Græcè est, *πολυτρόπως*, id est, *multiformiter*, vt significetur varia fuisse visionum genera, modos, ac formas, quibus illuminati Prophetæ futura prædicerent velut per somnium, per ecstases, per ænigmata, per figuras, per allocutiones, per apparitiones sensibiles, atque corporeas, omnibus his modis sua Deus mysteria manifestauit, vt nullum probationis genus defuisse crederemus. Docet hic locus variis modis se quodammodo aptare Deum, & hominibus se se accommodare, VT NON DEDIGNENTVR ID PRÆSTARE IN SVBDITOS QVI PRÆSVNT, VARIAS NIMIRVM FORMAS INDVENTES, VT LVCRENTVR OMNES, nullúmque modum prætermittentes, quo ad salutis viam vocare suos possunt.

1461. *Multisque modis.* Varij modi fuerint, eodem tamen omnes tendebant, & vnum habuere principium, Deum ipsum; omnes tuti, probi omnes, & diuinis rebus manifestandis apti. Quod illi notent, qui facilè damnare audent, si alios viderint aliis ac ipsi sensibus, ac modis duci, OMNES EADEM METIENTES REGVLA, ac si per varias vias, varios ad se homines Deus non vocet, variis diuersísque modis se suis non manifestet, & sua; falluntur qui sua, mysteria putant, aliena verò nuda somnia, ac deceptiones.

Multis nobis modis Deus loquitur, in omnibus audire Deum debemus, etiam cum loquuntur homines. Ad rem Sanctus Augustinus in Psalm. 49. *Locutus est multis modis, per Angelos ipse locutus est; per Prophetas ipse locutus est; per os proprium ipse locutus est; per Apostoles suos ipse locutus est; per fideles suos ipse loquitur; per humilitatem nostram, cum aliquid verum dicimus, ipse loquitur; videte itaque loquendo multipliciter, multis modis, per multa vasa,* PER MVLTA ORGANA, IPSE TAMEN SONAT VBIQVE TANGENDO, MODIFICANDO, INSPIRANDO.

1462. *In Patribus, & Prophetis.* Mosem in numero Prophetarum fuisse, per quos Patribus locutus est Deus, certum est; sed cur eum non nominat? Estius: *Statim hic in ipso limine Moyses in ordinem redigitur eorum qui Christo sunt minores. Verum id ne offendat tacitè facit Apostolus, ac tantùm sub nomine generali.* Ex quâ re id colligas, quàm studiosè illorum offensio vitanda sit, quibus consultum volumus, & quos ad meliora traducere studemus. Plerumque salutaribus monitis vis aufertur, dum ea miscentur quibus illi durius EXACERBANTVR, quorum correctioni monita ipsa exhibentur.

Nouissimè diebus istis loquutus est nobis in Filio.

QVàm nos antiquis Patribus feliciores beatiorésque! Illos per Prophetas alloquutus

Nouarin. in Epist. Pauli.

est Deus; nos verò per Filium, qui quanto illis maior, tanto nos Patribus in hoc maiores. Per filium loquutus est nobis Pater, nec loquutus tantum, sed per eum nos cœlestibus bonis cumulauit. Loqutionis præcipuè meminit, quia hoc inter illius dona præcipuum, vt noua nos lege muniret, nouis institutis informaret; ex hoc quoque apparet PLVRA DEVM EXHIBERE, QVAM DICAT.

Loquutus est nobis in Filio. Cur non adiecit multifariàm, & multis modis in Filio nobis loquutum esse Deum, sicut cum de Prophetis loqueretur, fecit? An ne aliquid adderet quod loqutionem manifestationémque diminueret? Benè Ribera. *Cum per Prophetas dixit locutum esse Deum, addidit: Multifariam, multisque modis. Sed cum per Filium dixit loqutum, nihil tale addidit; est enim additio diminuens;* SIGNIFICAT ERGO PATREM OMNIA FILIO REVELASSE, *& per eum palam locutum esse sine inuolucris figurarum, quibus vtebatur in veteri Testamento.* Loquutus est nobis in Filio Deus Pater; adeo vt non solùm quicquid Christus loqueretur, sermo quidam esset Patris, sed etiam quicquid operabatur.

Quem constituit hæredem vniuersorum.

CVm de Filio Dei mentionem Paulus fecisset, statim eum effert, & eius dominium 1463.
narrat. Sed cui rei? *Quo maiorem* CHRISTI REVERENTIAM EXCITET, ait Estius hîc, *illustribus quibusdam ac præcipuis eum encomiis exornat.* Hoc Christum amantium est ad eius amorem alios prouocare, ad eius reuerentiam omnes allicere.

Quem constituit hæredem. Non quòd mortuo Patre Patri successerit, aut sit successurus, sed quòd instar hæredis à Patre omnium Dominus sit constitutus: quærat aliquis quando id factum? Aliqui putant, pòst Passionem, ac Resurrectionem omnium dominum esse constitutum; alij & probabilius id censent factum, cum Verbum caro factum est, inque primo suæ conceptionis instanti; loquitur autem de dominio quod ei competit secundùm naturā assumptam.

Vniuersorum. Dubium est an ad personas id referatur, an potius ad res. Quid si ad vtrumque? Regnum quippè Christi omnia comprehendit, licèt nobilior huius dominij & Regni portio electi sint.

Per quem fecit & sæcula.

PEr sæcula intelligit longas, & continuatas 1464.
temporum reuolutiones, ita tamen vt ad nudum tempus id non coarctetur, sed etiam extendatur ad ea quæ tempore mensurantur. Benè Estius hîc: *In his temporum reuolutionibus, quas fecit, omnino comprehendi vult quæcumque tempore mensurantur, id est, mundum, & quicquid in eo continetur, quo sensu infra dixit aptata esse sæcula verbo Dei, vt idem Paulus dicat ac Ioannes: Omnia per ipsum facta sunt.* Deum tuum tu quoque vt potes imitare, tempus à rebus, ab operibus non discrimines, NEC DIES, ANNOSQVE ABIRE SINE BONIS ACTIBVS SINAS. Sæculum, & tempus dicens Paulus reuolutiones intelligit onustas rebus, factis diuites, operibus plenas: eadem nos mente viuamus, vixisse per illud tempus nos non putemus, quod nostro torpore ac negligentia, bonis actibus vacuum permisimus præterire.

Sectio II.

Portansque omnia verbo virtutis SVÆ.

1465. PORTANSQVE *omnia.* Quid est, Verbum æternum portare omnia verbo virtutis suæ? An quia omnia gubernat & regit? *Filius verbo,* inquit Theophylactus, *gestat omnia, id est, gubernat.* Rectus nexus portandi ac regendi. ILLE BENE GVBERNAT, QVI SVOS PORTAT. Regendi peritia, ferendi peritia est. Non benè suos regit, qui portari à suis quærit, suos portare non vult.

Portánsque omnia. Verbi huius vim sic expendebat Primasius hîc: *Dicendo, Portans, facilitatem continendi voluit exprimere; posuitque, Portans pro eo quod est, Gubernans & regens. Verbum igitur Dei Patris, omnia quæ fecit, verbo virtutis suæ* PORTAT, *hoc est, potentiâ virtutis suæ, & verbo iussionis suæ omnia gubernat & regit. Non enim minus est gubernare Mundum, quam creasse: nam in creando ex nihilo substantiæ rerum producta sunt: in gubernando verò ea, quæ facta sunt, ne ad nihilum redeant, continentur. Ergo, dum hæc omnia reguntur, & ad inuicem sibi pugnantia coaptantur, magnum & admirabile virtutis Dei indicium declaratur.*

Verbo virtutis suæ. Cur non potiùs dictus est portare omnia *virtute sua,* quàm *verbo virtutis suæ?* Hugo Victorinus hîc quæst. 6. *Ideo,* inquit, *verbo potiùs, quàm virtute dicitur omnia portare: vt in portando, id est, continendo, & gubernando, & conseruando* NVLLVM LABOREM, VEL DIFFICVLTATEM INTELLIGATVR SVSTINERE. Portat omnia, nec defatigatur portando.

Sedet ad dexteram Maiestatis in excelsis, tanto melior Angelis effectus, quanto differentius præ illis nomen hæreditauit.

1466. T*Anto melior Angelis effectus.* Quod de Christo hîc dicitur, aptè ad Virginem transfert Sanctus Bernardinus Senensis tom. 1. serm. 61. art. 2. cap. 4. *Vt dicitur,* inquit, *Hebr. 1. sicut Filius Dei sedet à dextris Maiestatis, tantò melior Angelis effectus, quantò differentius præ illis nomen hæreditauit (quod nomen est, vt sit verè Deus per gratiam vnionis) sic & Mater Domini nostri Iesu, gloriosa Maria tanto melior est Angelis effecta,* QVANTO PRÆ OMNIBVS CREATVRIS HÆREDITAVIT VT OBTINERET DIGNISSIME MATRIS NOMEN.

Cui enim dixit aliquando Angelorum, Filius meus es tu, ego hodie genui te?

ET non etiam Angeli filij Dei sunt, cum hoc titulo gaudeant homines ipsi? Responderi potest: Nulli Angelorum Deum singulariter dixisse, *Filius meus es tu,* quo pacto soli filio id dicere potest, qui est Pater. Adoptiui filij Angeli, & homines sunt, naturalis est Christus. Quod additur: *ego hodie genui te;* ad æternam filij Dei generationem pertinere probæ notæ Auctores censent; aduerbio, hodie, æternitas significatur. Sed cur vtitur verbo præteriti temporis? Respondet Estius: *Vt quamuis præsentem, tamen* PERFECTAM INTELLIGAS GENERATIONEM *quâ filius Dei semper & gignitur, & genitus est: quemadmodum lumen in aere perfectum est, & tamen semper à Sole procedit.* Nonnulli tamen de temporali Christi generatione, quâ ex virgine Christus prodiit hæc verba accipiunt, & sic *hodie* significabit vitæ præsentis tempus. Alij contendunt de Christi resurrectione ex mortuis hunc locum interpretandum, nam ad illam comprobandam idem Apostolus Actorum 13. in concione ad Iudæos habitâ, hunc Psalmi secundi versiculum adducit, nam solet resurrectio in Scriptura regeneratio dici, & Christus ipse propter resurrectionem primogenitus mortuorum est dictus. Denique sunt qui hanc particulam; *Ego hodie genui te,* ita exponant: Nunc postquam ad dexteram meam collocatus es, filium meum te esse Mundo manifestaui, scilicet per Euangelij propagationem, qui sensus à tertio non est admodum diuersus. Nec est insolens vt tunc aliquis dicatur quidpiam fieri, quando vt talis incipit agnosci ac manifestari.

Ego ero illi in patrem, & ipse erit mihi in filium.

CVr verbis futuri temporis *ero & erit,* vtitur, cum ab æterno tales exstiterint? 1467.
Estius. *Dicit autem,* inquit, *ero, & erit, non quòd ab æterno non sit ille Pater, hic Filius, sed quia mysterium hoc antea latens & paucis cognitum, tunc patefaciendum erât quando Christus* INCIPERET ÆDIFICARE DOMVM, IDEM ECCLESIAM ÆDIFICARE PATRI SVO. In hoc se præcipuè Dei Filium Patri probans, homines æternâ gloriâ donandos Patri acquirens, Ecclesiámque constituens, in qua Veritas, sanctitas, & innocentia, cæteræque virtutes vigerent, & à Deo se genitum probauit, cum ex suo latere Ecclesiam genuit.

Opera manuum tuarum sunt cæli.

O*Pera manuum tuarum sunt cæli.* Acutè hîc Sanctus Thomas: *Non dicit, Fecisti cælos; sed, Opera manuum tuarum sunt cæli, quia illud, quod* ALIQVIS FACIT MANIBVS; *magis diligenter videtur facere: & ideo sic loquitur ad designandum nobilitatem & pulchritudinem ipsorum.*

Nonne

Nonne omnes ſunt adminiſtratorij ſpiritus in miniſterium miſſi? &c.

1468. O*Mnes ſunt adminiſtratorij ſpiritus.* Quis Dei dignationem hîc non admiretur, qui Angelorum miniſterio ſuorum ſalutem operatur? *Magnam prorſus*, inquit Beatus Laurentius Iuſtinianus de Diſcipl. monaſt. conuerſ. cap. 5. ad hæc verba, *& inuiolabilem præbere debet fiduciam cunctis Deo militantibus, Sanctorum Angelorum* INDEFESSA CVSTODIA. *Nam, ſi orant, eorum preces offerunt Deo; nec vacui reuertuntur ad illos: ſi pugnant, æquè ipſi cum eiſdem pugnant: ſi quieſcunt, nempè excubias agunt, ne quid mali ab aduerſariis patiantur: ſi ignorant, docent eos: ſi cadunt, erigunt: ſi puſillanimes efficiuntur, ſanctis exhortationibus ipſos roborant, & accendunt; & quâ parte humana curuatur infirmitas, eâ parte ſe opponunt caſuris.*

In miniſterium miſſi. Angelorum miniſterium ſic explicat ad hæc verba, Aelredus ſerm. 5. *Hi ſunt*, inquit, *adminiſtratorij ſpiritus in miniſterium miſſi propter nos, qui interſunt pſallentibus, aſſiſtunt orantibus, legentibus & meditantibus adſunt. Iſti ſe ſpiritibus immundis opponunt: illecebras Mundi ſuadentibus exemplum Dominicæ Paſſionis obiiciunt: mentem irâ inflammare volentibus, Dominicæ patientiæ bonitatem proponunt: elationem illis vel ſuperbiam immittentibus, humilitatem nobis humilis Ieſu ſuggerunt imitandam.*

In miniſterium miſſi. Parum erat adminiſtratorios eſſe Angelos, niſi & in miniſterium mitterentur. Mittit pro nobis Angelos qui pro nobis mitti à Patre voluit. Pulchrè Sanctus Bernardus ſerm. 5. in Dedicat. Eccleſ. *Non ſolùm adminiſtratorios, ſed & miſſos in miniſterium quoque Apoſtolus teſtatur. Quidni* MITTAT ANGELOS, *pro quibus & ipſe à Patre voluit mitti? Quidni pro eis inclinet cælos, pro quibus ipſe quoque cælorum Rex inclinauit ſe ita, vt digito in terram ſcriberet? Domine inclina cælos tuos (Parum eſt) & deſcende. Quid vltra? Vt quibus condeſcendit, faciat etiam coaſcendere ſibi.*

CAPVT II.

EPISTOLÆ AD Hebræos expenditur & illuſtratur.

1469 *Nemo aliis effundat, antequam impleatur.*

1470 *Quid timere debeant, qui doctrina Chriſti negligenter attendunt.*

1470 *Qui alios regunt mente, & intentione, vnum referant.*

1471 *Concionatoris fructus vt etiam ad non concionatores extendatur.*

1472 *Salutis titulo, cur Chriſti doctrina ſignificata.*

1472 *Spiritualia vbique ſpectanda.*

1473 *Perſtricti, qui ſacrarum litterarum peritia deſtituuntur.*

1474 *Guſtandi verbo cum de morte ageret, cur vſus Apoſtolus.*

1474 *Spes & fiducia cur Angelis non attributa.*

1475 *Mortis Imperium habuiſſe, cur Diabolus dicatur.*

1476 *A morte vt liberauerit nos Chriſtus.*

1477 *Semen Abrahæ apprehendiſſe, cur dicatur Chriſtus.*

1477 *Angelos cur Chriſtus non apprehenderit.*

Ea in ſermone ſupprimenda, quæ offendere auditores poſſunt.

Propterea abundantiùs oportet obſeruare nos ea quæ audiuimus.

ALIQVI vertunt: *Propterea oportet nos vehementius attendere iis, quæ audiuimus*; ſed quid eſt *vehementius*, aut *abundantius*? An hoc dicit quia cœperant Hebræorum animi tepeſcere à primo fidei feruore? excitat igitur illos Apoſtolus, & animat. Addit Eſtius: *Poteſt*, inquit, *intelligi comparationem fieri cum lege per Angelos data, cuius ſtatim mentionem faciet: vt ſenſus ſit; Quantò Chriſtus eſt Angelis maior, tantò ſtudioſius Chriſti legem, atque doctrinam ſemel ſuſceptam, retinere debetis, eique firmiter adhærere, quam olim legi per Angelos acceptæ, adhæſiſtis.* 1469.

Ne fortè pereffluamus.

N*E fortè pereffluamus*, inter extremæ dementiæ genera hoc numera, aliquem totum aliis effundere quod habet, adeo vt vacuus, & inanis ipſe remaneat, aut etiam, quòd antea effundat aliis quàm ipſe impleatur. Opportunè Sanctus Bernardus ſerm. 18. in Cantica: IMPLERE inquit, *priùs, & ſic curato* EFFVNDERE. *Benigna, prudénſque charitas affluere conſueuit, non effluere. Fili mi, ne pereffluas, ait Salomon. Et Apoſtolus: propterea, inquit, debemus intendere his quæ dicuntur, ne fortè pereffluamus. Quid enim? Tune Paulo ſanctior, ſapientior Salomone? Alioquin nec mihi ſedet* DITARI EX TE EXINANITO. 1470.

Ne fortè pereffluamus. Sanctus Auguſtinus legit, *Defluamus*; alij *diffluamus*, vt ſit ſenſus; ne audita nobis excidant è memoria, ne ſimus inſtar dolij pertuſi, & rimoſi quod liquorem infuſum non retinet, ſed totum effundit, demittit totum. Alij, præſertim Græci, hoc explicatu donant hæc verba; Ne quando pereamus abſque ſpe reparationis, *inſtar aquæ, quam, vbi ſemel effluxerit*, ait hîc Eſtius, *impoſſibile eſt colligere*; Subdit: *eſt enim hac parte ſignificatio pœna, quam meritò timeant, qui* DOCTRINÆ CHRISTI NEGLIGENTER ATTENDVNT.

Si enim qui per Angelos dictus est sermo, factus est firmus.

LOquitur de sermone legis, quæ Angelorom data ministerio est. Hinc Actorum 7. dictum: *Qui accepistis legem in dispositione Angelorum.* Sed cur numerosè *Angelos* dicit, cum singulariter vnus Angelus Moysi in Sinai sit loquutus? *Sciendum*, ait Estius, *ita legem multorum Angelorum ministerio latam fuisse, vt tamen vnus in eo ministerio primarius, ac princeps fuerit. Quem quidem fuisse Michaelem Archangelum populi Israelitici ductorem atque custodem, capite præcedenti attigimus.* Vt hinc etiam colligas eos qui populis præsunt, illorúmque custodes sunt, licet plures numero sint, mente & intentione omnes lucrandi VNVM REFERRE, in vnum conspirare, à se inuicem non dissidere.

1471. *Per Angelos.* Vnus Angelus Dei personam repræsentabat, cæteri assistebant, aut vt notabat Sanctus Chrysostomus, excitabant tonitrua, fulgura, clangorem tubæ, fumum, & ignem. Sed cur per Angelos dixit datam legem fuisse? quia hæc ab aliis Angelis fiebant in populi audientis terrorem, vt ad legis obseruationem terribilibus hisce signis ducerentur, sicque plures Angeli legem dicebant, quia omnes ad legem, legisque custodiam spectabant. Hoc ad legis diuinæ tractatores transferas; plerumque concionator qui Dei legem enarrat vnus est, potest alios precibus, carnisque afflictationibus, & probæ vitæ exemplis pro suis viribus ad idem opus concurrere, ET PLERVMQVE CONCIONATORIS FRVCTVS NON CONCIONATORI TANTVM TRIBVETVR, sed & aliis qui concionatoris, si rem extimè spectes, non exercent munus.

Quomodo nos effugiemus si tantam neglexerimus salutem?

1472. SAlutis nomine Christi doctrinam intelligit. Sed cur eam hoc titulo donat? QVIA TOTA AD HOMINVM SALVTEM ORDINATA EST, quæ nihil aliud spectare videatur, quàm vt illi salutem consequantur, qui ei obsequuntur, & ad illius normam viuunt. Lex vetus terrena, ac peritura dona promittebat; Lex Christi spiritualia, & æternùm duratura bona promittit.

Non enim Angelis subiecit Deus orbem terræ futurum.

ET non, & Angeli terræ, mundíque rectores, & principes dicuntur? & non præsidere alij aliis regnis referuntur? Vt Angelis Orbis præsens terræ subiectus sit, non est tamen futurus longè præstantior, atque nobilior, sicque signatè addidit Apostolus *futurum*. Per Orbem autem terræ futurum probæ notæ Interpretes intelligunt, vel Ecclesiam qualis futura est post hoc sæculum in gloria cœlesti, vel in genere, statum mundi futurum post resurrectionem, idest cœlum nouum, & terram nouam, & quicquid in eis erit; quo sensu Christus pater *futuri sæculi* est dictus, & Paulus infra dicet: *Non habemus hic manentem ciuitatem, sed futuram inquirimus.* Placet hæc expositio etiam Estio, qui addit: *Nec repugnat vocabulum terræ in Latino expressa, in Græco intellecta; nam de terra, & Orbe terræ spiritualiter ac mysticè Scripturam loqui non est insolitum. Vbi tamen etiam meminisse oportet nouæ terræ, in quâ teste Petro iustitia habitat*; Nimirum à nominibus ipsis discas, VBIQVE SPECTANDA SPIRITVALIA, etiam cum ea offeruntur, quæ terram sonant spirituales viri spiritualia in nominibus quæ terram significant vident: terreni terrena quoque spectant in iis, quæ merè spiritualia sunt. Claudit Estius: *Ex quibus facilè intelligitur verbum præteritum subiecit, hunc habere sensum: subiiciendum prædixit, aut promisit: Quasi dicat; Principatus Orbis terræ futuri non est Angelis decretus, aut promissus à Deo.*

Testatus est autem in quodam loco quis.

NEc Auctorem, nec sacræ Scripturæ locum nominat, quod ad Hebræos scriberet sacrarum literarum non ignaros; quem morem in hac præcipuè Epistola seruat. Dauidẽ autem esse octaui psalmi auctorem non est dubium. Vt vel hinc illorum desidia & oscitantia arguatur, qui diuinarum literarum peritia destituuntur, cum ea ignorent, quæ notissima illis esse deberent. Audiendus hîc Sanctus Ambrosius ad hunc locum, vbi ait Prophetæ nomen suppressum, quia hic illis notissimus erat, vt redundantis fuerit operæ id apponere; *Facit hoc etiam*, inquit, *in aliis testimoniis (vt supra dictum est) existimo, non abscondentis affectu; sed ostendentis eos multam habere scientiam scripturarum: vt nec opus haberet, nomen ponere dicentis; sed veluti de re manifesta, & in promptu constituta, inducere testimonia.* 1473.

Vt gratia Dei pro omnibus gustaret mortem.

VT *gratia Dei pro omnibus gustaret mortem.* Cur 1474.
Gustandi verbo est vsus? Beatus Bruno: *Gustaret, dicit propter amaritudinem mortis, quæ interius illi sapuit.* Dulcis illi mors quia nobis fuit ad vitam. Addit: *Vel, Gustaret; quia mors illa citò præteriens,* QVASI IN GVSTV FVIT; *non inebriatus per meram.* Vt ob id etiam Eucharistiam institueret, in qua mors eius quotidiè repræsentaretur; quatenus quàm semel gustauerat, sæpius quodammodo iteraret.

Ego ero fidens in eum.

CVm Dei non sit fidere in Deum, fit vt de Christo solum secundùm naturam humanam hic locus intelligatur; deque ea spe, ac fiducia, qua in sua Passione Dei Patris auxilium implorauit. Vnde quia Angeli beati nullius indigent, *fit vt nec scriptura*, quod notabat hîc Estius, spem aut fiduciam *eis vnquam attribuat.*

Vt per mortem destrueret eum, qui habebat mortis imperium.

PEr mortem quam pro hominibus Dei Filius 1475.
subiit, Diabolum destruxit, id est eâ potestate priuauit, quam sibi in homines Deo ipso permittente vsurpabat. Addit; *qui habebat mortis imperium?* Non dubium quin Deus, & vitæ & mortis imperium sibi seruauerit; mortis tamen imperium

petium dicitur Diabolus habuiſſe, quia per peccatum, quod primo homini ſuggeſſit, & per quod totum humanum genus infecit, tenebat eum cum totâ poſteritate morti obnoxium, non iure aliquo, ſed ſola Dei permiſſione; *Vnde nec Diabolo*, inquit bonus ille auctor, PRETIVM NOSTRÆ REDEMPTIONIS FVIT SOLVENDVM, SED DEO; *cui ad mortem, & gehennam eramus propter peccatum obſtricti.*

Et liberaret eos, qui timore mortis per totam vitam obnoxij erant ſeruituti.

1476. SEd quomodò liberauit nos Chriſtus à morte, quam mortalium nemo effugit, nemo vitat? Quidam liberationem iſtam exponunt à mortis terrore, quem nobis ademit Chriſtus, ſpem certiſſimam præbens immortalitatis poſt huius viæ exitum conſequendæ. Aliter ſolui & nodus poteſt. Eſtius, *Intelligendum eſt*, inquit, *ab ipſa morte nos liberaſſe, non vt eam non patiamur, ſed vt in ea non maneamus: quomodo manſurus eſt, de quo Ioannes, prima Epiſtola tertio, qui non diligit, manet in morte. Nos autem vt ibidem dicitur: ſcimus quia tranſlati ſumus de morte ad vitam: quoniam diligimus fratres. Hac igitur eſt vera, & certa conſolatio fidelium aduersùs metum mortis, quod non dubitent, ſi in Chriſto maneant, quin ab hac morte corporis, per beatam reſurrectionem* ALIQVANDO SINT LIBERANDI. *Nam impiis, reſurrectio non erit à morte liberatio, ſed tranſitus ad mortem deteriorem.*

Semen Abrahæ apprehendit.

1477. S*Emen Abrahæ.* Cur non, *Naturam humanam*, dixit? An, vt Hebræorum in hac parte dignitatem oſtenderet, eóſque ad ſublimia alliceret? *Non dixit*, inquit hîc Theophylactus, *Naturam hominum; ſed Semen Abrahæ. Simul cupiens eos attollere, ac generis ipſorum ſplendorem commonſtrare; tum, quòd in eo ſint Gentibus excellentiores, quatenus ex ipſis eſt Dominus, ſemper enim ipſis, quoad citra offenſam licet, gratificatur. Simul autem promiſſionem eis ad memoriam reuocat: Tibi & ſemini tuo dabo terram hanc.*

Semen Abrahæ apprehendit. Cur, *Apprehendendi* verbo potiùs eſt vſus, quàm *Suſcipiendi?* Theophylactus hîc: *Non dixit* SVSCEPIT; *ſed*, APPREHENDIT, *vt oſtenderet, quod fugientem naturam noſtram, longiùs à ſe remotam inſequutus ſit, & anteuertens apprehenderit; complexúſque ſit, ſibi vniens, & copulans, ac ſiſtens ipſam à fuga, qua ab ipſo fugiebat.*

Semen Abrahæ apprehendit. Græcè ἐπιλαμβάνεται; à cuius verbi vi ſenſus huius loci eruendus. Eruit Ribera, ſimúlque explicat cur ſemen Abrahæ apprehendiſſe ſit dictus, non Angelos. Ait enim, *ſignificat hoc verbum, manus in rem iniicere, ſicut iniiciunt, qui pignora à debitoribus non ſoluentibus capiunt; aut tenere ſiue apprehendere, vt cum, hominem fugientem apprehendimus, aut occaſionem, ne elabatur tenemus. Senſus ergo eſt, alienati erant Deo Angeli per peccatum, nec tamen vnquam videmus Deum manus iniicere in eos, tanquam in rem ſuam vt eos retineat, & ad ſe reuocet:* AT IN SEMEN ABRAHÆ, IDEST IN FILIOS; ET POSTEROS ABRAHÆ MANVS INIICIT. *Quotidie, & eos per fidem ad ſe reducit. Vel Angelos fugientes non apprehendit, homines verò qui ſe fugerant, & abierant, quotidie apprehendit, vt à fuga reuocet, & ad ſe reducat.*

Semen Abrahæ apprehendit. Per Abrahæ ſemen carnalem Abrahæ poſteritatem aliqui intelligunt, non quòd ea ſola, aut tota apprehendatur à Chriſto, ſed quia peculiariter ad illum populum pertinebant promiſſiones Patribus factæ. Addit hîc Eſtius: *Loquitur autem hoc pacto in gratiam Hebræorum, ad quos ſcribit, cum alioquin generaliter ac planè dici potuiſſet, Non Angelos, ſed homines apprehendit. Quanquam id etiam obſeruandum eſt Apoſtolum totâ hac Epiſtolâ Gentium vocationem prudenter diſſimulare, ſiue quod* EIVS MENTIO PARVM GRATA ESSET HEBRÆIS; *ſiue quod inſtituto ſuo non neceſſaria.* Vt hinc diſcas ea in ſermone ſupprimere, quæ offendere auditoris aures ita poſſunt, vt nullam vtilitatem ſint allatura. 1478.

CAPVT III.

EPISTOLÆ AD Hebræos expenditur & illuſtratur.

Vnde, fratres ſancti; vocationis cœleſtis participes, &c.

SAnctos eos vocat, non quòd ſinguli eſſent ſancti; ſed quia *ipſa Eccleſia, ſeu fidelium ſocietas verè pollet ſanctitate, & iuſtitiâ*, inquit Eſtius; contra ac fieri à ſæculi hominibus ſolet: hi quippe ex vnius defectu integram congregationem, ſacrámque inficiunt familiam; &, quod ab vno fit mali, in cæteros reiiciunt. Apoſtolus contra: totius ſocietatis bono ſingulos veſtire (vt ita loquar) videtur. 1479.

Considerate Apostolum, & Pontificem confessionis nostræ Iesum.

QVo sensu Apostolus, & Pontifex confessionis nostræ dictus est Christus? Erat Apostolus confessionis eorum Christus, qui doctrinam fidei, quam profitebantur, ipse per se eis annunciauerat; erat & Pontifex confessionis ipsorum, quoniam, & hoc Pontificis est veræ religionis doctrinam populo confitendam tradere.

Qui fidelis est ei, qui fecit illum.

1480. QVi *fecit illum.* Vertunt nonnulli: *Qui constituit eum,* scilicet Apostolum, & Pontificem, sicut & 1. Reg. 12. dictum est: *Dominus qui fecit Moysem, & Aaron,* idest constituit Præfectos populi. Qua phrasi indicatur, eum, qui aliis præficitur NOVOS MORES ITA DEBERE INDVERE, tanquam nouæ vitæ nascatur, nouus in lucem prodeat, nouus omnino sit.

Amplioris enim gloriæ iste præ Moyse dignus est habitus.

MIrum cur nunc laboret Apostolus Christum Moysi præferre, cùm superiùs eum Angelis prætulerit, quibus minor erat Moyses. *Respondeo*, inquit Estius hunc nodum soluens, *tanti nominis apud Iudæos Moysem fuisse, qui Aegyptiacâ seruitute eos eduxerat, qui legem dederat, qui tot mirabilia patrarat, denique, qui tanquam intimus Dei amicus, ore ad os cum eo fuerat locutus: vt facilè in eam ducerentur opinionem, quâ putarent illum Angelis præstare, quos Scriptura non amicos Dei, sed ministros appellat. Opus igitur fuit, vt propriis argumentis doceret Apostolus quando Christus sit Moyse maior.*

Et Moyses quidem fidelis erat in tota domo eius tanquam famulus.

1481. CVr *famulum* Moysem vocat, cum in Hebræo sit *seruus*: vtitur Græcâ voce θεράπων, quæ famulum seu ministrum significat, *ne serui nuncupatione Moysem*, vt ille ait, nimiùm deprimere *existimaretur. Itaque satis habuit eum ministrum appellare, quomodo familia cuiuspiam dispensator minister est domini, à quo familiæ cura ei demandata est.* Scilicet efferre studuit Christum, deiicere alios non voluit. A quo more abeunt, qui vt aliquem euehant, id CVM ALIORVM DEPRESSIONE FACIVNT, ac si ille efferri nequeat, nisi cæteri demittantur, nec laudari vnus, nisi contumeliis alij afficiantur.

Quapropter sicut dicit Spiritus Sanctus.

CVr anthorem testimonij producendi Spiritum Sanctum citat, non Dauidem? *Quò maiori reuerentia*, ait Estius, *testimonium suscipiatur, magisque moueat eos, quorum causa adducitur;* vtque statim appareat, non à semetipsis, sed à Spiritu Sancto dixisse, quæ Prophetæ dixere.

Hodie, si vocem eius audieritis, nolite obdurare corda vestra.

VOcem Domini vocat eam, quæ Prophetarum ore edita est: ita enim in Prophetis suis Deus loquitur, vt illorum vox, Domini vox dicatur. Addit autem: *Nolite obdurare corda vestra.* Quia in hominum potestate libera est obedire, & non obedire. 1482.

Sicut in exacerbatione secundùm diem tentationis in deserto.

NOn explicat, ad quem referatur exacerbatio, an ad Moysem, an verò ad Deum ipsum. Proximè refertur ad Moysem, qui populo aduersùm se iurgante, ac sibi contradicente, valde fuit exacerbatus. *Verumtamen*, addit Estius, *sicut ex consequenti* IN DEVM REDVNDAVIT CONTRADICTIO, *ita & ad Deum exacerbatio referri potest, quatenus iniuria famuli Dominum attingit*, vt non mirum videri possit, si in consequentibus Apostolus ad Deum referat exacerbationem.

Quadraginta annis, propter quod infensus fui generationi huic.

INfensus fui. Græcè est προσώχθισα, quod verbum significat, & fastidire, tædioque affici, & etiam appropinquare, vnde non mirum si Ecclesia legat, & codices habeant: *Proximus fui*, quod de illa approximatione intelligendum est, quâ res alteri appropinquat, à qua læditur, offenditur, & detrimentum accipit, ac damnum. Sic Deus in durum illum populum impegit, à quibus assiduè peccatis irritabatur. 1483.

Vt non obduretur quis ex vobis fallacia peccati.

FAllacia peccati, peccati voluptas, quâ cor mollescit, durum cor efficit, vt Dei præcepta non recipiat. *Fit autem miro modo*, verba sunt Estij ad verba producta, *vt dum* COR EMOLLITVR DELECTATIONE PECCATI, PAVLATIM OBDVRESCAT ADVERSVS PRÆCEPTA DEI; sicut & è conuerso dum molle fit in Dei obsequium, durum ita euadit aduersùs peccatum, vt delectatione flecti non se sinat.

Quidam enim audientes exacerbauerunt, &c.

CVr *quidam* dicit, cum penè omnes exacerbauerint? Nodum perite soluit Estius hîc dum ait: *Cum Historia sacra testetur penè omnes exacerbasse, quando dictum est eis: Si introibunt in requiem meam: cur Apostolus dicit: Quidam enim esse, quasi non ita multi fuerint? Respondetur, id agere Apostolum, vt Hebræos animet ad permanendum in fide. Id autem agendum statuit non tantum propositâ punitione eorum, qui propter infidelitatem, & inobedientiam suam fuerunt exclusi à requie promissa: Verum etiam adducto eorum exemplo, qui merito fidei & obedientiæ, requiem optatam sunt adepti. Ad eam rem autem non expediebat meminisse paucitatis istorum, ne suos Hebræos inducere videretur ad desperationem.* Nimirum qui alios corrigit, non 1484.

ita

ita ſeuerus, & durus ſit, vt ab emendationis ſpe eos deiiciat.

Exacerbauerunt. Non explicat, quem exacerbauerint; ſed ex ſacra Scriptura liquet Moyſem exacerbauiſſe, conſequenter etiam Deum, cuius locum Moyſes tenebat: nam in Deum reſilit, quicquid in eos fit, qui Dei vices gerunt.

CAPVT II.

EPISTOLÆ AD Hebræos expenditur & illuſtratur.

Non profuit illis ſermo auditus, non admixtus fidei ex iis quæ audierunt.

1485. AVditus. Græcè ἀκοῆς, *auditionis.* Per ſermonem auditionis intelligit ſermonem, quem audierant, Deo ſcilicet per Moyſem promittente ſe introducturum eos in terram Chanaan, & requiem in ea illis daturum. Adeo autem hic ſermo illis non profuit, vt etiam nocuerit. Quod iuſtius ad eos flectatur, quibus non terrena terræ poſſeſſio promiſſa eſt, ſed cœli, nec temporalis requies, ſed æterna.

Non admixtus fidei. Sanctus Auguſtinus legit: *Non contemperatus fidei eorum, qui obedierunt,* Alij: *Non commixtus fidei*, vt referatur ad ſermonem auditus: *In hunc ſenſum*, inquit hîc Eſtius: *Promiſſionis ſermo, quem audierant nihil eis profuit, imo magis obfuit, propterea quod ipſis qui audierant non eſſet fide contemperatus; ſine qua mixtura verbum tanquam pharmacum non prodeſt, ſed nocet. Contemperatur autem fide, quando qui audit fideliter recipit. Eſt igitur in hac phraſi quædam alluſio ad ea, quæ hauſta nocent niſi* CONVENIENTER FVERINT TEMPERATA. Ex quo fit vt Dei myſteria tunc mortem afferant, quum fide non excipiuntur, fide non contemperantur, vt in ſuperbis, & omnia temerantibus hæreticis accidit; & etiam in Iudæis, quibus maximè nocent, quæ maximè deberent prodeſse, quia fide, quæ in myſteriis diuinis neceſſaria eſt, deſtituuntur.

Feſtinemus ergo ingredi in illam requiem.

FEſtinemus ergo ingredi. Scitè hunc locum expendebat Theophylactus inquiens: *Pulchrè autem dixit, Feſtinemus ſiue adnitamur: non enim fides ipſa per ſeipſam ſufficiens eſt, vt introducat in illam; niſi proba pariter conuerſatio, adeóque vita aſſuerit.* 1486.

Feſtinemus ergo ingredi, Acutè huius verbi vim expendebat Sanctus Thomas hîc: *Signanter dicit, Ingredi; quia non eſt* IN BONIS EXTERIORIBVS, *ad quæ eſt egreſſus; ſed eſt* IN BONIS INTERIORIBVS.

Feſtinemus ergo ingredi in illam requiem. Pulchrè S. Amb. in Pſal. 47. *Feſtinemus intrare in illam requiem. Requies ergo vera, iam non in operis ceſſatione, ſed in reſurrectionis eſt tempore.*

Viuus eſt enim ſermo Dei, & efficax, & penetrabilior omni gladio ancipiti, & pertingens vſque ad diuiſionem animæ & ſpiritus.

VErbi diuini vim, quam hîc effert Paulus, expertus in ſe ipſe fuit. *Non per milites,* inquit, Beatus Laurentius Iuſtinianus, ſerm. in Epiphania Domini, *non armis, non verberibus ſtatuit hunc incredulorum ducem, quatenus ſciret, quòd Dei ſermo eſt viuus, & efficax, & penetrabilior omni gladio ancipiti, pertingens vſque ad diuiſionem animæ ac ſpiritus. Nempe ſi totus inſurrexiſſet mundus, Pauli minimè valuiſſet animoſitatem flectere, euertere ſenſum intelligentiámque conuincere; verum vt cor illius tetigit verbum, emolliuit mentem eius, ſedauit furorem, placauit crudelitatem, mutauit propoſitum, naturam reformauit, docuit rationem, lumine circumuenit, atque ſapientiæ totum inſtare ſaginauit.* 1487.

Et penetrabilior omni gladio ancipiti. Cur gladij ancipitis ſimilitudine potiùs vtitur, quàm alterius cuiuſuis rei? *Mihi videtur Apoſtolus,* inquit Ribera vt hunc nodum ſoluat, *ita voluiſſe ſignificare* VIM PENETRANDI, VT SIMVL VIM NOCENDI OSTENDERET. *Videtur ergo perinde eſſe, ac ſi diceret. Nihil eſt tam abſconditum, quò non perueniant oculi Chriſti, & quò non perueniant eius manus, & poteſtas, ſi ſupplicium ſumere velit,* & eos qui iniuſtè agunt iuſtè puniret.

Et

Epistolæ, dum vinctum se dicit: nam pro Christo vinciri summæ gloriæ tribuendum est. Sistenda hîc sunt, quæ ad hæc verba habet S. Ambrosius. *Vt* DIGNITATEM EPISTOLÆ *à se missæ faceret, ab iniuria sua cœpit. Sicut enim peccati causa vinciri, opprobrium est: ita è contra pro Christo custodiæ* VINCVLA SVSTINERE, MAXIMA GLORIA, *eo enim tempore, quo hanc Epistolam misit, in custodia erat.*

Paulus vinctus. Sæpè vinculorum passionúmque suarum meminit Apostolus, sæpè illis, sæpè istis exercuit eum Deus, quem semel tantum in cœlum euectum fuisse legimus. Quod expendebat Christus ipse: nam virginem Theresiam alloquens, vt illa fatetur, hæc ad illam habuit. *Putas, filia, meritum situm in deliciarum gustu & fruitione esse? situm in opere, in tribulationum perpessione est, & in amore. Non audiuisti Paulum pluries cœlestibus voluptatibus, deliciisque refectum,* SED SEMEL TANTVM, LICET PLVRIES SIT PASSVS. *Et meam vitam cogita, passionibus assiduis plenam, &* DVNTAXAT IN MONTE THABOR VOLVPTATEM MEAM GVSTVMQVE MEVM AVDIVISTI. Hæc Christus ad suam sponsam; quæ dicta sibi quilibet vtiliter putare potest, & iustè debet. Falluntur qui dum hîc sunt, extendi latius volunt deliciarum terminos, ac durationem, quam tribulationum.

Pauli vincula mulierum monilibus sic patiabat & præferebat S. Chrysostomus hom. 10. in Epist. ad Coloss. *Quæcumque mulieres aurea induistis monilia, Pauli desiderate vincula. Non sic circa collum fulget collare, vt in eius anima fulgebat ornamentum aureorum vinculorum. Si quispiam illa desiderat, hæc odio habeat. Quid enim est commune ignauiæ & socordiæ cum magni & excelsi animi virtute? corporis ornamento cum philosophia? Illa vincula reuerentur Angeli: hæc vero etiam ludificantur. Illa vincula solent à terra ad cœlum tollere: hæc vincula à cœlo deducunt ad terram. Reuera enim hæc sunt vincula, non illa. Hæc cum corpore animam quoque opprimunt: illa cum corpore ornant etiam animum.*

Catenam, qua Pauli manus obstrictæ fuere, sic efferebat S. Chrysostomus hom. 8. in epist. ad Ephes. *Admiraris Paulum, quando eius manum tetigit vipera, & nihil ei fecit. Ne mireris:* REVERITA ENIM FVIT CATENAM: *etiam totum mare eam reuerebatur; tunc enim erat vinctus. Si quis mihi dederit nunc, vt suscitem mortuos, non hoc elegerim, sed catenam.*

Desunt catenæ, quibus vinciaris? Falleris, non desunt. Facilè deprehendes, si quæras, & sinas te vinciri. Præstat hîc sistere, quæ habet S. Chrysost. hom. 8. in epist. ad Ephes. *Non licet nunc vinciri catenis.* SED ALIA EST CATENA, SI VELIMVS. *Quænam autem hæc est? Manus continere, ad auaritiam & plura habendi cupiditatem non esse paratos. Hac catenâ nos ipsos vinciamus. Pro ferro sit nobis timor Dei.*

Et Timotheus frater.

1454. CVr Timotheum quoque sibi adiungit? An vt facilius Philemonem flecteret? *vt duorum intercessio plus*, vt ille ait, *valeret*. Addunt aliqui id factum, quia fors per Timotheum Onesimus fugitiuus ad Paulum adductus fuerat. Quid ni fratrem eum vocet, qui aliorum saluti ad mentem Pauli cooperabatur?

Et Appiæ sorori charissimæ.

HAnc Appiam Philemonis vxorem fuisse, bonorum auctorum sententia est. *Alioquin*, inquit Estius, *non eam Apostolus anteponeret Archippo.* Et iure eam recenset, cum Pauli petitioni fauere plurimum posset; apta quippè vxor vt mariti animum flectat, & ex iræ etiam iustæ suggestu summa dexteritate demittat.

Et Archippo commilitoni nostro.

MIlitiæ nomen maximè cum Ecclesiasticis cohæret ministeriis. Eruditè Estius, vt solet; *Cur Ecclesiasticum ministerium metaphoricè militia vocetur, & ministri commilitones, ea ratio est, quia in castris Ecclesiæ more militum excubias agunt, & pro ea defendenda, & propaganda assiduè ex officio laborant.*

Gaudium enim magnum habui, & consolationem in charitate tua.

GAudium enim magnum habui, quia scilicet in Philemone videret, quod gaudij materia esset; nam *bonum discipuli* (inquit hîc Lyranus) *redundat in* BONVM MAGISTRI.

Paulus senex, nunc autem & vinctus Iesu Christi.

VT *Paulus senex*; Dicturus se esse in vinculis noo erubuit se vocare senem; vincula 1455.
& passiones, senectutis gloria sunt. Sanctus Ambrosius in Psalm. 36. ita hunc locum expendebat. *Cum sit talis, vt Paulus senex, nunc autem & vinctus Christi Iesu: obsecro te pro meo filio, quem genui in vinculis Onesimo, volens itaque illi plurimum deferre seniori Paulo eum non inueni comparauit,* ET IBI SE SENEM ESSE GLORIATVS, VBI IAM IN VINCVLIS TENEBATVR. *Et vide te distantiam. Adolescens significatus est in alterius passione, senex in sua: ibi vt adolescens, quia Iudæorum vestimenta seruabat, hîc senex vbi sui corporis exuuias exuebat.*

Vinctus Iesu Christi: Cadunt hîc optimè quæ habet S. Chrysostomus hom. 16. ad Popul. *Paulus in vinculis & carceribus: ego vero in ebrietate, & lauta mensa? & quam assequar veniam?*

Vinciri pro Christo, quanti sit, egregiè explicat S. Chrysostomus hom. 8. epist. ad Ephes. dum ait: *Cum sim Paulus senex, nunc autem vinctus in Christo. Nihil est enim æquè præclarum,* ATQVE VINCVLA PROPTER CHRISTVM, *atque catenæ sanctis illis manibus imposita. Vinctum esse propter Christum, est præclarius, quam esse Apostolum, quam esse Doctorem, quam esse Euangelistam. Si quis amat Christum, nouit, quod dicitur.*

Obsecro te pro meo filio, quem genui in vinculis Onesimo.

QVem genui in vinculis. Cur vinculorum hîc 1456.
mentio facta? An, ne aliquis crederet, vincula spiritalem filiorum generationem impedire? *Quem genui in vinculis. Neque enim,*

ioquit

inquit Theodoretus hîc, *vincula prohibuerunt ortum spiritualem.*

Qui tibi aliquando inutilis fuit, nunc autem & mihi, & tibi vtilis.

I*Nutilis fuit.* Vide vt eius culpam extenuet: *Leniter*, inquit hîc S. Thomas, *de culpa huius loquitur, dicens, inutilis, id est, nocimus in subtrahendo res tuas.* Qua re docet illorum offensam minuendam, quantùm in nobis est, quos in aliorum gratiam curamus restituere.

Qui tibi aliquando inutilis fuit. Fuerit seruus Onesimus, nihil refert, vera libertas est Deo seruire, vera nobilitas, Christi adiici obsequiis; S. Chrysostomus serm. 6. in Terræmotum, huc spectans, ait. VIS OSTENDAM LIBERTATEM EX SERVITVTE? *famulus fuit quidam Onesimus, despectus, fugitiuus; hic fugit & ad Paulum abiit, baptismum obtinuit, peccata eluit, ad pedes eius remansit, scribit ad Dominum eius Paulus: Onesimum qui tibi aliquando inutilis fuit, nunc autem & mihi, & tibi vtilis, illum vt mea viscera suscipe, quid enim accidit? quem genui in vinculis meis; vidisti nobilitatem: vidisti mores qui pariunt libertatem: Seruus enim & liber nomina sunt simpliciter.*

Tu autem illum, vt mea viscera suscipe.

1457. T*V autem illum, vt mea viscera, suscipe.* Quam patheticè loquitur Apostolus, & quid Onesimus egetat, vt *viscera sua* illum vocare potuerit? *Hoc ideo*, inquit Sanctus Thomas hæc verba interpretans, *quia* VIDI EVM EMENDATVM, *cuius signum est quia eum remisi tibi.* Tanti fieri à nobis debent, qui præteritam vitam eiurantes, nouam ineunt.

Ego te fruar in Domino.

VIdetur frui Domino, qui homine in Domino fruitur; & idcirco hanc formulam Paulus adiecit. Sanctus Augustinus lib. 1. de doctrina Christiana, cap. 33. hanc phrasim expendens ait: *Cum homine* IN DEO FRVERIS, *Deo potiùs quàm homine frueris. Illo enim frueris quo efficieris beatus, & ad eum te peruenisse lætaberis, in quo spem ponis vt venias. Inde ad Philemonem Paulus: Ita frater, inquit, ego te fruar in Domino. Quod si non addidisset in Domino, & te fruar tantum dixisset, in eo constituisset spem beatitudinis suæ, quanquam etiam vicinissimè dicitur frui, cum delectatione vti.* Alij sic exponunt: Ita mihi contingat te frui, id est, ex tua præsentia, tuóque colloquio, ac præclaris operibus capere voluptatem. Alij ex Græci verbi vi talem eliciunt sensum. Hunc fructum ex te consequar, ac si diceret: sine vt hoc abs te beneficium impetrem, Onesimi scilicet reconciliationem.

In Domino. Cur istud adiecit? *Quia fructus*, inquit Estius, *& delectatio vndecunque recepta, vana est, nisi in Deum referatur*, & in Deum ferat. Vt omnis mundana delectatio inanis omnino sit, cum adeo ad Deum non ferat, vt à Deo maximè auocet.

Sciens quoniam & super id, quod dico, facies.

TAntùm sibi de Philemone promittebat, vt plus ab eo esset consequuturus, quàm ab eo quæreret. Sed cur ab hoc capite illum commendauit? Vt ad meliora prouocaret. *Hac blandâ commendatione* (inquit B. Dionysius hîc) *quæ tamen veritati innititur*, PROVOCAT EVM AD MELIORA: *fit enim frequenter, vt qui videt bene sentiri de se, meliorem se præbeat*: Et respondere opinioni de se conceptæ summa cura studeat, singulari studio curet. 1458.

Simul autem & para mihi hospitium.

NOn quòd magno apparatu excipi vellet, vt qui in iis, quæ corpus tangebant penè sui obliuiscebatur: hoc adiecit, vt Philemon, audiens Apostolum breui venturum, promptius perficeret perfectiúsque ea, quæ illi Paulus iniunxerat; offensionémque eius & reprehensionem caueret.

Para mihi hospitium. Si parandum Paulo ex Pauli monitu, cur non potius Christo Christi iussu, cordis parare hospitium debet Christum in Eucharistica mensâ excepturus? Sed cur de hospitij apparatu adeo sollicitus Apostolus est? An non tam parari sibi quærit, quàm verbo, quod erat prædicaturus? sed cur eligit potius huic rei Philemonis domum, quàm alterius? An quia hæc aptior, & à spectaculorum locis remota? huc spectauit S. Anselmus dum ait: *Quia in celebri erat vrbis loco, ad quem facilè conueniretur: Deinde quia ab omni* IMPORTVNITATE VACVA ERAT, AC AMPLA, *quæ plurimos caperet audientium*, NEC PROXIMA SPECTACVLORVM LOCIS, *nec turpi viciniâ detestabilis. Postremò quia in plano potius erat sita, quàm in Cœnaculo.* Quæ res monet, omnes esse difficultates amoliendas, tollenda obstacula omnia, vt facilis ad Dei verbum excipiendum aditus pateat, ne hominum torpor à tam salubri auditione auocetur; & omnia auferenda, quæ sermonis fructum impedire possunt, & inficere.

Finis Epistolæ ad Philemonem expensæ, & illustratæ.

CAPVT PRIMVM
EPISTOLÆ AD HEBRÆOS EXPENDITVR ET ILLVSTRATVR.

SECTIO I.

1459. OMNIVM postrema Epistola ad Hebræos est, quia & ipsi Hebræi omnium postremi, ita Catharinus in Epist. ad Rom. *Quemadmodum hæc ad Romanos propter dignitatem omnibus præfertur; ita illa, quæ ad Hebræos, propter indignitatem, vltimum sibi locum vendicat: quoniam interim spreti sunt Iudæi atque neglecti, donec Gentium intret plenitudo;* NAM TVM DEMVM ET IPSI REVERTENTVR, *& veritatem agnoscent. Inde iure à septem Ecclesiis significatur Gentium plenitudo, quæ Spiritum sanctum primò debuit accipere, & exinde saluum fieri Israelem, qui Spiritus hoc septenario numero propter illius septem distincta dona significatur.*

Aliquis hîc quærat cur nomen suum huic Epistolæ Paulus non affixerit, nec Apostolum se vocauerit. Ao ne Iudæos offenderet? An quia Apostolus in hac Epistola Christum vocat? Claudius Altisiodorensis Episcopus in Epist. ad Galatas ita censuit, dum scripsit: *Et in Epistola ad Hebræos propterea Paulum solita consuetudine nec nomen suum,* NEC APOSTOLI VOCABVLVM *præposuisse, quia de Christo erat dicturus: Habentes ergo Principem Sacerdotum, & Apostolum confessionis nostræ Iesum; nec fuisse congruum, vt vbi Christus Apostolus dicendus erat, ibi etiam Paulus Apostolus poneretur.*

Denique non desunt idcirco qui dicant Apostolum in hac Epistola nec nomen suum posuisse, nec titulum dignitatis, quia ad Hebræos scribebat, & non ad Gentes, & horum Apostolum se constitutum nouerat, non illorum, Ribera hîc ita rem explicat ex mente Theodoreti: *Paulus erat Gentium Apostolus. Ea de causa cum scriberet ad eos, qui crediderunt ex Gentibus, appellationem adiecit, & Apostolicam dignitatem addidit, vt Doctor & Magister scribens ad discipulos. Ad Hebræos autem scribens* QVORVM NON ERAT SIBI CVRA CREDITA, *meritò nudam dignitate doctrinam eis tradidit. Aliorum enim Apostolorum curationi suberant;* Vt hac modestia & cautione indicet, quam cautè in alienam messem falx mittenda sit, cum iusta aliqua de causa est mittenda.

Multifariàm, multísque modis olim Deus loquens Patribus in Prophetis.

MVltifariàm. Græcè, *πολυμερῶς, multipartitè,* 1460.
nec enim omnia, nec eadem omnibus Prophetis reuelata sunt, sed quasi partibus mysteriorum distributis alia aliis inspirata. Nimirum non dat vni omnia sua dona Deus, pluribus dat, in plures suas diuitias spargit vt loca, sæcula, personarum genera aliquo nobilitentur dono, quo vnumquodque alterum alteri præferatur. Quâ re illi superiores arguuntur qui cum cæterorum inuidia fere OMNIA MVNERA IN VNVM CONFERVNT, quæ possent pluribus distribuere, & vnum donis onerant, vacuos relinquentes reliquos.

Multísque modis olim Deus loquens Patribus. Visiones multas, multas reuelationes, loquutionésque præmisit Deus, antequam humana carne vestitum

vestitum Filium suum mitteret, & illius præsentiâ mundum beatet, vt nimirum paulatim homines tanto mysterio excipiendo apti redderentur. Id quod tetigit Lyranus hic dum ait: *Olim Deus loquens Patribus. Id est, ab antiquo, & ex multo tempore paulatim assuefiendo, vt crescerent homines in cognitione mysteriorum Incarnationis, & veritatis.* Ne subito Christi aduentu nimis terrerentur. Quo docemur in magnarum quoque virtutum acquisitione paulatim procedendum esse, & à minimis ad summa eundum.

Multisque modis, Græcè est, πολυτρόπως, id est, *multiformiter*, vt significetur varia fuisse visionum genera, modos, ac formas, quibus illuminati Prophetæ futura prædicerent velut per somnium, per ecstases, per ænigmata, per figuras, per allocutiones, per apparitiones sensibiles, atque corporeas, omnibus his modis sua Deus mysteria manifestauit, vt nullum probationis genus defuisse crederemus. Docet hic locus variis modis se quodammodo aptare Deum, & hominibus se se accommodare, VT NON DEDIGNENTVR ID PRÆSTARE IN SVBDITOS QVI PRÆSVNT, VARIAS NIMIRVM FORMAS INVENIENTES, VT LVCRENTVR OMNES, nullúmque modum prætermittentes, quo ad salutis viam vocare suos possint.

1461. *Multisque modis.* Varij modi fuerint, eodem tamen omnes tendebant, & vnum habuere principium, Deum ipsum; omnes tuti, probi omnes, & diuinis rebus manifestandis apti. Quod illi notent, qui facilè damnare audent, si alios viderint aliis ac ipsi sensibus, ac modis duci, OMNES EADEM METIENTES REGVLA, ac si per varias vias, varios ad se homines Deus non vocet, variis diuersisque modis se suis non manifestet, & sua; falluntur qui sua, mysteria putant, aliena verò nuda somnia, ac deceptiones.

Multis nobis modis Deus loquitur, in omnibus audire Deum debemus, etiam cum loquuntur homines. Ad rem Sanctus Augustinus in Psalm. 49. *Locutus est multis modis, per Angelos ipse locutus est; per Prophetas ipse locutus est; per os proprium ipse locutus est; per Apostolos suos ipse locutus est; per fideles suos ipse loquitur; per humilitatem nostram, cum aliquid verum dicimus, ipse loquitur; videte itaque loquendo multipliciter, multis modis, per multa vasa*, PER MVLTA ORGANA, IPSE TAMEN SONAT VBIQVE TANGENDO, MODIFICANDO, INSPIRANDO.

1462. *In Patribus, & Prophetis.* Mosem in numero Prophetarum fuisse, per quos Patribus locutus est Deus, certum est; sed cur eum non nominat? Estius: *Statim hic in ipso lumine Moyses in ordinem redigitur eorum qui Christo sunt minores. Verum id ne offendat tacitè facit Apostolus, ac tantùm sub nomine generali.* Ex quâ re id colligas, quàm studiosè illorum offensio vitanda sit, quibus consultum volumus, & quos ad meliora traducere studemus. Plerumque salotatibus monitis vis aufertur, dum ea miscentur quibus illi durius EXACERBANTVR, quorum correctiooi monita ipsa exhibentur.

Nouissimè diebus istis loquutus est nobis in Filio.

QVàm nos antiquis Patribus feliciores beatioresque! Illos per Prophetas alloquutus est Deus; nos verò per Filium; qui quanto illis maior, tanto nos Patribus in hoc maiores. Per filium loquutus est nobis Pater, nec loquutus tantum, sed per eum nos cœlestibus bonis cumulauit. Loquutionis præcipuè meminit, quia hoc inter illius dona præcipuum, vt noua nos lege moniteret, nouis institutis informaret; ex hoc quoque apparet PLVRA DEVM EXHIBERE, QVAM DICAT.

Nouarin. in Epist. Pauli.

Loquutus est nobis in Filio. Cur non adiecit multifariàm, & multis modis in Filio nobis loquutum esse Deum, sicut cum de Prophetis loqueretur, fecit? An ne aliquid adderet quod loquutionem manifestationémque diminueret? Benè Ribera. *Cum per Prophetas dixit locutum esse Deum, addidit: Multifariam, multisque modis. Sed cum per Filium dixit loquutum, nihil tale addidit; est enim additio diminuens;* SIGNIFICAT ERGO PATREM OMNIA FILIO REVELASSE, *& per eum palam locutum esse sine inuolucris figurarum, quibus vtebatur in veteri Testamento.* Loquutus est nobis in Filio Deus Pater; adeo vt non solùm quicquid Christus loqueretur, sermo quidam esset Patris, sed etiam quicquid operabatur.

Quem constituit hæredem vniuersorum.

CVm de Filio Dei mentionem Paulus fecisset, statim eum efferr, & eius dominium narrat. Sed cui rei? *Quo maiorem* CHRISTI REVERENTIAM EXCITET, ait Estius hic, *illustribus quibusdam ac præcipuis eum encomiis exornat.* Hoc Christum amantium est ad eius amorem alios prouocare, ad eius reuerentiam omnes allicere. 1463.

Quem constituit hæredem. Non quòd mortuo Patre Patri successerit, aut sit successurus, sed quòd instar hæredis à Patre omnium Dominus sit constitutus: quærat aliquis quando id factum? Aliqui putant, post Passionem, ac Resurrectionem omnium dominum esse constitutum; alij & probabilius id censent factum, cum Verbum caro factum est, inque primo suæ conceptionis instanti; loquitur autem de dominio quod ei competit secundùm naturâ assumptam.

Vniuersorum. Dubium est an ad personas id referatur, an potius ad res. Quid si ad vtrumque? Regnum quippe Christi omnia comprehendit, licèt nobilior huius dominij & Regni portio electi sint.

Per quem fecit & sæcula.

PEr sæcula intelligit longas, & continuatas temporum reuolutiones, ita tamen vt ad nudum tempus id non coarctetur, sed etiam extendatur ad ea quæ tempore mensurantur. Benè Estius hîc: *In his temporum reuolutionibus, quas fecit, omnino comprehendi vult quæcumque tempore mensurantur, id est, mundum, & quicquid in eo continetur, quo sensu infra dixit aptata esse sæcula verbo Dei, vt idem Paulus dicat ac Ioannes: Omnia per ipsum facta sunt.* Deum tuum tuquoque vt potes imitate, tempus à rebus, ab operibus non discrimines, NEC DIES, ANNOSQVE ABIRE SINE BONIS ACTIBVS SINAS. Sæculum, & tempus dicens Paulus reuolutiones intelligit onustas rebus, factis diuites, operibus plenas: eadem nos mente viuamus, vixisse per illud tempus nos non putemus, quod nostro torpore ac negligentia, bonis actibus vacuum permisimus præterire. 1464.

SECTIO II.

1465 *Qui alios regit, illos portet.*
1465 *Verbum portare vt omnia dicatur.*
1465 *Verbum sine labore omnia portat.*
1466 *Maria Virginis excellentia collecta.*
1466 *Diuinæ generationis perfectio vt colligatur.*
1467 *In hoc præcipuè se Christus Dei Filium probauit, Ecclesiam Deo Patri adificans.*
1467 *Cæli Dei manibus, cur dicantur facti.*
1468 *Angelorum in homines ministerium expenditur.*

Portansque omnia verbo virtutis SVÆ.

1465. PORTANSQVE *omnia.* Quid est, Verbum æternum portare omnia verbo virtutis suæ? Ao quia omnia gubernat & regit? *Filius verbo*, inquit Theophylactus, *gestat omnia, id est, gubernat.* Rectus nexus portandi ac regendi. ILLE BENE GVBERNAT, QVI SVOS PORTAT. Regendi peritia, ferendi peritia est. Non benè suos regit, qui portari à suis quærit, suos portare non vult.

Portánsque omnia. Verbi huius vim sic expendebat Primasius hîc: *Dicendo, Portans, facilitatem continendi voluit exprimere; posuitque, Portans pro eo quod est, Gubernans & regens. Verbum igitur Dei Patris, omnia quæ fecit, verbo virtutis suæ* PORTAT, *hoc est, potentiâ virtutis suæ, & verbo iussionis suæ omnia gubernat & regit. Non enim minus est gubernare Mundum, quàm creasse: nam in creando ex nihilo substantia rerum producta sunt: in gubernando verò ea, quæ facta sunt, ne ad nihilum redeant, continentur. Ergo, dum hæc omnia reguntur, & ad inuicem sibi pugnantia coaptantur, magnum & admirabile virtutis Dei iudicium declaratur.*

Verbo virtutis suæ. Cur non potiùs dictus est portare omnia *virtute sua*, quàm *verbo virtutis suæ*? Hugo Victorinos hîc quæst. 6. *Ideo*, inquit, *verbo potiùs, quàm virtute dicitur omnia portare: vt in portando, id est, continendo, & gubernando, & conseruando* NVLLVM LABOREM, VEL DIFFICVLTATEM INTELLIGATVR SVSTINERE. Portat omnia, nec defatigatur portando.

Sedet ad dexteram Maiestatis in excelsis, tanto melior Angelis effectus, quanto differentius præ illis nomen hæreditauit.

1466. T*Anto melior Angelis effectus.* Quod de Christo hîc dicitur, aptè ad Virginem transfert Sanctus Bernardinus Seuensis tom. 1. serm. 61. art. 2. cap. 4. *Vt dicitur*, inquit, *Hebr. 1. sicut Filius Dei sedet à dextris Maiestatis, tantò melior Angelis effectus, quantò differentius præ illis nomen hæreditauit (quod nomen est, vt sit verè Deus per gratiam vnionis) sic & Mater Domini nostri Iesu, gloriosa Maria tanto melior est Angelis effecta,* QVANTO PRÆ OMNIBVS CREATVRIS HÆREDITAVIT VT OBTINERET DIGNISSIME MATRIS NOMEN.

Cui enim dixit aliquando Angelorum, Filius meus es tu, ego hodie genui te?

ET non etiam Angeli filij Dei sunt, cum hoc titulo gaudeant homines ipsi? Responderi potest: Nulli Angelorum Deum singulariter dixisse, *Filius meus es tu*, quo pacto soli filio id dicere potest, qui est Pater. Adoptiui filij Angeli, & homines sunt, naturalis est Christus. Quod additur: *ego hodie genui te*; ad æternam filij Dei generationem pertinere probæ notæ Auctores censent; aduerbio, hodie, æternitas significatur. Sed cur vtitur verbo præteriti temporis? Respondet Estius: *Vt quamuis præsentem, tamen* PERFECTAM INTELLIGAS GENERATIONEM *quâ filius Dei semper & gignitur, & genitus est: quemadmodum lumen in aëre perfectum est, & tamen semper à Sole procedit.* Nonnulli tamen de temporali Christi generatione, quâ ex virgine Christus prodiit hæc verba accipiunt, & sic *hodie* significabit vitæ præsentis tempus. Alij contendunt de Christi resurrectione ex mortuis hunc locum interpretandum, nam ad illam comprobandam idem Apostolus Actorum 13. in concione ad Iudæos habitâ, hunc Psalmi secundi versiculum adducit, nam solet resurrectio in Scriptura regeneratio dici, & Christus ipse propter resurrectionem primogenitus mortuorum est dictus. Denique sunt qui hanc particulam; *Ego hodie genui te*, ita exponant: Nunc postquam ad dexteram meam collocatus es, filium meum te esse Mundo manifestaui, scilicet per Euangelij propagationem, qui sensus à tertio non est admodum diuersus. Nec est insolens vt tunc aliquis dicatur quidpiam fieri, quando vt talis incipit agnosci ac manifestari.

Ego ero illi in patrem, & ipse erit mihi in filium.

CVr verbis futuri temporis *ero* & *erit*, vti- 1467.
tur, cum ab æterno tales exstiterint? Estius. *Dicis autem*, inquit, *ero, & erit, non quòd ab æterno non sit ille Pater, hic Filius, sed quia mysterium hoc antea latens & paucis cognitum, tunc patefaciendum erat quando Christus* INCIPERET ÆDIFICARE DOMVM, IDEM ECCLESIAM ÆDIFICARE PATRI SVO. In hoc se præcipuè Dei Filium Patri probans, homines æternâ gloriâ donandos Patri acquirens, Ecclesiámque constituens, in qua Veritas, sanctitas, & innocentia, cæteráque virtutes vigerent, & à Deo se genitum probauit, cum ex suo latere Ecclesiam genuit.

Opera manuum tuarum sunt cæli.

O*Pera manuum tuarum sunt cæli.* Acutè hîc Sanctus Thomas: *Non dicit, Fecisti cælos; sed, Opera manuum tuarum sunt cæli, quia illud, quod* ALIQVIS FACIT MANIBVS; *magis diligenter videtur facere: & ideò sic loquitur ad designandum nobilitatem & pulchritudinem ipsorum.*

Nonne

Nonne omnes ſunt adminiſtratorij ſpiritus in miniſterium miſſi? &c.

1468. O*Mnes ſunt adminiſtratorij ſpiritus.* Quis Dei dignationem hîc non admiretur, qui Angelorum miniſterio ſuorum ſalutem operatur? *Magnam prorſus*, inquit Beatus Laurentius Iuſtioianus de Diſcipl. monaſt. conuerſ. cap. 5. ad hæc verba, *& inuiolabilem prebere debet fiduciam cunctis Deo militantibus, Sanctorum Angelorum* INDEFESSA CVSTODIA. *Nam, ſi orant, eorum preces offerunt Deo; nec vacui reuertuntur ad illos: ſi pugnant, æquè ipſi cum eiſdem pugnant: ſi quieſcunt, nempè excubias agunt, ne quid mali ab aduerſariis patiantur: ſi ignorant, docent eos: ſi cadunt, erigunt: ſi puſillanimes efficiuntur, ſanctis exhortationibus ipſos roborant, & accendunt; & quâ parte humana curuatur infirmitas, eà parte ſe opponunt caſuris.*

In miniſterium miſſi. Angelorum miniſterium ſic explicat ad hæc verba, Aelredus ſerm. 5. *Hi ſunt*, inquit, *adminiſtratorij ſpiritus in miniſterium miſſi propter nos, qui interſunt pſallentibus, aſſiſtunt orantibus, legentibus & meditantibus adſunt. Iſti ſe ſpiritibus immundis opponunt: illecebras Mundi ſuadentibus exemplum Dominicæ Paſſionis obiiciunt: mentem irâ inflammare volentibus, Dominicæ patientiæ bonitatem proponunt: elationem illis vel ſuperbiam immittentibus, humilitatem nobis humilis Ieſu ſuggerunt imitandam.*

In miniſterium miſſi. Parum erat adminiſtratorios eſſe Angelos, niſi & in miniſterium mitterentur. Mittit pro nobis Angelos qui pro nobis mitti à Patre voluit. Pulchrè Sanctus Bernardus ſerm. 5. in Dedicat. Eccleſ. *Non ſolùm adminiſtratorios, ſed & miſſos in miniſterium quoque Apoſtolus teſtatur. Quidni* MITTAT ANGELOS, *pro quibus & ipſe à Patre voluit mitti? Quidni pro eis inclinet cælos, pro quibus ipſe quoque cælorum Rex inclinauit ſe ita, vt digito in terram ſcriberet? Domine inclina cælos tuos (Parum eſt) & deſcende. Quid vltra? Vt quibus condeſcendit, faciat etiam conſcendere ſibi.*

CAPVT II.

EPISTOLÆ AD Hebræos expenditur & illuſtratur.

1469 *Nemo aliis effundat, antequam impleatur.*

1470 *Quid timere debeant, qui doctrinæ Chriſti negligenter attendunt.*

1470 *Qui alios regunt mente, & intentione, vnum referant.*

1471 *Concionatoris fructus vt etiam ad non concionatores extendatur.*

1472 *Salutis titulo, cur Chriſti doctrina ſignificata.*

1472 *Spiritualia vbique ſpectanda.*

1473 *Perſtricti, qui ſacrarum litterarum peritia deſtituuntur.*

1474 *Guſtandi verbo cum de morte ageret, cur vſus Apoſtolus.*

1474 *Spes & fiducia cur Angelis non attributa.*

1475 *Mortis Imperium habuiſſe, cur Diabolus dicatur.*

1476 *A morte vt liberauerit nos Chriſtus.*

1477 *Semen Abrahæ apprehendiſſe, cur dicatur Chriſtus.*

1477 *Angelos cur Chriſtus non apprehenderit.*

Ea in ſermone ſupprimenda, quæ offendere auditores poſſunt.

Propterea abundantiùs oportet obſeruare nos ea quæ audiuimus.

ALIQVI vertunt: *Propterea oportet nos vehementius attendere iis, quæ audiuimus*; ſed quid eſt *vehementius*, aut *abundantius*? An hoc dicit 1469.
quoniam cœperant Hebræorum animi tepeſcere à primo fidei feruore? excitat igitur illos Apoſtolus, & animat. Addit Eſtius: *Poteſt*, inquit, *intelligi comparationem fieri cum lege per Angelos datâ, cuius ſtatim mentionem faciet: vt ſenſus ſit; Quantò Chriſtus eſt Angelis maior, tantò ſtudioſius Chriſti legem, atque doctrinam ſemel ſuſceptam, retinere debetis, eique firmiter adhærere, quam olim legi per Angelos acceptæ, adhæſiſtis.*

Ne fortè pereffluamus.

N*E fortè pereffluamus*, Inter extremæ dementiæ genera hoc numera, aliquem rorum 1470
aliis effundere quod habet, adeo vt vacuus, & inanis ipſe remaneat, aut etiam, quòd antea effundat aliis quàm ipſe impleatur. Opportunè Sanctus Bernardus ſerm. 18. in Cantica: IMPLERE inquit, *prius, & ſic curato* EFFVNDERE. *Benigna, prudénſque charitas affluere conſueuit, non effluere. Fili mi, ne pereffluas, ait Salomon. Et Apoſtolus: propterea, inquit, debemus intendere his quæ dicuntur, ne fortè pereffluamus. Quid enim? Tune Paulo ſanctior, ſapientior Salomone? Alioquin nec mihi ſedet* DITARI EX TE EXINANITO.

Ne fortè pereffluamus. Sanctus Auguſtinus legit, *Defluamus*; alij *diffluamus*, vt ſit ſenſus; ne audita nobis excidant e memoria, ne ſimus inſtar dolij pertuſi, & rimoſi quod liquorem infuſum non retinet, ſed totum effundit, demittit totum. Alij, præſertim Græci, hoc explicatu donant hæc verba; Ne quando pereamus abſque ſpe reparationis, *inſtar aquæ, quam, vbi ſemel effluxerit*, ait hîc Eſtius, *impoſſibile eſt colligere*; Subdit: *eſt enim hac parte ſignificatio pœnæ, quam meritò timeant, qui* DOCTRINÆ CHRISTI NEGLIGENTER ATTENDVNT.

Si enim qui per Angelos dictus est sermo, factus est firmus.

LOquitur de sermone legis, quæ Angelorum data ministerio est. Hinc Actorum 7. dictum: *Qui accepistis legem in dispositione Angelorum.* Sed cur numerose *Angelos* dicit, cum singulariter vnus Angelus Moysi in Sinai sit loquutus? *Sciendum*, ait Estius, *ita legem multorum Angelorum ministerio latam fuisse, vt tamen vnus in eo ministerio primarius, ac princeps fuerit. Quem quidem fuisse Michaelem Archangelum populi Israelitici ductorem atque custodem, capite præcedenti attigimus.* Vt hinc etiam colligas eos qui populis præsunt, illorúmque custodes sunt, licet plures numero sint, mente & intentione omnes lucrandi VNVM REFERRE, in vnum conspirare, à se inuicem non dissidere.

1471. *Per Angelos.* Vnus Angelus Dei personam repræsentabat, cæteri assistebant, aut vt notabat Sanctus Chrysostomus, excitabant tonitrua, fulgura, clangorem tubæ, fumum, & ignem. Sed cur per Angelos dixit datam legem fuisse? quia hæc ab aliis Angelis fiebant in populi audientis terrorem, vt ad legis obseruationem terribilibus hisce signis ducerentur, sicque plures Angeli legem dicebant, quia omnes ad legem, legisque custodiam spectabant. Hoc ad legis diuinæ tractatores transferas; plerumque concionator qui Dei legem enarrat vnus est, potest alius precibus, carnisque afflictationibus, & probæ vitæ exemplis pro suis viribus ad idem opus concurrere, ET PLERVMQVE CONCIONATORIS FRVCTVS NON CONCIONATORI TANTVM TRIBVETVR, sed & aliis qui concionatoris, si rem extimè spectes, non exercent munus.

Quomodo nos effugiemus si tantam neglexerimus salutem?

1472. SAlutis nomine Christi doctrinam intelligit. Sed cur eam hoc titulo donat? QVIA TOTA AD HOMINVM SALVTEM ORDINATA EST, quæ nihil aliud spectare videatur, quàm vt illi salutem consequantur, qui ei obsequuntur, & ad illius normam viuunt. Lex vetus terrena, ac peritura dona promittebat; Lex Christi spiritualia, & æternùm duratura bona promittit.

Non enim Angelis subiecit Deus orbem terræ futurum.

ET non, & Angeli terræ, mundíque rectores, & principes dicuntur? & non præsidere alij aliis regnis referuntur? Vt Angelis Orbis præsens terræ subiectus sit, non est tamen futurus longè præstantior, atque nobilior, sicque signatè addidit Apostolus *futurum.* Per Orbem autem terræ futurum probæ notæ Interpretes intelligunt, vel Ecclesiam qualis futura est post hoc sæculum in gloria cœlesti, vel in genere, statum mundi futurum post resurrectionem, ideſt cœlum nouum, & terram nouam, & quicquid in eis erit; quo sensu Christus patet *futuri sæculi* est dictus, & Paulus infra dicet: *Non habemus hic manentem ciuitatem, sed futuram inquirimus.* Placet hæc expositio etiam Estio, qui addit: *Nec repugnat vocabulum terræ in Latino expressa, in Græco intellecta; nam de terra, & Orbe terræ spiritualiter ac mysticè Scripturam loqui non est insolitum. Vbi tamen etiam meminisse oportet nouæ terræ, in quâ teste Petro iustitia habitat;* Nimirum à nominibus ipsis discas, VBIQVE SPECTANDA SPIRITVALIA, etiam cum ea offeruntur, quæ terram sonant spirituales viri spiritualia in nominibus quæ terram significant vident: terreni terrena quoque spectant in iis, quæ merè spiritualia sunt. Claudit Estius: *Ex quibus facilè intelligitur verbum præteritum subiecit, hunc habere sensum: subiiciendum prædixit, aut promisit: Quasi dicat; Principatus Orbis terræ futuri non est Angelis decretus, aut promissus à Deo.*

Testatus est autem in quodam loco quis.

NEc Auctorem, nec sacræ Scripturæ locum nominat, quod ad Hebræos scriberet sacratum literarum non ignaros; quem morem in hac præcipuè Epistola seruat. Dauidē autem esse octaui psalmi auctorem non est dubium. Vt vel hinc illorum desidia & oscitantia arguatur, qui diuinarum literarum periti destituuntur, eum ea ignorent, quæ notissima illis esse deberent. Audiendus hic Sanctus Ambrosius ad hunc locum, vbi ait Prophetæ nomen suppressum, quia hic illis notissimus erat, vt redundantis fuerit operæ id apponere; *Facit hoc etiam*, inquit, *in aliis testimoniis (vt supra dictum est) existimo, non absciendentis affectu; sed ostendentis eos malè iam habere scientiam scripturarum: vt nec opus haberet, nomen ponere dicentis; sed velut de re manifesta, & in promptu constituta, inducere testimonia.* 1473.

Vt gratia Dei pro omnibus gustaret mortem.

VT gratia Dei pro omnibus gustaret mortem. Cur *Gustandi* verbo est vsus? Beatus Bruno: *Gustaret, dicit propter amaritudinem mortis, quæ interius illi sapuit.* Dulcis illi mors quia nobis fuit ad vitam. Addit: *Vel, Gustaret; quia mors illa citò præteriens, QVASI IN GVSTV FVIT; non inebriatus per moram.* Vt ob id etiam Eucharistiam institueret, in qua mors eius quotidiè repræsentaretur; quatenus quam semel gustauerat, sæpius quodammodo iteraret. 1474.

Ego ero fidens in eum.

CVm Dei non sit fidere in Deum, fit vt de Christo solum secundùm naturam humanam hic locus intelligatur; deque ea spe, ac fiducia, qua in sua Passione Dei Patris auxilium implorauit. Vnde quia Angeli beati nullius indigent, *sit vt nec scriptura*, quod notabat hic Estius, *spem aut fiduciam eis vnquam attribuat.*

Vt per mortem destrueret eum, qui habebat mortis imperium.

PEr mortem quam pro hominibus Dei Filius subiit, Diabolum destruxit, id est eâ potestate priuauit, quam sibi in homines Deo ipso permittente vsurpabat. Addit; *qui habebat mortis imperium?* Non dubium quin Deus, & vitæ & mortis imperium sibi seruauerit; mortis tamen imperium 1475.

pertium dicitur Diabolus habuisse, quia per peccatum, quod primo homini suggessit, & per quod totum humanum genus infecit, tenebat eum cum totâ posteritate morti obnoxium, non iure aliquo, sed sola Dei permissione; *Vnde nec Diabolo*, inquit bonus ille auctor, PRETIVM NOSTRÆ REDEMPTIONIS FVIT SOLVENDVM, SED DEO; *cui ad mortem, & gehennam eramus propter peccatum obstricti.*

Et liberaret eos, qui timore mortis per totam vitam obnoxij erant seruituti.

1476. SEd quomodò liberauit nos Christus à morte, quam mortalium nemo effugit, nemo vitat? Quidam liberationem istam exponunt à mortis terrore, quem nobis ademit Christus, spem certissimam præbens immortalitatis post huius viæ exitum consequendæ. Aliter solui & nodus potest. Estius, *Intelligendum est*, inquit, *ab ipsa morte nos liberasse, non vt eam non patiamur, sed vt in ea non maneamus: quomodo mansurus est, de quo Ioannes, primæ Epistolæ tertio, qui non diligit, manet in morte. Nos autem vt ibidem dicitur: scimus quia translati sumus de morte ad vitam: quoniam diligimus fratres. Hæc igitur est vera, & certa consolatio fidelium aduersus metum mortis, quod non dubitent, si in Christo maneant, quin ab hac morte corporis, per beatam resurrectionem* ALIQVANDO SINT LIBERANDI. *Nam impiis, resurrectio non erit à morte liberatio, sed transitus ad mortem deteriorem.*

Semen Abrahæ apprehendit.

1477. SEmen *Abrahæ*. Cur non, *Naturam humanam*, dixit? An, vt Hebræorum in hac parte dignitatem ostenderet, eósque ad sublimia alliceret? *Non dixit*, inquit hîc Theophylactus, *Naturam hominum; sed Semen Abrahæ. Simul cupiens eos attollere, ac generis ipsorum splendorem commonstrare; tum, quòd in eo sint Gentibus excellentiores, quatenus ex ipsis est Dominus, semper enim ipsis, quoad citra offensam licet, gratificatur. Simul autem promissionem eis ad memoriam reuocat: Tibi & semini tuo dabo terram hanc.*

Semen Abrahæ apprehendit. Cur, *Apprehendendi* verbo potiùs est vsus, quàm *Suscipiendi*? Theophylactus hîc: *Non dixit* SVSCEPIT; *sed*, APPREHENDIT, *vt ostenderet, quod fugientem naturam nostram, longiùs à se remotam insequutus sit, & auersantem apprehenderit; complexúsque sit, sibi vniens, & copulans, ac sistens ipsam à fuga, qua ab ipso fugiebat.*

Semen Abrahæ apprehendit. Græcè ἐπιλαμβάνεται; à cuius verbi vi sensus huius loci eruendus. Eruit Ribera, simúlque explicat cur semen Abrahæ apprehendisse sit dictus, non Angelos. Ait enim, *significat hoc verbum, manus in rem iniicere, sicut iniiciunt, qui pignora à debitoribus non soluentibus capiunt; aut tenere siue apprehendere, vt cum, hominem fugientem apprehendimus, aut occasionem, ne elabatur tenemus. Sensus ergo est, alienati erant Deo Angeli per peccatum, nec tamen vnquam videmus Deum manus iniicere in eos, tanquam in rem suam vt eos retineat, & ad se reuocet*: AT IN SEMEN ABRAHÆ, ID EST IN FILIOS; ET POSTEROS ABRAHÆ MANVS INIICIT. *Quotidie, & eos per fidem ad se reducit. Vel Angelos fugientes non apprehendit, homines verò qui se fugerant, & abierant, quotidie apprehendit, vt à fuga reuocet, & ad se reducat.*

Semen Abrahæ apprehendit. Per Abrahæ semen carnalem Abrahæ posteritatem aliqui intelligunt, non quòd ea sola, aut tota apprehendatur à Christo, sed quia peculiariter ad illum populum pertinebant promissiones Patribus factæ. Addit hîc Estius: *Loquitur autem hoc pacto in gratiam Hebræorum, ad quos scribit, cum alioquin generaliter ac planè dici potuisset, Non Angelos, sed homines apprehendit. Quanquam id etiam obseruandum est Apostolum totâ hac Epistolâ Gentium vocationem prudenter dissimulare, siue quod* EIVS MENTIO PARVM GRATA ESSET HEBRÆIS; *siue quod instituto suo non necessaria*. Vt hinc discas ea in sermone supprimere, quæ offendere auditoris aures ita possunt, vt nullam vtilitatem sint allatura. 1478.

CAPVT III.

EPISTOLÆ AD Hebræos expenditur & illustratur.

Vnde, fratres sancti, vocationis cælestis participes, &c.

SAnctos eos vocat, non quòd singuli essent sancti; sed quia *ipsa Ecclesia, seu fidelium societas verè pollet sanctitate, & iustitiâ*, inquit Estius; contra ac fieri à sæculi hominibus solet: hi quippe ex vnius defectu integram congregationem, sacrámque inficiunt familiam; &, quod ab vno fit mali, in cæteros reiiciunt. Apostolus contra: totius societatis bono singulos vestire (vt ita loquar) videtur. 1479.

Considerate

Considerate Apostolum, & Pontificem confessionis nostræ Iesum.

QVo sensu Apostolus, & Pontifex confessionis nostræ dictus est Chtistus ? Erat Apostolus confessionis eorum Christus, qui doctrinam fidei, quam profitebantur, ipse per se eis annunciauerat; erat & Pontifex confessionis ipsorum, quoniam, & hoc Pontificis est veræ religionis doctrinam populo confirendam tradere.

Qui fidelis est ei, qui fecit illum.

1480. Q*Vi fecit illum.* Vertunt nonnulli : *Qui constituit eum*, scilicet Apostolum, & Pontificem, sicut & 1. Reg. 12. dictum est : *Dominus qui fecit Moysem, & Aaron*, idest constituit Præfectos populi. Qua phrasi indicatur, eum, qui aliis præficitur NOVOS MORES ITA DEBERE INOVARE, taoquam nooæ vitæ nascatut, nouus in lucem prodeat, nouus omnino sit.

Amplioris enim gloriæ iste præ Moyse dignus est habitus.

MIrum cur nunc laboret Apostolus Christum Moysi præferre, cùm superiùs eum Angelis prætulerit, quibus minor erat Moyses. *Respondeo*, inquit Estius hunc nodum soluens, *tanti nominis apud Iudæos Moysem fuisse, qui Aegyptiacâ seruitute eos eduxerat, qui legem dederat, qui tot mirabilia patrarat, denique, qui tanquam intimus Dei amicus, ore ad os cum eo fuerat locutus : vt facilè in eam ducerentur opinionem, quâ putarent illum Angelis præstare, quos Scriptura non amicos Dei, sed ministros appellat. Opus igitur fuit, vt propriis argumentis doceret Apostolus quando Christus sit Moyse maior.*

Et Moyses quidem fidelis erat in tota domo eius tanquam famulus.

1481. CVr *famulum* Moysem vocat, cum in Hebræo sit *seruus*: vtitur Græca voce θεράποντος, quæ famulum seu ministrum significat, *ne serui nuncupatione Moysem*, vt ille ait, nimiùm deprimere *existimaretur. Itaque satis habuit eum ministrum appellare, quomodo familiæ cuiuspiam dispensator minister est domini, à quo familiæ cura ei demandata est.* Scilicet efferre studuit Christum, deiicere alios oon voluit. A quo more abeunt, qui vt aliquem euehant, id CVM ALIORVM DAPRESSIONA FACIVNT, ac si ille efferri nequeat, nisi cæteri demittantur, nec laudari vnus, nisi contumeliis alij afficiantur.

Quapropter sicut dicit Spiritus Sanctus.

CVr authorem testimonij producendi Spiritum Sanctum citat, non Dauidem ? *Quò maiori reuerentia*, ait Estius, *testimonium suscipiatur, magisque moueat eos, quorum causa adducitur*; vtque statim appareat, non à semetipsis, sed à Spiritu Sancto dixisse, quæ Prophetæ dixere.

Hodie, si vocem eius audieritis, nolite obdurare corda vestra.

VOcem Domini vocat eam, quæ Propheta- 1482.
rum ore edita est : ita eoim in Prophetis suis Deus loquitur, vt illorum vox, Domini vox dicatur. Addit autem : *Nolite obdurare corda vestra.* Quia in hominum potestate libera est obedire, & non obedire.

Sicut in exacerbatione secundùm diem tentationis in deserto.

NOn explicat, ad quem referatur exacerbatio, an ad Moysem, an verò ad Deum ipsum. Proximè refertut ad Moysem, qui populo aduersùm se iurgante, ac sibi contradicente, valde fuit exacerbatus. *Veruntamen*, addit Estius, *sicut ex consequenti* IN OEVM REDVNDAVIT CONTRADICTIO, *ita & ad Deum exacerbatio referri potest, quatenus iniuria famuli Dominum attingit*; vt non mirum videri possit, si in consequentibus Apostolus ad Deum referat exacerbationem.

Quadraginta annis, propter quod infensus fui generationi huic.

I*Nfensus fui.* Græcè est προσώχθισα, quod ver- 1483.
bum significat, & fastidire, tædioque affici, & etiam appropinquare, vnde non mirum si Ecclesia legat, & codices habeant : *Proximus fui*, quod de illa approximatione intelligendum est, quà res alteri appropinquat, à qua læditur, offenditur, & detrimentum accipit, ac damnum. Sic Deus in durum illum populum impegit, a quibus assiduè peccatis irritabatur.

Vt non obduretur quis ex vobis fallacia peccati.

FAllacia peccati, peccati voluptas, qoâ cor mollescit, durum cor efficit, vt Dei præcepta non recipiat. *Fit autem miro modo*, verba sunt Estij ad verba producta, *vt dum* COR EMOLLITVR OELECTATIONE PECCATI, PAVLATIM OBOVRESCAT AOVERSVS PRÆCEPTA DEI; sicut & è conuerso dum molle fit in Dei obsequium, durum ita euadit aduersùs peccatum, vt delectatione flecti non se sinat.

Quidam enim audientes exacerbauerunt, &c.

CVr *quidam* dicit, cum penè omnes exacer- 1484.
bauerint ? Nodum peritè soluit Estius hîc dum ait : *Cum Historia sacra testetur penè omnes exacerbasse, quando dictum est eis : Si introibunt in requiem meam : cur Apostolus dicit : Quidam enim esse, quasi non ita multi fuerint? Respondetur, id agere Apostolum, vt Hebræos animet ad permanendum in fide. Id autem agendum statuit non tantum propositâ punitione eorum, qui propter infidelitatem, & inobedientiam suam fuerunt exclusi à requie promissa : Verum etiam adducto eorum exemplo, qui merito fidei & obedientiæ, requiem optatam sunt adepti. Ad eam rem autem non expediebat meminisse parcitatis istorum, ne suos Hebræos inducere videretur ad desperationem.* Nimirum qui alios corrigit, non ita

ita ſeuerus, & durus ſit, vt ab emendationis ſpe eos deiiciat.

Exacerbauerunt. Non explicat, quem exacerbauerint; ſed ex ſacra Scriptura liquet Moyſem exacerbauiſſe, conſequenter etiam Deum, cuius locum Moyſes tenebat: nam in Deum tetſilit, quicquid in eos fit, qui Dei vices gerunt.

CAPVT II.

EPISTOLÆ AD Hebræos expenditur & illuſtratur.

1485 *Dei Myſteria fide niſi contemperentur ad mortem vt ſint.*
1486 *Vera requies vbi ſita.*
1487 *Diuini verbi vis.*
1487 *Gladij ancipitis ſimilitudine cur vſus Apoſtolus.*
1487 *Diſcretionis neceſſitas, vt collecta.*
1488 *A peccatis quæ nos coerceant.*
1488 *Iuſtorum timor, quòd nihil Deum lateat.*
1489 *Vt omnia nuda & aperta Dei oculis ſint.*
1489 *Tenere confeſſionem quinam dicantur.*
1489 *Præſul non ſolum ſanctitate, ſed etiam ſcientia aliiſque virtutibus excellere alios debet.*
1490 *In cœlo, vt poſſit nobis condolere Chriſtus.*
1490 *Chriſti Paſſio quantas nobis vires addat.*
1490 *Infirmitas quid in diuinis literis ſignificet.*
1491 *Quo ſenſu per omnia tentatus Chriſtus ſit dictus.*
1492 *Tentationis vtilitas.*
1492 *Sæculi contagio vitanda.*

Non profuit illis ſermo auditus, non admixtus fidei ex iis quæ audierunt.

1485. AVditus. Græcè ἀκοῆς, *auditionis.* Per ſermonem auditionis intelligit ſermonem, quem audierant, Deo ſcilicet per Moyſem promittente ſe introducturum eos in terram Chanaan, & requiem in ea illis daturum. Adeo autem hic ſermo illis non profuit, vt etiam nocuerit. Quod iuſtius ad eos flectatur, quibus non terrena terræ poſſeſſio promiſſa eſt, ſed cœli, nec temporalis requies, ſed æterna.

Non admixtus fidei. Sanctus Auguſtinus legit: *Non contemperatus fidei eorum, qui obedierunt*; Alij: *Non commixtus fidei*, vt referatur ad ſermonem auditus: *In hunc ſenſum*, inquit hîc Eſtius: *Promiſſionis ſermo, quem audierant nihil eis profuit, imo magis obfuit, propterea quod ipſis qui audierant non eſſet fide contemperatus; ſine qua mixtura verbum tanquam pharmacum non prodeſt, ſed nocet. Contemperatur autem fide, quando qui audit fideliter recipit. Eſt igitur in hac phraſi quædam alluſio ad ea, quæ hauſta nocent niſi* CONVENIENTER FVERINT TEMPERATA. Ex quo fit vt Dei myſteria tunc mortem afferant, quum fide non excipiuntur, fide non contemperantur, vt in ſuperbis, & omnia temerantibus hæreticis accidit, & etiam in Iudæis, quibus maximè nocent, quæ maximè deberent prodeſſe, quia fide, quæ in myſteriis diuinis neceſſaria eſt, deſtituuntur.

Feſtinemus ergo ingredi in illam requiem.

FEſtinemus ergo ingredi. Scitè hunc locum expendebat Theophylactus inquiens: *Pulchrè autem dixit, Feſtinemus ſiue adnitamur: non enim fides ipſa per ſeipſam ſufficiens eſt, vt introducat in illam; niſi proba pariter conuerſatio, adeòque vita affuerit.* 1486.

Feſtinemus ergo ingredi, Acutè huius verbi vim expendebat Sanctus Thomas hîc: *Signanter dicit, Ingredi; quia non eſt* IN BONIS EXTERIORIBVS, *ad quæ eſt egreſſus; ſed eſt* IN BONIS INTERIORIBVS.

Feſtinemus ergo ingredi in illam requiem. Pulchrè S. Amb. in Pſal. 47. *Feſtinemus intrare in illam requiem. Requies ergo vera, iam non in operis ceſſatione, ſed in reſurrectionis eſt tempore.*

Viuus eſt enim ſermo Dei, & efficax, & penetrabilior omni gladio ancipiti, & pertingens vſque ad diuiſionem animæ & ſpiritus.

VErbi diuini vim, quam hîc effert Paulus, expertus in ſe ipſo fuit. *Non per milites*, inquit, Beatus Laurentius Iuſtinianus, ſerm. in Epiphania Domini, *non armis, non verberibus ſtrauit hunc incredulorum ducem, quatenus ſciret, quòd Dei ſermo eſt viuus, & efficax, & penetrabilior omni gladio ancipiti, pertingens vſque ad diuiſionem animæ ac ſpiritus. Nempe ſi totus inſurrexiſſet mundus, Pauli minimè valuiſſet animoſitatem flectere, euertere ſenſum, intelligentiámque conuincere: verum vt cor illius tetigit verbum, emolliuit mentem eius, ſedauit furorem, placauit crudelitatem, mutauit propoſitum, naturam reformauit, docuit rationem, lumine circumuenit, atque ſapientia totum nectare ſaginauit.* 1487.

Et penetrabilior omni gladio ancipiti. Cur *gladij ancipitis* ſimilitudine potiùs vtitur, quàm alterius cuiuſuis rei? *Mihi videtur Apoſtolus*, inquit Ribera vt hunc nodum ſoluat, *ita voluiſſe ſignificare* VIM PENETRANDI, VT SIMVL VIM NOCENDI OSTENDERET. *Videtur ergo perinde eſſe, ac ſi diceret. Nihil eſt tam abſconditum, quò non perueniant oculi Chriſti, & quò non perueniant eius manus, & poteſtas, ſi ſupplicium ſumere velit*, & eos qui iniuſtè agunt iuſtè punire.

Et

Epistolæ, dum vinctum se dicit: nam pro Christo vinciri summæ gloriæ tribuendum est. Sistenda hîc sunt, quæ ad hæc verba habet S. Ambrosius. *Vt* DIGNITATEM EPISTOLÆ *à se missæ faceret, ab iniuria sua cœpit. Sicut enim peccati causa vinciri, opprobrium est: ita è contra pro Christo custodia* VINCVLA SVSTINERE, MAXIMA GLORIA, *eo enim tempore, quo hanc Epistolam misit, in custodia erat.*

Paulus vinctus. Sæpè vinculorum passionúmque suarum meminit Apostolus, sæpè illis, sæpè istis exercuit eum Deus, quem semel tantum in cœlum euectum fuisse legimus. Quod expendebat Christus ipse: nam virginem Theresiam alloquens, vt illa fatetur, hæc ad illam habuit. *Putas, filia, meritum situm in deliciarum gustu & fruitione esse? situm in opere, in tribulationum perpessione est, & in amore. Non audiuisti Paulum pluries cœlestibus voluptatibus, deliciisque refectum,* SED SEMEL TANTVM, LICET PLVRIES SIT PASSVS. *Et meam vitam cogita, passionibus assiduis plenam, &* DVNTAXAT IN MONTE THABOR VOLVPTATEM MEAM GVSTVMQVE MEVM AVDIVISTI. Hæc Christus ad suam sponsam; quæ dicta sibi quilibet vtiliter putare potest, & iustè debet. Falluntur qui dum hîc sunt, extendi latius volunt deliciarum terminos, ac durationem, quam tribulationum.

Pauli vincula mulierum monilibus sic pariabat & præferebat S. Chrysostomus hom. 10. in Epist. ad Coloss. *Quæcumque mulieres aurea induistis monilia, Pauli desiderate vincula. Non sic circa collum fulget collare, vt in eius anima fulgebat ornamentum aureorum vinculorum. Si quispiam illa desiderat, hæc odio habeat. Quid enim est commune ignauiæ & socordiæ cum magni & excelsi animi virtute? corporis ornamento cum philosophia? Illa vincula reuerentur Angeli: hæc vero etiam ludificantur. Illa vincula solent à terra ad cœlum tollere: hæc vincula à cœlo deducunt ad terram. Reuera enim hæc sunt vincula, non illa. Hæc cum corpore animam quoque opprimunt: illa cum corpore ornant etiam animum.*

Catenam, qua Pauli manus obstrictæ fuere, sic efferebat S. Chrysostomus hom. 8. in epist. ad Ephes. *Admiraris Paulum, quando eius manum tetigit vipera, & nihil ei fecit. Ne mireris:* REVERITA ENIM FVIT CATENAM: *etiam totum mare eam reuerebatur; tunc enim erat vinctus. Si quis mihi dederit nunc, vt suscitem mortuos, non hoc elegerim, sed catenam.*

Desunt catenæ, quibus vinciaris? Falleris, non desunt. Facilè deprehendes, si quæras, & sinas te vinciri. Præstat hic sistere, quæ habet S. Chrysost. hom. 8. in epist. ad Ephes. *Non licet nunc vinciri catenis.* SED ALIA EST CATENA, SI VELIMVS. *Quænam autem hæc est? Manus continere: ad auaritiam & plura habendi cupiditatem non esse paratos. Hac catenâ nos ipsos vinciamus. Pro ferro sit nobis timor Dei.*

Et Timotheus frater.

1454. CVr Timotheum quoque sibi adiungit? An vt facilius Philemonem flecteret? *vt duorum intercessio plus*, vt ille ait, *valeret.* Addunt aliqui id factum, quia fors per Timotheum Onesimus fugitiuus ad Paulum adductus fuerat. Quid ni fratrem eum vocet, qui aliorum saluti ad mentem Pauli cooperabatur?

Et Appiæ sorori charissimæ.

HAnc Appiam Philemonis vxorem fuisse, bonorum auctorum sententia est. *Alioquin,* inquit Estius, *non eam Apostolus antep neret Archippo.* Et iure eam recenset, cum Pauli petitioni fauere plurimum posset; apta quippè vxor vt mariti animum flectat, & ex iræ etiam iustæ suggestu summa dexteritate demittat.

Et Archippo commilitoni nostro.

MIlitiæ nomen maximè cum Ecclesiasticis cohæret ministeriis. Eruditè Estius, vt solet; *Cur Ecclesiasticum ministerium metaphoricè militia vocetur, & ministri commilitones, ea ratio est, quia in castris Ecclesiæ more militum excubias agunt, & pro ea defendenda, & propaganda assiduè ex officio laborant.*

Gaudium enim magnum habui, & consolationem in charitate tua.

G*Audium enim magnum habui*, quia scilicet in Philemone videret, quod gaudij materia esset; nam *bonum discipuli* (inquit hîc Lyranus) *redundat in* BONVM MAGISTRI.

Paulus senex, nunc autem & vinctus Iesu Christi.

V*T Paulus senex*; Dicturus se esse in vincu- 1455.
lis non erubuit se vocare senem; vincula & passiones, senectutis gloria sunt. Sanctus Ambrosius in Psalm. 36. ita hunc locum expendebat. *Cum sis talis, vt Paulus senex, nunc autem & vinctus Christi Iesu: obsecro te pro meo filio, quem genui in vinculis Onesimo, volens itaque illi plurimum deferre seniori Paulo eum non iuueni comparauit,* ET IBI SE SENEM ESSE GLORIATVS, VBI IAM IN VINCVLIS TENEBATVR. *Et vide te distantiam, Adolescens significatus est in alterius passione, senex in sua: ibi vt adolescens, quia Iudæorum vestimenta seruabat, hic senex vbi sui corporis exuuias exuebat.*

Vinctus Iesu Christi: Cadunt hic optimè quæ habet S. Chrysostomus hom. 16. ad Popul. *Paulus in vinculis & carceribus: ego vero in ebrietate, & lauta mensa? & quam assequar veniam?*

Vinciri pro Christo, quanti sit, egregiè explicat S. Chrysostomus hom. 8. epist. ad Ephes. dum ait: *Cum sim Paulus senex, nunc autem vinctus in Christo. Nihil est enim æquè præclarum,* ATQVE VINCVLA PROPTER CHRISTVM, *atque catena sanctis illis manibus imposita. Vinctum esse propter Christum, est præclarius, quam esse Apostolum, quam esse Doctorem, quam esse Euangelistam. Si quis amat Christum, nouit, quod dicitur.*

Obsecro te pro meo filio, quem genui in vinculis Onesimo.

Q*Vem genui in vinculis.* Cur vinculorum hîc 1456.
mentio facta? An, ne aliquis crederet, vincula spiritalem filiorum generationem impedire? *Quem genui in vinculis. Neque enim,* inquit

inquit Theodoretus hîc, *vincula prohibuerunt ortum ſpiritualem.*

Qui tibi aliquando inutilis fuit, nunc autem & mihi, & tibi vtilis.

I*Nutilis fuit.* Vide vt eius culpam extenuet: *Leuiter*, inquit hîc S. Thomas, *de culpa huius loquitur, dicens, inutilis, id eſt, nocuus in ſubtrahendo res tuas.* Qua re docet illorum offenſam minuendam, quantùm in nobis eſt, quos in aliorum gratiam curamus reſtituere.

Qui tibi aliquando inutilis fuit. Fuerit ſeruus Oneſimus, nihil refert, vera libertas eſt Deo ſeruire, vera nobilitas, Chriſti adiici obſequiis; S. Chryſoſtomus ſerm. 6. in Terræmotum, huc ſpectans, ait. VIS OSTENDAM LIBERTATEM EX SERVITVTE? *famulus fuit quidam Oneſimus, deſpectus, fugitiuus; hic fugit & ad Paulum abiit, baptiſmum obtinuit, peccata eluit, ad pedes eius remanſit, ſcribit ad Dominum eius Paulus: Oneſimum qui tibi aliquando inutilis fuit, nunc autem & mihi, & tibi vtilis, illum vt mea viſcera ſuſcipe, quid enim accidit? quem genui in vinculis meis; vidiſti nobilitatem: vidiſti mores qui pariunt libertatem: Seruus enim & liber nomina ſunt ſimpliciter.*

Tu autem illum, vt mea viſcera ſuſcipe.

1457. T*V autem illum, vt mea viſcera, ſuſcipe.* Quam patheticè loquitur Apoſtolus, & quid Oneſimus egeat, vt *viſcera ſua* illum vocare potuerit? *Hoc ideo*, inquit Sanctus Thomas hæc verba interpretans, *quia* VIDI EVM EMENDATVM, *cuius ſignum eſt quia eum remiſi tibi.* Tanti fieri à nobis debent, qui præteritam vitam cauentes, nouam ineunt.

Ego te fruar in Domino.

VIdetur frui Domino, qui homine in Domino fruitur; & idcirco hanc formulam Paulus adiecit. Sanctus Auguſtinus lib. 1. de doctrina Chriſtiana, cap. 33. hanc phraſim expendens ait: *Cùm homine* IN DEO FRVERIS, *Deo potiùs quàm homine frueris. Illo enim frueris quo efficieris beatus, & ad eum te perueniſſe lætaberis, in quo ſpem ponis vt venias. Inde ad Philemonem Paulus: Ita frater, inquit, ego te fruar in Domino. Quod ſi non addidiſſet in Domino, & te fruar tantum dixiſſet, in eo conſtituiſſet ſpem beatitudinis ſuæ, quanquam etiam viciniſſimè dicitur frui, cum delectatione vti.* Alij ſic exponunt: Ita mihi contingat te frui, id eſt, ex tua præſentia, tuóque colloquio, ac præclaris operibus capere voluptatem. Alij ex Græci verbi vi talem eliciunt ſenſum. Hunc fructum ex te conſequar, ac ſi diceret: ſine vt hoc abs te beneficium impetrem, Oneſimi ſcilicet reconciliationem.

In Domino. Cur iſtud adiecit? *Quia fructus*, inquit Eſtius, *& delectatio vndecunque recepta, vana eſt, niſi in Deum referatur*, & in Deum ferat. Vt omnis mundana delectatio inanis omnino ſit, cum adeo ad Deum non ferat, vt à Deo maximè auocet.

Sciens quoniam & ſuper id, quod dico, facies.

TAntùm ſibi de Philemone promittebat, vt plus ab eo eſſet conſequuturus, quàm ab eo quæreret. Sed cur ab hoc capite illum commendauit? Vt ad meliora prouocaret. *Hac blandâ commendatione* (inquit B. Dionyſius hîc) *quæ tamen veritati innititur*, PROVOCAT EVM AD MELIORA: *fit enim frequenter, vt qui videt benè ſentiri de ſe, meliorem ſe præbeat*: Et reſpondere opinioni de ſe conceptæ ſumma cura ſtudeat, ſingulari ſtudio curet. 1458.

Simul autem & para mihi hoſpitium.

NOn quòd magno apparatu excipi vellet, vt qui in iis, quæ corpus tangebant penè ſui obliuiſcebatur; hoc adiecit, vt Philemon, audiens Apoſtolum breui venturum, promptius perficeret perfectiúſque ea, quæ illi Paulus iniunxerat; offenſionémque eius & reprehenſionem caueret.

Para mihi hoſpitium. Si parandum Paulo ex Pauli monitu, cur non potius Chriſto Chriſti iuſſu, cordis parare hoſpitium debet Chriſtum in Euchariſtica menſâ excepturus? Sed cur de hoſpitij apparatu adeo ſollicitus Apoſtolus eſt? An non tam parari ſibi quærit, quàm verbo, quod erat prædicaturus? ſed cur eligit potius huic rei Philemonis domum, quàm alterius? An quia hæc aptior, & à ſpectaculorum locis remota? huc ſpectauit S. Anſelmus dum ait: *Quia in celebri erat vrbis loco, ad quem facilè conueniretur: Deinde quia ab omni* IMPORTVNITATE VACVA ERAT, AC AMPLA, *quæ plurimos caperet audientium*, NEC PROXIMA SPECTACVLORVM LOCIS, *nec turpi viciniâ deteſtabilis. Poſtremò quia in plano potius erat ſita, quam in Cœnaculo.* Quæ res monet, omnes eſſe difficultates amoliendas, tollenda obſtacula omnia, vt facilis ad Dei verbum excipiendum aditus pateat, ne hominum torpor à tam ſalubri auditione auocetur; & omnia auferenda, quæ ſermonis fructum impedire poſſunt, & inficere.

Finis Epiſtolæ ad Philemonem expenſæ, & illuſtratæ.

CAPVT PRIMVM EPISTOLÆ AD HEBRÆOS EXPENDITVR ET ILLVSTRATVR.

Sectio I.

- 1459 *Iudæi vt postremò conuertendi.*
- 1459 *Nomen suum, cur Paulus suppresserit, nec se Apostolum dixerit in Epistola ad Hebræos.*
- 1459 *Quæ ad alios pertinent, cautè tractanda.*
- 1460 *Omnia munera non facilè in vnum conferant Superiores.*
- 1460 *Paulatim à minimis ad magna eundum in virtutum profectu.*
- 1460 *Variis, vt se Deus accommodet in superiorum exemplum.*
- 1461 *Aliorum instituta, & viuendi regulam non facilè aliquis damnet.*
- 1461 *In omnibus audire Deum vt debeamus.*
- 1462 *A correctione amouenda, quæ exacerbare auditorem possunt.*
- 1462 *Plura Deus exhibet, quàm dicat.*
- 1462 *Quàm plenius in Filio Pater sit nobis loquutus, ac loquutus in Prophetis fuerit.*
- 1463 *Christi reuerentia excitanda.*
- 1464 *Tempus sine bonis operibus non sinatur abire.*

1459. OMNIVM postrema Epistola ad Hebræos est, quia & ipsi Hebræi omnium postremi, ita Catharinus in Epist. ad Rom. *Quemadmodum hæc ad Romanos propter dignitatem omnibus prefertur; ita illa, quæ ad Hebræos, propter indignitatem, vltimum sibi locum vendicat: quoniam interim spreti sunt Iudæi atque neglecti, donec Gentium intret plenitudo;* NAM TVM DEMVM ET IPSI REVERTENTVR, *& veritatem agnoscent. Inde iure à septem Ecclesiis significatur Gentium plenitudo, quæ Spiritum sanctum primò debuit accipere, & exinde saluum fieri Israelem, qui Spiritus hoc septenario numero propter illius septem distincta dona significatur.*

Aliquis hîc quærat cur nomen suum huic Epistolæ Paulus non affixerit, nec Apostolum se vocauerit. An ne Iudæos offenderet? An quia Apostolus in hac Epistola Christum vocat? Claudius Altisiodorensis Episcopus in Epist. ad Galatas ita censuit, dum scripsit: *Et in Epistola ad Hebræos propterea Paulum solita consuetudine nec nomen suum,* NEC APOSTOLI VOCABVLVM *præposuisse, quia de Christo erat dicturus: Habentes ergo Principem Sacerdotum, & Apostolum confessionis nostræ Iesum: nec fuisse congruum, vt vbi Christus Apostolus dicendus erat, ibi etiam Paulus Apostolus poneretur.*

Denique non desunt idcirco qui dicant Apostolum in hac Epistola nec nomen suum posuisse, nec titulum dignitatis, quia ad Hebræos scribebat, & non ad Gentes, & horum Apostolum se constitutum nouerat, non illorum, Ribera hîc ita rem explicat ex mente Theodoreti: *Paulus erat Gentium Apostolus. Ea de causa cum scriberet ad eos, qui crediderunt ex Gentibus, appellationem adiecit, & Apostolicam dignitatem addidit, vt Doctor & Magister scribens ad discipulos. Ad Hebræos autem scribens* QVORVM NON ERAT SIBI CVRA CREDITA, *meritò nudam dignitate doctrinam eis tradidit. Aliorum enim Apostolorum curationi suberant;* Vt hac modestia & cautione indicet, quam cautè in alienam messem falx mittenda sit, cum iusta aliqua de causa est mittenda.

Multifariàm, multísque modis olim Deus loquens Patribus in Prophetis.

MVltifariàm. Græcè, πολυμερῶς, *multipartitè,* nec enim omnia, nec eadem omnibus Prophetis reuelata sunt, sed quasi partibus mysteriorum distributis alia aliis inspirata. Nimirum non dat vni omnia sua dona Deus, pluribus dat, in plures suas diuitias spargit vt loca, sæcula, personarum genera aliquo nobilitentur dono, quo vnomquodque alterum alteri præferatur. Quâ re illi superiores arguuntur qui cum cæterorum inuidia fere OMNIA MVNERA IN VNVM CONFERVNT, quæ possent pluribus distribuere, & vnum donis onerant, vacuos relinquentes reliquos. 1460.

Multísque modis olim Deus loquens Patribus. Visiones multas, multas reuelationes, loquutionésque præmisit Deus, antequam humana carne vestitum

vestitum Filium suum mitteret, & illius præsentià mundum bearet, vt nimirum paulatim homines tanto mysterio excipiendo apri redderentur. Id quod retigit Lyranus hîc dum ait: *Olim Deus loquens Patribus. Id est, ab antiquo, & ex multo tempore paulatim assuefiendo, vt crescerent homines in cognitione mysteriorum Incarnationis, & veritatis.* Ne subito Christi aduentu nimis terrerentur. Quo docemur in magnarum quoque virtutum acquisitione paulatim procedendum esse, & à minimis ad summa eundum.

Multisque modis, Græcè est, *πολυτρόπως*, id est, *multiformiter*, vt significetur varia fuisse visionum genera, modos, ac formas, quibus illuminati Prophetæ futura prædicerent velut per somnium, per ecstases, per ænigmata, per figuras, per allocutiones, per apparitiones sensibiles, atque corporeas, omnibus his modis sua Deus mysteria manifestauit, vt nullum probationis genus defuisse crederemus. Docet hic locus variis modis se quodammodo aptare Deum, & hominibus se se accommodare, VT NON DEDIGNENTVR ID PRÆSTARE IN SVBDITOS QVI PRÆSVNT, VARIAS NIMIRVM FORMAS INDVENTES, VT LVCRENTVR OMNES, nullúmque modum prætermittentes, quo ad salutis viam vocare suos possunt.

1461. *Multisque modis.* Varij modi fuerint, eodem tamen omnes tendebant, & vnum habuere principium, Deum ipsum; omnes tuti, probi omnes, & diuinis rebus manifestandis apti. Quod illi notent, qui facilè damnare audent, si alios viderint aliis ac ipsi sensibus, ac modis duci, OMNES EADEM METIENTES REGVLA, ac si per varias vias, varios ad se homines Deus non vocet, variis diuersísque modis se suis non manifestet, & sua; falluntur qui sua, mysteria putant, aliena verò nuda somnia, ac deceptiones.

Multis nobis modis Deus loquitur, in omnibus audire Deum debemus, etiam cum loquuntur homines. Ad rem Sanctus Augustinus in Psalm. 49. *Locutus est multis modis, per Angelos ipse locutus est; per Prophetas ipse locutus est; per os proprium ipse locutus est; per Apostolos suos ipse locutus est; per fideles suos ipse loquitur; per humilitatem nostram, cum aliquid verum dicimus, ipse loquitur; videte itaque loquendo multipliciter, multis modis, per multa vasa,* PER MVLTA ORGANA, IPSE TAMEN SONAT VBIQVE TANGENDO, MODIFICANDO, INSPIRANDO.

1462. *In Patribus, & Prophetis.* Mosem in numero Prophetarum fuisse, per quos Patribus locutus est Deus, certum est; sed cur eum non nominat? Estius: *Statim hic in ipso limine Moyses in ordinem redigitur eorum qui Christo sunt minores. Verum id ne offendat tacitè facit Apostolus, ac tantùm sub nomine generali.* Ex quâ re id colligas, quàm studiosè illorum offensio vitanda sit, quibus consultum volumus, & quos ad meliora traducere studemus. Plerumque salutaribus monitis vis aufertur, dum ea miscentur quibus illi durius EXACERBANTVR, quorum correctioni monita ipsa exhibentur.

Nouissimè diebus istis loquutus est nobis in Filio.

QVàm nos antiquis Patribus feliciores beatiorésque! Illos per Prophetas alloquutus est Deus; nos verò per Filium; qui quanto illis maior, tanto nos Patribus in hoc maiores. Per filium loquutus est nobis Pater, nec loquutus tantum, sed per eum nos cœlestibus bonis cumulauit. Loquutionis præcipuè meminit, quia hoc inter illius dona præcipuum, vt noua nos lege muniret, nouis institutis informaret; ex hoc quoque apparet PLVRA DEVM EXHIBERE, QVAM DICAT.

Loquutus est nobis in Filio. Cur non adiecit multifariàm, & multis modis in Filio nobis loquutum esse Deum, sicut cum de Prophetis loqueretur, fecit? An ne aliquid adderet quod loquutionem manifestationémque diminueret? Benè Ribera. *Cum per Prophetas dixit locutum esse Deum, addidit: Multifariam, multisque modis. Sed cum per Filium dixit loquutum, nihil tale addidit; est enim additio diminuens;* SIGNIFICAT ERGO PATREM OMNIA FILIO REVELASSE, *& per eum palam locutum esse sine inuolucris figurarum, quibus vtebatur in veteri Testamento.* Loquutus est nobis in Filio Deus Pater; adeo vt non solùm quicquid Christus loqueretur, sermo quidam esset Patris; sed etiam quicquid operabatur.

Quem constituit hæredem vniuersorum.

CVm de Filio Dei mentionem Paulus fecisset, statim eum effert, & eius dominium 1463.
narrat. Sed cui rei? *Quo maiorem* CHRISTI REVERENTIAM EXCITET, ait Estius hîc, *illustribus quibusdam ac præcipuis eum encomiis exornat.* Hoc Christum amantium est ad eius amorem alios prouocare, ad eius reuerentiam omnes allicere.

Quem constituit hæredem. Non quòd mortuo Patre Patri successerit, aut sit successurus, sed quòd instar hæredis à Patre omnium Dominus sit constitutus: quærat aliquis quando id factum? Aliqui putant, pòst Passionem, ac Resurrectionem omnium dominum esse constitutum; alij & probabilius id censent factum, cum Verbum caro factum est, inque primo suæ conceptionis instanti; loquitur autem de dominio quod ei competit secundùm naturã assumptam.

Vniuersorum. Dubium est an ad personas id referatur, an potius ad res. Quid si ad vtrumque? Regnum quippè Christi omnia comprehendit, licèt nobilior huius dominij & Regni portio electi sint.

Per quem fecit & sæcula.

PEr sæcula intelligit longas, & continuatas 1464.
temporum reuolutiones, ita tamen vt ad nudum tempus id non coarctetur, sed etiam extendatur ad ea quæ tempore mensurantur. Benè Estius hîc: *In his temporum reuolutionibus, quas fecit, omnino comprehendi vult quæcumque tempore mensurantur, id est, mundum, & quicquid in eo continetur, quo sensu infra dixit aptata esse sæcula verbo Dei, vt idem Paulus dicat ac Ioannes: Omnia per ipsum facta sunt.* Deum tuum tu quoque vt potes imitare, tempus à rebus, ab operibus non discrimines, NEC DIES, ANNOSQVE ABIRE SINE BONIS ACTIBVS SINAS. Sæculum, & tempus dicens Paulus reuolutiones intelligit onustas rebus, factis diuites, operibus plenas: eadem nos mente viuamus, vixisse per illud tempus nos non putemus, quod nostro torpore ac negligentia, bonis actibus vacuum permisimus præterire.

Sectio II.

Portansque omnia verbo virtutis SVÆ.

1465. P*ORTANSQVE omnia.* Quid est, Verbum æternum portare omnia verbo virtutis suæ? An quia omnia gubernat & regit? *Filius verbo*, inquit Theophylactus, *gestat omnia, id est, gubernat.* Rectus nexus portandi ac regendi. ILLE BENE GVBERNAT, QVI SVOS PORTAT. Regendi peritia, ferendi peritia est. Non benè suos regit, qui portari à suis quærit, suos portare non vult.

Portánsque omnia. Verbi huius vim sic expendebat Primasius hîc: *Dicendo, Portans, facilitatem continendi voluit exprimere; posuitque, Portans pro eo quod est, Gubernans & regens. Verbum igitur Dei Patris, omnia quæ fecit, verbo virtutis suæ* PORTAT, *hoc est, potentiâ virtutis suæ, & verbo iussionis suæ omnia gubernat & regit. Non enim minus est gubernare Mundum, quam creasse: nam in creando ex nihilo substantia rerum producta sunt: in gubernando verè ea, quæ facta sunt, ne ad nihilum redeant, continentur. Ergo, dum hæc omnia reguntur, & ad inuicem sibi pugnantia coaptantur, magnum & admirabile virtutis Dei iudicium declaratur.*

Verbo virtutis suæ. Cur non potiùs dictus est portare omnia *virtute sua*, quàm *verbo virtutis suæ*? Hugo Victorinus hîc quæst. 6. *Ideo*, inquit, *verbo potiùs, quàm virtute dicitur omnia portare: vt in portando, id est, continendo, & gubernando, & conseruando* NVLLVM LABOREM, VEL DIFFICVLTATEM INTELLIGATVR SVSTINERE. Portat omnia, nec defatigatur portando.

Sedet ad dexteram Maiestatis in excelsis, tanto melior Angelis effectus, quanto differentius præ illis nomen hereditauit.

1466. T*Anto melior Angelis effectus.* Quod de Christo hîc dicitur, aptè ad Virginem transfert Sanctus Bernardinus Senensis tom. 1. serm. 61. art. 2. cap. 4. *Vt dicitur*, inquit, *Hebr. 1. sicut Filius Dei sedet a dextris Maiestatis, tantò melior Angelis effectus, quantò differentius præ illis nomen hereditauit (quod nomen est, vt sit verè Deus per gratiam vnionis) sic & Mater Domini nostri Iesu, gloriosa Maria tanto melior est Angelis effecta,* QVANTO PRÆ OMNIBVS CREATVRIS HÆREDITAVIT VT OBTINERET DIGNISSIME MATRIS NOMEN.

Cui enim dixit aliquando Angelorum, Filius meus es tu, ego hodie genui te?

ET non etiam Angeli filij Dei sunt, cum hoc titulo gaudeant homines ipsi? Responderi potest: Nulli Angelorum Deum singulariter dixisse, *Filius meus es tu*, quo pacto soli filio id dicere potest, qui est Pater. Adoptiui filij Angeli, & homines sunt, naturalis est Christus. Quod additur: *ego hodie genui te*; ad æternam filij Dei generationem pertinere probæ notæ Auctores censent; aduerbio, hodie, æternitas significatur. Sed cur vtitur verbo præteriti temporis? Respondet Estius: *Vt quamuis præsentem, tamen* PERFECTAM INTELLIGAS GENERATIONEM *quâ filius Dei semper & gignitur, & genitus est: quemadmodum lumen in aere perfectum est, & tamen semper à Sole procedit.* Nonnulli tamen de temporali Christi generatione, quâ ex virgine Christus prodiit hæc verba accipiunt, & sic *hodie* significabit vitæ præsentis tempus. Alij contendunt de Christi resurrectione ex mortuis hunc locum interpretandum, nam ad illam comprobandam idem Apostolus Actorum 13. in concione ad Iudæos habitâ, hunc Psalmi secundi versiculum adducit, nam solet resurrectio in Scriptura regeneratio dici, & Christus ipse propter resurrectionem primogenitus mortuorum est dictus. Denique sunt qui hanc particulam; *Ego hodie genui te*, ita exponant: Nunc postquam ad dexteram meam collocatus es, filium meum te esse Mundo manifestaui, scilicet per Euangelij propagationem, qui sensus à tertio non est admodum diuersus. Nec est insolens vt tunc aliquis dicatur quidpiam fieri, quando vt talis incipit agnosci ac manifestari.

Ego ero illi in patrem, & ipse erit mihi in filium.

CVr verbis futuri temporis *ero* & *erit*, vti- 1467.
tur, cum ab æterno tales exstiterint? Estius. *Dicit autem*, inquit, *ero, & erit, non quòd ab æterno non sit ille Pater, hic Filius, sed quia mysterium hoc antea latens & paucis cognitum, tunc patefaciendum erat quando Christus* INCIPERET ÆDIFICARE DOMVM, IDEM ECCLESIAM ÆDIFICARE PATRI SVO. In hoc se præcipuè Dei Filium Patri probans, homines æternâ gloriâ donandos Patri acquirens, Ecclesiámque constituens, in qua Veritas, sanctitas, & innocentia, cæteræque virtutes vigerent, & à Deo se genitum probauit, cum ex suo latere Ecclesiam genuit.

Opera manuum tuarum sunt cæli.

O*Pera manuum tuarum sunt cæli.* Acutè hîc Sanctus Thomas: *Non dicit, Fecisti cælos; sed, Opera manuum tuarum sunt cæli, quia illud, quod* ALIQVIS FACIT MANIBVS; *magis diligenter videtur facere: & ideò sic loquitur ad designandum nobilitatem & pulchritudinem ipsorum.*

Nonne

Nonne omnes ſunt adminiſtratorij ſpiritus in miniſterium miſſi? &c.

1468. OMnes ſunt adminiſtratorij ſpiritus. Quis Dei dignationem hîc non admiretur, qui Angelorum miniſterio ſuorum ſalutem operatur? *Magnam prorſus*, inquit Beatus Laurentius Iuſtinianus de Diſcipl. monaſt. conuerſ. cap. 5. ad hæc verba, *& inuiolabilem præbere debet fiduciam cunctis Deo militantibus, Sanctorum Angelorum* INDEFESSA CVSTODIA. *Nam, ſi orant, eorum preces offerunt Deo; nec vacui reuertuntur ad illos: ſi pugnant, æquè ipſi cum eiſdem pugnant: ſi quieſcunt, nempè excubias agunt, ne quid mali ab aduerſariis patiantur: ſi ignorant, docent eos: ſi cadunt, erigunt: ſi puſillanimes efficiuntur, ſanctis exhortationibus ipſos roborant, & accendunt; & quâ parte humana curuatur infirmitas, eà parte ſe opponunt caſuris.*

In miniſterium miſſi. Angelorum miniſterium ſic explicat ad hæc verba, Aelredus ſerm. 5. *Hi ſunt*, inquit, *adminiſtratorij ſpiritus in miniſterium miſſi propter nos, qui interſunt pſallentibus, aſſiſtunt orantibus, legentibus & meditantibus adſunt. Iſti ſe ſpiritibus immundis opponunt: illecebras Mundi ſuadentibus exemplum Dominicæ Paſſionis obiiciunt: mentem irâ inflammare volentibus, Dominicæ patientiæ bonitatem proponunt: elationem illis vel ſuperbiam immittentibus, humilitatem nobis humilis Ieſu ſuggerunt imitandam.*

In miniſterium miſſi. Parum erat adminiſtratorios eſſe Angelos, niſi & in miniſterium mitterentur. Mittit pro nobis Angelos qui pro nobis mitti à Patre voluit. Pulchrè Sanctus Bernardus ſerm. 5. in Dedicat. Eccleſ. *Non ſolùm adminiſtratorios, ſed & miſſos in miniſterium quoque Apoſtolus teſtatur. Quidni* MITTAT ANGELOS, *pro quibus & ipſe à Patre voluit mitti? Quidni pro eis inclinet cælos, pro quibus ipſe quoque cælorum Rex inclinauit ſe ita, vt digito in terram ſcriberet? Domine inclina cælos tuos (Parum eſt) & deſcende. Quid vltra? Vt quibus condeſcendit, faciat etiam conſcendere ſibi.*

CAPVT II.

EPISTOLÆ AD Hebræos expenditur & illuſtratur.

1469 *Nemo aliis effundat, antequam impleatur.*
1470 *Quid timere debeant, qui doctrinæ Chriſti negligenter attendunt.*
1470 *Qui alios regunt mente, & intentione, vnum referant.*
1471 *Concionatoris fructus vt etiam ad non concionatores extendatur.*
1472 *Salutis titulo, cur Chriſti doctrina ſignificata.*
1472 *Spiritualia vbique ſpectanda.*
1473 *Perſtricti, qui ſacrarum litterarum peritia deſtituuntur.*
1474 *Guſtandi verbo cum de morte ageret, cur vſus Apoſtolus.*
1474 *Spes & fiducia cur Angelis non attributa.*
1475 *Mortis Imperium habuiſſe, cur Diabolus dicatur.*
1476 *A morte vt liberauerit nos Chriſtus.*
1477 *Semen Abrahæ apprehendiſſe, cur dicatur Chriſtus.*
1477 *Angelos cur Chriſtus non apprehenderit.*
Ea in ſermone ſupprimenda, quæ offendere auditores poſſunt.

Propterea abundantiùs oportet obſeruare nos ea quæ audiuimus.

ALIQVI vertunt: *Propterea oportet nos vehementius attendere iis, quæ audiuimus*; ſed quid eſt *vehementius*, aut *abundantius*? An hoc dicit quia cœperant Hebræorum animi tepeſcere à primo fidei feruore? excitat igitur illos Apoſtolus, & animat. Addit Eſtius: *Poteſt*, inquit, *intelligi comparationem fieri cum lege per Angelos data, cuius ſtatim mentionem faciet: vt ſenſus ſit; Quantò Chriſtus eſt Angelis maior, tantò ſtudioſius Chriſti legem, atque doctrinam ſemel ſuſceptam, retinere debetis, eique firmiter adhærere, quam olim legi per Angelos acceptæ, adhæſiſtis.* 1469.

Ne fortè pereffluamus.

NE fortè pereffluamus, Inter extremæ dementiæ genera hoc numera, aliquem totum aliis effundere quod habet, adeo vt vacuus, & inanis ipſe remaneat, aut etiam; quòd aorea effundat aliis quàm ipſe impleatur. Opportunè Sanctus Bernardus ſerm. 18. in Cantica: IMPLERE inquit, *prius, & ſic curato* EFFVNDERE. *Benigna, prudénſque charitas affluere conſueuit, non effluere. Fili mi, ne pereffluas, ait Salomon. Et Apoſtolus: propterea, inquit, debemus intendere his quæ dicuntur, ne fortè pereffluamus. Quid enim? Tune Paulo ſanctior, ſapientior Salomone? Alioquin nec mihi ſedet* DITARI EX TE EXINANITO. 1470.

Ne fortè pereffluamus. Sanctus Auguſtinus legit, *Defluamus*; alij *diffluamus*, vt ſit ſenſus; ne audita nobis excidant e memoria, ne ſimus inſtar dolij pertuſi, & rimoſi quod liquorem infuſum non retinet, ſed totum effundit, dimittit totum. Alij, præſertim Græci, hoc explicatu donant hæc verba; Ne quando pereamus abſque ſpe reparationis, *inſtar aquæ, quam, vbi ſemel effluxerit*, ait hîc Eſtius, *impoſſibile eſt colligere*; Subdit: *eſt enim hac parte ſignificatio pœnæ, quam meritò timeant, qui* DOCTRINÆ CHRISTI NEGLIGENTER ATTENDVNT.

Si enim qui per Angelos dictus est sermo, factus est firmus.

LOquitur de sermone legis, quæ Angelorum data ministerio est. Hinc Actorum 7. dictum: *Qui accepistis legem in dispositione Angelorum.* Sed cur numerosè *Angelos* dicit, cum singulariter vnus Angelus Moysi in Sinai sit loquutus? *Sciendum*, ait Estius, *ita legem multorum Angelorum ministerio latam fuisse, vt tamen vnus in eo ministerio primarius, ac princeps fuerit. Quem quidem fuisse Michaelem Archangelum populi Israelitici ductorem atque custodem, capite præcedenti attigimus.* Vt hinc etiam colligas eos qui populis præsunt, illotúmque custodes sunt, licet plures numero sint, mente & intentione omnes lucrandi VNVM REFERRE, in vnum conspirare, à se inuicem non dissidere.

1471. *Per Angelos.* Vnus Angelus Dei personam repræsentabat, cæteri assistebant, aut vt notabat Sanctus Chrysostomus, excitabant tonitrua, fulgura, clangorem tubæ, fumum, & ignem. Sed cur per Angelos dixit datam legem fuisse? quia hæc ab aliis Angelis fiebant in populi audientis terrorem, vt ad legis obseruationem terribilibus hisce signis ducerentur, sicque plures Angeli legem dicebant, quia omnes ad legem, legisque custodiam spectabant. Hoc ad legis diuinæ tractatores transferas; plerumque concionator qui Dei legem enarrat vnus est, potest alius precibus, carnisque afflictationibus, & probæ vitæ exemplis pro suis viribus ad idem opus concurrere, ET PLERVMQVE CONCIONATORIS FRVCTVS NON CONCIONATORI TANTVM TRIBVITVR, sed & aliis qui concionatoris, si rem extimè spectes, non exercent munus.

Quomodo nos effugiemus si tantam neglexerimus salutem?

1472. SAlutis nomine Christi doctrinam intelligit. Sed cur eam hoc titulo donat? QVIA TOTA AD HOMINVM SALVTEM ORDINATA EST, quæ nihil aliud spectare videatur, quàm vt illi salutem consequantur, qui ei obsequuntur, & ad illius normam viuunt. Lex vetus terrena, ac peritura dona promittebat; Lex Christi spiritualia, & æternùm duratura bona promittit.

Non enim Angelis subiecit Deus orbem terræ futurum.

ET non, & Angeli terræ, mondique rectores, & principes dicuntur? & non præsidere alij aliis regnis referuntur? Vt Angelis Orbis præsens terræ subiectus sit, non est tamen futurus longè præstantior, atque nobilior, sicque signatè addidit Apostolus *futurum.* Per Orbem autem terræ futurum probæ notæ Interpretes intelligunt, vel Ecclesiam qualis futura est post hoc sæculum in gloria cœlesti, vel in genere, statum mundi futurum post resurrectionem, idest cœlum nouum, & terram nouam, & quicquid in eis erit; quo sensu Christus pater *futuri sæculi* est dictus, & Paulus infra dicet: *Non habemus hic manentem ciuitatem, sed futuram inquirimus.* Placet hæc expositio etiam Estio, qui addit: *Nec repugnat vocabulum terræ in Latino expressa, in Græco intellecta; nam de terra, & Orbe terræ spiritualiter ac mysticè Scripturam loqui non est insolitum. Vbi tamen etiam meminisse oportet nouæ terræ, in quâ teste Petro iustitia habitat;* Nimirum à nominibus ipsis discas, VBIQVE SPECTANDA SPIRITVALIA, etiam cum ea offeruntur, quæ terram sonant spirituales viri spiritualia in nominibus quæ terram significant vident: terreni terrena quoque spectant in iis, quæ merè spiritualia sunt. Claudit Estius: *Ex quibus facilè intelligitur verbum præteritum subiecit, hunc habere sensum: subiiciendum prædixit, aut promisit: Quasi dicat; Principatus Orbis terræ futuri non est Angelis decretus, aut promissus à Deo.*

Testatus est autem in quodam loco quis.

NEc Auctorem, nec sacræ Scripturæ locum nominat, quod ad Hebræos scriberet sacrarum literarum non ignaros; quem morem in hac præcipuè Epistola seruat. Dauidē autem esse octaui psalmi auctorem non est dubium. Vt vel hinc illorum desidia & oscitantia argoatur, qui diuinarum literarum perita destituuntur, cum ea ignorent, quæ notissima illis esse deberent. Audiendus hic Sanctus Ambrosius ad hunc locum, vbi ait Prophetæ nomen suppressum, quia hic illis notissimus erat, vt redundantis fuerit operæ id apponere; *Facit hoc etiam*, inquit, *in aliis testimoniis (vt supra dictum est) existimo, non abscondentis affectu, sed ostendentis eos multam habere scientiam scripturarum: vt nec opus haberet, nomen ponere dicentis; sed veluti de re manifesta, & in promptu constituta, inducere testimonia.* 1473.

Vt gratia Dei pro omnibus gustaret mortem.

VT *gratia Dei pro omnibus gustaret mortem.* Cur *Gustandi* verbo est vsus? Beatus Bruno: *Gustaret, dicit propter amaritudinem mortis, quæ interius illi sapuit.* Dulcis illi mors quia nobis fuit ad vitam. Addit: *Vel, Gustaret; quia mors illa citò præteriens*, QVASI IN GVSTV FVIT; *non inebriatus per moram.* Vt ob id etiam Eucharistiam instituerer, in qua mors eius quotidiè repræsentaretur; quatenus quam semel gustauerat, sæpius quodammodo iteraret. 1474.

Ego ero fidens in eum.

CVm Dei non sit fidere in Deum, sit vt de Christo solum secundùm naturam humanam hic locus intelligatur; deque ea spe, ac fiducia, qua in sua Passione Dei Patris auxilium implorauit. Vnde quia Angeli beati nullius indigent, *sit vt nec scriptura*, quod notabat hic Estius, spem aut fiduciam *eis vnquam attribuat.*

Vt per mortem destrueret eum, qui habebat mortis imperium.

PEt mortem quam pro hominibus Dei Filius subiit, Diabolum destruxit, id est eâ potestate priuauit, quam sibi in homines Deo ipso permittente vsurpabat. Addit; *qui habebat mortis imperium?* Non dubium quin Deus, & vitæ & mortis imperium sibi seruauerit; mortis tamen imperium 1475.

petium dicitur Diabolus habuisse, quia per peccatum, quod primo homini suggessit, & per quod totum humanum genus infecit, tenebat eum cum totâ posteritate morti obnoxium, non iure aliquo, sed sola Dei permissione; *Vnde nec Diabolo*, inquit bonus ille auctor, PRETIVM NOSTRÆ REDEMPTIONIS FVIT SOLVENDVM, SED DEO; *cui ad mortem, & gehennam eramus propter peccatum obstricti.*

Et liberaret eos, qui timore mortis per totam vitam obnoxij erant seruituti.

1476. SEd quomodò liberauit nos Christus à morte, quam mortalium nemo effugit, nemo vitat? Quidam liberationem istam exponunt à mortis terrore, quem nobis ademit Christus, spem certissimam præbens immortalitatis post huius vitæ exitum consequendæ. Aliter solui & nodus potest. Estius, *Intelligendum est*, inquit, *ab ipsa morte nos liberasse, non vt eam non patiamur, sed vt in ea non maneamus: quomodo mansurus est, de quo Ioannes, prima Epistola tertio, qui non diligit, manet in morte. Nos autem vt ibidem dicitur: scimus quia translati sumus de morte ad vitam: quoniam diligimus fratres. Hac igitur est vera, & certa consolatio fidelium aduersùs metum mortis, quod non dubitent, si in Christo maneant, quin ab hac morte corporis, per beatam resurrectionem* ALIQVANDO SINT LIBERANDI. *Nam impiis, resurrectio non erit à morte liberatio, sed transitus ad mortem deteriorem.*

Semen Abrahæ apprehendit.

1477. SEmen *Abrahæ*. Cur non, *Naturam humanam*, dixit? An, vt Hebræorum in hac parte dignitatem ostenderet, eósque ad sublimia alliceret? *Non dixit*, inquit hîc Theophylactus, *Naturam hominum; sed Semen Abrahæ. Simul cupiens eos attollere, ac generis ipsorum splendorem commonstrare; tum, quod in eo sint Gentibus excellentiores, quatenus ex ipsis est Dominus, semper enim ipsis, quoad citra offensam licet, gratificatur. Simul autem promissionem eis ad memoriam reuocat: Tibi & semini tuo dabo terram hanc.*

Semen Abrahæ apprehendit. Cur, *Apprehendendi* verbo potiùs est vsus, quàm *Suscipiendi?* Theophylactus hîc: *Non dixit* SVSCEPIT; *sed*, APPREHENDIT, *vt ostenderet, quod fugientem naturam nostram, longiùs à se remotam insequutus sit, & anteuertens apprehenderit; complexúsque sit, sibi vniens, & copulans, ac sistens ipsam à fuga, qua ab ipso fugiebat.*

Semen Abrahæ apprehendit. Græcè ἐπιλαμβάνεται; à cuius verbi vi sensus huius loci eruendus. Eruit Ribera, simúlque explicat cur semen Abrahæ apprehendisse sit dictus, non Angelos. Ait enim, *significat hoc verbum, manus in rem inijcere, sicut iniciunt, qui pignora à debitoribus non soluentibus capiunt; aut tenere siue apprehendere, vt cum, hominem fugientem apprehendimus, aut occasionem, ne elabatur tenemus. Sensus ergo est, alienati erant Deo Angeli per peccatum, nec tamen vnquam videmus Deum manus inijcere in eos, tanquam in rem suam vt eos retineat, & ad se reuocet:* AT IN SEMEN ABRAHÆ, IDEST IN FILIOS; ET POSTEROS ABRAHÆ MANVS INIICIT. *Quotidie, & eos per fidem ad se reducit. Vel Angelos fugientes non apprehendit, homines verò qui se fugerant, & abierant, quotidie apprehendit, vt à fuga reuocet, & ad se reducat.*

Semen Abrahæ apprehendit. Per Abrahæ semen carnalem Abrahæ posteritatem aliqui intelligunt, non quòd ea sola, aut tota apprehendatur à Christo, sed quia peculiariter ad illum populum pertinebant promissiones Patribus factæ. Addit hîc Estius: *Loquitur autem hoc pacto in gratiam Hebræorum, ad quos scribit, cum alioquin generaliter ac planè dici potuisset, Non Angelos, sed homines apprehendit. Quanquam id etiam obseruandum est Apostolum totâ hac Epistolâ Gentium vocationem prudenter dissimulare, siue quod* EIVS MENTIO PARVM GRATA ESSET HEBRÆIS; *siue quod instituto suo non necessaria.* Vt hinc discas ea in sermone supprimere, quæ offendere auditoris aures ita possunt, vt nullam vtilitatem sint allatura. 1478.

CAPVT III.

EPISTOLÆ AD Hebræos expenditur & illustratur.

Vnde, fratres sancti, vocationis cælestis participes, &c.

SAnctos eos vocat, non quòd singuli essent sancti; sed quia *ipsa Ecclesia, seu fidelium societas verè pollet sanctitate, & iustitiâ*, inquit Estius; contra ac fieri à sæculi hominibus solet: hi quippè ex vnius defectu integram congregationem, sacrámque inficiunt familiam; &, quod ab vno fit mali, in cæteros reiiciunt. Apostolus contra: totius societatis bono singulos vestire (vt ita loquar) videtur. 1479.

Considerat

ita ſeuerus, & durus ſit, vt ab emendationis ſpe eos deiiciat.

Exacerbauerunt. Non explicat, quem exacerbauerint; ſed ex ſacra Scriptura liquet Moyſem exacerbauiſſe, conſequenter etiam Deum, cuius locum Moyſes tenebat: nam in Deum reſilit, quicquid in eos fit, qui Dei vices gerunt.

CAPVT II.

EPISTOLÆ AD Hebræos expenditur & illuſtratur.

1485 *Dei Myſteria fide niſi contemperentur ad mortem vt ſint.*
1486 *Vera requies vbi ſita.*
1487 *Diuini verbi vis.*
1487 *Gladij ancipitis ſimilitudine cur vſus Apoſtolus.*
1487 *Diſcretionis neceſſitas, vt collecta.*
1488 *A peccatis quæ nos coerceant.*
1488 *Iuſtorum timor, quòd nihil Deum lateat.*
1489 *Vt omnia nuda & aperta Dei oculis ſint.*
1489 *Tenere confeſſionem quinam dicantur.*
1489 *Præſul non ſolum ſanctitate, ſed etiam ſcientia aliiſque virtutibus excellere alios debet.*
1490 *In cœlo, vt poſſit nobis condolere Chriſtus.*
1490 *Chriſti Paſſio quantas nobis vires addat.*
1490 *Infirmitas quid in diuinis literis ſignificet.*
1491 *Quo ſenſu per omnia tentatus Chriſtus ſit dictus.*
1492 *Tentationis vtilitas.*
1492 *Sæculi contagio vitanda.*

Non profuit illis ſermo auditus, non admixtus fidei ex iis quæ audierunt.

1485. AVditus. Græcè ἀκοῆς, *auditionis.* Per ſermonem auditionis intelligit ſermonem, quem audierant, Deo ſcilicet per Moyſem promittente ſe introducturum eos in terram Chanaan, & requiem in ea illis daturum. Adeo autem hic ſermo illis non profuit, vt etiam nocuerit. Quod iuſtius ad eos flectatur, quibus non terrena terræ poſſeſſio promiſſa eſt, ſed cœli, nec temporalis requies, ſed æterna.

Non admixtus fidei. Sanctus Auguſtinus legit: *Non contemperatus fidei eorum, qui obedierunt;* Alij: *Non commixtus fidei*, vt referatur ad ſermonem auditus: *In hunc ſenſum*, inquit hîc Eſtius: *Promiſſionis ſermo, quem audierant nihil eis profuit, imo magis obfuit, propterea quod ipſis qui audierant non eſſet fide contemperatus; ſine qua mixtura verbum tanquam pharmacum non prodeſt, ſed nocet. Contemperatur autem fide, quando qui audit fideliter recipit. Eſt igitur in hac phraſi quædam alluſio ad ea, quæ hauſta nocent niſi* CONVENIENTER FVERINT TEMPERATA. Ex quo fit vt Dei myſteria tunc mortem afferant, quum fide non excipiuntur, fide non contemperantur, vt in ſuperbis, & omnia temerantibus hæreticis accidit; & etiam in Iudæis, quibus maximè nocent, quæ maximè deberent prodeſſe, quia fide, quæ in myſteriis diuinis neceſſaria eſt, deſtituuntur.

Feſtinemus ergo ingredi in illam requiem.

FEſtinemus ergo ingredi. Scitè hunc locum expendebat Theophylactus inquiens: *Pulchrè autem dixit, Feſtinemus ſiue admitamur: non enim fides ipſa per ſeipſam ſufficiens eſt, vt introducat in illam; niſi proba pariter conuerſatio, adeòque vita affuerit.* 1486.

Feſtinemus ergo ingredi, Acutè huius verbi vim expendebat Sanctus Thomas hic: *Signanter dicit, Ingredi; quia non eſt* IN BONIS EXTERIORIBVS, *ad quæ eſt egreſſus; ſed eſt* IN BONIS INTERIORIBVS.

Feſtinemus ergo ingredi in illam requiem. Pulchrè S. Amb. in Pſal. 47. *Feſtinemus intrare in illam requiem. Requies ergo vera, iam non in operis ceſſatione, ſed in reſurrectionis eſt tempore.*

Viuus eſt enim ſermo Dei, & efficax, & penetrabilior omni gladio ancipiti, & pertingens vſque ad diuiſionem animæ & ſpiritus.

VErbi diuini vim, quam hîc effert Paulus, expertus in ſe ipſe fuit. *Non per milites*, inquit, Beatus Laurentius Iuſtinianus, ſerm. in Epiphania Domini, *non armis, non verberibus ſtrauit hunc incredulorum ducem, quatenus ſciret, quòd Dei ſermo eſt viuus, & efficax, & penetrabilior omni gladio ancipiti, pertingens vſque ad diuiſionem animæ ac ſpiritus. Nempe ſi totus inſurrexiſſet mundus, Pauli minimè valuiſſet animoſitatem flectere, euertere ſenſum, intelligentiámque conuincere; verum vt cor illius tetigit verbum, emolliuit mentem eius, ſedauit furorem, placauit crudelitatem, mutauit propoſitum, naturam reformauit, docuit rationem, lumine circumuenit, atque ſapientia totum nectare ſaginauit.* 1487.

Et penetrabilior omni gladio ancipiti. Cur gladij ancipitis ſimilitudine potiùs vtitur, quàm alterius cuiuſuis rei? *Mihi videtur Apoſtolus*, inquit Ribera vt hunc nodum ſoluat, *ita voluiſſe ſignificare* VIM PENETRANDI, VT SIMVL VIM NOCENDI OSTENDERET. *Videtur ergo perinde eſſe, ac ſi diceret, Nihil eſt tam abſconditum, quò non perueniant oculi Chriſti, & quò non perueniant eius manus, & poteſtas, ſi ſupplicium ſumere velit*, & eos qui iniuſtè agunt iuſtè punire.

Et discretor cogitationum, & intentionum cordis.

D*iscretor cogitationum.* Ex his verbis argumentum sumebat Cassianus virtutem discretionis efferendi, sic ille scribit collat. 2. c. 4. *Quæ* (discretio,) *in tantum vtilis nobis, ac necessaria comprobatur,* VT ETIAM VERBO DEI, EIVSQVE VIRTVTIBVS COAPTETVR, *secundùm illud: viuus est enim Dei sermo, & efficax, & penetrabilior omni gladio ancipiti, & pertingens vsque ad diuisionem animæ ac spiritus, compagum quoque & medullarum, & discretor cogitationum, & intentionum cordis, quibus manifestissimè declaratur, nullam sine discretionis gratiâ, perfectè posse, vel perfici, vel stare virtutem.*

Et non est vlla creatura inuisibilis in conspectu eius.

1488. VT hine quilibet à peccatis debeat eoerceri; Seitè Beatus Laurentius Iustinianus de timore, capit. quatto. *Deo nihil potest abscondi, vnde Apostolus: & non est vlla creatura inuisibilis in conspectu eius, Omnia namque nuda, & aperta sunt oculis eius. Magna proinde dementia est si dissimulare volumus, & non timere. Indicta namque nobis est probitatis necessitas, quum agamus coram oculis iudicis cuncta cernentis.*

Omnia autem nuda, & aperta sunt oculis eius.

O*Mnia autem nuda.* Etiam interiora, & quæ hominum oculos fugiunt, & plerumque etiam nostros, vt hinc timor, vel sanctis oriatur, ne scilicet Deus in illis videat, quod illi displiceat. Peritè Sanctus Gregor. lib. 29. Moral. cap. 19. *Exteriora opera patent oculis hominum: longè verò incomparabiliter interiores ac subtilissimæ cogitationes nostræ patent oculis Dei; omnia enim (sicut scriptum est) nuda & aperta sunt oculis eius. Et sæpè in exteriori opere ante oculos hominum* INORDINATI APPARERE METVIMVS: *quem videntem omnia non videmus. Multò enim magis intrinsecùs Deo, quam extrinsecùs hominibus conspicabiles sumus: vnde & Sancti omnes foris se intusque circumspiciunt; & vel reprehendendos se exteriùs, vel iniquos se videri interiùs vtiliter timeat.*

1489. *Omnia nuda, & aperta.* Eleganter explicabat hæc verba Sanctus Isidorus Pelusiota lib. 1. epist. dum ait: *Hæc verba,* NVDA ET APERTA, *translatione ductâ à victimis, quæ ad sacrificium adhibentur, à Paulo ingenti sapientia predito viro, scripta sunt. Quemadmodum enim illa, cum pelles detrahuntur, omni conspicuo indumento spoliantur, abditarúmque internè partium statum, & affectionem indicant, atque ad ossium omnium, & membrorum indagationem dissecantur? vt omnia ob rei cui adhibentur, puritatem expurgentur; eodem etiam modo in magno illo Domini die actionum nobis incognitarum, & obscurarum patefactio cuncta denudabit, dissectionique similis apparebit. Neque enim quisquam latere poterit, verum omnes in apertum adducentur.*

Habentes ergo Pontificem magnum, qui penetrauit cælos, Iesum filium Dei, teneamus confessionem.

T*Eneamus confessionem.* Aliquis hîc reponat: Cum dixerit Apostolus, nos habere Pontificem magnum, Iesum Dei Filium: qui cælum penetrauit: cur à nobis præterea exigit, vt confessionem teneamus? An, vt nos quoque eius gratiâ aliquid præstatemus, nec totum tribueremus Pootifici? Peritè Theophylactus hîc: *Non totum Pontifici tribuit, verumetiam nostra requirit. Potest quidem ille; sed, si nos etiam digni fuerimus. Qualem autem confessionem hîc dicit, Quod credamus resurrectionem, & retributionem in extremo die: tum quod innumera sint illis reposita bona, & quod Christus sit Deus. Hanc confessionem teneamus, neque sinamus ipsam defluere à nobis: verùm, quæ confessi sumus in principio fidei, hæc firmiter retineamus, tum omnia terribilia pessum ibunt.*

Cur Pontificem *magnum* potius vocet, quam *sanctum*? An vt innuat esse alios Pontifices, sed minores? An quia non solùm sanctitate excellere Pontifex debeat, sed & scientia, cæterisque virtutibus, quæ sacerdotes ornant? Sanctus Gregorius Nazianzenus hæc verba Sancto Athanasio aptat, licet Paulus apertissimè de Iesu Dei Filio loquatur, vt constet eum vnumquemque esse, cuius gerit munera, cuius imitatur mores. Hæc Sancti Doctoris verba sunt: *Quid autem vobis Athanasium describere attinet, quem Paulus anteuertens depinxit, cum Pontificem illum magnum, qui cælos penetrauit, deprædicat; huc enim vsque progredi non dubitauit oratio, cum Scriptura eos, qui secundum Christum viuunt pro Christo agnoscat.*

Non enim habemus Pontificem, qui non possit compati infirmitatibus nostris: tentatum autem per omnia.

SEd quì potest nobis Christus nunc compati, 1490.
nunc condolere, cùm beatus in cœlo sit, sit impassibilis? *Respondeo,* inquit Estius, *si compati propriè accipitur; Christum non posse compati nostris infirmitatibus, nisi ampliatâ locutione, quia scilicet aliquando compassus est, nimirum in carne mortali. Nunc enim propriè non compatitur, nec condolet, nec miseretur. Sed tamen etiam hæc Christo iam in cælis regnanti tribuuntur interdum, per tropum, quatenus ad nostras infirmitates* SANANDAS PROPENSIOR EST EX EO QVOD IPSE *in hac vita mortali per omnia (sicut sequitur) tentatus fuerit.*

Potuit compati, qui voluit pati. Tentatus per omnia fuit Christus, vt suæ tentationis exemplo nostras leuiores redderet, fortiores contra illas fieremus. Quantas vires nobis addat Christi Passio, & tentatio, explicat in hunc modum Beatus Laurentius Iustinianus de Casto connub. cap. 6. vbi ait: *Non, inquit Apostolus, habemus Pontificem, qui non possit compati infirmitatibus nostris, per omnia tentatum pro similitudine absque peccato: ipsius quippe tentatio nostrarum singulare leuamen est.* DVLCESCVNT NOSTRÆ, *quum considerantur illius. Afflictiones nostræ propè nihil sunt, comparatione pœnarum eius. Propterea, qui tentantur, qui aliquo dolore cruciantur, proponant sibi exemplum sponsi; & in speculo Passionis eius, quanta indignè ab indignis dignatus est pati; considerare*

rare

re non desinant. Percipient sanè consolationem non minimam.

Qui non possit compati infirmitatibus nostris. Infirmitatis nomine, quælibet afflictiones & persequutiones, quilibet dolores significantur. Benè Ribera. *Infirmitates*, inquit idest *ἀσθενείας vocare solet Paulus afflictiones, & persecutiones, & dolores, quod ex Hebræorum locutione desumptum est, qui dicunt infirmari pro dolere. Michea 4. vbi habemus: Dole, & satage filia Sion, in Hebræo est: infirmare, & satage. Ita etiam Paulus ait 2. Corinth. 11. Quis infirmatur, & ego non infirmor?*

1491. *Tentatum autem per omnia.* Ita tamen, vt tentationes vicerit, & vincendas suo exemplo doceret, & tentatis manum præberet. Præclarè Beatus Laurentius Iustinianus de Pass. Dom. ad hæc verba spectans: *In eo, quòd tentatus est, valet laborantes à tentatione eripere. Tentatus est, inquam: nequaquam autem tentationibus cedendo, seu assensum præbendo deliquit: quin potius* SVPERANDO TRIVMPHAVIT.

Tentatum autem per omnia. Tentati hîc, vt alij etiam notauere, non est ad peccatum sollicitari, sed rebus aduersis premi & afflictari; quòd scilicet in aduersis soleat hominum virtus, constantia, firmitasque probari. Tentatum ergo dicit per omnia, idest omne genus malorum huius vitæ expertum, quæ scilicet toti generi sunt communia vt fames, sitis, lassitudo, metus mortis, mors ipsa; ita tamen vt corporis morbis minimè afficeretur, *cùm hoc malum*, inquit hic Estius *nec omnibus sit commune, nec ordinatum medium ad finem Oeconomiæ Christi.*

Tentatus est Christus & in exemplum, & vt
1492. sciremus per eum nos in tentatione victores futuros. Tentatus est; nec tamen aliquid de sua amisit magnitudine ac sanctitate: atque adeo hoc exemplo tentatum nullus debet spernere, & ab eo abhorrere. Præclarè B. Laurent. Iustian. serm. in fest. Sancti Hugonis Episc. *Apostolus inquit; Non enim habemus Pontificem, qui non possit compati infirmitatibus nostris, per omnia tentatum pro similitudine absque peccato. Proinde in eo, quod tentatus est, valet eos, qui tentantur, à tentatione eripere, restituere libertati, atque gratia condonare. Nemo igitur, quum tentatur, desperet, & à propria salutis languescat fiducia. Tentatum nullus abhorreat; quoniam* EX TENTATIONE *perficitur virtus, augetur merces, probatur anima, accrescit scientia, magnanimitas exercetur, homo interior roboratur, purgantur vitia, & merita cumulantur.*

Tentatum per omnia. Vt per omnia tentatus Christus fuerit, sic explicat B. Laurent. Iustin. lib. 1. de Spirit. animæ inter. *Verè* TENTATVS *per omnia, ô Domine Iesu, in fame & siti, in peregrinatione & exilio, in paupertate & egestate, in calumniis & opprobriis, in persequutionibus & pressuris, in irrisionibus & flagellis, in contumeliis & plagis, in proditione & venundatione, in potatione aceti & fellis, in perforatione clauorum & lanceæ; nec non in acerrima passione Crucis & mortis, vita tua corporalis consummasti agonem.*

Adeamus ergo cum fiducia ad thronum gratiæ.

ADiti gratiæ thronus ab eo debet, à mundi contagio qui abire cupit. Sanctus Ambrosius lib. de fuga sæculi cap. 4. ad hunc locum respiciens hæc habet: *Accedamus itaque fidei suffragio subnixi, & eius remigiis subleuati, ad illam sedem gratiæ, fugientes hoc sæculum;* ET EIVS CONTAGIONEM.

Ad thronum gratiæ. Ne nimia quadam, ac liberiore fiducia Deum adiremus, throni vocabulum posuit. Perpensè Ribera hîc: *Quoniam dixit: Adeamus ergo cum fiducia, ne fortè illa fiducia reuerentiam minuat, additum est, ad thronum gratiæ.* Pergit. *Dixit autem thronum gratiæ, ac si diceret, etiam in illa Maiestate, quâ sedet ad dexteram Patris, paratus est ad miserendum nostri, & ad præstandum omnia, quæ petierimus.* Igitur modestia fiduciam comitetur, comitetur reuerentia. Alioquin FIDVCIA, QVÆ SINE REVERENTIA FERTVR, NON EST FERENDA.

CAPVT V.

EPISTOLÆ AD Hebræos expenditur & illustratur.

1493 *A misericordia ac pietate Præsul commendatur, non à seueritate.*

1493 *Præsul nec nimis seuerus, nec nimis indulgens.*

1494 *Christus cur se non clarificasse sit dictus.*

1495 *Preces offerre cur Pontifici tribuatur.*

1495 *Quo sensu exauditus pro sua reuerentia sit Christus.*

1496 *Sanguinis clamor quàm magnus in Christo.*

1496 *Obedientiæ vis, virtus, vtilitas.*

1496 *Obedientia vt discenda.*

1497 *Christus obedientiam vt in nos transfuderit.*

Qui condolere poßit iis, qui ignorant, & errant.

HIc præcipiè affectus in Pontifice
commendatur, vt possit condo- 1493.
lere, & misericordiæ viscera erga peccatores ostendere. A misericordia, ac pietate sæpè Pontifex commendatur, vix aut ne vix, quidem A SEVERITATE reperies commendatum.

Qui condolere. Græcè μετριοπαθεῖν, quod aliqui vertunt *mediocriter pati*; quasi sensus sit, inquit Gagneius, Pontificem quæri, qui neque nimium indulgens sit erga peccatores, neque nimium seuerus, sed inter seueritatem, & misericordiam medius incedat, extrema vitans. Aliis magis placet, vt μετριοπαθεῖν dicatur, qui cum moderatione affectu animæ mouetur, vt moderato compassionis affectu tegatur, ac ratione circumscripto feratur sensu.

Nec quisquam sumit sibi honorem : sed, qui vocatur à Deo tanquam Aaron.

1494. QVid *honoris* nomine significat? *Pontificatum* (inquit hîc Estius) *vocat honorem quia reddit hominem honorabilem.* Vbi igitur quis adeptus Pontificatum est, statim singulari est honore colendus.

Sic & Christus non semetipsum clarificauit, vt Pontifex fieret.

APtat nunc Christo, quæ de legali Pontifice dixerat; ait igitur Christum non se clarificasse, idest glorificasse, aut honorasse, sicut legit S. Amb. nec se ad Pontificiam dignitatem euexisse. *At dices*, inquit hîc Estius, *Quomodo non semetipsum clarificauit, qui Deus erat, ac diuina potestate simul omnia cum Patre operabatur? Respondeo, Apostolum de Christo loqui secundùm eam naturam, quà Pontifex est, id est, secundùm humanam. Sic enim non seipsum glorificauit. Quamquam etiam vt filius Dei, non ita semetipsum hominem glorificauit, vt non hoc ipsum à Patre acciperet. Vnde & filium potiùs quam Patrem incarnari decuit. Si enim Pater incarnatus fuisset, non iam Christus ab alio missus ad nos venisset; nec ab alio Pontificatus honorem acciperet, sed à se ipso. Quod certè minus congruebat, vti præsens locus ostendit.*

Qui in diebus carnis suæ preces supplicationésque ad eum, qui possit illum saluum facere, à morte, cum clamore valido & lacrymis offerens, exauditus est pro sua reuerentia.

1495. QVi *in diebus carnis suæ.* Idest tempore huius mortalis vitæ; nam etiam modò Christus carnem habet, sed non ampliùs passibilem, ac mortalem. Dies igitur carnis Christi sunt quibus carni & sanguini participauit, ac in carne vixit secundùm carnis qualitates nobis notas.

Itanè summo Pontifici tribuit preces, supplicationésque offerre, cum quilibet etiam ex Sacerdotum censu eas pro se offerat? nodum hunc scitè soluit idem Estius dum ait. *Si quis obiiciat, hîc nihil peculiare de Pontifice dici, cum & laicorum sit preces pro semetipsis offerre Deo: Respondeo, non qualemcumque precum oblationem intelligi, sed eam* QVÆ SIT OFFICII PVBLICI, *videlicet, Sacerdotalis. Sicut enim sacrificia, sic & preces offerre pro populo; in quo ipse etiam Sacerdos comprehenditur, non cuiusuis hominis est, sed solius Sacerdotis. Et ad id significandum videtur Apostolus vsus vocabulo offerendi; quo & supra, quando dixit, Pontificem pro semetipso offerre.*

Exauditus est pro sua reuerentia. Mens Apostoli non fuit Christum orasse ne subiret mortem; alioquin non esset exauditus. *Sed, vt celeriter* (inquit bonus ille auctor) *eriperetur à morte, quam erat passurus; quod factum est, quando à morte ad vitam immortalem resurrexit tertio die.*

Cur potius exauditum eum dixit, *Pro sua reuerentia*, quam *Pro patientia sua*? ? Pro vtraque fuit exauditus, & patientia in tot tormentis reuerentiam eius illustriorem quodammodo reddidit.

Cum clamore valido. Et quando clamauit validè ?
An Christi clamor plusquam Stentoreus 1496.
fuit, quum sanguinem pro nobis fudit? Fuit. *Sacra*, inquit Primasius, SANGVINIS EIVS EFFVSIO, CLAMOR VALIDVS FVIT, *in quo exauditus est.* Clamauerit apud Deum effusus Abelis sanguis: grandiorem edidit clamorem innocentior Christi sanguis, & nocentius fusus.

Et quidem, cum esset Filius Dei, didicit ex iis quæ passus est, obedientiam.

EX iis, quæ passus est didicit obedientiam. Non quòd eam nesciret, sed quia experientia ipsa didicit, quam insignis obedientiæ virtus sit, & quam Deo Patri grata, quámque ingentium bonorum mater sit. *Sensus est*, inquit hîc Ribera, *cùm esset filius Dei, cui propterea immortalitas, & gloria corporis, & exaltatio Nominis sui debebatur, pati voluit, & per Passionem didicit obedientiam*, ID EST EXPERIMENTO COGNOVIT VIM, ET PRÆSTANTIAM OBEDIENTIÆ, QVAM GRATA ILLA DEO SIT, ET QVANTA BONA CONCILIET, *nam quod ei vt filio debebatur, per obedientiam Passionis meruit, & magna cum voluptate obtinuit.*

Ex iis, quæ passus, didicit Christus obedientiam: cur non discat & seruus, quod discere dignatus est Dominus? *Si Dei Filius*, inquit Beat. Laurentius Iustinianus, in Ligno vitæ, tract. 6. de Obedient. cap. 3. *obedientiam didicit per experientiam tantorum laborum*, NON DEBET HOMINI ONEROSVM ESSE HANC ADDISCERE SVI CREATORIS EXEMPLO; *& præcipuè seruis suis, qui singularis priuilegio amoris in ipsum obedientiæ stadium vocati sunt, quanquam omnes ex debito tenentur.*

Ex his, quæ passus est, obedientiam didicit: 1497.
sed non solam, misericordiam etiam didicit. Pulchrè B. Thomas à Villanoua conc. 1. de Iudic. *In eo enim, quod tentatus est & passus, ipse dignabitur & eis, qui tentantur, auxiliari; didicit enim ex his, quæ passus est, misericordiam.*

Obedientiam didicit, vt eam in nobis transfunderet, sicut inobedientiam in nos transfuderat Adam. Disertè hunc locum versat Sanctus Ambrosius in psal. 61. vbi ait: *Nonne igitur euidenter clamauit Apostolus, dicens, obedientiam illam, & humilitatem non diuinitatis fuisse, sed carnis: quod enim dicitur, temporale est. Quasi homo ergo didicit ex his, quæ passus est,* OBEDIENTIAM TRANSFVSAM IN NOS PER SVCCESSIONEM, *vt causa fieret in nobis salutis æternæ, quibus antè per inobedientiam hæreditatem, primus ille Adam causa factus est mortis; subiectio ergo magisterium salutis humanæ, non diuinæ immutatio potestatis.* Christi igitur exemplo discenda obedientia est, & re ipsa ostendendum nos eam didicisse. Alioquin,

VIX ALIQVID BONI PARERE POTERIT, QVI NON DIDICERIT PARERE.

CAPVT

CAPVT VI.

EPISTOLÆ AD Hebraos expenditur & illustratur.

1498 *Perfectionis præstantia quam auidè celeritérque appetenda.*

1498 *Iudicium cur æternum dicatur.*

1499 *Baptismus Sacramentum illuminationis cur dictum.*

1499 *Eucharistia, cæleste donum, dicebatur.*

1500 *Gustare virtutes sæculi venturi, vt hîc possimus.*

1500 *Peccatorum nostrorum Crux quàm Christo grauis.*

1501 *Quinam sint, qui in semetipsis Dei Filium crucifigant.*

1502 *Etiam laude vt ad meliora vocare alios possimus.*

1503 *Fortissima consolatio quanam sit.*

Quapropter intermittentes inchoationis Christi sermonem ad perfectiora feramur.

QVasi diceret, ait Hugo Victorinus, *non semper immorari debetis in his qua ad inchoationem pertinent sed ad perfectionem tendere.* Suam vim postremom Paulinæ sententiæ verbom, *feramur*, habet. *Non dixit*, inquit Ioannes Eusebius, *eamus, sed feramur, hoc est rapiamur, impetu proruamus, quasi aliena & supercælesti vi acti; Videmus enim in rebus naturalibus, ea celerius moueri, qua ab alio mouentur; lapis enim cum grauior sit multo quàm auicula qua aerem penetrat, celerius tamen lapis impressâ extrinsecus vi mouetur sursum, quam innatâ leuitate deorsum concitatissima volucris, nam hæc se mouet, lapis mouetur. In actibus quoque voluntatis videmus vehementiores motus esse cùm ab obiecti bonitate trahimur, quàm cum ex consultâ deliberatione intendimus. Tanta igitur est perfectionis præstantia, tam appetenda & quarenda, vt llam quæsituri potius deberemus peruolare, quā currere, potius rapi quā accedere, potius raptim ferri quā ire,*

Et iudicij æterni.

1498 ET *iudicij æterni.* Cur *iudicium æternum* vocat, cum extremum illud citissimè perficiendum sit? An æternum appellat, quia æterna præmia decernat, æternas pœnas? An iudicium pro damnatione sumit, aut pœna, quæ æternùm duratura est?

Si quidem permiserit Deus.

CVm de bonis operibus hic agatur, cur *permittendi* vsus est verbo, quum permissio malorum sit? An plus significat, quam dicit? nam,

inquit Sanctus Thomas, *non est tantùm necessarium, quòd Dominus permittat, sed oportet, quòd omnia faciat?* An non nuda permissio hoc verbo significatur, sed & concessio; ac si diceret, si Deus dederit concesseritque? Addunt aliqui hoc loquendi modo significari nostras actiones non tantùm Deum habere auctorem, vt etiam à nostra voluntate procedant Deo subordinata.

Impossibile est enim eos, qui semel sunt illuminati, &c.

AC si diceret, Impossibile est semel baptizatos iterum rebaptizari, est enim baptismus 1499
Sacramentum illuminationis, & renouationis; quod intelligitur nō tam de cæremoniis Baptismi, quàm de ea renouatione, quæ est ab ipso. Vocabaiur autem baptismus Sacramentum illuminationis, vel vt Græci loquuntur φωτισμάτων, *illuminationum*, quia per illud transtulit nos Deus de tenebris in admirabile lumen gratiæ.

Gustauerunt etiam donum cæleste

PEr *donum cæleste*, aliqui intelligunt pacem conscientiæ, quæ peccatorum remissionem sequitur, & iure cœleste donum dicitur, quæ à solo Deo est; Alij intelligunt Sacramentum Corporis, & Sanguinis Christi, quod est verè cœleste donum; & licèt sint multa alia dona cœlestia, hoc tamen omnium maximum, ac præcipuum est, vt *καθ' ἐξοχὴν cæleste donum* dicatur; solent autem Apostoli propter aures infidelium, vt alij quoque notarunt, de sanctis mysteriis non apertè loqui, sed ea tegere verbis quibusdam generalibus.

Virtutésque sæculi venturi.

GRæcè est *δυνάμεις potentias*, significat autem 1500
immortalitatem, & gloriam electis promissam; sed qui has virtutes gustare hîc possumus? Estius hîc, *Gustasse dicuntur has virtutes*, QVI EAS FIDE, AMORE, ET MAGNO DESIDERIO *perceperunt; vt spe possideant, quod re ipsa post hanc vitam sunt possessuri.*

Et prolapsi sunt.

PRolapsi *sunt*. Huius verbi vim indiscussam abire non sinit S. Thomas hîc. *Notandum*, inquit, *est quod non dicit, Lapsi simpliciter; sed, Prolapsi, idest totaliter lapsi, quia, si lapsi tantùm essent, non ita difficilè foret resurgere.*

Rursum crucifigentes sibimetipsis Filium Dei.

ITerum Dei Filium quantum in ipsis est crucifigunt, qui post Baptismi gratiam peccant, vt notabat Sanctus Thomas hîc; quam vero grauis hæc crux Christo sit, explicabat Sanctus Augustinus serm. 59. de diuersis, vbi Christum ita loquentē facit: *Cur me grauiore criminum tuorum cruce, quàm illa in qua quondam pependeram afflixisti?* GRAVIOR ENIM APVD ME PECCATORVM TVORVM CRVX EST, *in qua inuitus pendeo, quàm illa in qua tui misertus mortem tuam occisurus ascendi.*

Quinam verò sit, qui in semetipso Dei filium 1501
crucifigat, explicat S. Petrus Damianus ser. 47.

vt religio sit hîc eius verba præterire. *Vide ergo*, inquit, *ne rursus, sibimetipsi crucifigas Filium Dei, & hostem tui habeas; rursus fabricans Crucem, in qua crucifigatur ille: qui, resurgens ex mortuis, iam non moritur. Intuere, ne mortiferam Crucem efficias, in qua facias Filium Dei amaris doloribus interire. Superbia superiùs, inferiùs luxuria, à dextris prosperatio iniquitatis, a sinistris aduersitatis desperatio, spinas, clauos, & lanceam Filio Virginis repræsentant. Quum enim eleuans te & ambulans collo extento, caput Altissimi spinarum multiplicitate contorques; & hic à superioribus superari molestè fers, immò superiores potiùs superare contendis; illi similis es, qui se similem Altissimo cogitauit. Scriptum est enim: Deus superbis resistit, illis videlicet, qui cum eo ex æquo stare contendunt. Quum ponis oculos tuos vt non respicias cœlum, & voluptuosis carnis tuæ motibus moueris & traheris; durioribus clauis tuis pedes Omnipotentis transuerberas; ab inferiori infers supplicium, dum momentaneâ voluptate voluntatem Dominantis excludis. Quum prosperaris in iniquitate & fœliciori cursu rerum, peccata peccatis accumulas; clauum ponis in illius dextera, quem de suis bonis persequi non desistis. Quum verò abundantiori tristitiâ absorberis, & tuam impietatem pietati Dei præponderas; sinistram eius transfigis, & conceptum furorem furore tuæ desperationis amplificas. Denique, quum præsumis defendere, quod fecisti; lancearum ictum lateri Salvatoris intorques, nihilque grauius ingeris Crucifixo, quàm tueri, quod odit.*

Confidimus autem de vobis, dilectissimi, meliora, & vicinora saluti.

1502. COnfidimus autem de vobis, dilectissimi, meliora. Cùm non potest de præteritis eos efferre, bonam de iis se spem concepisse dicit, vt inciperent bonitati litare ac sanctimoniæ. Audiendus hîc Sanctus Ambrosius: *Quia Beatus Paulus non habuit, vnde eos, ad quos scripsit, de præsentibus laudare, incipit eos de spe futurorum consolari dicens: Confidimus, fratres, de vobis meliora, & viciniora saluti, quamuis ita dicamus, quasi diceret: Optima quidem de vobis confidimus, & quæ saluti vestræ proficiant: & quod superiùs dixi de reproba terra, combustioni proxima, non de vobis hoc diximus; quia meliora de vobis credimus. Adduxit quoque eis in memoriam præterita, vt ex præteritis eos alliceret ad bona quæque.*

Fortissimum solatium habeamus.

1503. FOrtissimum solatium habeamus: Saoctus Ambrosius legit, *fortissimam consolationem*: totúmque locum ita versat lib. 1. offic. cap. 36. *Apostolus ait: Habetis fortissimam consolationem: Est ergo fortis qui se in dolore aliquo consolatur. Et verâ iure ea* FORTITVDO *vocatur, quando vnusquisque seipsum vincit, iram continet, nullis illecebris emollitur atque inflectitur, non aduersis perturbatur, non extollitur secundis, & quasi vento quodam variarum rerum circumfertur mutatione.* Mollis, & nimis delicata consolatio, quæ à rebus terrenis est, & consolationis nomen non meretur. Scilicet CONSOLATIO IN QVA QVIS VINCITVR DESOLATIO EST.

CAPVT VII.

EPISTOLÆ AD Hebræos expenditur & illustratur.

Primum quidem qui interpretatur Rex iustitiæ.

INcipit Apostolus aptare Christo quæ de Melchisedech adduxerat, & orditur à nominis interpretatione. *Ex qua re*, inquit Estius hîc, *obiter disce* DIVINARVM SCRIPTVRARVM EXCELLENTIAM, *vt in quibus sæpè etiam nomina propria seu personarum, seu locorum non vacent à mysteriis.* 1504.

Rex iustitiæ; idest ex Hebraica phrasi Rex iustus. Geoset Caietanus Melchisedech non fuisse nomen proprium illius viri, sed commune Regibus illius ciuitatis, sicut Cæsaris nomen commune fuit Romanis Impetaroribus, & Pharao Regibus Ægypti. Eiusdem sententiæ est & Abulensis; sed hoc ab aliis meritò reiicitur, & tutius, & ad antiquorum mentem cohærentius est: Melchisedech nomen proprium viri fuisse, vt fuit & Abraham; mores tamen Regis cuiuslibet eiusmodi esse debent, vt vnusquisque *Rex iustitiæ* dici queat.

Sine

Sine Patre, ſine matre, ſine genealogia.

1505. NOn quòd abſolutè ſine patre, ſine matre fuerit Melchiſedech, ſed quia in Scripturis nulla fiat parentum illius mentio: *Sine genealogia*; ſenſus eſt, cuius genealogia nuſquam in Scripturis texitur; ſed quorſum iſtud adiecit, cum dixiſſet, *ſine patre, ſine matre*, quibus verbis genealogiam omnem iam excluſerat? An prima huius ſententiæ parte genus excluditur, à quo Melchiſedech deſcenderat, poſteriori verò, poſteri ac nepotes, quorum ipſe auctor, & princeps fuit?

Sine patre, ſine matre, ſine genealogia. Cohærent hæc ſuperioribus. Iuſtitiæ Rex audite QVI VVLT, SVORVM OBLIVISCI DEBET, tanquam ſi eos non haberet, ſanguinis nullam rationem habeat, litate qui vult iuſtitiæ.

Neque initium dierum, neque finem vitæ habens.

SCilicet in Scripturis; nam nullibi legitur quando natus fuerit Melchiſedech, nec quando mortuus, imo natiuitatis, ac mortis eius abſolutè non meminit Scriptura. Ac ſi cum de Sacerdote Dei ſummi agitur, OMNIA IN EO PVTANDA SINT TANQVAM SI NON ESSENT, quæ ex diuinæ Scripturæ præſcripto non ſunt.

Aſſimilatus autem filio Dei; manet Sacerdos in perpetuum.

1506. SEd quò in perpetuum manſit Sacerdos Melchiſedech, cum conſtet in perpetuum non fuiſſe, & diem ſuum obiiſſe? An ſimilem cum ſuperioribus hæc quoque ſententia habet ſenſum, vt in perpetuum dicatur manere Sacerdos, quia de fine Sacerdotij eius nihil in diuinis litteris ſcriptum inuenitur?

Aſſimilatus autem Filio Dei. Quæri poteſt quì Chriſto conueniant, quæ ſuperius dixerat de Melchiſedech, quomodo ſine Patre Chriſtus, quem filium Dei hîc nominat; quomodo ſine genealogia, cùm eam longa ſerie deſcribant & Matthæus, & Lucas? Aliqui reſpondent, Chriſtum quò ad naturam humanam caruiſſe patre, & quo ad diuinam matre; & genealogiam non habuiſſe, quia diuina eius generatio mente comprehendi non poſſit, non poſſit humana per naturam. Sed coactior hæc exponendi ratio cenſeri à bonis auctoribus ſolet. Eſtius ita reſpondet. *Non ſignificat Apoſtolus Melchiſedech fuiſſe typum Chriſti peculiariter in eo quòd eſt ſine patre, ſine matre, ſine genealogia, ſed in eo, quòd nec initium dierum habet, nec finem vitæ: per hoc enim æternitas manifeſtè ſignificatur Vt autem Scriptura Melchiſedech introduceret nec initium, nec finem vitæ habentem: oportuit patrem eius & matrem & genus taceri. Nam ſi horum quicquam proditum fuiſſet: iam hoc ipſo diceretur eum non eſſe principij & finis expertem. Sentit igitur Apoſtolus, per hæc omnia ſilentio ſuppreſſa, quatenus ſeruiunt æternitati ſignificandæ, Melchiſedech prætuliſſe in ſe figuram Chriſti æterni.*

Mandatum habent decimas ſumere à populo ſecundùm legem.

HIc iure aliquis quærat, cur dicat Apoſtolus Sacerdotes habere mandatum accipiendi decimas à populo, cum lex non præcipiat accipere, ſed dare. Reſpondet B. Thomas, mandatum intelligi populo datum, ſed pro Sacerdotibus conſtitutum, vt ſit ſenſus: Mandatum habent, quo populo præcipitur decimas ipſis dare, ex quo fit vt & ipſi poteſtatem habeant decimas à populo accipiendi. Alij ſimplicius reſpondent, mandatum hîc generaliter ſumi pro conſtitutione legis ſiue præcipientis, ſiue concedentis ac poteſtatem facientis; vt hoc velit Apoſtolus: Sacerdotes habere decretum legis, quo detur eis poteſtas accipiēdi à populo decimas. Ex quo loquendi modo hoc quoque colligitur, ſcilicet non minus promptum debere populum eſſe ad offerenda quæ Sacerdotibus debentur, quam ſint Sacerdotes ipſi ad accipiendum, vt nec in iſtis nimia ſit auiditas, nec in illo nimia tenacitas. 1507.

Sed cur mandatum decimatum Sacerdotibus Paulus aſſignat, cum etiam Leuitæ decimas acciperent? An id fecit, quia Leuitæ non accipiebant decimas niſi inquantum erant Sacerdotum miniſtri; ſicque non propter ipſos, ſed propter Sacerdotes dabantur Leuitis decimæ? Adduntaliqui, mandatum decimarum Sacerdotibus aſſignatum, nō Leuitis, quia hi decimas accipiebant rurſus decimandas, vt qui decimam decimæ ſolnere Sacerdotibus deberent, itaque ſoli Sacerdotes ſic accipiebant, vt non ſoluerent; ſed quia Apoſtolus de decimis loquitur, quas Sacerdotes non à Leuitis, ſed à populo accipiebant, prior exponendi ratio videtur cohærentior, licèt vtraque à Sancto Thoma offeratur.

Sine vlla autem contradictione, quod minus eſt, à meliore benedicitur.

ET non etiam maior benedici à minori poteſt, & à minus bono? ſatis enim conſtat homines Deo benedicere & maioribus fauſta homines precari. Notat Eſtius id intelligi de benedictione ſolemni, & ea quæ ex officio fit, exque data à Deo auctoritate; *Iuxta hunc modum*, inquit prodoctus auctor, *extra controuerſiam eſt, id quod minus eſt,* A MAIORE BENEDICI, *licèt contingat eum, qui vel officio, vel authoritate maior eſt, vt benedicere poſſit, alijs partibus eſſe minorem, vt ſanctitate, vel potentiâ ſæculari. Quod autem hoc modo Melchiſedech benedixerit Abraha, manifeſtum eſt ex hiſtoria, tum quia deſcribitur Sacerdos Dei altiſſimi, tum quia decimas ei dedit Abraham.*

A meliore; aliqui vertunt, *à maiore*, Interpres Theophylacti, *à potiori*; cum minus dicatur reſpectu maioris, *à maiore* dicendum videbatur; ſed & Græca vox facilè duas has notiones fert, & reipſa cohærent, quia APVD DEVM VERE MAIOR, QVI MELIOR EST, ſicut nec verè eſt magnus qui non eſt bonus, magnitudo quælibet ſine bonitate, inanis & nulla eſt.

Sed quæri hîc poteſt, cur dicatur Melchiſedech tanquam maior, Abrahæ benedixiſſe, & ab eo decimas accepiſſe, cùm & ipſe Abraham Sacer- 1509.

dos fuerit Dei altissimi, constat quippè Deo obtulisse sacrificium, quod proprium Sacerdotis est munus. Aliqui respondent Abraham vere Sacerdotem non fuisse, sed cum id nondum lege prohiberetur, licuisse tunc ei sicut & aliis promiscuè sacrificia offerre. *Sed hæc sententia*, ait hîc Estius, *potestatem sacrificandi sub lege naturæ nimium laxat. Sacerdos enim etiam ex ipsa natura pro populo constituitur, non autem quiuis ex populo. Magis verisimile est huiusmodi potestatem ad Principes familiarum aut ciuitatum pertinuisse, atque eos vel per se id muneris obiuisse, sicut fecerunt Noë, & Abraham, vel certos aliquos designasse quorum illud esset officium.* Quì ergo soluitur dubitatio iam proposita? subdit vt soluat idem auctor. *Potius ergo dicendum videtur, Abraham, vt Prophetam, agnouisse in Melchisedech panem & vinum offerente, singularem quandam figuram Christi Sacerdotis, quam nec in se, nec in aliis Sacerdotibus agnosceret, & hac causâ veneratum fuisse eum oblatione decimarum & acceptione benedictionis, tanquam se maiorem. Nam & inferior Sacerdos à superiore benedictionem accipit: vt Presbyter ab Episcopo. Et vsus fidelium habet, vt benedictionem petant ab Episcopo vel Sacerdote, tametsi non suo. Non enim ad hunc actum iurisdictio necessaria est. Sic igitur & decimas obtulit honoris causâ, non debiti: & quidem vt minor, non tamen vt subiectus. His accedit quòd Melchisedech non depingitur nobis qualiscunque Sacerdos, sed Pontifex, siue (vt in Canone Missæ recitatur) summus Sacerdos. Neque enim Christus vocaretur secundùm ordinem Melchisedech Pontifex, seu Princeps Sacerdotum, Græcè ἀρχιερεὺς vt habetur in fine capitis præcedentis, & alibi: si Melchisedech Pontifex non fuisset: Ex quo apparet eum ita fuisse Sacerdotem, vt etiam aliis malis quibusdam Sacerdotibus præesset. Quod non mirum: si quidem Rex erat. Item, fuisse nominatum ac celebrem Sacerdotem, ad quem sacrificij causâ multi aliunde confluerent, vt ob hæc non immeritò Abraham, qui Sacerdos erat, non Pontifex, nisi suæ familiæ Sacerdos: illum velut se maiorem ac digniorem honorandum putauerit.*

Quoniam tu es Sacerdos in æternum secundum ordinem Melchisedech.

1510. ET quì in æternum Sacerdos Christus est? Quia semper Sacerdos est, vt nec ipse cuiquam successerit, nec ipsi quisquam successurus, nec vnquam eius transferetur Sacerdotium; & etiam quia tanquam Sacerdos pro nobis interpellat apud Patrem; Addit Estius; *nec verò hæc interpellatio est sine oblatione, quæ & ipsa ad Sacerdotis officium pertinet: Nam continuò* SEIPSVM HOMINEM, ET VVLNERVM SIGNA *quæ passus est, exhibet atque offert Patri pro salute electorum.* Vt Sacerdotis officium obire in cœlo ipso videatur.

Nihil enim ad perfectum adduxit lex.

CVr nullum ad perfectum lex adduxerit, ita exponit Sanctus Ambrosius in cap. 6. Apocalypsis: *Scribit*, inquit, *Apostolus Paulus, quia nullum ad perfectum adduxit lex. Nullum scilicet eorum, qui eam carnaliter intelligunt, & operantur, ad perfectionis culmen sine dubio erigit.*

Semper viuens ad interpellandum pro nobis.

SEd quomodo pro nobis adhuc Christus interpellat Patrem, cum Pater dederit ei om- 1511.
nia in manus, quòd præsertim humilitas orantis cum gloria regnantis cohærere non videatur? Respondet Sanctus Thomas, Christum pro nobis interpellare, tum quia assumptam pro nobis humanitatem Patri repræsentat, tum quia sanctissimæ animæ suæ desiderium, quod pro salute nostra habuit, exprimit. Nimirum etiam IN REGNO ORANTIS HABITVM CHRISTVS PRÆFERT; pro nobis postulat & nos in exilio pro nobis orare negligimus?

Præterea *interpellationis* nomine, non ipsa tantùm Christi postulatio significatur, sed vt notauit Rupertus, eius passionis, quæ semel suscepta, semel pro nobis in sacrificium oblata est, ÆTERNA COMMEMORATIO; In cœlo Passionis commemoratio semper fit, cur non iustius in terris fiat?

Talis enim decebat, vt nobis esset Pontifex; sanctus, innocens, impollutus, segregatus à peccatoribus, & excelsior cœlis factus.

SEgregatus à peccatoribus. Licèt inter peccatores vixerit, segregatus tamen à peccatori- 1512.
bus fuit; quia eorum mores non est imitatus, vt Pater ad filium dixerit: *Ita inter peccatores versatus es, quasi* INTER ANGELOS VERSARERIS. quod extat apud S. Ambrosium in psal. 40.

Segregatus à peccatoribus. Cur potiùs ipse à peccatoribus segregati dicitur, quàm peccatores ab ipso? Respondet Alfonsus proleg. 11. can. 39. *Vbicunque separatio inter bonos & malos facta legitur in Scripturis, semper boni secesserunt à malis; & non mali à bonis:* QVIA SEMPER DIABOLVS DESIDERAT INFIDELES SVOS CVM FIDELIBVS MIXTOS, VT EOS CORRVMPANT: *Christus verò semper festinat, fideles ab infidelibus separare, ne fideles conuenientes cum infidelibus corrumpantur ab eis; quia procliuius est, bonos à malis contaminari; quàm malos à bonis iuuari. Vnde, Iudæi cum essent in captiuitate, Deus per Prophetam, non ad Assyrios dicit: Exite, exite de medio populi mei, sed ad populum suum, Exite; exite de medio eorum: & immundum ne tetigeritis, quia malum coinquinat bonum; bonum autem non coinquinat malum, vt puta: iunge lutum farinæ, non farina sordidat lutum; sed lutum farinam. Item iunge acetum vino, non vinum corrumpit acetum; sed acetum vinum, nec enim corrumpi potest ab alio, quod naturaliter à seipso corruptum est.*

Excelsior cœlis factus. Mirum, quod *Factus* 1513.
dixerit, non, *Existens*, vt statim proderetur de Christo tamquam de homine loqui; quod notauit etiam S. Bernard. ser. 78. in Cant. *Hinnulus est*, inquit *paruulus est, capreæ quoque similis perhibetur tanquam factus ex muliere: attamen super montes Bethel, attamen excelsior cœlis factus. Non dicit, Excelsior cœlis manens vel existens, sed, Excelsior cœlis factus, ne quis putet de illa natura dictum, in qua est qui est. Sed &, vbi præfertur Angelis, melior nihilominus perhibetur effectus; & non dicitur, manens vel existens melior. Ex quibus apparet, quod non modò in eo, quod ab æterno est; sed etiam in eo,*

quod

quod in tempore factus est, omnem sibi eminentiam vendicet, supra omnem principatum & potestatem, supra omnem denique creaturam.

Hoc enim fecit semel se ipsum offerendo.

PRonomen *hoc* non totum refert, quod præcessit, sed illam dumtaxat partem, *offerre pro peccatis populi.* Nam quomodo pro suis offerret, qui ab omni peccato semper immunis fuit? sed cur dictum est *semel*, cum constet quotidie per manus Sacerdotis se in Missæ sacrificio Christũ Deo Patri offerre? *Breuiter respondeo*, verba sunt Estij, ad hanc difficultatem, *sermonem hic esse de oblatione*, QVÆ PER SE SIT EFFICAX AD TOLLENDA PECCATA; CVIVSMODI SOLA EST CRVENTA CHRISTI OBLATIO IN CRVCE; *& per incruentum Missæ sacrificium salutarem virtutem sacrificij in Cruce peracti quotidie nobis applicari in remissionem peccatorum, quæ à nobis quotidie committuntur.*

CAPVT VIII.

EPISTOLÆ AD Hebræos expenditur & illustratur.

1514 *Sacerdotis munus Christus in cælo vt exerceat*

1515 *In cælo quænam munera Christus pro nobis offerat.*

1515 *Humanæ salutis desiderium in Christo.*

1516 *Nouum Testamentum veteri perfectius.*

1517 *Christus cur nihil in membranis scriptum reliquerit.*

1518 *Illorum Deus, Deus est, quos in peculiarem tutelam recipit.*

1518 *Christi fides, quàm facili negotiò hominibus possit persuaderi.*

Sanctorum minister, & tabernaculi veri, quod fixit Dominus, & non homo.

1514. QVo pacto is, quem consedêre dixerat ad dexteram Diuinæ Maiestatis in cœlis, minister dicitur; præsertim cum ministri non sit sedêre, sed stare? In Græco pro *Minister* est vox λειτουργὸς, quæ de eo dicitur, qui sacris operatur. *Sentit igitur Apostolus* (inquit hîc Estius) *Christum non ita sedere, & regnare cum Patre in cælo, quin adhuc Pontificem se nostrum meminerit*, & VT PONTIFEX IN COELO TANQVAM IN SANCTIS LOCIS ET IN TABERNACVLO MINISTRET; ID EST, PONTIFICIS OFFICIVM AGAT PRO NOBIS APVD DEVM, *videlicet interpellando, & humanitatem, in qua passus est, illi repræsentando; atque etiam verum per ministros, & vicarios suos Sacerdotes offerendo sacrificium.*

Omnis enim Pontifex, ad offerendum munera & hostias, constituitur.

ET quid habet Christus quod offerat? cum hîc esset obtulit munus, id est, Eucharistiam in cœna nouissima, obtulit & hostiam, id est, seipsum in cruce; nunc verò quid offert, cum in æternum Sacerdos sit? offert idem munus Eucharisticum per vicarios suos Sacerdotes, quin & seipsum repræsentat Patri tanquam hostiam, ob quam causam ipsa etiam Passionis suæ vulnera patentia suo in corpore reseruauit.

Vnde necesse est, & hunc habere aliquid, quod offerat.

AC si diceret: Christus etiamnom in cœlo Pontificem agit, & munera offert. Sed 1515.
quæ? Seipsum vt hominem, sicut in ara Crucis se obtulit Patri. Offert prætetea seipsum adhuc in terris per ministros suos Sacerdotes. *Christus igitur*, inquit Estius, *mortalis quidem obtulit munus. id est, Eucharistiam in cæna nouissima: obtulit & hostiam seipsum in Cruce. Nunc verò immortalis offert idem munus Eucharisticum ab ortu Solis vsque ad occasum per vicarios suos Sacerdotes:* OFFERT ET HOSTIAM, *quia seipsum olim in Cruce suspensum, vulneratum & occisum adhuc pro nobis in cælo sistit, ac repræsentat Patri: propter quam causam ipsa etiam* PASSIONIS SVÆ VVLNERA PATENTIA SVO IN CORPORE RESERVAVIT.

Habere aliquid, quod offerat. Non quidem pro se, sed pro suis. Oblatione non indiget ipse, nos indigemus. *Offert carnem*, inquit B. Dionysius Carthusianus, *quam propter nos immolauit, quam & incessabiliter pro nobis Patris conspectui præsentat* CVM DESIDERIO NOSTRÆ SALVTIS. Carnem suam pro nobis Patri offert, hoc veluti signo demonstrans, quanto nostræ salutis desiderio teneatur.

Nam si illud prius culpâ vacasset, non vtique secundi locus inquireretur.

PRobat nouum Testamentum veteri melius esse; ac si diceret; cum nouum in veteris defectum constituatur, sequitur vt melius, ac perfectius priore illo sit. *Culpa vacasset.* Ex 1516.
Græco: *irreprehensibile erat*; negatur autem vetus Testamentum eiusmodi fuisse, in quo nihil esset, quod posset reprehendi, quoniam imperfectum ab hac parte erat; vtpote quòd subditos suos sanctificare non valeret.

Et consummabo super domum Israël, & super domum Iuda Testamentum nouum.

CVr hîc nulla Ecclesiæ Gentium mentio fit? fit, nam vt notatum ab aliis est, *Apostoli, ac cæteri, qui primi ex Iudæis in Christum crediderunt, magistri sunt, ac veluti patres, atque primitiæ eorum omnium, qui postea perducti sunt ad legem Christi, vt quod illis promissum est, ac præstitum, etiam filiis eorum vndecunque ad fidem colligendis promissum, ac præstandum intelligatur.*

In die, quâ apprehendi manum eorum, vt educerem illos de terra Ægypti.

1517. DIem posuit pro tempore, vsitata sacræ Scripturæ phrasi, ac si diceret, quo tempore eos velut apprehensâ manu eduxi de Ægypto, vbi durâ premebantur seruitute. Hoc autem adiecit, *non tam*, inquit Estius, *vt tempus prioris pacti designet, quàm vt beneficij commemoratione ostendat ingratitudinem populi, cum quo pactum illud inierat. Hac enim cum exprobratione dicuntur pacti non seruati, quemadmodum patet ex eo, quod sequitur: Quoniam ipsi non permanserunt in testamento meo.*

Dando leges meas in mentem eorum, & in corde eorum superscribam eas.

SEnsus est: Legem meam eorum animis inseram, efficiámque vt eam cognitam opere compleant. Quod numerosè Paulus dicit *leges*, respicit ad plura vnius Decalogi præcepta. Addit: *Et in corde eorum superscribam eas*, vt sit allusio ad tabulas lapideas, quibus Testamenti veteris lex inscripta fuerat. Hæc noui Testamenti gratia est, ad quam commendandam, vt S. Chrysostomus notauit, Christus Dominus nihil in membranis, aut chartis scriptum nobis voluit relinquere, ne his adminiculis ad imprimendam in animis nostris legem suam opus habere videretur. Quin nec eius Apostoli, nisi serò admodum id, & propter absentes, ac posteros aliquid chartis consignarunt.

Et ero eis in Deum, & ipsi erunt mihi in populum.

1518. ET potest Deus non esse illorum Deus, qui omnium est? sensus horum verborum est: Ego teipsa me declarabo esse eorum Deum, in tutelam meam eos recipiam, ego me affectu præstabo illorum Deum, beneficentiâ meá eos complectar, & illi me vt Deum suum colent, & mandatis meis obedient. Quid grandius homini Deus polliceatur, quam si in Deum illi se futurum dicat?

Et non docebit vnusquisque proximum suum.

ET quando hoc impletum? numquid non etiam in nouo Testamento opus est vt rudes cuiusque ætatis per doctiores erudiantur? Aliqui vt difficultatem effugiant id ad illud tempus transferunt, quo in cœlesti Patria Dei visione beabimur, & tunc docendi cessabit cura, quia aberit discendi necessitas. Sed præstat hanc quoque partem præsenti tempori aptare. Alij igitur negari his verbis putant laboriosam institutionem, eò quod facili negotio Christi fides hominibus persuadeatur. Estius ad hunc sensum vocat hæc verba: *Inter eos omnes quibus feriam Testamentum nouum, nullus erit qui proximum seu fratrem suum, videlicet eiusdem populi ciuem, eiusdémque testamenti consortem, doceat notitiam, amorem, & obseruantiam mei. Nec sanè opus erit. Omnes enim illi (quorum quidem erit maxima, longéque ac latè diffusa multitudo) cognoscent, amabunt, obseruabunt me. Ratio manifesta ex præcedentibus Testamenti verbis; quia legem meam habebunt inditam, & inscriptam in cordibus suis. Item quia, secundum alterum Prophetam, erunt docti à Domino; & secundum Ioannem, habentes vnctionem magistram à sancto.*

CAPVT IX.

EPISTOLÆ AD Hebræos expenditur & illustratur.

Tabernaculum factum est primum, in quo erant candelabra.

MIRVM quòd dicat Apostolus in priore tabernaculo fuisse *candelabra*; cum in descriptione, & 1519.
structura tabernaculi Exod. 25. vnius tantum candelabri mentio fiat. S. Thomas, & Lyranus respondent vnum fuisse candelabrum quantùm ad stipitem, sed plura quantùm ad ramos, seu calamos, è stipite surgentes, qui fuerunt numero septem, in quibus ponebantur totidem lucernæ. Et verò si textum ipsum Græcum adeamus, nulla apparet difficultas, cum Græcè singulari numero legatur, λυχνία *candelabrum*, eadem scilicet voce, qua vsi sunt LXX. in Exodo.

In

In qua vrna aurea habens manna; & virga Aaron, quæ fronduerat, & tabulæ Testamenti.

QVì hoc cohæret cum illo, quod habetur. 3. Reg. 8. 9. *In Arca autem non erat aliud nisi duæ tabulæ lapideæ?* An ideo solæ tabulæ intra Arcam; quia vrna & virga in latere Arcæ erant, vel iuxta Arcam; vt *In* sumatur pro *Iuxta*?

Mannæ, virgæque vicinitas docet lenitate rigorem temperandum, miscendam benignitatem seueritati. Benè de hac re S. Gregorius lib. 20. Moral. cap. 8. vbi hæc habet: MISCENDA EST ERGO LENITAS CVM SEVERITATE, FACIENDVMQVE QVODDAM EX VTRAQVE TEMPERAMENTVM: *vt neque multâ asperitate exulcerentur subditi, neque nimiâ benignitate soluantur: hoc nimirum illa tabernaculi Arca significat, in qua cum tabulis virga simul ac manna est: quia cum Scripturæ sacræ scientia est in boni rectoris pectore, si est virga districtionis, sit & manna dulcedinis.*

Christus autem assistens Pontifex futurorum bonorum per amplius, & perfectius tabernaculum non manufactum, idest non huius creationis.

1520. PEr hoc tabernaculum, Virginis vterom designari multorum sententia est. Sed cur, *Non huius creationis* esse dicitur? Quia in eo NEC OOOR GENERATIONIS INFECTÆ (inquit ille) *inuentus est*; adeò vt quicquid in illa erat, Diuinæ correspondere arti; non humanæ generationi, quæ maculam secum solet vehere.

Assistens Pontifex. Paulo aliter hunc locum legit Sanctus Chrysost. dum ait: *Christus autem veniens Pontifex*; quam lectionem, totúmque locum sic expendebat hom. 15. in hanc Epistol. *Christus autem, inquit, veniens Pontifex. Non dixit, factus; sed, veniens, hoc est, ad hoc ipsum veniens, non alij cuipiam succedens. Non primò aduenit, & tunc factus est. Et non dixit adueniens Pontifex hostiarum; sed bonorum, quæ facta sunt: veluti non valens sermone vniuersa promere.*

Neque per sanguinem hircorum, aut vitulorum, sed per proprium sanguinem introiuit semel in Sancta, æternâ redemptione inuentâ.

AC si diceret: Sacerdos Aaronicus intrabat in Saocta Sanctorum manufacta cum sanguine hircino, & vitulino; Christus intrauit per propriom sanguinem io Sancta cœlestia, io quibus verbis, *tacitè*, vt notat Estius, *nobis insinuat Apostolus* AMORIS CHRISTI PONTIFICIS NOSTRI ERGA NOS MAGNITVDINEM; *Quod & proprium Corpus, & proprium Sanguinem impenderit nostræ saluti, est enim emphasis in voce proprium, quam adhuc* [illegible] *expressit Interpres Syrus dicens: cum sanguine animæ suæ.*

Aeternâ redemptione inuentâ. Dato sui sanguinis pretio æternam, hoc est veram, solidam, æternúmque mansutam nobis redemptiooem acquisioit, adeo vt altera redemptione non sit opus. Vel *æternam* dicit, quòd æterna hæreditas illa, illa gloria sit, quæ parata nobis est. Sed cur *inuentam* dicit? An quia, vt notauit Sanctus Chrysostomus, res difficilis, & pretiosa erat, quámque nemo alius reperire potuisset? An ideo, vt significet Christum esse salutis nostræ authorem, nam qui res nouas inueniunt, earum authores dicuntur?

Si enim sanguis hircorum, & vitulorum, & cinis vitulæ aspersus inquinatos sanctificat ad emundationem carnis.

SAnguis animaliom ad expiatiooem quidem peccatorum legalem erat, non tamen peccati maculas à conscientiâ auferebat. Cinis quoque vitulæ immunditiam tollebat exteroam, & legalem, quâ impediebantur homines, ne aut sacris interesseot, aut cum aliis conuersarentur; animæ autem puritati nihil conferebat, vt notauit etiam Estius hîc, vbi hoc quoque addit. *Ceterùm, illud lectorem non turbet, quod hoc locò tauros dicat Apostolus, quos paulo ante vitulos; ac rursus, quod vitulum, seu iuuencam nominet, quam Moyses vaccam appellat; nam in his propter ætatum confinia frequenter alterum prò altero ponitur.* Quod exemplis firmat, vt videre apud ipsum est.

Quanto magis Sanguis Christi, qui per Spiritum Sanctum semetipsum obtulit immaculatum Deo?

PEr *Spiritum Sanctum.* In Græco legitur: *Per spiritum æternum.* Syrus: *Per spiritum æternitatis.* Fuit qui hunc locum de spiritu creato Christi est interpretatus, idest vel animam, vel voluntatem eius humanam; sed cohærentius de Spiritu increato, qui est tertia in diuinis persona, id accipitur. Sed cur Christi oblatio Spiritui Sancto tributa est? Quia opera bonitatis, nostræque sanctificatioois solent Spiritui Sancto appropriari. Significat ergo Apostolus his verbis, Christum mouente eum, & excitante Spiritu Sancto semetipsum obtulisse Deo, velut hostiam immaculatam, idest ab omni sorde peccati liberam.

E mundabit conscientiam nostram ab operibus mortuis, ad seruiendum Deo viuenti.

VIuenti Deo seruire qui vult, ab operibus mortuis immunis esse debet. Sed quænam opera mortua Apostolus appellat? *Opera mortua vocat*, inquit hîc Estius, *peccata, quia nimirum finis, & stipendium illorum mors est.* 1521.

Vbi enim testamentum est, mors necesse est intercedat testatoris. Testamentum enim in mortuis confirmatum est.

SIcque mori debuit Christus, vt qui vocati sunt, hæreditatem consequerentur, ac possiderent, quæ testamento erat promissa. Sed reponat hîc aliquis: Igitur nec Testamentum nouum valuit ante Christi testatoris mortem; quod si ita est, quomodo tam multi ante eius mortem;

mortem, imo & aduentum iustificati fuere? *Respondeo*, inquit Estius, qui hanc difficultatem vidit, *valuisse testamentum propter præscientiam, & acceptationem Patris, quâ mortem Filij sui futuram aspiciens, acceptauit vt factam; non sic quidem vt omnes testamenti partes impleret in electis, Christi mortem præcedentibus, sed vt eas saltem, quas impleri contingit in hac vita, vt sunt omnes partes iustificationis nostræ; nam cœlestem hæreditatem cuique dari ante mortem, & glorificationem Christi, nequaquam fuit conueniens.*

Necesse est ergo exemplaria quidem cœlestium his mundari, ipsa autem cœlestia melioribus hostiis, quàm istis.

DE mundatione tabernaculi, & vasorum ministerij, ac cæterorum loquitur, quæ vocat *exemplaria*, quæ ab immunditia corporali, & externa mundabantur vitulorum, & hircorum sanguine. Sed quid per cœlestia intelligit, quæ ipsa quoque mundentur, idque hostiis melioribus? Per *cœlestia* S. Thomas, & alij, cœlum, cœlestémque patriam, & habitationem intelligunt. Sed statim se dubium offert, quomodo hæc cœlestia emundatione indigeant, cum ab omni sint labe, maculáque immunia? Acuta, nescio an ita solida sit Riberæ solutio. Sentit enim per hæc cœlestia cœlum ipsum rectè accipi, id est, tabernaculum cœleste, ac domicilium Beatorum, quod pollui dicitur hominum peccatis, quatenus illa in cœlum ascendentia, sicut Scriptura loquitur, teterrimo suo odore Deum cœli habitatorem grauiter offendunt, ipsúmque eius habitaculum quodammodo inficiunt. Emundari vero dicuntur, cùm per sanguinem Christi peccatorum fœtor tollitur, ac Deo placita opera ab hominibus exercentur; sicque cœlo restitui censetur ablatus honor. Ex quo colligas, quàm Deo peccati displiceat odor, vt quæ figuratè, ac metaphoricè in cœlum peccati imaginem personámque referentia ascendere dicuntur, tam studiosè Christi sanguine sint expianda. Multa, si litteræ stetur contra hunc explicatum adducit Estius, quæ videri apud ipsum possunt.

Alij aliter exponunt. S. Thomas, & Lyranus hanc cœli emundationem declarant ex analogia mundationis tabernaculi Mosaici; sicut enim tabernaculum illud dicebatur emundari, non quòd ipse haberet in se aliquam immunditiam, sed quia tollebantur quædam irregularitates, seu legales immunditiæ, quibus homines impediebantur, quò minus ad tabernaculum ipsum accederent, ita dicunt iuxta Apostolum mundari cœlestia, quatenus homines à peccatis mundantur, quibus ab ingressu cœlestis Regni impediuntur. Addit Estius: *Quod si per cœlestia totam Ecclesiam placeat intelligi, quæ ab Apostolo Gal 4. vocatur Ierusalem quæ sursum est, mater nostra: & Apoc. 21. dicitur descendere de cœlo, quia nimirum meditatione, & studio semper in cœlis versatur, etiam quâ parte peregrinatur in terris: percommodè reddi poterit huius loci iste sensus: Ipsa cœlestia, id est, tota Ecclesia tam triumphantem quam militantem complectens, mundatur, id est, munditiam ac sanctitatem suam omnem continuò accipit ab hostia meliore, quæ est Christus in Cruce oblatus. Non enim ita Christus Ecclesiam suo sanguine mundat, vt mundare aliquando desinat: si mundare est munditiam & sanctitatem impertiri: sed semper id facit, ac facturus est. In eo quod dicit Apostolus, melioribus hostiis, cum de vna Christi hostia loquatur: enallage numeri est, ad quam inuitabat numerus pluralis præcedens.*

Non enim in manufacta sancta Iesus introiuit exemplaria verorum, sed in ipsum cœlum, vt appareat nunc vultui Dei pro nobis.

AC si diceret: In cœlum Christus introiuit, 1522.
vt vultui se Dei pro nobis sisteret, sicque pro nobis semper interpellaret, & hostiam semel oblatam Patris oculis obiiceret, & pro hominum salute semper offerret; quod enim negat statim Apostolus, Christum sæpius offerre se ipsum, de ea dicit oblatione, quæ per se valeat ad propitiandum Deum, qualis sola est illa, quâ se in Cruce obtulit, vt notauit Estius; signatè vero nunc dixit, vt indicaret, se nostri causa Patris oculis obiici, cum antequam esset homo sui causâ sese Patri obiiceret. Huc spectauit S. Cyrillus Alexandrinus lib. 10. in Ioannem cap. 39. vbi ita scribit: *Non solùm voluit ab interitu, & peccato nos liberare, verumetiam ad ipsos cœlos reducere, ac summi boni participes facere, in Angelorum consortio numeratos. Et quemadmodum per resurrectionem suam mortem destruxit, sic coram ipso Patre collocaret. Quæ rectè intelligens Paulus dicit: Non enim in sancta manu facta Christus introiuit, nec in exemplaria verorum: sed in ipsum cœlum, vt appareat vultui Dei pro nobis. Audis quia quum sit semper cum Patre propter identitatem substantiæ non pro se ipso, sed pro nobis Patri apparet. Ita quum ipse sit primitiæ generis nostri, quando in cœlum cum carne ascendit, coram Patre (vt modo dixi) nos constituit. Et sicut, quamuis secundum naturam vita sit, mortuus tamen propter nos fuit. Ita etsi Patrem semper ipse videat, ab eóque videatur: nunc tamen, id est, posteaquam homo factus est, apparuisse illi, non propter se, sed propter nos vt homo, dicitur.*

Et quemadmodum statutum hominibus semel mori.

OBiici Paulo potest, quod legamus plerosque bis mortuos, cùm semel resuscitati ad mortalem fuerint vitam, id est, rursus morituri. Sed in promptu solutio est; Apostolum scilicet loqui de lege ordinaria; nam quòd aliqui mortui denuò huic vitæ redditi fuerint, singulare fuit, & extra legis ordinariæ legem ac morem.

Sic & Christus semel oblatus est ad multorum exhaurienda peccata.

CVr *multorum* dixit, & non *omnium*, cùm in omnium salutem Christus venerit, passus, & mortuus sit? *Breuis*, inquit hîc Estius, *& bona responsio est, Christum quantùm ad sufficientiam Passionis attinet, omnium hominum peccata tulisse; quia valebat ad omnium redemptionem: quantùm vero ad* EFFICIENTIAM, NON OMNIVM, SED MVLTORVM. *Non enim omnes per eam redempti sunt, & saluati, sed solùm electi.*

CAPVT

CAPVT X.

EPISTOLÆ AD *Hebræos expenditur & illustratur.*

1523 *In Missæ sacrificio repetita oblatio cur perfectioni non præiudicet.*

1524 *Pœnitentia locus minimè clausus.*

1525 *Peccatores vt in seipsis propriam hostiam immolandam, habeant.*

1525 *Hostia pro peccato, quo sensu relicta non sit.*

1526 *Iudicis aduentus quàm grauis peccatoribus futurus.*

1526 *Ignis Purgatorij æmulatio ignis Inferni dicitur.*

1526 *Igni cur zelus tributus.*

1526 *Incidere in manus Dei viuentis, quibusnam sit horrendum.*

1526 *Præclaris initiis extrema debent respondere.*

1527 *Alienas afflictiones nostras putemus.*

1527 *Tentationes alacri, & parato animo nihil esse videntur.*

1527 *Bonorum temporalium iacturam fortiter ferre, quàm sit magnum.*

1527 *Vincula & tribulationes pro nihilo habenda.*

1528 *Fiducia ac spes res promissas videtur manutenere, ac possidere.*

1528 *Iustus ex fide viuere vt dicatur.*

Per singulos annos eisdem ipsis hostiis, quas offerunt indesinenter, nunquam potest accedentes perfectos facere, alioquin cessassent offerri.

1523. SENSVS est: ex eo quòd veteris Testamenti sacrificia singulis annis eadem offerenda erant, nec inquam recurrentibus annis offerri desinebant, sequitur vt cultores suos perficere non potuerint, nam cessare debuissent, si potuissent offerentes facere perfectos: semel enim per illorum oblationem sanctificati, & à peccatis mundati cultores, nullam amplius haberent conscientiam peccatorum. Sed hîc hæreticorum insurgat perfidia, & pari ratione Missæ sacrificium euertent, contendentes nullam habere vim sanctificandi, nec esse propitiatorium, quia alioquin iam cessasset offerri, nec quotidie Deo, vt fit, sisteretur. Multus in huius dubij solutione Estius est; & varias bonorum Auctorum responsiones affert. Hæc præcipua, oblationem sacrificij nostri quotidiani non esse diuersam ab illa, quâ Christus semel obtulit seipsum in Cruce, sed vnam, & eandem. Idem enim Christus, qui semel obtulit seipsum cruentè, quotidie in mysteriis incruentè per manus Sacerdotum offertur non alia, atque aliâ oblatione, sed vnius, & eiusdem oblationis semel factæ commemoratione. Sed adhuc veritatis hostis reponat. Licèt res oblata sit eadem, oblationes tamen diuersas esse, vtpotè actiones inter se distinctas. *Respondetur*, inquit Estius, *in quotidiano Missæ sacrificio actiones quidem, vt in se ipsis considerantur, esse diuersas, & proinde oblationes multas; imo & sacrificia multa, si sacrificij nomine intelligas non rem oblatam, sed actionem offerentis. Verum omnes illas, siue actiones, siue oblationes, reputari debere tanquam vnam, eo quòd omnes ad vnam referantur ex qua dependent; omnes, inquam, incruentæ, ad vnam cruentam quæ facta est in Cruce; à quâ omnem suam vim & efficaciam hauriunt: perinde vt Sacramenta noui Testamenti. Sicut enim per ista nobis applicatur, & ad nos deriuatur salutaris virtus Passionis Christi: sic & per oblationem sacrificij Missæ; non solum in remissionem peccatorum quæ à nobis quotidie committuntur, verum etiam ad alia diuina gratiæ beneficia consequenda: idque eo magis quòd hoc sacrificium, ex institutione Christi, commemoratiuum sit illius vnici sacrificij, quo se ipsum pro nobis obtulit in Cruce. At verò sacrificia veteris Testamenti, vt talia non referebantur ad vnam aliquam oblationem, à quâ vim sanctificandi acciperent; ne quidem ad sacrificium Crucis sic enim ad nouum Testamentum pertinuissent: sed singula per se ac seorsim exhibebantur, pro vt habebat institutio veteris Testamenti. Itaque simpliciter, & multa erant. Et ad sanctificandum inutilia. Ex his igitur iam intelligi potest, quomodo rectè colligat Apostolus inefficaciam sacrificiorum veteris legis, ex eorum repetitione: & cur simili argumento non expugnetur efficacia quotidiani Sacrificij Missæ. Nam illa vetera repetebantur vt diuersa, nec ad vnum aliquod sacrificium, ex quo dependerent, & vnde vim suam acciperent, ordinata. Sacrificium autem Missæ non offertur vt diuersum à sacrificio Crucis, sed vt vnum cum eo. Semper enim offertur in illius commemorationem, vt nouerit Sacerdos non aliunde quam ex illo vno sacrificio, quod in Cruce oblatum est, quotidiani sui sacrificij fructum esse expectandum.*

In capite libri scriptum est de me, vt faciam, Deus, voluntatem tuam.

VT multæ sint loci huius expositiones, illa facilis, quæ ad hunc sensum vocat hæc verba: in libri inuolucro, & volumine de me scriptum est, vt faciam voluntatem tuam Deus: nam Græcè est ἐν κεφαλίδι βιβλίου, & Græca vox κεφαλὶς capitis tegmen, & inuolucrum etiam significat. Illam autem præcipuè voluntatem intelligit, qua Deus statuerat per Filij sui Incarnationem, & Passionem electos suos sanctificare.

Voluntariè enim peccantibus nobis post acceptam notitiam veritatis, iam non relinquitur pro peccatis hostia.

NOtat Estius non de quocumque peccato hunc locum esse accipiendum, *sed de pec-* 1524.

cato

cato Apostasia quâ fides, & Religio Christiana semel suscepta prorsus abiicitur. Nec pœnitentiæ omnem locum claudit, sed tantùm significat ægrè qui hoc modo peccant ad veram pœnitentiam adduci: *Vt autem*, subdit Estius, *grauitatem peccati, de qua loquitur Apostolus magis agnoscas, cogita eum loqui pro eo tempore quando plerique ætate iam adulti ad Baptismum accedebant, priùs diligenter instructi, & cathechizati in doctrina fidei. Quorum vtique peccatum, si posteà defecerunt à fide, multo grauius erat, quàm nunc sit eorum, qui in infantia baptizati, nec postea admodum instructi, Catholicam fidem deserunt, & ad hæreses deflectunt.*

1525. *Non relinquitur hostia pro peccato.* Cur voluntariè peccantibus non relinquitur hostia pro peccato? An salutis ostium peccatoribus occluditur? Minimè; hostiam quoque habent, sed in se ipsis, imo se ipsos: non aliena hostia mactanda, sed propria; rem ita versat S. Bernardus serm. 25. ex variis: *Quomodo tamen maledictum à labiis suis non liberat spiritus, aut voluntariè peccantibus non relinquitur hostia; nisi, quia non ille denuò crucifigitur Christus, neque complantatur iterum similitudini mortis eius per Baptismum. Propria iam in eo lacrymarum vnda exigitur, propriam baiulare crucem, propria mortificare membra, & PROPRIAM IMMOLARE HOSTIAM NECESSE EST.*

Iam non relinquitur pro peccatis hostia. Hic locus sic solet exponi. Post Baptismum, & cognitam fidei veritatem, in grauia peccata relapsis iam non est reliquum tale remedium, quale Baptismus est, adeo vt à pœna, & culpa liberentur sine illa conditione, ac lege satisfactionis obeundæ vt in Baptismo fit. Estius hunc locum hoc donat explicatu: *Quod dicit Apostolus tale esse videtur. Si qui nostrûm voluntariè peccauerint abiectâ veritatis notitia, hi quoniam Christi hostiam semel oblatam sua apostasiâ penitus, & omnino in se frustrauerint, non est, quòd expectent hostiam Christi pro suis peccatis iterandam, id est, vt iterum crucifigatur Filius Dei, quod grauitas, & magnitudo lapsus eorum, si reparandus sit, videbatur exposcere.*

Non relinquitur hostia pro peccato In Cruce nimirum offerenda, hoc enim semel factum, & non repetitur, ita tamen vt pœnitentia non auferatur. Opportunè hunc locum expendit S. Cyrillus Alexandrinus lib. 5. in Ioannis Euangelium cap. 17. *Obiectant*, inquit, *& illud, quod à deifero Paulo ad Hebræos alio loco scribitur: Voluntariè peccantibus nobis post acceptam notitiam veritatis, iam non relinquitur pro peccatis hostia. Si non superest (inquiunt) hostia placationis pro peccatis, in qua post agnitam veritatem collapsi sumus, non est pœnitentiæ dandus locus pro peccatis, qua placetur Deus. Esset enim illa pœnitentia, vt hostia propitiationis, quam dicit Paulus non relinqui. Verum Paulus inibi non peccatorum secundam aut tertiam aufert remissionem (non enim ita est inimicus salutis nostræ) sed hostiam quæ Christus est, iterum in Cruce offerendam pro nobis negat. Semel enim oblatus est Christus, neque ampliùs, vnquam offerendus; quandoquidem resurgens ex mortuis iam non moritur, mors illi vltra non dominabitur. Non enim dixit Paulus: Non est vltra pœnitentia: neque dixit, non est vltra remissio: sed hostia, inquit, vltra non est, hoc est, crux secunda vltra non est; hostiam quippe hanc vocat. Vna namque hostia perficit in perpetuum eos, qui sanctificantur.*

Terribilis autem quædam expectatio iudicij, & ignis æmulatio, quæ consumptura est aduersarios.

Ac si diceret; Relinquitur expectandum terribile iudicium, *vbi nomine iudicij*, ait Estius, *damnatio, seu punitio videtur intelligenda.* Vel ipsa iudicij, iudicísque venturi omnium grauissima pœna malis erit, ET GRAVIOR, vt loquitur S. Anselmus, *quam gehenna.* Tanti est peccatis onustos iustum expectare iudicem. 1526.

Et ignis æmulatio, quæ consumptura est aduersarios. Aliqui de purgatricibus flammis exponunt hunc locum in hunc sensum: Qui fide semel susceptâ relapsi fuerint in grauia peccata, manet eos terribile iudicium Dei, quod exercet post hanc vitam, etiamsi conuersi fuerint à peccatis; seruantur enim igni Purgatorio, *qui est* ÆMVLATIO, SEV REPRÆSENTATIO QVÆDAM ILLIVS IGNIS, *qui consumet impios, id est, ignis æterni.* Tam grauis est pœna, quam iusti in Purgatorio sustinent, vt gehennalis pœnæ similitudo sit. Alij de gehennæ igne accipiunt, & vterque sensus auctores suos habet.

Et ignis æmulatio. Græcè, καὶ πυρὸς ζῆλος *& ignis zelus.* Apostolus ignem veluti animat, vitam vitésque ei tribuit, *qui instar irritatæ feræ apprehendat, & deuoret inimicos*, & iusto vindictæ desiderio in impios feratur, Dei iniurias vindicaturus.

Horrendum est incidere in manus Dei viuentis.

Horrendum est incidere in manus Dei viuentis. Dauidis exemplum sibi hic obiicit S. Thomas, & nodum statim soluit. Præstat eius verba sistere. 2. *Reg. vlt. Dauid tanquam melius præelegit incidere in manus Dei. Respondeo: Dicendum est, quòd homo peccat offendendo hominem, & offendendo Deum. Melius autem est incidere in manus hominis offendendo ipsum; quàm in manus Dei, ipsum offendendo. Vel dicendum est, quòd melius est peccantem, & contemnentem incidere in manus hominis: peccantem verò, sed pœnitentem, in manus Dei, & sic elegit Dauid.*

In manus Dei viuentis. Quod de manibus Dei hic Apostolus dicit, ad eiusdem vultum, aurem, vocémque porrigit Sanctus Gregorius Nazianzenus orat. 15. vbi ait: *Horrendum est fratres, in* DEI VIVENTIS MANVS INCIDERE, *horrendus* VVLTVS *Domini super facientes mala, vitámque funditus euertens, & delens; horrenda* AVRIS *Domini, Abelis vocem etiam per tacitum cruorem sentiens: horrendi* PEDES, *improbitatem cursu assequentes.*

Rememoramini pristinos dies, in quibus illuminati magnum certamen sustinuistis passionum.

Ad constantiam eos exstimulat commemoratione fidei, ac patientiæ, quâ primos suæ conuersionis annus insignierant. *Turpe est enim*, inquit hic Estius, *si præclaris initiis media, &* EXTREMA NON RESPONDEANT. Igitur excitare nos ad meliora bona quæ egimus debent, vt nos nobis ipsis simus exemplo.

In

In quibus illuminati. Id est, baptizati, nam baptismus olim illuminationis Sacramentum dicebatur, vel ob fidem, quam profitebantur, vel propter admirabile gratiæ lumen, in quod à tenebris per baptismum homines transferebantur Sensus igitur est: Recordamini pristini temporis, quādo primum facti Christiani dura pro Christi nomine certamina sustinuistis, fortiter ferendo afflictiones à persequutoribus illatas.

In altero autem socij taliter conuersantium effecti.

1527. SOcij, ex Græco aliqui legunt participes, siue consortes: eorum scilicet, qui dura pro Christo passi sunt: sed quomodo participes? *In eo*, inquit Estius, *quòd aliis patientibus condolebant, & tam rebus, quam verbis solatium adferebant: Vnde sequitur: nam & vinctis compassi estis*: quia scilicet aliorum afflictiones suas putabant, idcirco qui compatiuntur participes afflictionum alienarum dicuntur.

Nam & vinctis compassi estis.

NAm & vinctis compassi estis. Ac si aliis compati esset omnium Christianarum actionum præcipuum. Rem sic quidam Auctor expendebat. *Nunquam desini mirari mentem Pauli his verbis, qui post notatam alacritatem & fortitudinem, qua se recentes conuersi deuouebant luctis, vinculis, carceribus, morti: statim extollit compassionem quam habebant vinculorum alienorum, cur non & prius explicat quòd ipsi fuerint vincti, in carceres coniecti, insuper verberati? Cur non magis dicit quod ipsi fuerint vincti quam quod vinctis compassi fuerint? Equidem hoc fuit in illis fidelibus præcipuum: nimirum quod alacriter & strenuè sese ad omnia pararent, & omnibus tribulationibus deuouerent, post hæc & vincula & carceres & tormenta pro nihilo haberent: Sic censentur vincula quasi non sint.*

Nam & vinctis compassi estis. Vinctis compatiebantur, & vinctorum afflictiones putabant suas. Parum dixi: suorum vinculorum, suarum afflictionum obliti, alienis compatiebantur, quæ Christianæ, veræque pietatis nota est, & veræ magnitudinis insigne. Benè S. Chrysostomus: *Et vinctis compassi estis.* NON ENIM PVTASTIS VINCVLA VESTRA ESSE VINCVLA, *sed sicut Athletæ fortes sic stetistis, quin non solum in vestris opus non habuistis exhortatione, vel consolatione, sed etiam aliis exhortatio, & consolatio facti estis.* Seipso maior videtur effectus, qui sui oblitus, alienas tribulationes sentit, aliis compatitur. Tantum imperterritus animus potest. *Sic alacri*, vt ille ait, *& parato animo tentationes vniuersæ* PRO NIHILO SVNT.

Et rapinam bonorum vestrorum cum gaudio suscepistis.

POst tribulationum &. opprobriorum tolerantiam hoc Apostolus tanquam ALIQVID MAIVS posuit: plerumque enim accidit, vt homines dura quæque ferant, dummodo bonorum suorum iacturam non faciant. Igitur & dura pati fideles debent, & vinctis compati, ita tamen vt bonorum temporalium amore non vincantur, imo nec vinciantur.

Nouarin. in Epist. Pauli.

Nolite itaque amittere confidentiam vestram.

NOlite amittere confidentiam vestram. Periré Rabanus lib. 29. c. 11. *Confidentiam ne amitterent instantissimè eos hortatur; facilius enim integra conseruantur, quàm amissa recuperentur.* Nullus amittat, quæ iam habet, sperans se facilè habiturum, quæ amiserit. 1528.

Quæ magnam habet remunerationem.

SIgnatè *habet* dixit, non *habebit*, fiducia quippe, spes ac confidentia RES IPSAS PROMISSAS, AC SEPARATAS VIDETVR MANV TENERE AC QVODAMMODO POSSIDERE, tam certa spei, ac fiduciæ merces est, est & futura, vt præsens esse videatur: præsens in spe est, in re est futura.

Adhuc enim modicum aliquantulum qui venturus est veniet, & non tardabit.

NE tædio fatigarentur, & ex patientiæ suggestu caderent, non longè esse Christi aduentum docet: de secundo autem Christi aduentu hæc accipienda sunt. Quod si quis reponat, ab eo tempore, quo hæc scripsit Paulus plusquam mille, & sexcenti fluxere anni, & tamen adhuc non apparet breui Dominum venturum: responderi potest diuturnam quamlibet durationem æternitati comparatam breuissimam esse.

Iustus autem meus ex fide viuit.

IVstus autem meus ex fide viuit: Nectens nimirum opera fidei. *Viuit planè*, inquit ad hæc verba B. Laurentius Iustinianus de Triumph. Christi agone, cap. 1. *quoniam ex fidei illustratus veritate verum vitam, quam agnoscit, cupit: cupiendóque*, PER MANDATORVM OBSERVANTIAM, *& morum probitatem illam apprehendere conatur.* Alioquin fides sine operibus non viuit, & vita destituitur, si proba vita destituatur, qui fidem habet. Denique VIX CREDERE CREDENDVS EST QVI CREDIT TANTVM.

CAPVT XI.

EPISTOLÆ AD Hebræos expenditur & illustratur.

SECTIO I.

1529 & 1530 *Fides, sperandarum rerum substantia cur dicatur.*
1531 *Ab Abel cur fidem commendare incæperit Paulus, non ab Adamo.*
1531 *Plurimã hostiã Deo offert, qui offert se.*
1531 *Munus Abel cur maximè Deo placuerit.*
1532 *Cælestia spectet non terrena, qui aliquid Deo offert.*

1532 *Sanguis Abel adhuc loqui quo sensu dicatur.*

1532 *Viua exempli vox etiam si mortuus sit, qui illud exhibet.*

1532 *Paßio non minus loquitur quam sermo.*

1533 *Fides prælibatio nondum propalatæ veritatis.*

1533 *Fidei dignitas, quòd per eam primum in animam hominis veniat.*

1533 *Fides, principium viuendi cur dicta.*

1534 *Saræ fidei cur conceptio tributa, non Abrahami.*

1535 *Spiritualia & cælestia quærenda, non terrena.*

1536 *Mundi hospites quanti faciendi.*

1537 *In aduersitate diuinæ Iustitiæ virga adoranda, non discutienda.*

1537 *Iusti inter tribulationes velut in lecto conquiescunt.*

1538 *Ita diuinæ Prouidentiæ confidendum, vt Deus non tentetur.*

Est autem fides sperandarum substantia rerum, argumentum non apparentium.

1529. FIDES, substantia rerum sperandarum dicitur, vt ab omni coniectura, & phantasia abitet, qui verè est fidelis. Substantia solidum quid & firmum sonat. *Placet mihi* inquit B. Bernardus epist. 190. *(fateor) illius de fide definitio, etsi iste etiam ipsam latenter insimulet. Fides est, ait, substantia rerum sperandarum, argumentum non apparentium.* SVBSTANTIA, INQVIT, RERVM SPERANDARVM; NON INANIVM PHANTASIA CONIECTVRARVM. *Audis substantiam: non licet tibi in fide putare, vel disputare pro libito: non hac illacque vagari per inania opinionum, per deuia errorum. Substantiæ nomine aliquid tibi certum fixúmque præfigitur: certis clauderis finibus, certis limitibus coarctaris.*

1530. *Est autem fides sperandarum substantia rerum.* Cur fides substantia dicatur, sic explicat S. Bernardinus Senensis serm. 2. de Fide: *Apertè fidem esse substantiam dicit, quasi subtus stantem; quia per eam totum spiritale ædificium sustentatur.* Pro substantia ex Græco aliqui vertunt *subsistentia*, seu, *hypostasis*; alij *existentia*: quia nimirum per fidem adeo certa redduntur, quæ speramus, vt existere videantur: huc facit Syrus dum legit: *Est autem fides persuasio super quæ sunt in spe, ac si essent ipsis, scilicet credentibus, in actu siue in effectu.*

Ex eo quòd sperandarum rerum, & non apparentium substantia fides est, ait S. Ambrosius, multo magis earum esse quæ videntur: sic ille scribit in obitu Theodosij Imperatoris. *Quid enim est fides, nisi rerum earum quæ sperantur substantia? Sic nos Scripturæ docent. Ergo si substantia eorum quæ sperantur, fides est:* QVANTO MAGIS EORVM QVÆ VIDENTVR?

Fide plurimam hostiam Abel, quam Caïn, obtulit Deo.

AB Abel incipit fidem commendans, fidéique virtutem, sed cur non potiùs ab Adamo? fecit istud vt ait Estius, *quod de eo, postquam peccauit* NIHIL EXIMIVM MOYSES *narret*, vt fidem magis commendaret, ab eo incœpit, qui commendabilior apparebat. 1531.

Plurimam hostiam Abel obtulit, quia obtulit se, & in se vno omnia, & quia sui oblatio omnibus præponderat. Benè Ioannes Eusebius. *Plurima fuit victima Abelis, quia sui, quia omnium. Nulla fuit oblatio Cain, quia non sui. Plurima offert, qui se offert, nam omnia offert; nulla tamen offert, qui non se offert, quia sine se nulla omnia.*

Plurimam hostiam, id est, *maiorem, vberiorem*, ac etiam præstantiorem: vnde & Syrus: *Fide offert Abel sacrificium melius multò, quàm Cain:* hostia Caïn non solum melior fuit, sed & de melioribus sumpta, quod facere neglexit Cain, vel etiam noluit, nam tanquam hominem auarum deteriora obtulisse indicat Scriptura, dum eius oblationem non commendat. Licet maius censeri possit, quod est melius, nam in donis offerendis potius perfectionis, & excellentiæ ratio habetur, quàm copiæ, ac magnitudinis.

Placuit Deo munus Abel, & eius fides fecit vt placeret, fides munus offert quod offertur: hinc illud S. Ambrosij: *Super Cain fratris munera* PLACVIT MVNVS ABEL, *quia fide vixit, nam vnde pauperis hostia magis quàm diuitis placet? quia pauper fide ditior est, sobrietate locupletior.* Sic ille lib. de Nabuth. cap. 16.

Testimonium perhibente muneribus eius Deo.

AC si diceret, Deum ostendisse gratum sibi fuisse Abelis sacrificium, quod erat testimoniū de eius iustitiâ perhibere, oblatio quippè grata non esset, si gratus non esset offerens: & ideo satis Paulo fuit Abelis commendare donum, ex hoc enim, & Abel commendabatur. 1532.

Deum signo quopiam ostendisse se munera Abel acceptasse, Auctorum censio est: signum autem hoc fuisse asserunt, quòd ignis de cœlo veniens hostiam Abel consumpserit: *Nonnulli* ait Estius, *signum fuisse dicunt, quod fumus sacrificij Abel sursum ascenderit: sacrificij verò Caïn, descenderit deorsum. Id quidem animo vtriusque designando benè congruebat: Nam Abel* ANIMO SPECTABAT CÆLESTIA, CAIN TERRENA: *sed non perinde ex antiquitate documentum habet.*

Et per illam defunctus adhuc loquitur.

CVr non dixit *loquutus est*, potius quàm *loquitur*, cum de re præteritâ sit sermo? An quia, quod notauit etiam Ribera, sanguis Abel etiam nunc loquitur, & vindictam petit, tum aduersùs Caïn, cuius pœna nondum ad summum peruenit, tum aduersùs alios iustorum interfectores? An quia, vt alij quoque notarunt, particulâ *adhuc*, refertur non ad Pauli tempora, sed ad tempus, quo iam mortuus erat Abel.

Defunctus adhuc loquitur. Sed qui loqui Abel potest, qui iam obiit? *Loquitur* (inquit Hugo Victorinus hîc q. 95.) *quia* SVO EXEMPLO NOS MONET, *vt simus iusti.* Viua exempli vox est, licet ille obierit, qui bonitatis exemplum reliquit.

Defunctus

Defunctus adhuc loquitur. Scilicet viuus est eius fermo, qui mortuus est, & eò altius clamat, quò altius silet. *Qui admones alios*, inquit hîc Ribera, *vt iusti sint, loquitur*, NON ENIM TANTVM PROFICIT SERMO, QVANTVM PASSIO ILLIVS. *Sicut enim cœlum tantum apparens loquitur, sic & ille dum in memoriam venit. Nec vnquam in tanta esset admiratione si mille linguas haberet, si viueret, in quanta nunc admiratione est*; dum mortuus in omnium ore versatur, celebratur ab omnibus.

Sine fide impossibile est placere Deo.

1533. S*Ine fide autem impossibile est placere Deo.* Cur ita: *Ipsa namque* (inquit ad hæc verba B. Laurentius Iustinianus in Ligno vitæ, de Fide c. 1.) *est, quæ inuisibilium tribuis notitiam, & visibilium efficit hominem contemptorem; sic enim definit illam Apostolus: Fides est sperandarum substantia rerum, argumentum non apparentium. Est etiam fides voluntaria quædam*, ET CERTA PRÆLIBATIO NECDVM PROPALATÆ VERITATIS.

Credere enim oportet accedentem ad Deum, quia est, & inquirentibus se remunerator sit.

C*Redere enim oportet accedentem ad Deum.* Magna fidei dignitas, magna necessitas, vt per illam primum Deus in animam veniat. Benè Sanctus Thomas in cap. 3. epist. ad Gal. *Primum*, QVO DEVS EST IN ANIMA HOMINIS EST FIDES; *& sic dicimus, quòd in anima primum indicium vitæ apparens in operibus animæ vegetabilis, quia anima vegetabilis est, quæ primò aduenit animali generato; ita quia primum principium quo Deus est in nobis, est fides, ideo fides* DICITVR PRINCIPIVM VIVENDI.

Fide & ipsa Sara sterilis, virtutem in conceptionem seminis accepit, &c.

1534. QVomodo dicit Apostolus Saram fide concepisse, cum Scriptura eius incredulitatem notet? Aliqui putant hic Abrahæ fidem commendari non Saræ, vt per fidem Abrahæ etiam ipsa Sara vxor eius cum sterilis esset virtutem acceperit concipiendi, qui sensus admodum probabilis est. Alij dicunt Saram quidem primò risisse, & fuisse incredulam, sed postea credidisse sed adhuc quæri potest cùm fides Abrahæ maior firmiórque extiterit, cur non illi potiùs conceptus adscribitur, quàm Saræ? *Responderi potest*, inquit Estius, *cùm alia essent præclara ex quibus Abrahæ fidem laudaret Apostolus, vt patet ex præcedentibus, & sequentibus: vnum hoc de conceptu filij, quoniam id propius Saram attingebat*, EIVS LAVDI SERVARE VOLVISSE: *eò maximè, vt non solum ex patre totius gentis, verum etiam ex matre, haberent Hebræi quod imitarentur. Tametsi tacitè etiam Abrahæ fides hîc intelligitur laudata. Mox enim de ipso addit: propter quod & ab vno orti sunt.*

Iuxta fidem defuncti sunt omnes isti, non acceptis repromissionibus, sed à longè eas aspicientes, &c.

1535. ITane non acceptis promissionibus abierunt iusti? non acceperunt corporalia, & terrena, *Nouarin. in Epist. Pauli*, vt spiritualia, & cœlestia acciperent: Sanctus Chrysostomus hom. 6. de Anna, disertissimè totum hunc locum expendit, dum ait: *Considera quanta sit virtus iusti.* PROMISERAT EI DEVS CORPORALIA, ET IPSE SPIRITVALIA QVÆREBAT. *Vbi, dices, promisit ei Deus corporalia, & ipse spiritualia quæsiuit? Egredere, inquit, de terra tua, & de cognatione tua, & de domo patris tui, & veni in terram quam monstrauero tibi, corporalis erat terra prior, sed & futura, quæ illi danda erat, quid ergo ille? imò non illam, sed audiamus de illo dicentem Paulum, vt discamus eum licèt hanc terram promisisset Deus, relictis tamen præsentibus, eam non respexisse, sed festinasse ad futura, quid igitur Paulus dicit? iuxta fidem mortui sunt hi omnes, de Abraham loquens, Isaac & Iacob, & iustis omnibus, neque enim Abraham solus, sed omnes eiusdem erant philosophiæ participes. Iuxta fidem mortui sunt hi omnes cum non accepissent promissiones, sed procul eas vidissent, quid dicis? non obtinuit Abraham promissiones? non venit in Palæstinam? falsa ergo ea dicta sunt? nequaquam, inquit; venit quidem in Palæstinam, non hanc autem spectauit, sed aliam quæ in cœlis, desiderauit. Cuius rei, & Paulus testis, cum adiicit: & confessi sunt se hospites, & peregrinos in terra, hospes non est, qui tantam accepit patriam, & tantam regionem? dic obsecro. Sanè, inquit, non enim hanc, sed cœlum spectauit.*

Ideo non confunditur Deus vocari Deus eorum.

QVia hîc erant hospites, & peregrini, supernam ciuitatem inquirentes, non mirum 1536.
quod non erubescat Deus illorum Deus vocari; solent hospites despici, & contemni, non isti: nam qui Mundi hospes est, maior est Mundo. Sanctus Chrysostomus hom. 6. de Anna hæc habet huc spectans: *Hoc Paulus cùm admiraretur, dicebat, quamobrem non erubescit Deus vocari Deus ipsorum, non erubescit, inquit, Dominus à seruis appellationem sumere. Quare non erubescit? dic rationem, nimirum vt & nos eum imitemur, quia hospites erant, inquit, & aduenæ, atqui vel ob hoc ipsum erubescere oportebat: hospes enim vilis, & contemnendus esse videtur, at illi Sancti non eo modo hospites erant, quo nos putamus, sed alio quodam minimè vulgari: nos enim hospites eos appellare solemus, qui relicta sua patria in alienam regionem perueniunt: illi verò non ita* ERANT HOSPITES, SED QVOD ORBEM VNIVERSVM DESPICERENT, *& parui facientes terram, ad cœlestem illam ciuitatem respiciebant, non arrogantia, sed magnanimitate, non insolentia, sed propter sapientiæ studium.*

Fide Iacob, moriens singulos filiorum Ioseph benedixit, & adorauit fastigium virgæ eius.

MIrum, quod hîc Apostolus benedictionem prætereat, quâ Iacob filiis duodecim benedixit: An quia & maledictionem habebat inuolutam? Scitè Estius: *Quæri hîc potest cur Apostolus, qui duarum benedictionum meminit: tertiam, non minus memorabilem, & mysteriorum plenam, quâ Iacob benedixit filiis suis duodecim prætermiserit. Respondeo, satis esse Apostolo, si e multis quæ per fidem operati sunt patres, pauca quædam delibet,* 1537.

eáque præcipua: nec rationem nobis reddendam, cur etiam è præcipuis nonnulla prætereat; cui non erat propositum omnia referre. Tametsi prætermissæ benedictionis duodecim Patriarcharum, hæc potuit esse ratio, quod ea MALEDICTIONEM HABET IMPLICATAM, *vt patet legenti, Genes.49.*

Et adorauit fastigium virgæ eius. Aptè id ad eos flectas, qui Diuinæ iustitiæ ictus sentiunt: hi quippe adorare virgæ fastigium debent, non discutere cur percutiantur. Præclarè rem tetigit Sanctus Bernardus in Sentent. *Aduersitati sunt opponendi electorum agones, & angustiæ, quas patiuntur, qui piè viuunt: Redemptoris afflictiones, & molestiæ, quas ei sæuissimi Principes intulerunt: Dispositio moderatricis iustitiæ, cuius altitudinem (quasi virgæ Ioseph summitatem)* NON DISCVTERE, SED ADORARE DEBEMVS.

Adorauit fastigium virgæ eius. Nimirum parum est forti animo ferre Dei flagella, insuper & percutientem Dei manum venerari debemus. Pulchrè Nuperus Auctor hunc locum expendebat conferens cum illo Geneseos 47. *Cum*, inquit, *in illa Iosephi virga diuinam ad flagellandum potestatem mysticè recognosceret; ei se posterorum nomine percutiendum submittebat: vt ostenderet, quæcumque à Deo supplicia infligantur, libenti animo amplectenda. Nec sine mysterio, quod in Genesi dicitur lectulus, à D. Paulo virga nominatur: quia probi & iusti homines non minus inter diuinas virgas, quàm inter molles lectulos conquiescunt.*

Fide Moyses, natus, occultatus est, &c.

1538. ET cur ad maiorem fidei ostensionem infantis parentes in flumen eum non proiecerunt iuxta Regis edictum, rem totam diuinæ prouidentiæ committentes? An ne viderentur tentare Deum? faciunt igitur quod possunt, ne temeritatis, & imprudentiæ arguerentur; vt in re pari par à nobis quoque fiat. Scitè Estius hîc. *Non iuxta edictum proiecerunt puerum in flumen: sed cùm diutius celare non possent: id fecerunt, quod in tanto pueri ac sui periculo,* FACIENDVM INCVLPATA PRVDENTIA DICTABAT. *Nam fiscella bituminata inclusum, ne facilè mergi posset, exposuerunt in carecto fluminis ad ripam, vbi minus esset periculi, meliúsque posset obseruari quò deueniret. Porro rei euentum diuinæ prouidentiæ committebant, quemadmodum & Iosephus de eis scribit.*

SECTIO II.

1538 *Quæ sunt sæculi contemnens maior Mundo fit.*
1539 *Cælum qui spectat, terrena omnia contemnit.*
1539 *Ab Aula ad culpam quam facilis transitus.*
1540 *Pro Deo affligi voluptatibus terrenis repudiatis, quàm Deo gratum.*
1541 *Iniuria seruorum Dei, vt in Christum resiliat.*
1542 *Moysis strenuitas etiam in fuga.*
1543 *Perstricti qui Deum non amant, nec reuerentur, quia eum non vident.*
1544 *Generis obscuritas sanctitati non nocet.*
1544 *Præsentium bonorum cupiditas, futurorum desiderium minuit, aut extinguit.*
1545 *Virtute armati quàm magna facinora præstiterint.*
1546 *Ob neglectam vestem, nullus negligendus, si virtute sit vestitus.*
1546 *Etiam externus habitus docere debet, quales intus Dei cultores esse debeant.*
1547 *Mali indigni bonorum consortio.*
1547 *Totus orbis non est conferendus cum iis, qui afflictionibus afficiuntur propter Deum.*
1547 *Nec totus Mundus dignũ animæ pretiũ.*
1548 *Egentes homines quanti fieri debeant.*
1548 *Mariæ Virginis laus.*
1548 *Aliorum afflictiones, vt nos erigere debeant.*

Fide Moyses grandis factus, negauit se esse filium filiæ Pharaonis.

NIMIRVM ex quo Regiam Pharaonis despexit, maior Rege ipso factus est, adeo vt in Deum illius sit constitutus. Pulchrè S. Ambrosius in Psalm. 118. octon. 15: 1539.
Noluit esse Rex, cùm posset: sed, fugiendo potentiam, potentior factus est; factus est enim in Deum Regi. Rex erat Pharao, sed Deus non erat: Moyses factus est illi Deus. ET TV SI VIS TANQVAM DEVS PECCATORIBVS ESSE TERRORI, REGIBVS REVERENTIÆ, CONTEMNE *quæ sæculi sunt, & Dominicæ Passionis opprobrium contende omnibus præferre diuitiis.*

Parum fuit aulam, titulúmque quo filius filiæ Pharaonis haberi poterat, contemnere, etiam abnegauit; quod rectè expendebat Rabanus hîc hisce verbis: *Fide Moyses grandis factus negauit se esse filium filiæ Pharaonis. Tanquam si diceret ad eos, nullus vestrum dimisit aulam Regalem amplam & claram, neque tales thesauros, neque cum posset filius Regis esse contempsit, sicut Moyses fecit, & quia non simpliciter dimisit, significauit dicens: Abnegauit, hoc est, horruit, auersatus est.* COELO QVIPPE PROPOSITO, SVPERFLVVM ERAT AVLAM ADMIRARI ÆGYPTIACI REGNI.

Magis eligens affligi cum populo Dei, quam temporalis peccati habere iucunditatem.

SCilicet vitam cum impiis ducere, & in Pharaonis aula degere, *Peccati* nomine circumscribit; tam facilis transitus ab aula ad culpam, & tam fortis nexus inter malorum conuersationem, & lapsum in mala. *Pulchra periphrasi*, inquit ille, AVLICAM VITAM *quam Moses despexit, Temporale peccatum, appellauit: aut per peccatum, intellexit vitam agere cum impiis, aut Regiarum deliciarum communicationem.* Pendant hæc, qui in aulis degunt.

Magis

1540. *Magis eligens affligi cum populo Dei.* Et vero non legimus Moyſem aliquando cum cæteris Hebræis in luto ac latere ſeruiſſe, cur igitur dixit Paulus; *magis eligens affligi cum populo Dei*? An quia licet hæc non fuerit perpeſſus, paſſus eſt tamen ſimilia, vt quando percuſſo Ægyptio fugit, & in exilium iuit, vbi paſcendis ouibus vitam tranſegit, qui dudum in Ægypto deliciis, & opibus abundauerat, vt iuſtè hoc illi afflictioni patietur, qua in luto paleiſque ſeruire populus cogebatur; tanti eſt iis vitæ commodis priuari, quæ antea alicui ſuppetebant.

Magis eligens affligi cum populo Dei. Adeo grata Deo fuit hæc Moyſis electio vt in rubo illi apparuerit. Præclarè S. Baſilius Seleuciæ Epiſc. orat. 26. *Paſtor fuit Moyſes in montibus Madian, & ouium curator ſerbri: poſtferens Ægypti Regnum, & magis eligens affligi cum populo Dei, quàm temporalis peccati habere iucunditatem.* CVIVS ELECTIONIS IPSVM DEVS ADMIRATVS, SE VIDENDVM OFFERT VIRI TAM CORDATI MERITO; *& ſpectaculum inter. ac ſpectatorem, medium ignem interlocat, rubo & floribus inſidentem immixtè.*

Maiores diuitias æſtimans theſauro Ægyptiorum improperium Chriſti.

1541. SAnctus Ambroſius pro *maioribus diuitiis* legit *maius patrimonium*; ſed dubitari poteſt quodnam dicat *improperium Chriſti*, cùm Chriſtus nondum eſſet natus, nec Chriſti eſſet nomen auditum? An erat opprobrium Chriſti profiteri ſe Iſraëlitam eſſe, & vnum ex populo Dei Chriſtum expectantis; quatenus iniuria membrorum in caput ſolet reſilire, adeo vt iniuriæ, ac contumeliæ, quibus populus Iudaicus afficiebatur, VEL IAM TVNC DEI FILIVS SVAS PVTARET? Ribera aliter nodum ſoluit, *ſentit enim Moyſen ſpiritu prophetico intuentem Chriſti Paſſionem & opprobria, optaſſe eius conformitatem: atque ex ea animi deuotione maluiſſe opprobriis affici, id eſt, Chriſto quodammodo compati, quàm honoribus ac diuitiis abundare in aula Pharaonis. Et hoc eſſe, quod dicit Apoſtolus, eum elegiſſe improperium Chriſti: quomodo ſi dicamus, Petrum, quando crucifixus eſt, elegiſſe improperium Crucis Chriſti, quia ſimilitudinem mortis Chriſti Domini ſui, in Cruce paſſi, libenter ac deuotè amplexus eſt.*

1542. *Improperium Chriſti.* Mirum non cœli meminit, bonorúmque cœleſtium, ſed Chriſti improperium adduxit in medium. *Et vide*, inquit hîc Rabanus, *quam mirabiliter illud poſuit Paulus, non dixit, maiores diuitias exiſtimauit theſauris Ægypti cœlum, & ea qua in cœlis ſunt; ſed dixit improperium Chriſti. Pro Chriſto enim improperium ſuſtinere melius indicauit, quam in deliciis eſſe.*

Fide reliquit Ægyptum, non veritus animoſitatem Regis.

MIrum, & fugiſſe Regem habemus, Ægyptúmque deſeruiſſe; & Regis animoſitatem minimè timuiſſe: & non fuga à timore eſt? Non eſt ſemper: etiam fugiens animi ſui ſtrenuitatem ſecum deferebat: deferebat ſe, nihil abiecerat fortitudinis. *Vnde hoc*, inquit Rupertus lib. 1. in Exod. c. 10. *quod non veritus ſit animoſitatem Regis? Videlicet, quia* FVGIENS *animos Regis, non tamen armaturam* DEPOSVIT ZELI, vbique Nouarin. in Epiſt. Pauli. Moyſes Moyſes erat. A Rege abire Moyſes potuit: à Moyſe vero Regiæ Maieſtatis characteres zelus & fortitudo abire non potuere.

Inuiſibilem enim, tanquam videns, ſuſtinuit.

EX quo fit, vt inanis ſit eorum excuſatio, quòd 1543.
non ament Deum, nec reuereantur, quia ipſum non vident, cùm hoc potiùs deſiderium accendere debeat; & licèt Deum in ſe ipſo non videamus, videmus in eius ſeruis. Luculenter totum hunc locum verſat S. Chryſoſtomus in Pſalm. 41. vbi ait; QVOMODO POSSVM AMARE DEVM, QVEM NON VIDEO? *multos enim amamus, licèt eos non videamus, quemadmodum amicos noſtros peregrè profectos, vel filios, vel parentes, vel cognatos & neceſſarios: nec ad id vllum affert nobis impedimentum quòd eos non videamus, imo vero hoc ipſum magis accendit amorem, & auget deſiderium, & ideo de Moyſe quoque dicens Paulus, quod relictis theſauris & opibus, Regnique claritate; & omni alio in Ægypto ſplendore, maluit cum Iudæis affligi; deinde nos cauſam docens, quod hæc omnia faceret propter Deum, adiecit: Inuiſibilem enim tanquam videns ſuſtinuit. Non vides Deum, ſed vides eius famulos, amicos, viros inquam ſanctos, & qui habent apud eum fiduciam, illos nunc obſerua & cole, & habebis* NON LEVE SOLATIVM TVI DESIDERII.

Deficiet enim me tempus enarrantem de Gedeon, Barac, Sanſon, Iephte, &c.

INter iuſtos, & fidei virtute nobiles etiam 1544.
Iephte numerat Apoſtolus, licet de meretrice ſit natus, vt hinc colligas generis obſcuritatem ſanctitati non officere, verámque nobilitatem à virtutibus, non à ſanguine deſumendam. Benè S. Hieronymus: *Carnis bona, quæ ſemper & ipſe contempſi, in anima laudibus non requiram: nec me iactabo de genere, id eſt, de alienis bonis: cum Abraham, & Iſaac, ſancti viri, Iſmaëlem, & Eſau peccatores genuerint; & è regione,* IEPHTE IN CATALOGO IVSTORVM APOSTOLI VOCE NVMERATVS, DE MERETRICE EST NATVS. *Anima, inquit, quæ peccauerit, ipſa morietur; ergò quæ non peccauerit, ipſa viuet, nec virtutes, nec vitia parentum liberis imputantur, ab eo tempore cenſemur ex quo in Chriſto renaſcimur.* Sic ille epiſt. 3. quæ eſt ad Heliodorum.

Per fidem vicerunt regna, &c.

CVm in antiquis Patribus præclara facinora fides præſtiterit, cur in multis aut nihil operatur, aut ferè nihil? Quia in multis friget fides, & dormit, nec frequenti rerum quæ creduntur meditatione recaleſcit, aut excitatur. *Tanta eſt in pleriſque*, inquit Eſtius, PRÆSENTIVM BONORVM *cupiditas, vt futurorum bonorum in illis aut* MINVAT, *aut etiam* EXTINGVAT.

Obturauerunt ora leonum, extinxerunt impetum ignis, &c.

TAnta homines carne veſtiti præſtiterunt 1545.
ſolâ virtute armati, quos ſic efferebat S. Ambroſius lib. 1. offic. cap. 35. *Sed non hæc ſola præclara fortitudo eſt, ſed etiam illorum glorioſam*

fortitudinem accipimus, qui per fidem magnitudine animi obstruxerunt leonum ora, extinxerunt virtutem ignis, effugerunt aciem gladij, conualuerunt de infirmitate fortes, qui non comitatu & legionibus succincti, communem cum multis victoriam, sed NVDA VIRTVTE ANIMI *singularem de perfidis retulerunt triumphum.*

Alij autem distenti sunt, non suscipientes redemptionem, vt meliorem inuenirent resurrectionem.

QVi hos imitari possumus, & sine sanguinis effusione martyrij laureâ insigniri, docet Sanctus Ephræmus de Pœnitentia: *Alij ob amorem Dei dissecti meruerunt accipere coronam:* NOS AVTEM CVM SINE TORMENTIS MARTYRES ESSE QVEAMVS, *potiùs contraria agentes, inutiles permanemus: & à bestiis interea, intellectualibus inquam, illis spiritibus ac improbis Dæmonibus capimur.*

Circuierunt in melotis, in pellibus caprinis, egentes, angustiati, afflicti.

1546. QVò vilior erat extimus illorum habitus, eò nobilior erat interior, virtutibus, vt ita loquar, consutus. Vt hinc discas ob neglectam vestem negligere neminem, & hominem à virtutibus potiùs appendere, quam à vestimentis. Præstat hîc sistere, quæ in hanc rem habet Sanctus Chrysostomus hom. 42. in Genesim: *Paulus dicebat, obambulauerunt in ouinis caprinisque pellibus, destituti, pressi, afflicti, quibus indignus erat Mundus, totus, inquit iste Mundus, & totus Orbis non est conferendus iis qui in afflictionibus & pressuris, & nuditate agunt, & obambulant, & in speluncis versantur propter Deum: igitur dilecte,* QVANDO VIDERIS VIRVM VILI EXTERNO HABITV VESTITVM, VIRTVTE VERO INTRINSECVS AMICTVM, NE HVNC VILIPENDERIS PROPTER ID QVOD APPARET: *sed animæ diuitias disce, & internam gloriam, & videbis vndequaque fulgentem virtutem.*

In pellibus caprinis. Etiam externus habitus docet quales intus esse debeant Dei cultores; vtile est monitum quod hinc elicit Cassianus lib. 1. cap. 8. *Circumierunt in melotis, & pellibus caprinis, egentes, angustiati, afflicti, quibus dignus non erat Mundus: in solitudinibus errantes, & in montibus, & in speluncis, & in cauernis terræ, qui tamen habitus pellis caprinæ, significat mortificatâ omni petulantia carnalium passionum, debere eos in summa virtutum grauitate consistere: nec* QVICQVAM PETVLCVM, VEL CALIDVM IVVENTVTIS AC MOBILITATIS ANTIQVÆ, IN EORVM CORPORE RESIDERE.

Quibus dignus non erat Mundus.

1547. Q*Vibus dignus non erat Mundus*; Nimirum cùm impiis boni putarentur hac luce indigni, Apostolus contra censuit Mundum non fuisse dignum qui eos haberet. *Ratio est*, inquit Estius, *quia mali eo ipso quò mali sunt, maximè si bonos persequantur*, INDIGNOS SE REDDVNT BONORVM CONSORTIO, AC BENEFICIIS, *quorum propter bonos secum morantes fieri solent participes.*

Mundo maior est, qui tribulationes patitur, affligitúrque in Mundo; pende, iustos Mundo non prætulit ob miracula, quæ præstant, sed ob afflictiones, quas patiuntur: *Omnis Mundus*, inquit S. Chrysostomus hom. 42. in Genesim, *&* TOTVS ORBIS NON EST CONFERENDVS HIS, QVI IN AFFLICTIONIBVS, ET PRESSVRIS, ET NVDITATE AGVNT, ET IN SPELVNCIS VERSANTVR PROPTER DEVM.

Vnius hominis animam cum toto Mundo confer, ac pondera, ac illi præponderare istam reperies. Aptè rem deducit Sanctus Chrysostomus in Psalm. 48. vbi ait: *Vt scias* NE VNIVERSVM QVIDEM MVNDVM ESSE PRETIVM ANIMÆ, *audi quidnam Paulus dicat de aliis sanctis: circumierunt in ouinis & in caprinis pellibus, egentes, pressi, afflicti, quibus dignus non erat Mundus, Mundus enim est propter animam, quemadmodum ergo non elegerit pater domum pro filio, ita nec Deus Mundum pro anima.*

Egentes homines toti Mundo non confert tantùm Apostolus sed præfert, vt discas hinc pluris æstimare eos, quos Mundus adeo putat contemptibiles. Ab aureo ore hoc quoque est: 1548.
Quid ais? hominibus egentibus, afflictis, dignus non erat Mundus? Non vides quàm paucos tam multis opposuerit? Video equidem, inquit, atque idcirco dixi Mundum illis minimè fuisse dignum. Nota quippe mihi est probè numismatum istorum natura. Si terram posuero, mare, Reges, Præfectos, & totam omnino naturam humanam, & duo, trésve pauperes his opposuero, confidenter asseram fore, VT PAVPERES ISTI PRÆPONDERENT. *Quod si illi à patriis sedibus expellebantur, tamen patriam supernam Hierusalem habebant: in paupertate vitam agebant: at pietate diuites erant: hominibus erant odiosi: at Deo grati.* Ita S. Chrysostomus serm. 48. de diuersis noui Testamenti locis.

Quibus dignus non erat Mundus Maior Mundo esse incipit qui Mundum calcat; Producta verba Virgini efferendæ, Virgini aptauit S. Basilius Seleuciæ Episc. orat. 39. vbi ait: *Quæ digna satis in eam munera conferemus, cum eius infra dignitatem sint mundana omnia? Nam si de aliis sanctis Paulus asserit: Quibus dignus non erat Mundus, quid dicemus* DE DEIPARA, *quæ tantò supra omnes Martyres explenduit, quantò stellis præfulgurat Sol.*

In solitudinibus errantes.

ERrabant corpore ne mente aberrarent; sed cur horum molestias recenset Apostolus? An vt eos erigeret, qui paria sustinerent? *Hebræos*, inquit Sanctus Chrysostomus, *rursum ita consolatur, recensens omnes istos, omnes in fornacibus, in lacubus, in solitudinibus, in montibus, in speluncis, in fame, in angustiis degentes, molestiarum enim communicatio quandam lapsis affert consolationem.* Sic ille hom. 1. ad populum, Vis molestias non adeo molestè ferre? Cogita te in illis sanctiores habuisse, pares habere, & deinceps habiturum esse. Non sunt mala putanda, quæ amputant mala, & meliores efficiunt eos, qui illis afficiuntur.

* * *

CAPVT

CAPVT XII.

EPISTOLÆ AD Hebræos expenditur & illuſtratur.

SECTIO I.

1549 *Teſtes cur nubi comparati.*
1550 *Pietatis amantes, & afflicti Martyres dicti.*
1551 *Pondus agile peccatum cur dicatur.*
1551 *Circumſtare cur nos peccatum dicatur.*
1552 *Certamen ſpirituale ſine aduerſario non currit.*
1553. *Dominica Paſsio frequenter cogitanda.*
1553 *Quàm glorioſus Chriſtus in paſsionum tolerantia.*
1554 *Contra peccatum vt repugnandum.*

Ideóque & nos tantam habentes impoſitam nubem teſtium.

1549. IMpoſitam. Græcè, *circumpoſitam*; ac ſi diceret; vndique teſtibus cùm ſimus circumſepti, nam quocumque nos vertimus, obuia ſunt Sanctorum exempla, quæ ad ferenda fortiter aduerſa nos extimulant, nimirum Sancti etiam cum tacent teſtium exercent munus, *quia præclaris ſuis actionibus*, vt ille ait, *teſtificantur, quanta ſit virtus fidei tam ad beneficia Dei promerenda, quam ad ferenda fortiter aduerſa.* Hos teſtes contra nos Deus producet, & illorum teſtimonio torporem noſtrum, noſtram deſidiam Deus arguet.

Habemus impoſitam nubem teſtium. Præclarè de teſtium nube philoſophatur Salmeron lib. 10. in Euangel. tract. 1. NVBES *de terra producitur, ſuper terram eleuatur, & iterum per pluuiam in terram deſcendit; tales ſunt viri ſancti, qui etſi è terra ſint progeniti, vt reliqui mortales; fide tamen ac ſpe in altum eleuantur, & ſe nobis ad ſpectandum prabent & imitandum; Diuinaque iuſtitia rigorem, tanquam Solis æſtum, nobis tegunt. Poſtremò, per charitatis opera ac ſingularia beneficia, quaſi per pluuiam quandam ſpiritualem, ad nos deſcendunt. Et per tantam nubem teſtium intellige metaphoricè copioſam multitudinem; denſum enim raro opponitur: quoniam, etſi pauci eſſent, deberent nos tamen excitare: at, vbi ingens eſt numerus, acriores ſtimulos addit. Et, impoſitam ait; ſiue, vt Græcè dicitur, circumpoſitam, quo deſignet; non poſſe nos effugere, quocumque oculos vertamus, quin ſtatim occurrant perſeuerantis fidei & patientiæ exempla.*

1550. Nubes quoque ſunt, quia excelſi ac vitæ ſanctitate ſublimes, Sanctus Auguſtinus ſermon. 97. de diuerſis; ita ſcribit: *Tantam habentes & nos nubem teſtium, ſi teſtes ſunt, obſcuri non ſunt, quomodo ergo nubes ſunt? non obſcuritate, ſed celſitudine.*

Nubes teſtium. Sanctorum ſcilicet, quos ſuperius numerauerat, qui tot mala pertulerant. Ex Græco legi poteſt, *Nubem Martyrum*, & in hac voce ſiſtens Theodorus Studita in ſerm. catech. num. 10. hæc habet: *Ecquid ergo ſoli Martyres ſunt, qui ſanguinem profundant? Minimè verò; quin ij quoque, qui vitam obeant Diuinam; ait enim Apoſtolus: circuierunt in melotis, in pellibus caprinis, egentes, anguſtiati, afflicti, quibus dignus non erat mundus: in ſolitudinibus errantes, in montibus & ſpeluncis & in cauernis terræ. Et paulo poſt: Tantam habentes nubem Martyrum, deponentes omne pondus, & circumſtans nos peccatum, per patientiam decurramus propoſitum nobis certamen, aſpicientes in auctorem fidei & conſummatorem Ieſum. Viden vt vniuerſè* MARTYRES VOCAVIT OMNES PIETATIS AMANTES, AFFLICTAMQVE VITAM TOLERANTIA TRAHENTES? QVARE ET NOS, FRATRES, NVMERATI IN HOC MARTYRIO SVMVS.

Per nubem teſtium aliqui & Martyres intelligunt. S. Athanaſius quæſt. 132. *Nubem*, inquit, *teſtium ipſos Martyres vocauit: nam irrorant nos, qui in peccatis detinemur & æſtuamus; & vmbrâ ſuæ interceſſionis nos contegunt.*

Deponentes omne pondus & circumſtans nos peccatum.

POndus, illúdque grauiſſimum eſt peccatum, ſed quod mireris, agile, hoc pro circumſtans, Sanctus Auguſtinus legit *agile*, & rem ſic explicat ſerm. 97. de diuerſis: *Vidit onus & preſſuram noſtram: præſtitit conſilium debilibus & infirmis, & grauatis, & ait: exponentes onus omne, & vt oſtenderet quid ſtonus, ſecutus adiunxit: & agile peccatum; onus tardum fortè peccatum poſſit quiſque vitare,* QVID EST VITARE AGILE PECCATVM? *ſurgit ſubitò in cogitatione, facit delectationem: mox trahit mentem, O* AGILITAS *certa, curre contra iſtum, non te vincat, præueni, expecta, expone peccatum, proiice foras iniquitatem, ſuggeſtionem, delectationem.* 1551

Et circumſtans nos peccatum. Aliqui ex Syriaco vertunt: *Quod omni tempore paratum eſt nobis*, hoc eſt, quod ſemper in promptu eſt, vt curſum noſtrum ad vitam beatam impediat. Eſtius ſic explicat Græci verbi vim: *exiſtimo peccatum* [illegible] *ab Apoſtolo vocari, quod hominem facilè circumſtet, ideſt* COMPREHENDAT, *implicet ac teneat, ne in curſu cœpto progrediatur, vt ſi quis currentem iniecto laqueo retineat.*

Per patientiam curramus ad propoſitum nobis certamen.

HOrtatur hîc Apoſtolus Hebræos, vt productorum teſtium exemplo patienter expectando cœleſtem remunerationem, decurrant ſtadium, quod ſunt ingreſſi, & ſuſceptum decertent certamen, nam particulam *ad*, adiectitiam eſſe vetuſti codices, qui ea carent, indicant, vt notauit etiam Eſtius; qui addit: *Vocatur autem* CERTAMEN, QVIA NON SINE ADVERSARIO CVRRITVR, *non qui etiam currat, ſed qui quantum poteſt currentem impediat.* 1552.

Qui proposito sibi gaudio sustinuit Crucem confusione contempta.

EX Græco aliqui vertunt : *Qui proposito sibi gaudio.* Sensus huius loci non est ; vt gaudio vitæ æternæ sibi proposito Crucem Christus sustinuerit; sed iste : *Qui loco gaudij* quo frui poterat , Crucis passionem elegit, quod de gaudio accipiendum est à molestiis , ac doloribus immuni; neque enim aliquando Christus fuit sine gaudio qui semper erat beatus. Vel de gaudio etiam vitæ temporalis intelligitur;poterat enim Christus non mori,si vellet,poterat se à molestiâ eximere , vitam agere felicem , & vt ait Sanctus Thomas , turbis acquiescere eum Regem facere volentibus & gloriosè regnare, sed pro his omnibus elegit pati , perferre Crucem voluit.

Confusione contemptá. Et non maiora tolerauit, non vicit maiora; quam nudam confusionem? Cur tantùm meminit confusionis ; Anselmus Laudensis hîc : *Sustinuit Crucem confusione contempta*, idest , *neglecta verecundia humana.* Nimirum res maxima censetur humanam omnem verecundiam vincere; nec illius obiectu ab eo retardari, quod Dei gloriam spectat.

Recogitate enim eum , qui talem sustinuit à
1553 *peccatoribus aduersùm semetipsum*
contradictionem.

REcogitate. Non satis est cogitare semel, quæ Christus est passus , recogitare debemus seriò , sæpéque nobiscum versare Dominicam Passionem. Præclarè Salmeron lib. 10. in Euang. part. 1. tract. 1. ad hæc verba : *Vult non simpliciter fideles cogitare Christi mortem , sed etiam,* RECOGITARE ; *& more mundi animalis semel cogitata ruminare , iterum & degustare. Nam quemadmodum Solis æstus non vno aut altero die homines exurit , eorúmque carnem ac pellem nigram reddit, sed longo temporis tractu : ac vt balsamum non semel aut bis vulneri appositum , sed multo tempore , vulnerum cicatrices curat & inuisibiles reddit : ita sanè Passio Domini non ob vnam aut alteram leuem cogitationem carnem nostram macerat , aut pellem conuersationis nostra in melius immutat ; sed diù fide apprehensa & meditata. Ad hæc, vt gallina vaga inconstánsque , apta non est ouis fouendis , atque excludendis pullis; ex quo & pullis eam carere necesse est : ad eum modum , qui sub alis Christi in Cruce, brachia instar gallinæ extendentis, diù nequit consistere, nulla alta desideria concipere , neque ad habendum alas contemplandi Diuina mysteria assurgere valet. Est & alia ratio , cur videlicet Domini Passio recogitanda sit : nam prima quidem facie, Crucis ac Christi Domini aspectus horridus , turpis, indecorus , omnique ratione apparet destitutus; atque ob eam causam Iudæis est scandalum , Gentibus autem stultitia : at illis, qui diù recogitant , quanta insit in eo , qui Cruci est suffixus , Dei virtus atque sapientia , agnoscunt thesauros in eo delitescentes, & tanquàm rem salutiferam , potentissimam atque iucundissimam amplectuntur , quia aliis oculis beatioribus, quàm his corporalibus cernunt.*

Recogitate eum. Vides non miraculorum virtutem , sed tolerantiam contradictionum in Christo Iesu considerandam ; *quasi Iesus*, vt bonus ille Auctor habet, GLORIOSIOR , *ac diuinior appareret* IN TOLERANTIA CONTRADICTIONUM , *quàm in mortuorum resurrectione.*

Nondum enim vsque ad sanguinem restitistis 1554.
aduersùs peccatum repugnantes.

AC si diceret : Licèt multa pro Christi nomine aduersa sitis passi, nondum tamen in hoc Christiano agone sanguinem , vt ille fudistis, nondum Martyres estis facti. *Dicit autem* inquit Estius , *restitistis aduersùs peccatum* REPUGNANTES , *quia non tam contra homines, quàm contra peccatum hoc certamen initur. Vbi prosopopœiam obserua ; dum peccatum fingitur vt aduersarius quispiam , bellum aduersùm nos commouens. Id autem fit dum peccati tentationibus impetimur , & oppugnamur.* Peccatum aufer , alia omnis hostilitas ludicra,& nulla est. Contra nos omnes mundi homines pugnent , ridenda omnium hominum acies , præ vnius , & leuis peccati impugnatione, ab isto, quàm ab illis maiora timenda sunt damna.

Fili mi, noli negligere disciplinam Domini, neque fatigeris dum ab eo argueris.

AB insignis humanitatis affectu est , quod filios vocat , quos corripit ; hunc loquendi modum expendens Clemens Alexandrinus admon. ad Gentes ita scribit : *Os enim Domini , Spiritus Sanctus , os est elocutus : Ne ampliùs ergo inquit, fili mi negligas disciplinam Domini , neque defatigeris cum ab eo corriperis. O insignem humanitatem ? non vt magister discipulos , neque vt ministros Dominus , nec vt homines Deus , sed vt pater, quàm benignè admonet filios.*

SECTIO II.

1555 *Qui à Deo recipi quærit, flagella recipere non recuset.*

1555 *A Dei mansuetudine est , quod nos flagellat.*

1555 *Hæreditatis æternæ candidatus qui flagellorum purpureo colore insignitur.*

1556 *Flagella non timeat , qui hæreditatem amat.*

1556 *Plagas nobis Deus infert, vt nostris plagis medeatur.*

1557 *Flagellat nos Deus in amoris signum.*

1557 *Adam sine labore cùm esset , Dei mandatum violauit.*

1558 *Leuia flagella erunt si cogites à Deo esse , licèt per hominem iniquum id præstet.*

1558 *Meliores nos vult Deùs , dum flagellat.*

1560 *Gula & libidinis cognatio.*

1560 *A benedictione exclusus cur dicitur Esau, cum eam extorserit à Patre.*

1561 *Falluntur qui proximi odium in corde condunt , & veram pœnitentiam se inire credunt.*

1561 *Damnanda pœnitentia, quæ temporalia tantùm*

tantùm damna reſpicit.
1562. *Iumenti nomen etiam de feris dicitur.*
1562 *Veteres vt Chriſti figura fuerint.*
1562 *Chriſti Sanguis non vindictam ſed veniam clamat.*

Flagellat autem omnem filium, quem recipit.

1555. *FLagellat autem omnem filium, quem recipit.* Igitur qui recipi quærit, non defugiat flagellari. *Si flagellari detrectas*, inquit Sanctus Auguſtinus in pſal. 79. RECIPI QVARE OESIDERAS? Excipe lubens flagella, vt excipiaris. Addit: *Flagellat omnem, qui & vnico non pepercit.* Rem grauius vrget in Pſal. 122. *Flagellat Deus omnem filium, quem recipit. Et, ſi vnicum ſine peccato flagellauit, & pro nobis omnibus tradidit eum; quomodo debemus nos flagellari, qui fecimus quare flagellemur?*

In vtilitatē reſilit, quod hîc nos Deus flagellat; vult nos ita collocare ad dexteram, fors ſine flagellis in ſiniſtra futuros. Idem Sanctus Pater in pſal. 89. ita ſcribit: *Cum flagellat omnem filium quem recipit, nec in peccatis ſuis proſperare ſinit, plus iraſcendo.* SEO IN MANSVETVOINE *flagellat; vt* EMENOATVM AD OEXTERAM PONAT. Non eſt igitur ab eius duritiâ quod eos, quos recipit, excipit flagellis, eſt ab eius amore, ac manſuetudine.

Hinc flagellis nos erudiri ad hæreditatem æternam poſſidendam, productus Sanctus Doctor ſic explicabat in pſalm. 93. *Certè de malis exercet nos, flagellat nos; Ad quam rem flagellat?* VTIQVE AO REGNVM COELORVM, *flagellat enim omnem filium quem recipit, & quis eſt filius cui non det diſciplinam pater eius? quod cum facit Deus, ad hæreditatem ſempiternam nos erudit, & hoc nobis præſtat ſæpè de malis hominibus, in quibus exercet & perficit dilectionem noſtram, quam vult extendi vſque ad inimicos: neque enim perfecta eſt dilectio Chriſtiani niſi eum implet quod Chriſtus præcepit. Diligite inimicos veſtros, benefacite his qui vos oderunt, & orate pro eis, qui vos perſequuntur, hinc ipſe Diabolus vincitur, hinc victoria corona percipitur, ecce quanta nobis præſtat Deus de malis hominibus.* Sicque *hæreditatis æternæ*, vt bonus ille Auctor ait, *candidatus eſt, qui flagellis* PERCVSSVS PVRPVREO COLORE *inſignitur.*

1556. *Flagellat omnem filium quem recipit.* Si amas filius dici, ne reiice flagella. Placet hæreditas patris? à patre ne time flagellari. Pulchrè Sanctus Auguſtin. enarrat. 2. in pſal. 32. ad producta verba: *Ne te ſine flagello ſperes futurum*, NISI FORTE COGITES EXHÆREOARI. *Flagellat omnem filium, quem recipit. Itanè, omnem? Vbi te volebas abſcondere? Omnem, & nullus exceptus, nullus ſine flagello erit. Quid? an omnem? Vis audire, quem omnem? Etiam vnicus ſine peccato, non tamen ſine flagello.* & in pſal. 88. *Tu ſi promiſſa patris benè agnouiſti; non timeas flagellari, ſed exhæredari. Quem enim diligit Deus, corripit: flagellat autem omnem filium, quem recipit. Peccator filius dedignatur flagellari, cum ſine peccato videat vnicum flagellari?*

Ab amore eſt quòd nos flagellat; inſert quippè nobis plagas, vt illis medeatur, quas ipſi fecimus. Sanctus Gregorius Nazianzenus orat. 15. ita ſcribit. *Melius & præſtantius eſt, vt cum peccamus, in nos animaduertatur, quam vt labentes minimè caſtigemur; quem enim amat Dominus caſtigat, paternæque beneuolentiæ argumentum eſt increpatio: contra omnis anima quæ admonitionis & caſtigationis expers eſt, incurabilis manet: quocirca non graue eſt* PLAGIS AFFICI, SEO PLAGA MELIOREM NON FIERI GRAVISSIMVM ET ACERBISSIMVM EST.

Quod flagellat, amantis eſt; & ad æternam 1557.
hæreditatem vocantis. Terreni patris exemplo totum iſtud firmat Sanctus Auguſt. in pſal. 93. *Dicit Scriptura: Quoniam, quem diligit Deus, corripit. Flagellat autem omnem filium, quem recipit; Ille flagellatum recipit: tu dicis, quia repellit? videmus homines in filiis ſuis facere illud: aliquando iam deſperatos filios ſuos dimittunt viuere, quomodo volunt. Eos, qui ſpem habent flagellant: illos verò, quos omnino viderint ſine ſpe, & indomitos eſſe, dimittunt, vt faciant, quod volunt. Iam, quem dimittit facere, quod vult, non vult admittere ad hæreditatem ſuam: eum autem flagellat filium, cui ipſam hæreditatem ſeruat. Quum autem flagellat Deus filium, curat ſub manu patris flagellantis; quia, qui flagellat, ad hæreditatem erudit. Ab hæreditate non repellit filium ſuum, quem caſtigat; ſed ideo flagellat, vt recipiat. Non ſit tam vano ſenſu & puerili, vt dicat: Plus amat pater meus fratrem meum, cui permittit facere quicquid vult: ego ſi me mouero contra iuſſionem patris mei, flagella inuenio. Tu gaude ſub flagellis; quia tibi ſeruatur hæreditas, quia non repellet Dominus plebem ſuam. Ad tempus emendat, non in æternum damnat.*

Flagella, vincula ſunt, quæ nos cum Deo ligant. His caruit Adam, vt non mirum, ſi in Paradiſo ceciderit. Præclarè Simeon iunior orat. 16. *Flagellat omnem filium, quem recipit, per morbos varios, & inualetudines tum ſibi copulans, gratias agentem, & patientem, & pro huiuſcemodi certaminum coronâ adoptionem reportantem. Etenim protoplaſtus* NON OB ALIVO VIOLAVIT MANDATVM, *niſi quod nulla prorſus re egeret, eſſetque ſine labore diues bonorum omnium.*

Cum igitur quis flagella ſentit, cogitet Deum eſſe qui flagellat, licèt per hominem iniquum id præſtet. Pulchrè Beda in c. 8. Epiſt. ad Romanos, *Flagellat omnem filium, quem recipit. Quid ſibi ergo plaudit iniquus, quia flagellum ſibi de illo fecit pater meus? Illum aſſumpſit* AD MINISTERIVM, *me erudit ad patrimonium. Nec attendere debemus* QVANTVM PERMITTAT INIVSTIS, SED QVANTVM SERVET IVSTIS.

Qui amat recipi, lubens flagella excipiat. 1558.
Hinc illud Sancti Auguſtini lib. de paſtoribus cap. 5. *Flagellat autem omnem filium quem recipit, & para te flagellari, aut certè non quæras recipi; flagellat autem, omnem, inquit, filium quem recipit, & tu fortè exceptus eris? Si exceptus a paſſione flagellorum, exceptus à numero filiorum. Itane, inquies, flagellat omnem filium? prorſus ita flagellat omnem filium, vt & vnicum. Et vnicus ille de Patris ſubſtantia natus, æqualis Patri in forma Dei, Verbum per quem facta ſunt omnia, non habebat vnde flagellaretur: ad hoc carne indutus eſt, vt ſine flagello non eſſet; qui ergo flagellat vnicum ſine peccato, nunquid relinquit adoptiuum cum peccato?* Obſignare rem poſſumus illis eiuſdem Sancti Patris verbis in pſalm. 114. *Non tam mihi amarum debet eſſe; quod*

quod flagellat, quàm dulce, quod recipit. Hoc postremum omnem amaritiem aufert ab illo priori.

1559. Cum flagellet Deus, quem recipit, timoris occasio est, quum quis aut flagellis non peritur, aut tangitur leuioribus. *Magis timere debemus,* inquit Sanctus Augustinus serm. 105. de Temp. *si aut nullas, aut paruas tribulationes in hoc sæculo patimur: quia, si Deus flagellat omnem filium, quem recipit; sine dubio, quem non flagellat, non recipit: si pro terrenis bonis tantos labores, etiam grauia pericula homines æquo animo patiuntur, quare pro fidei thesauro æterno sumus pigri?*

Flagellare filium Deus dicitur, non seruum; vt ab amore procedere flagella disceres, & ad altiora vocare, dum plagas infligit. Hinc illud S. Ambrosij in psal. 118. octon. 14. *Asperioribus exercet pater filium, quàm dominus vernaculum: sed dura patris non æstimantur flagella; quia vult filium* MELIOREM *esse, quam seruulum;* duris suos ita probat, vt probiores etiam efficiat.

Ne qua radix amaritudinis sursum germinans impediat.

1560. NE *qua radix amaritudinis.* Magnum habet acumen Theophylacti obseruatio circa hanc phrasim. *Obserua,* inquit, *quod non dixerit, radicem esse amaram; sed amaritudinis radicem (potest enim amara radix bonos fructus proferre) amarulentia autem radicem, hoc est fontem & propositum, sine causa, non est possibile, dulcem fructum proferre.*

Ne quis fornicator, aut profanus vt Esau, qui propter vnam escam vendidit primitiua sua.

EX horum verborum nexu gulæ & libidinis cognationem colligebat Sanctus Isidorus Pelusiota lib. 1. epist. 320. vbi ait: *Cum tu illud exploratissimum habeas, saturitatem vitiosos affectus parere, gulámque ad libidinem & lascivias pertrahere, nihil necesse fuit quamobrem ex me sciscitareris, quanam horum verborum explanatio sit: Ne quis fornicator, aut profanus vt Esau. Cum Scriptura sacra eum primogenitorum iuris prædatorem ob ventris ingluuiem ac voracitatem fuisse conuincat: nam,* CVM EVM GVLÆ DEDITVM FVISSE OSTENDISSET, VNA QVOQVE FORNICATOREM ET PROFANVM FVISSE SATIS HABVIT DEMONSTRASSE.

Cupiens hæreditare benedictionem reprobatus est; non enim inuenit pœnitentiæ locum, quanquam cum lacrymis inquisisset eam.

REprobatus est. Et non suam à patre benedictionem extorsit Esau, nam illi dixit Isaac: *In pinguedine terræ, & in rore cœli desuper erit benedictio tua.* Audis benedictione donatum? cur igitur eam non inuenisse dixit Apostolus? *Respondetur,* inquit Abulensis, in cap. 7. Genesis, *quod non loquitur ibi Apostolus de qualicunque benedictione, sed de benedictione magna, quæ dicebatur hæreditaria pertinens ad ius primogenituræ.*

1561. *Non enim inuenit pœnitentiæ locum.* Fuderit lacrymas Esau, non tamen pœnitentiæ locum inuenit: puto quia non dedit veræ pœnitentiæ locum; cum fratris odium non posuerit, & de damno potiùs, quàm de peccato plorauerit; sistenda hic verba Beat. Thomæ à Villanoua conc. in feria 4. post Dom. 1. quadrag. *Quantulamcunque & quamlibet breui gestam non respuit pœnitentiam: suscipit etiam ipsa neque patitur quantumuis exiguæ conuersionis perire mercedem. Neque mihi nunc obiicias de Esau, qui (vt Apostolus ait) non inuenit locum pœnitentiæ quamuis cum lacrymis quæsisset illam: non enim illi profuerunt lacrymæ ad recuperandam gratiam, si de peccato, & non de damno plorasset,* ET FRATRIS ODIVM IN CORDE NON RESERVASSET. Notent verba postrema, qui proximi odium in corde condunt, & intra se veram pœnitentiam credunt.

Non inuenit pœnitentiæ locum, quia in locum quem vendiderat, remitti cupiebat, & paternam benedictionem, quod Apostolus indicauerat, dicens: *Cupiens hæreditare benedictionem:* Bene Sanctus Isidorus Pelusiota lib. 4. Epist. 26. *Cum ait, pœnitentiæ locum non inuenit: quamuis cum lacrymis eam quæreret; at ego miror quomodo hoc te fugerit, non enim hoc eo sensu dixit, quasi pœnitentiam contumelia affecisset Iudex: sed ideo, quia præmium hoc est, benedictionem, quæ virtuti potiùs quam primogenituræ debebatur, ei qui hanc vendiderat, non reddiderit.*

Extimam pœnitentiæ formam præ se tulit Esau, alienus à veræ pœnitentiæ nota. *Pœnituit Esau,* inquit, Sanctus Thomas Aquinas, *non quia vendiderat primogenita, sed quia perdiderat. Vnde non dolebat de peccato venditionis,* SED DE DAMNO PERDITIONIS, *& ideo pœnitentia eius non fuit accepta, quia non erat vera.* Damnāda pœnitentia quæ temporalia tantùm damna respicit, nec circa peccata versatur, nec pœnitenda studet aboleri.

Et si bestia tetigerit montem.

PRo bestia, aliqui habent, *iumentum;* quod omne ferarum genus hîc significat. Elias Cretensis in orat. 1. Sancti Gregorij Nazianzeni. *Illud dicimus, quod magnus Apostolus cum in Epistola ad Hebræos his verbis vsus est, etiamsi iumentum montem tetigerit, lapidabitur, iumenti nomine citra discrimen vllum feras quoque significari intelligit.* 1562.

Et sanguinis aspersionem melius loquentem quàm Abel.

CHristi sanguinem confert cum sanguine Abel, vt noueris veteres fuisse Christi figuram. *Effusio enim sanguinis Christi,* inquit hîc S. Thom. *figurata fuit in effusione omnium iustorum; & ideo effusio sanguinis Abel signum fuit istius effusionis.* Sed cur Christi sanguis melius loquitur, quam sanguis Abel? *Quia iste,* ait idem Sanctus Doctor, *clamat vindictam, sed sanguis Christi* CLAMAT VENIAM. Eodem spectauit S. Greg. lib. 13. Moral cap. 8. dum ait: *Paulus dicit: & sanguinis aspersionem meliùs loquentem quàm Abel: quia sanguis Abel* MORTEM *fratricidæ fratris petiit, sanguis autem Domini* VITAM *persecutoribus impetrauit.* O sanguinis huius vocem pro nobis ille quoque audiat, qui fudit illum pro nobis!

CAPVT

CAPVT XIII.

EPISTOLÆ AD Hebræos expenditur & illustratur.

1563 *Cum expensæ contrahendæ, id in eleemosynarum largitione fieri solet.*

1564 *Hospitalitas commendata etiam in viles & abiectos.*

1564 *Perstricti qui cognitos hospites repellunt.*

1565 *Fructus Dominicæ Passionis pro toto Mundo.*

1565 *Omnem locum vt idoneum orationi Christus effecerit*

1566 *Extra deliciarum castra ei exeundum qui Christum imitari vult.*

1566 *Beneficentia cur communio dicta seu communicatio.*

1567 *Subditi vt Prælatis obedire teneantur.*

1567 *Præsulum onus quàm graue.*

1568 *Gemere pro subditorum peccatis, Prælatis expedit.*

1569 *Tristitia Prælatis vtilis non subditis.*

1569 *Reprehensio consolatio dicta.*

1570 *Sermonis breuitas laudata.*

Charitas fraternitatis maneat in vobis.

1563. MOnet vt se se mutuò diligant tanquam fratres? *si quæras*, inquit hîc Estius, *cur de sola fratrum charitate præcipiat, cùm ad omnes homines extendere se debeat charitas Christiana: Respondeo charitatis quidem affectum esse debere ad omnes: sed quoniam affectu & opere ad omnes pertingere non potest: idcirco primam habendam curam domesticorum fidei.*

Et hospitalitatem nolite obliuisci, per hanc enim latuerunt quidam, Angelis hospitio receptis.

CVr hîc præcipuè meminit hospitalitatis? *Quia* (inquit Estius) *facultatibus attenuati ob persequutiones præcedentes, fortasse remissiores facti fuerant in hoc genere virtutis.* Is ferè hominum mos, vt, cùm expensæ contrahendæ sint, id in eleemosynarum largitione fiat; & in operibus, quibus beneficeotia aut hospitalitas exercetur: cæterum in iis, quæ Mundi sunt, & ad luxum spectant, eundem seruare tenorem volunt.

Nolite obliuisci. Cur *obliuiscendi* vtitur verbo? An quia antea cur & reipsa hospitalitatis recordabantur, pauperiores autem facti quod sæpè solet fieri, paulatim beneficentiæ obliuiscebantur? Sanctus Thomas hîc. *Dicit* OBLIVISCI, *quia isti aliquando in prosperitate sua multum fuerant hospitales, sed modò depauperati erant, & ideo non ita bene poterant, tamen animat eos ad continuandum secundum possibilitatem suam.*

Per hanc enim latuerunt quidam, aliqui legunt; *quidam nescientes*; meminit huius lectionis etiam Sanctus Thomas, & eam egregiè expendit Sanctus Chrysostomus. *Id inquit Paulus in huius laudibus dixit, hospitalitatis nolite obliuisci, per hanc enim quidam inscientes, hospitio exceperunt Angelos, ac rectè dixit inscientes, nam si scieas illos excepisset tanta cum beneuolentia, nihil magni mirùm fecisset. Sed hæc tota laus quòd ignorans quinam essent, qui præteribant, nec aliud esse credens quàm homines viatores, cum tanta alacritate vocauit intrò; tu quidem igitur si quidem nobilem ac splendidum exceperis, multámque præstiteris alacritatem, nihil mirum est, nam virtus eius qui excipitur, etiam in hospitalem, frequenter adigit, vt omnem exhibeat humanitatem: cæterum illud maximum & admiratione dignum, quoties &* VVLGARES, ET ABIECTOS, AC VILES *multa cum beneuolentia excipimus.* Sic ille conc. 2. de Lazaro. 1564.

Hoc exemplo perstringi illi possunt qui non cognitos Angelus recipiunt, sed cognitos repellunt. Cadunt hîc optimè quæ habet Sanctus Isidorus Pelusiota, lib. 1. epist. 150. *Quidam ad me aduenientes hoc mihi narrarunt, se horâ meridianâ æstu ac siti correptos ad vestibuli domus vestræ vmbram confugisse, atque in canem potiùs ac crudelem lupum, quam in hominem incidisse, hoc est in eum cui hospitalitatis munus à vobis commissum est: vt qui eos vehementer cædendo abegerit; ita cum inscientes quidam hospitio Angelos acceperint, vos non incognitos,* SED COONITOS ANGELOS EXPELLITIS.

Sint mores sine auaritia. 1565.

CVr eos ab auaritiâ auocat: *Forte id præcipit*, ait Estius, *quòd videret quosdam prætextu egestatis ad quam redacti erant iniuria persequentium, plus satis studere rei de nouo augendæ.* Et Primasius: *Fortassis, postquam expoliati fuerant propriâ facultate à non credentibus, cupiebant sub prætextu eleemosynæ iterum congregare diuitias: ideóque monuit Apostolus, vt essent mores illorum sine auaritia; contenti tantùm præsentibus necessariis, non præcogitantes de futuro.*

Extra portam passus est.

EXtra portam est passus, extra castra crucifixus est Christus, ne aliquo limite Passionis eius fructum coërceremus. *Christus se nouum*, inquit Sanctus Leo serm. 8 de Pass. *& verum reconciliationis sacrificium offerens Patri, non templo (cuius iam erat finita reuerentia) nec intrà septa ciuitatis ob meritum sui sceleris diruendæ; sed foris, & extra castra crucifixus est, vt, veterum victimarum cessante mysterio, noua hostia nouo imponeretur altari, &* CRVX CHRISTI NON TEMPLI ESSET ARA, SED MVNDI.

Extra portam passus est; Vt locum omnem sanctificaret, aptúmque orationi fundendæ redderet. Opportunè nobis succinit Sanctus Chrysostomus serm. 22. de diuersis noui Testamenti locis: *Iudæis ob hoc præcepit Deus, vt totâ terra relictâ in vno loco immolarent, & preces in eo*

loco funderent. Nam cum tota terra tunc contaminata esset fumo, & nidore, & idololatrico sanguine, & aliis Gentilium inquinamentis, ideo illis vnum locum imperauit: sed cum Christus venit, & extra ciuitatem mortem obiit, vniuersam terram mundauit, OMNEMQVE LOCVM ORATIONI IDONEVM AFFECIT.

Exeamus igitur ad eum extra castra, improperium eius portantes.

156 EXeamus ad eum extra castra. Hæc verba hac donat expositione Caietanus: *exhortationem infert spiritualem, vt ad Iesum imitandum exeamus* EXTRA CASTRA DELICIARVM, COMMODITATVM, *societatum, & aliorum huiusmodi, quæ humana societas præstat.*

Improperium eius portantes. Portare Chtisti improperium ex multorum mente est, talia pati qualia passus est Christus, crucem, irrisiones, opprobria, persecutiones. Addit Estius: *Posset etiam intelligi improperium Christi idest pro Christi nomine toleratum. Sed verosimilius est, improperium Christi propriè illud dici, quo vocabantur Christiani; erat enim magnum probrum vocari sectatorem, ac discipulum Christi crucifixi.*

Beneficentiæ autem, & communionis nolite obliuisci.

BEneficentiæ nomine ea charitatis officia complectitur, quæ proximis impenduntur, ea præsertim, quibus illorum inopia subleuatur; ad hæc enim propriè communio, seu communicatio spectat, qua nimirum, QVIS RES SVAS INDIGENTIBVS COMMVNES FACIT, reputans se eas non sibi soli accepisse à Deo, sed aliis quoque, in aliorúmque vsum; ac vtilitatem. Ille verè beneficus, qui ea quæ habet ita aliis erogat, ac si aliorum essent, non sua.

Obedite Præpositis vestris, & subiacete eis.

1567. CVm pro subditis animas suas exponant Præsules discrimini, cur non subditi Prælatis obediant, Præsules reuereaotur, addo & eorum misereantur? Rectè rem vrget B. Thom. à Villanoua conc. in Dom. 3. aduentus: *Reuereamur*, inquit, *fratres Prælatos, & honoremus,* ET OBEDIAMVS ILLIS, *qui ad tantum periculum animas sua pro nobis exposuerunt: Obedite (inquit Apostolus,) Præpositis vestrie, & subiacete eis, commiseremini illorum: ipsi enim peruigilant, quasi rationem reddituri pro animabus vestris.*

Ipsi enim peruigilant, quasi rationem pro animabus vestris reddituri.

GRande ooos Præsulum, grande periculum Prælatorum; *Vnus Angelus*, inquit B. Thomas à. Villanoua conc. in Dom. 3. aduentus, *vnam sibi* OVEM SVFFICERE PVTAT, quam tueatur, quam custodiat, & Præsul multa ouium millia recipit custodienda, nec timet ne par tanto muneri sit futurus.

Vt cum gaudio hoc faciant, & non gementes; hoc enim non expedit vobis.

VT cum gaudio hoc faciant. Addit Sanctus Augustinus serm. 17. de verb. Dom. *Quando facimus ista cum gaudio? Quando videmus homines proficere in verbo Dei. Quando laborat cum gaudio operarius in agro? Quando attendit arborem, & fructum videt: quando attendit segetem, & ex fructu areæ prospicit vbertatem. Non sine causa laborauit, non sine causa dorsum curuauit, non sine causa manus attriuit, non sine causa frigus & æstum tolerauit. Hoc est, quod ait: Vt cum gaudio hoc faciant, & non cum tristitia.* 1568.

Hoc enim non expedit vobis. Opportunè S. Thomas hîc: *Nota autem, quod dicit: Non expedit vobis. Non enim dicit, Non expedit illis, gemere enim* PRO COMMISSIS SVBOITORVM, BENE EXPEDIT PRÆLATIS. *Sic gemebat Samuel super reprobatione Saulis 1. Reg. 15. & 16.*

Hoc enim non expedit vobis. Non dixit, *Illis*; sed, *Vobis*; cùm Præpositis etiam ipsa tristitia prosit, non subditis. *Numquid dixit?* inquit ad hæc verba Sanctus Augustinus serm. 17. de verb. Dom. *Non illis expedit. Non, sed dixit: non expedit vobis, nam illis Præpositi quando contristantur de malis vestris, expedit illis,* IPSA TRISTITIA PROOEST ILLIS, SED NON EXPEDIT VOBIS. *Nihil autem nobis volumus expedire, quod non expedit vobis.* 1569.

Rogo autem vos fratres, vt sufferatis verbum solatij; etenim perpaucis scripsi vobis.

ET verò non rogandi erant, vt sermonem solatij ac consolationis æquo animo ferrent; nam cuilibet per se grata consolatio est. *Reprehensionem*, inquit bonus ille Auctor, CONSOLATIONEM *vocat; neque enim vana adulatio, sed vera obiurgatio consolatur.* Certe consolationis loco laudatio duci non debet, sed obiurgationis; sicut optimo rerum æstimatori obiurgatio, consolatio quædam est.

Etenim perpaucis scripsi vobis. Licèt Epistola satis sit prolixa, si tamen spectemus ea, quæ in lato pectoris eius sacratio latebant, pauca fuere quæ dixit: aut pauca scripsit, si conferantur cum his quæ præsens præsentibus erat dicturus; aut si habuisset discipulos magis idoneos. De sermonum breuitate ita sentit S. Thom. hîc: SERMONES BREVES *valde accepti sunt: quia, si sunt boni, auidius audiuntur; si vero mali, parum grauant.* Istud idem de his dicta volo, quæ in Paulum scripsi. Sisto hîc igitur, & ad alia calamum flectens, volumen B. Aelredi verbis obsigno: *Si quis horum lectione, aut affectu, aut cognitione profecerit, sudoribus meis hanc vicem rependat, vt pro innumerabilibus peccatis meis apud misericordem iudicem intercedat:* ne qui aliis vtilia obtuli, ego imprudens eligam inutilia, & aliis proba monita ostendens, mei accusator fiam, qui facienda docuerim, nec fecerim, nam vniuersè tractator ille, calamum in se adigit tanquam gladium, 1570.

QVI FACIENDA SCRIBIT, ET SCRIBENDA NON FACIT.

FINIS.

INDEX

INDEX RERVM
PRÆCIPVARVM,
Quæ in hoc PAVLI EXPENSI Volumine continentur.

PRODVCTVS NVMERVS EST MARGINALIS.

A.

Quo

C

Charitati

Chirographum.

Christianitas, Christianus.

Christus.

Segregatus

Clamare,

Iustificatio

Dei

Semper,

K

E

Ebrietas, Ebrius.

Virtutum

G

Omnia

Placere

Hypocrisis, Hypocrita.

I

Iacere.

Iacet.

Iactantia, Iactare se.

Iactura.

Ictus.

Idololatria.

Ieiunium.

Ierosolyma.

Iesus.

Ignis.

Ignobilis.

Ignominia.

Incontinentia.

Vita

L

Labor, Laborans, Laborare.

Lingua.

Mollis.

Mutabilitas.

P

Palma.

Patria.

S. Paulus.

Cur

Paupetis

Tristitia

Prudentia.

Pudicitia.

Pudor.

Pueritia.

Pugil.

Pugna, pugnare.

Punire, punitio.

Purgatorium.

Puritas.

Q

Quærere.

Quæſtio.

Quies.

Quiſquiliæ.

Quotidie.

Vleisci,

Vulnera.

FINIS.

IHS